INSTITUTUM IURIDICUM CLARETIANUM

LEGES ECCLESIAE

post Codicem iuris canonici editae

collegit, digessit notisque ornavit

Xaverius Ochoa

in Universitate Urbaniana Professor

Volumen IV

LEGES ANNIS 1969 - 1972 EDITAE

Editor

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS

1974

http://www.obrascatolicas.com

BX
1939
2216
.033
1966
V.4

LEGES ECCLESIAE

post Codicem iuris canonici editae

http://www.obrascatolicas.com

© 1974 by Commentarium pro Religiosis
ISBN 84-400-7187-6

ALDUS, S. A. - Artes Gráficas - Castelló, 120 - Madrid

Depósito legal: M. 7.904.-1969
198893
SEP 04 1985

Il Cardinale Segretario di Stato 27 marzo 1973

Rev.mo Padre,

Non avrebbe potuto farmi piacere più grande che con Le offrirmi il terzo volume della sua opera, di considerevole ampiezza e di tanta precisione: "Leges Ecclesiae post Codicem editae".

Da quando ho cominciato a prendere familiarità con i primi due volumi, ho imparato ad apprezzarli sempre di più e mi sono diventati quasi indispensabili. Questo per dirle quanto ora sia felice di avere anche il terzo volume che arriva fino al 1968.

Mentre auguro ogni successo a questa sua opera ed a tutti i suoi studi, profitto della circostanza per confermarmi, con sensi di religioso ossequio,

suo dev.mo nel Signore.
G. Card. Villot

http://www.obrascatolicas.com

DECLARATIO

In limine Voluminis IV collectaneorum qui *Leges Ecclesiae post Codicem iuris canonici editae* inscribuntur haud quicquam aliud declarare existimo necessarium quam ea praenotata ac praemissa Volumini III.

Unus idemque remanet ac prosequitur disciplinae status Ecclesiae, immutatae constantesque repetuntur condiciones Pontificiae Commissionis Codici iuris canonici recognoscendo. Etiam nunc potest nemo certe praemonere vel praenuntiare huius rerum status extremum tempus.

Haec omnium summa condicionum me in eam necessitudinem adduxerunt ut opus inceptum, alacri sane indefessoque animo, at dubitato quoque ac incerto pede, protinus pergerem ac conducerem versus futurum terminum et conclusionem.

Magnas huius Voluminis partes adhuc occupat non intermissa vitae disciplinaris et liturgicae Ecclesiae renovatio, quae instaurandam definitive disciplinam praesentire quodammodo permittit.

Omnes in typica editione colligo Ordines liturgicos ex decreto Concilii Vaticani II instauratos et auctoritate Romani Pontificis promulgatos, una cum *Praenotandis* et Normis generalibus quae administrationem Sacramentorum, Sacramentalium, Missae, Liturgiae Horarum sub respectu haud uno rubricarum et rituum, sed doctrinali quoque, iuridico et disciplinari praeordinant, tangunt ac definiunt.

Signaturae Apostolicae decisiones, quarum ipsa ex tanto temporis intervallo intermiserat publicationem, coacervo omnes, alterius quoque Sectionis, modo ac textu quem publicum reddere ipsamet Signatura permisit.

Nec ullum praetermittere curavi documentun Synodi Episcoporum, Commissionis *Iustitia et Pax*, Commissionis decretis Concilii interpretandis, Secretariatus ad christianorum utitatem fovendam, Consilii instrumentis communicationis socialis praepositi, Consilii de Laicis, etc., quae haud leves, his decurrentibus annis, normas dederunt iuridico-pastorales.

Volumen igitur IV, nunc demum prolatum et usque ad totum annum 1972 extensum, haud leviter quis definiret *Leges Ecclesiae hodie vigentes*.

Scribebam Romae, die 24 mensis octobris anni 1973, in memoria S. Antonii Mariae Claret.

XAVERIUS OCHOA.

http://www.obrascatolicas.com

3707

1969 IAN 6.-SC RELIG., INSTR. AAS 61 (1969) 103-120

INSTRUCTIO DE ACCOMMODATA RENOVATIONE INSTITUTIONIS AD VITAM RELIGIOSAM DUCENDAM

Prooemium

Renovationis causam suscipiens, ut Ecclesia abundantiore spiritualium virium copia polleret, et ad nuntium salutis hominibus nostrae aetatis impertiendum evaderet paratior, Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum iis etiam curas non leves adhibuit, qui divinum vocationis religiosae donum persequuntur, eorumque vitae naturam, rationem, momentum in clariore luce collocavit [1]. Circa quorum condicionem in corpore Ecclesiae haec asseveravit: «Status... qui professione consiliorum evangelicorum constituitur, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem inconcusse pertinet» [2].

Praeterea «cum ecclesiasticae Hierarchiae munus sit Populum Dei pascere et ad pascua uberrima ducere (cfr. *Ez.* 34, 14), ad ipsam spectat evangelicorum consiliorum praxim, quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur, legibus suis sapienter moderari. Ipsa etiam, Spiritus Sancti impulsus dociliter sequens, regulas a praeclaris viris et mulieribus propositas recipit et ulterius ordinatas authentice approbat, necnon Institutis ad aedificationem Corporis Christi passim erectis, ut secundum spiritum fundatorum crescant atque floreant, auctoritate sua invigilante et protegente adest» [3].

Verum nihilominus constat alacrem vigorem, praesertim renovationem vitae spiritualis, evangelicae et apostolicae, qua Religiones animentur oportet, dum indefatigato nisu ad caritatem in dies altiorem ipsis est contendendum, ex iis potissimum pendere, quibus munus concreditum est regendi, nomine quidem Ecclesiae et ope gratiae caelestis, eadem Instituta, simulque ex magnanima cunctorum sodalium cooperatione. In ipsa enim natura vitae religiosae, perinde ac in ipsa Eccle/siae natura, positum est, ut illa 104
eam secum ferat structuram, sine qua nulla societas, ne supernaturalis quidem, finem suum assequi possit, neque aptiora subsidia, quibus ad hunc perveniatur, valeat suppeditare.

Quam ob rem Ecclesia, per experientiam quoque edocta, quam saeculorum decursu hausit, permota est, ut corpus legum canonicarum paulatim conficeret, quae ad vitae religiosae firmitatem atque profectum ante actis temporibus non paulum contulerunt. Neminem autem latet accommodatam Institutorum renovationem, prout nostrae huius aetatis condiciones postulent, effici non posse nisi normae canonicae, ad structuram et subsidia vitae religiosae pertinentes, recognoscantur.

Quoniam autem «Institutorum accommodata renovatio a sodalium institutione maxime pendet» [4], multae Religiones virorum et mulierum, renovationi a Concilio expetitae operam dare cupientes, diligenti inquisitione peracta ac saepe opportunitate oblata praeparandi specialis Capituli generalis, quod per Litteras Apostolicas «Ecclesiae sanctae» motu proprio datas praescribitur [5], annisae sunt, ut accuratius condiciones definirent, quibus accommodata renovatio institutionis per gradus tradendae sodalibus, qui ad vitam religiosam informantur, ad effectum deduceretur.

Ita factum est, ut vota quaedam proferrentur ac Sacrae Congregationi pro Religiosis et Institutis Saecularibus, praesertim ab «Unione Superiorum Generalium», proponeren-

[1] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 43 ss. [LE 3232]; Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis* [LE 3333].
[2] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 44. [3] Ib., n. 45.
[4] Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 18.
[5] Cfr. Motu proprio *Ecclesiae sanctae*, II, n. 3 [LE 3457].

tur. Quae postulationes eo profecto spectabant, ut normae canonicae, quibus religiosorum institutio in praesenti regitur, ita relaxarentur, ut Societates secundum decreti «Perfectae caritatis» praescriptum [6], totum institutionis cursum aptius accommodarent mentis habitui hominum novae huius aetatis, vitae condicionibus nunc obtinentis, atque etiam apostolatus necessitatibus hodiernis, indole tamen et fine peculiari cuiusque Instituti fideliter servatis.

Liquet vero novas leges certa ac definita ratione ferri non posse, nisi respectu habito experimentorum, quae quidem intra fines satis amplos et per satis diuturnum temporis spatium fuerint capta, ut fieri possit iudicium rebus innixum. Quod sane verissimum est, cum implicatae rerum condiciones, earum pro locis varietas et celeriores cotidie mutationes eos, quorum est hac aetate iuvenes ad germanam vitam religiosam instituere, non sinant «a priori» affirmare, quae viae sint optimae. / 105

Qua de causa Sacrae Congregationi pro Religiosis et Institutis Saecularibus, postquam plures sibi datas sententias de diversis spatiis institutionis ad vitam religiosam ducendam mature excussit, expedire visum est quasdam leges canonicas relaxare, ut necessaria experimenta fieri possent. Verumtamen, si de iuridicis normis nonnihil detrahitur, plurimum interest, ne quid detrimenti primariis bonis inferatur, quae tueri iisdem vigentibus legibus merito est propositum. Iamvero «serio perpendendum est optimas accommodationes ad necessitates temporis nostri peractas effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali» [7].

Ut igitur recognitio subsidiorum normarumque vitae religiosae authentica sit, simul requiritur, ut iterum ea definiantur, quae in eadem vita religiosa sunt praecipua, quippe quorum tuitio sit finis ipsarum normarum. Propter hoc eoque consilio, ut novarum ordinationum vis, praesenti Instructione statutarum, melius intellegeretur, haec Sacra Congregatio non ab re esse censuit illis quaedam animadversione digna praeponere.

I. *De nonnullis rationibus et principiis*

1. Non solum implicatae condiciones, de quibus est supra mentio iniecta, sed etiam, ac quidem maxime, augescens Institutorum eorumque operum diversitas minus atque minus sinunt aptas normas sancire, quae eadem ratione ad omnia simul Instituta et ad cunctas regiones pertineant. Quocirca normae multo latius patentes, quae hac Instructione eduntur, singulis Societatibus facultatem dant illas prudenter sequendi vias, quae ipsis magis conveniant.

Peculiari vero modo monendum est, in institutione et educatione, optimas vias non esse prorsus easdem pro virorum atque mulierum Societatibus. Praeterea rationes et subsidia institutionis differant necesse est, prout de Religione uni contemplationi dedita agatur aut de Instituto operibus apostolicis addicto.

2. Quaestiones autem e facultate orientes, quae hac Instructione Institutis conceditur substituendi, si id opportunum putaverint, pro votis temporariis alius generis vincula, suadent, ut natura et momentum ipsius professionis religiosae in memoriam revocentur. Haec enim professio, qua sodales «per vota aut alia sacra ligamina, votis propria / 106
sua ratione assimilata» [8], ad tria consilia evangelica persequenda se obligant, consecrationem efficit, qua quis se Deo totum tradit, cui soli merito offertur donum tam absolutum personae humanae. Congruit autem magis naturae eiusmodi doni, ut perficiatur et significantissime exprimatur professione perpetua, sive simplex sit sive sollemnis. Re quidem vera «tanto... perfectior erit consecratio, quo per firmiora et stabiliora vincula magis repraesentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus» [9]. Ita fit, ut professio religiosa sit actus religionis peculiarisque consecratio, qua quis Deo se devovet.

[6] Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 3 ss.
[7] Ib., n. 2 e). [8] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 44. [9] Ib.

http://www.obrascatolicas.com

Neque solum secundum Ecclesiae doctrinam, sed etiam ex ipsa huius consecrationis natura votum oboedientiae, quo religiosus plenam sui abdicationem consummat et una cum castitatis ac paupertatis perfectum veluti sacrificium immolat Deo, ad essentiam pertinet professionis religiosae [10].

Hoc modo Christo consecratus, religiosus simul servitio Ecclesiae mancipatur, atque secundum vocationem suam adducitur, ut perfectionem caritatis apostolicae exerceat, quae eum urgere et impellere debet, sive in vita contemplationi penitus dedita sive in variis operibus exsequendis. Est tamen animadvertendum, quamquam in Institutis apostolatui addictis «ad ipsam naturam vitae religiosae pertinet actio apostolica et benefica» [11], hanc non esse primarium professionis religiosae finem; atque, ceterum, eadem apostolatus opera plane posse obiri sine consecratione e statu religioso exorta, licet haec eum, qui iisdem se obligaverit, adiuvare queat ac debeat, ut se impensius det apostolatui.

Quodsi ergo vita religiosa quoad subsidia et formas, quibus ad usum deducitur, utiliter renovatur, nullatenus tamen licet asseverari ipsam professionis religiosae naturam esse immutandam vel ea deminuenda, quae eadem ut sibi propria postulet: siquidem iuvenes, a Deo ad statum religiosum vocati, nostris hisce temporibus non minus optant, immo percupiunt hanc vocationem quoad omnia perficere, quae ea secum fert, dummodo sint certa ac genuina.

3. Attamen, praeter vocationem religiosam vere proprieque dictam, Spiritus Sanctus in Ecclesia excitare non desinit, praesertim recenti aetate, multa Instituta, quorum sodales, aliquo sacro ligamine devincti aut non astricti,
107 vitam communem ducere et consilia evangelica sta/tunnt implere ea mente, ut variis apostolatus vel caritatis operibus sese addicant. Ecclesia authenticam variarum eiusmodi formarum vitae naturam sanxit quidem et approbavit; verum hae statum religiosum non efficiunt, quamquam huic, quod ad leges attinet canonicas, saepius aliquatenus similes redduntur. Normae igitur et praeceptiones, quae hac Instructione continentur, ad Instituta religiosa vere proprieque dicta proxime spectant. Alia vero Instituta illas, si voluerint, sequi poterunt in iis, quae ad sodalium suorum recte temperandam institutionem pertinent quaeque indoli operum, ad quae incumbunt, magis congruant.

4. Ut vero facultates hac Instructione concederentur, plures res cognitae atque compertae suaserunt, quas breviter attingere expedit.

Germana enim institutio ad vitam religiosam ducendam potius progressione quadam nostris hisce temporibus impertienda esse videtur atque ad longius spatium protrahenda; siquidem complecti debet tempus novitiatus et annos primum vinculum temporarium subsequentes. Quo in formationis cursu novitiatus suum pondus prorsus servare debet, utpote pro quo nihil substitui possit quique singulariter ad ipsa spectet vitae religiosae initia. Ad quem finem non pervenitur, nisi futurus novitius saltem aliqua praeparatione humana et spirituali sit instructus, quam non solum probare convenit, sed saepe etiam complere.

Novitiatus profecto unicuique candidato eo tempore est peragendus, quo is, conscius se a Deo esse vocatum, eam maturitatem humanam et spiritualem sit consecutus, qua sufficienti ac debita cum oneris cognitione et libertate statuere valeat huic vocationi respondere. Non est quidem ineunda vita religiosa nisi eiusmodi decisio libere capiatur et seiunctio ab hominibus et rebus, quam illa secum fert, accipiatur. Quae prior deliberatio necessario non postulat, ut candidatus statim ea omnia efficere valeat, quae vita religiosa et opera Instituti exigunt, sed ipse idoneus sane haberi debet, qui progressione quadam eo perducatur. Maior enim difficultatum pars, quae in novitiorum institutione hac aetate reperiuntur, inde solet oriri, quod hi, cum ad novitiatum admittuntur, satis maturitatis non sunt adepti.

Itaque praeparatio ad novitiatum inchoandum eo magis ac magis necessaria videtur, quo mundus christiana religione minus est imbutus. Iamvero plurimis in casibus aptatione spirituali et psychologica, per gradus procedente, prorsus opus esse apparet, ut animi ad illam componantur
108 separationem, qua a vita atque etiam ab ipsis consuetudinibus saecularibus receditur. Iuvenes autem, nostro quidem aevo, vita religiosa allecti, non vitam facilem quaerunt, immo id, quod est absolutum, magnopere sitiunt; attamen eorum vita fide alita saepe rudimentis tantum

[10] Cfr. Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 14.
[11] Ib., n. 8. [12] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 46.

doctrinae innititur, cum, ex contrario, profanis disciplinis sint magis eruditi.

Inde consequitur, ut cunctae Religiones, iis non exceptis, quae postulatum haud praescribunt, magnum momentum oporteat tribuant huic ad novitiatum praeparationi. In Institutis quidem, scholas apostolicas vel collegia vel seminaria habentibus, candidati ad vitam religiosam directe ad novitiatum solent transire. Expedit tamen recogitare, utrum hic agendi modus sit servandus, an praestet, quo melius animi ad decisionem de vita religiosa, plena cum oneris cognitione, capessenda praeparentur, admissioni ad novitiatum congruum probationis tempus praeponere, ut candidatus ad maturitatem humanam et affectivam assequendam adiuvetur. Ceterum, etsi agnosci oportet hasce quaestiones pro regionibus esse diversas, affirmetur tamen necesse est aetatem, admissioni ad novitiatum congruentem, diutius, quam antea contigit, esse prolatandam.

5. In Societatibus apostolatus operibus deditis, quod ad institutionem in novitiatu tradendam attinet, compertum est potiorem in ea rationem ducendam esse necessitatis novitios ab ipso initio et modo magis directo praeparandi ad vitae genus et ad opera, quae futuro tempore suscipient, eosque docendi in ipsa vita sua illam paulatim perficere cohaerentem unitatem, qua contemplatio et actio apostolica inter se copulentur; quae quidem unitas est e praecipuis ac primariis earundem Societatum bonis. Ad hanc vero unitatem comparandam requiritur, ut recte intellegantur ipsa ratio vitae spiritualis propria et viae, quibus ad arctiorem cum Domino coniunctionem perveniatur, uno eodemque movente amore erga Deum et homines, qui sive solitario eoque intimo commercio cum illo commonstratur sive magnanimo laboribus apostolicis se devovendi studio. Oportet vero iuvenes religiosi moneantur hanc tantopere expetitam unitatem, ad quam omnis nititur vita, ut perfecte se valeat explicare, non in ipso ordine operum effici, neque pro more ratione psychologica percipi, cum in ipsa divina insideat caritate, quae est vinculum perfectionis omnemque superat sensum.

Ad hanc autem unitatem adipiscendam, qua quis non potitur nisi abdicatione sui diu se exercuerit nec nisi assidue sit annisus intentionem in ipsa actione purificare, necesse profecto est, ut lex ipsi vitae spirituali inhaerens in memoratis Religionibus *fideliter* servetur, quae in eo posita est, ut apte inter se conveniant tempora solitudini, ubi Deo / vacetur, tributa ac tempora variis operibus et 109
necessitudinibus humanis, quas illa secum ferunt, dicata.

Ut igitur novitii, dum nonnullis operibus Instituti propriis exercentur, momentum huius legis habeant comprehensum eique assuescant, expedire videtur Societatibus, quae id sibi profuturum censuerint, facultatem concedere in cursum novitiatus inducendi actuositatem formativam seu tempora experimentorum faciendorum, quae cum operibus et vitae genere iisdem propriis congruant.

Est igitur animadvertendum eiusmodi actuositatem formativam, quae institutionem compleat novitiatus, non eo spectare, ut novitiis ea impertiatur formatio, artibus technicis exercendis muneribusque obeundis consentanea, quam nonnulla apostolica opera postulant et quae serius iis tradetur, sed ut eos adiuvet ad perspicienda, inter ipsam huiusmodi operositatem, ea, quae ipsorum ad vitam religiosam vocatio exigat, et quomodo ei fideles maneant oporteat.

Re quidem vera religiosi, in tanta operum apostolicorum diversitate, quae ipsis obversantur, meminerint se ipsos, aliter ac Instituta saecularia, quae in operibus sibi propriis exsequendis huius mundi utuntur instrumentis aut munera implent temporalia, prae primis, secundum ipsam Concilii doctrinam, esse debere, modo prorsus singulari, testes Christi in sinu Ecclesiae: «Sollicite attendant religiosi, ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies, sive fidelibus sive infidelibus, melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel turbis Regnum Dei annuntiantem, vel aegros et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, et omnibus benefacientem, semper autem voluntati Patris qui Eum misit oboedientem» [12].

Diversa sunt enim dona: qua de causa unusquisque vocationi sibimet ipsi attributae inhaereat; siquidem aliud est munus eorum, qui ad statum religiosum in Ecclesia sunt vocati, aliud munus Institutorum saecularium, aliud denique munus temporale et apostolicum laicorum, qui peculiari ratione in aliquo Instituto Deo dicati non sunt.

Haec profecto, ad vocationem propriam quod attinet,

prospiciens, is, qui a Deo ad statum religiosum amplectendum asciscitur, perspectam habeat vim et significationem institutionis, quae ei in novitiatu tradi incipiat.

Natura ergo et momentum, ad educationem pertinens,
110 huiusmodi / actuositatis, nec non opportunitas eam novitiatus cursui inserendi diversa omnino ratione debent aestimari, prout agatur de Institutis virorum aut feminarum, de religiosis Societatibus contemplationi deditis aut operibus apostolicis.

Ceterum efficacitas huius institutionis, quae impertitur, dum simul maior libertas ampliorque agilitas praebentur, multum etiam e firmitudine ac prudentia pendent, quibus in moderatione Magister novitiorum et ii cuncti utuntur, qui post novitiatum ad iuvenum religiosorum formationem operam conferunt. Est magnum etiam pondus attendendum, quod in huiusmodi institutionis causa tribuatur oportet communitati generosae, ferventi, concordi, cuius in gremio iuvenes religiosi experiendo condiscere valeant mutui auxilii fraterni momentum, vi cuius progressus facere et in vocatione sua perstare expeditius possint.

6. Ut igitur huic ipsi necessitati institutionis per gradus procedentis consuleretur, est posita quaestio de producendo temporis spatio, professionem votorum perpetuorum praecedente, quo, probationis causa, temporariis vinculis aliquis astringitur, atque de substituendis in locum votorum temporariorum vel de iisdem praeponendis alius generis ligaminibus.

Expedit quidem, ut religiosus, quo tempore vota perpetua emittit, ad eum spiritualis maturitatis gradum pervenerit, qui necessarius est, ut status religiosus, quo certum stabilemque in modum sese obstringit, sit ipsi revera subsidium ad perfectionem et maiorem caritatem facilius consequendam, non onus nimis grave ad portandum. Nihilominus, quibusdam in casibus, prorogatio probationis temporariae hanc maturitatem potest fovere, in aliis vero detrimenta afferre, quae non ab re est indicare. Re enim vera non semper maturitas adiuvatur, si quis per nimium tempus in dubitatione incertus versetur; qui status aliquibus causa esse potest cuiusdam ad inconstantiam proclivitatis. Accedit quod, si quis ad professionem perpetuam non admittitur, reditus ad laicorum vitam saepe necessitatem adducit se iterum aptandi, quae quidem res eo est gravior ac difficilior, quo longius fuit tempus in condicione vinculorum temporariorum transactum. Superiores igitur conscii sint oportet muneris sui et oneris hac in re, neque in postremum tempus decisionem religiosum in saeculum remittendi differant, quam maturius capere potuerunt ac debuerunt.

7. Quodlibet autem Institutum ne decernat facultate uti hac Instructione concessa, pro votis temporariis alius generis ligamina substituendi, nisi causam et naturam huius
111 mutationis plane perspexerit atque expen/derit. Neque dubitari licet, quantopere intersit, ut is, qua a Domino Iesu admoneri se sentit, ut omnia relinquat ipsumque sequatur, huic invitationi magnanimiter ac toto corde, ab ipso vitae religiosae initio, obtemperet; cui quidem sacro vinculo professio votorum temporariorum est prorsus consentanea. Etenim priorum votorum professio, quamvis, eo quod est temporaria, probationis notam prae se ferat, candidatum tamen consecrationis, status religiosi propriae, reapse participem reddit.

Verumtamen praeparatio ad vota perpetua etiam sine votorum temporariorum professione potest haberi. Re enim vera, ut saepius hac nostra quam ante actis aetatibus comperitur, quidam, novitiatum absolventes, nondum adepti sunt maturitatem religiosam, quae sufficiat, ut statim votis religiosis devinciantur, quamvis in dubitationem non sit vocanda generosa eorum indoles et ad statum religiosum vocationis authentica natura; scilicet animus eorum fluctuans, num vota sibi sint emittenda, saepe penitus simul conscius est postulatorum et gravis momenti professionis perpetuae, quam expetunt et ad quam se cupiunt praeparare. Hac de causa nonnullis Religionibus expedire videtur, ut novitii, post emensum novitiatum, alio temporario ligamine quam votis sese astringant, quo quidem duplex eorum desiderium expletur Deo et Instituto se tradendi atque ad professionem perpetuam plenius se praeparandi.

Quaecumque autem est temporarii huius ligaminis forma, fidelitati erga veram vocationem religiosam consentaneum est, ut illud ad ea aliquo modo referatur, quae tria postulant consilia evangelica, atque adeo iam ad unam professionem perpetuam plane dirigatur, cuius est veluti tirocinium et praeparatio.

8. Qui obligationem suscipit Dominum in vita religiosa sequendi, verborum eiusdem Domini memor quidem sit: «Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei» (*Lc.* 9, 62). Verumtamen difficultates psychologicae et ad animi affectum spectantes, quibus nonnulli, dum vitae religiosae se paulatim accommodant, urgentur, non semper auferuntur, quo tempore iidem novitiatum absolvunt; quamvis non sit merito dubitandum, quin vocatio eorum possit authentica esse. Non paucis in casibus, Superiores absentiam permittentes, de qua in iure cautum est, eiusmodi sodalibus opportunitatem queunt praebere tempus extra domum Instituti agendi, ut difficultates facilius expedire possint. Sed in aliis casibus iisque difficilioribus, haec via non semper sufficit: Superiores tunc
poterunt sodalibus suadere, / ut ad saeculum revertantur, 112
ratione habita, si casus ferat, facultatis n. 38 huius Instructionis concessae.

9. Institutio demum religiosa, progressione magis procedens atque prudenti consilio in diversa vitae iuvenis religiosi spatia dispertita, seria votorum perpetuorum praeparatione ad absolutionem perducatur. Optandum est enim, ut huic actui unico et praecipuo, quo religiosus Deo in perpetuum consecratur, praeparatio satis diuturna proxime praeponatur, quam is in sacro recessu et oratione peragat, ita ut haec praeparatio quasi alter novitiatus possit haberi.

II. *De peculiaribus normis*

Itaque Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, necessaria et utilia experimenta cupiens fovere, accommodatae institutionis religiosorum renovationi conducibilia, postquam haec omnia in Plenariis Coetibus diebus 25 et 26 mensis iunii, anno nuperrime elapso actis, mature perpendit, de speciali Summi Pontificis Pauli Pp. VI mandato, per hanc Instructionem, statuere atque edere has, quae sequuntur, normas sibi curae habuit.

10. I. Institutio ad vitam religiosam ducendam duo spatia praecipua et necessaria comprehendit, videlicet: novitiatum et tempus probationis, quod novitiatum subsequens Societatum indoli congruens tempus durat et quo sodales votis vel aliis ligaminibus temporariis sunt astricti.

II. Probatio autem praevia, cuius tempus varium est quodque, in nonnullis Institutis praescriptum, postulatus nomine venit, admissionem ad novitiatum ex more praecedit.

11. I. Huic praeviae probationi propositum est, ut non solum de aptitudine et vocatione candidati iudicium fiat, sed etiam ut comperiatur, quae sit eius doctrinarum religiosarum cognitio et, si opus sit, ea compleatur modo, qui necessarius visus fuerit; ac denique ut progressione quadam a vita in saeculo ad vitam novitiatus propriam transeatur.

II. Per huius probationis tempus singulari ratione explorandum est, num candidatus ad vitam religiosam necessariis praeditus sit qualitatibus maturitatis humanae et ad animi affectus pertinentis, ita ut spes affulgeat eundem capacem fore ad obligationem status religiosi rite suscipiendam et in hac, imprimis novitiatus tempore, ad plenio-
rem maturitatem continenter esse profecturum. / 113

III. Quodsi in quibusdam casibus difficilioribus Superior censuerit, consentiente eo, cuius interest, medicum psychologum, in arte sua vere peritum, prudentem et principiis moralibus commendatum, consulere, optandum est, ut, ad maiorem efficacitatem assequendam, hoc examen non nisi post satis diuturnum tempus probationis transactum fiat, ea mente, ut medicus speciali disciplina insignis post experimenta proferre possit iudicium.

12. I. In Societatibus, in quibus postulatus sive iure communi sive per Constitutiones praescribitur, Capitulum generale, normas huius Instructionis prae oculis habens, poterit tempus postulatus ita disponere, ut melliori ad novitiatum ineundum praeparationi congruat.

II. In aliis Institutis Capituli generalis est naturam ac tempus praeviae huius probationis praefinire, quae quidem pro candidatis diversa esse potest. Verumtamen, ut efficacitatem adipiscatur, haec probatio ne sit nimis brevis, neque ex more duos superet annos.

III. Optandum est, ne haec probatio in ipsa novitiatus domo peragatur. Expedire etiam poterit, ut tota vel ex parte extra Religionis domum fiat.

IV. Praeviae huius probationis tempore, etiamsi extra domum Instituti eam haberi contingat, candidati modera-

http://www.obrascatolicas.com

tioni religiosorum peritorum committantur, sitque inter hos et Magistrum novitiorum assidua cooperatio, ut continuitati institutionis prospiciatur.

13. I. Vita religiosa incipit a novitiatu. Huic, quicumque est finis peculiaris Religionis proprius, est propositum, ut novitius ea cognoscat, quae ut primaria et praecipua vita religiosa postulat, atque, ad caritatis perfectionem consequendam, consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae, quae «per vota aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata» [13] suo tempore profitebitur, ad usum deducat.

II. In illis Societatibus, in quibus «ad ipsam naturam vitae religiosae pertinet actio apostolica et benefica» [14], novitii etiam per gradus instituantur, ut operibus fini Instituti consentaneis se dedant, illam cum Christo unionem efficientes, unde omnis ipsorum actio apostolica procedat oportet [15].

14. Superiores, quorum est candidatos ad novitiatum admittere, vigilanti cura ne eo accedere sinant nisi illos,
114 qui aptam indolem et / sufficientes maturitatis qualitates praebeant, quae necessariae putantur, ut vitam religiosam, Societatis propriam, valeant inire.

15. I. Novitiatus, ut validus sit, peragi debet in domo ad hoc rite designata.

II. Fiat vero in communitate vel coetu novitiorum, fraterna caritate inter se coniunctorum sub moderatione Magistri. Condiciones vitae atque genus operum et laborum novitiis credendorum ea statuantur mente, ut novitiorum institutionem adiuvent et provehant.

III. Haec autem formatio, secundum doctrinam a Domino in Evangelio traditam et secundum ea, quae finis particularis et spiritualis Societatis disciplina requirunt, eo praecipue pertinet, ut novitii paulatim discant iis omnibus se abdicare, quae ad regnum Dei non spectant, doceantur colere humilitatem, oboedientiam, paupertatem, orationi instare et coniunctionem servare cum Deo, una cum animo prompto ad motus Spiritus Sancti excipiendos, ac denique mutuum sibi praebere auxilium spirituale in caritate sincera et simplici.

IV. Novitiatus exigit quoque, ut studio et meditationi Sacrae Scripturae opera detur, institutio praeterea de rerum spiritualium doctrina et usu tradatur, quae necessaria est ad vitam supernaturalem, Deo coniunctam, promovendam et ad statum religiosum animo comprehendendum, atque vita liturgica et disciplina spirituali Societatis propria candidati initientur.

16. I. Ad novitiatus constitutionem non requiritur licentia Apostolicae Sedis; sed est supremi Religionis Moderatoris, de consensu eius Consilii, et secundum Constitutionum praescriptum, constitutionem novitiatus decernere aut permittere, eius rationes, quod ad peculiares vitae condiciones attinet, definire, atque eius sedem in aliqua Societatis domo collocare.

II. Quo aptius quibusdam necessitatibus institutionis novitiorum prospiciatur, supremus Religionis Moderator permittere potest, ut novitiorum coetus, per certa temporis spatia, in alia Instituti domo, a se designata, commorentur.

17. Supremus Religionis Moderator, si necessitas postulet, potest, de consensu sui Consilii et audito Superiore provinciali, cuius interest, permittere etiam plurium novitiatuum in eadem provincia constitutionem.

18. Quoniam vita communis ad novitiorum institutionem summam vim habet, supremus Religionis Moderator, si exiguus novitiorum numerus ad vitam communem pro-
115 movendam non aptus esse videatur, novi/tiatum apud Instituti communitatem, si fieri possit, collocet, quae ad formationem parvi eiusmodi coetus novitiorum fovendam adiuvandamque idonea sit.

19. In casibus particularibus et ad modum exceptionis, supremus Moderator facultate praeditus est concedendi, de consensu sui Consilii, ut candidatus novitiatum in alia suae Societatis domo, quae non sit novitiatus domus, sub moderatione alicuius probati religiosi, qui partibus Magistri novitiorum fungatur, valide peragat.

20. Superior maior ob causam, quam iustam existimaverit, potest indulgere, ut prima professio extra novitiatus domum emittatur.

[13] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 44.
[14] Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 8. [15] Cfr. ib.

21. Novitiatus ita descriptus, ut valide perficiatur, duodecim menses debet complecti.

22. I. Absentia a coetu et a domo novitiatus, quae tres menses, sive continuos sive intermissos, superet, ipsum novitiatum invalidum reddit.

II. Quod ad absentiam attinet tribus mensibus breviorem, Superiorum maiorum est, audito novitiorum Magistro et ratione habita absentiae causae, in singulis casibus decernere, utrum expediat necne eiusmodi absentiam explere, prorogationem novitiatus praecipiendo eiusdemque prorogationis tempus statuendo. Quod quidem etiam per Constitutiones potest definiri.

23. I. Capitulum generale, maioritate duarum saltem partium suffragiorum e tribus, decernere potest, experimenti causa, ut ad complendam novitiorum institutionem, unum vel plura temporis spatia actuositati formativae, cum indole Instituti congruenti, tribuenda extra novitiatus domum peragantur, prout, iudicio novitiorum Magistri et de consensu Superioris maioris, unum vel plura eiusmodi spatia formationi utilia visa fuerint.

II. Haec temporis spatia probationis formativae unum vel plures novitios aut etiam totum eorum coetum respicere possunt. Si fieri potest, novitii non singuli haec temporis spatia transigant.

III. Dum haec interiecta tempora actuositatis formativae traducunt, novitii moderationi Magistri novitiorum obnoxii manent.

24. I. Integrum spatium temporis, quod novitii actuositatis formativae causa extra novitiatus domum peragunt, additur duodecim mensibus, qui, tenore n. 21, ad validitatem novitiatus requiruntur; totius autem novitiatus sic amplificati tempus duos annos ne superet.

II. Huiusmodi vero actuositati formativae novitius ne se dedat, nisi postquam saltem tres menses in ipso novitiatu exegerit, eaque disponatur hoc ordine oportet, ut novitius minimum sex menses continuos in / novitiatu degat atque 116
eo revertatur saltem uno mense antequam primis votis vel temporariis ligaminibus sese astringat.

III. Quodsi ad institutionem futuri novitii Superiori necessarium visum fuerit, ut ad actuositatem formativam incumbat, antequam tres menses praescriptos in ipso novitiatus exordio ibidem degat, illa ut probatio fieri poterit, novitiatus autem nonnisi eadem peracta initium capiet.

25. I. Ratio huiusmodi actuositatis formativae, quae extra novitiatus domum suscipitur, diversa esse potest pro fine Instituti eiusque operum indole. Semper tamen animo est concipienda et ad usum deducenda respectu formationis novitiorum, aut, quibusdam in casibus, quo melius iudicari possit de eorum idoneitate ad vitae genus Religionis proprium. Praeterquam ad praeparationem, qua novitii gradatim ad opera apostolica perducuntur, haec actuositatis formativae tempora eo etiam possunt pertinere, ut in ipsis vitae adiunctis veras paupertatis laborisque formas conspiciant, indoles animi ingenique eorum formetur, melior hominum cognitio accipiatur, voluntas firmetur, cuiusque conscientia officii munerisque progressione augeatur, opportunitas denique praebeatur nitendi coniunctionem cum Deo in vita activa fideliter servare.

II. Haec temporis spatiorum vicissitudo, quae dantur actioni et quae in sacro recessu orationi, meditationi, studio, impenduntur, deinceps novitiorum institutionem proprie afficiens, hos incitet, ut eandem in cursu vitae religiosae fideliter teneant. Optandum est etiam, ut huiusmodi tempora recessui dicata, annis institutionis, quae professionem perpetuam praecedit, per stata intervalla disponantur.

26. Superior maior, iusta de causa, permittere potest, ut prima professio anticipetur, non tamen ultra quindecim dies.

27. In Societatibus, in quibus diversi sunt novitiatus pro diversa sodalium qualitate, novitiatus, nisi aliter in Constitutionibus caveatur, pro uno genere peractus pro altero valet. Condiciones quibus hic transitus fiat, per Constitutiones, si casus ferat, definiantur.

28. Peculiaris novitiatus indoles et finis simulque arcta necessitudo, quae inter novitios vigeat oportet, quandam seiunctionem novitiorum coetus a ceteris Instituti sodalibus profecto postulant. Novitiis tamen licet, Magistri novitiorum iudicio, cum aliis communitatibus vel religiosis professis commercium habere. Capituli generalis est, ratione ducta indolis et muneris Religionis atque particularium

117 adiunctorum, / harum necessitudinum modum statuere, quae inter novitios et alia Instituti membra intercedere possint.

29. I. Capitulum generale permittere potest aut etiam praecipere quaedam studia novitiatus tempore exercenda, quae meliori novitiorum institutioni sint utilia. Studia vero, quae in doctrinis vertuntur, ad Dei cognitionem cum amore coniunctam dirigi debent et ad vitam e fide haustam provehendam.

II. Vetantur autem per novitiatus tempus, de quo in n. 21, omnia studia, etiam theologica et philosophica, quae fiunt aut ad consequanda diplomata aut ad eam institutionem comparandam, qua quis ad munera obeunda componitur.

30. Omnia officia et labores novitiis iniuncta, sub moderatione et vigilantia Magistri novitiorum sunt exsequenda, qui aptos peritosque adiutores asciscere potest. In eiusmodi vero officiis gerendis quaeratur oportet novitiorum formatio, non Instituti emolumentum.

31. I. In novitiorum moderatione, maxime actuositatis formativae temporibus, Magister novitiorum haec verba a Concilio Vaticano Secundo dilucide enuntiata attendat: «Ut igitur sodales vocationi suae ad Christum sequendum imprimis respondeant, ac ipsi Christo in Eius membris deserviant, actio eorum apostolica ex intima cum Ipso unione procedat oportet» [16]. «Quapropter cuiuslibet instituti sodales, Deum prae omnibus et unice quaerentes, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaereant cum amore apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nitantur, coniungant oportet» [17].

II. Ad hunc finem assequendum, haec doceat novitios:
1) in cunctis rebus, in apostolatus operibus hominumque servitio, nec non temporibus, quibus orationi vel studio in silentio vacant, intentionis puritatem unitatemque caritatis erga Deum et proximum exquirant;

2) cum operibus apostolicis Religionis propriis adducuntur, ut negotiis humanis se implicent, discant uti hoc mundo tamquam non utantur;

3) limites agnoscant in actione sibi impositos neque hac de causa deficiant animo; propriam vero vitam recte dirigere nitantur, persuasum sibi habentes neminem se Deo eiusve fratribus sincere posse devovere, nisi sibi ipse cum humilitate dominetur;

4) voluntate firma et ad suscipienda incepta parata,
118 atque ratione / congruente iis, quae suorum Institutorum apostolatus operibus deditorum indoles munusque postulant, necessariam, in ordine humano et spirituali, aequilibritatem efficiant inter tempora apostolatui hominumque ministerio tribuenda, ac tempora, convenienter diuturna, danda orationi ac meditatae verbi Dei lectioni, in solitudine aut in communitate;

5) hunc cursum necessarium et praecipuum omnis vitae in eiusmodi Societatibus Deo consecratae fideliter servantes, cor in coniunctione cum Deo et in pace gradatim stabiliant, quae ex impleta divina voluntate oritur, cuius motus in officiis sui status et in iis, quae nominatim iustitia et caritas exigunt, discant percipere.

32. I. Inter Superiores, Magistrum novitiorum et ipsos novitios necessaria habeatur mentium et consiliorum conspiratio, qua unitate, e germana caritate trahente originem, omnino opus est in novitiorum institutione.

II. Superiores et Magister novitiorum his semper testimonium praebeant evangelicae simplicitatis, amicitiae cum benignitate sociatae, et respectus personae uniuscuisque eorum, ut mutua exsistat fiducia animique ipsorum sint dociles et aperti; ita enim Magister novitiorum magnanimitatem eorum ad donationem sui dirigere poterit, qua Deo se in fide prorsus tradant, et gradatim eos verbo et exemplo adducere, ut in mysterio Christi crucifixi ea deprehendant, quae vera oboedientia religiosa requirit.

Magister igitur novitios incitet, «ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia cooperentur» [18].

33. Quod ad habitum novitiorum aliorumque ad vitam religiosam candidatorum attinet, Capituli generali est rem definire.

34. I. Capitulum generale, maioritate duarum suffragiorum partium e tribus, decernere potest, ut, loco votorum

[16] Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 8. [17] Ib., n. 5. [18] Ib., n. 14.

temporariorum, alius generis ligamina, veluti promissio Instituto facienda, in hoc inducantur.

II. Hoc autem ligamine aliquis in ipso novitiatus fine devincitur, et quidem ad tempus probationis, quod usque ad professionem perpetuam protrahitur aut usque ad sacra vincula, quae pro votis in nonnullis Institutis obtinent [19]. Eiusmodi vero temporario ligamine aliquis / in brevius 119
etiam tempus potest astringi; idem praeterea saepius quit renovari aut professionem votorum temporariorum praecedere.

35. I. Consentaneum quidem est, ut temporarium eiusmodi ligamen iam ad tria consilia evangelica exercenda referatur, ea mente ut vera perpetuae professionis habeatur praeparatio. Convenit, ut unitas institutionis ad vitam religiosam ducendam servetur; quae, licet per professionem perpetuam certum stabilemque in modum perficiatur, mature tamen agatur oportet et per satis diuturnum temporis spatium explicetur.

II. Cum igitur professio religiosa, unica et perpetua, totam vim suam obtineat, optandum est, ut eam tempus satis longum, praeparationi tribuendum, proxime praecedat, quod quasi alter novitiatus habeatur. Capituli autem generalis est eius tempus atque rationes definire.

36. Quaecumque est temporarii ligaminis natura, eius effectus huiusmodi est, ut is, qui eo se devinxerit, suae Religioni iungatur, atque officium secum ferat Regulam, Constitutiones aliasve normas observandi. Ad Capitulum generale pertinet alias huiusce ligaminis rationes et ea, quae inde consequuntur, sancire.

37. I. Capitulum generale, omnibus attente perpensis, tempus votorum vel ligaminum statuere debet, quod inter finem novitiatus et votorum perpetuorum professionem interponatur. Quod quidem probationis spatium tribus annis ne sit brevius neque novem annos continuos superet.

II. Firmum manet praescriptum, ex quo professio votorum perpetuorum fieri debet, antequam sacri ordines recipiantur.

38. I. Si sodalis, qui Institutum legitime deseruit sive post exactam professionem vel vinculum temporarium, sive postquam eiusmodi votis vel ligaminibus est exemptus, petit, ut ad religionem iterum admittatur, supremus Moderator, de consensu sui Consilii, eum recipere potest neque obligatione tenetur praescribendi, ut is novitiatum denuo peragat.

II. Moderator tamen supremus ei tempus probationis iniungere debet. Quo emenso, candidatus ad vota temporaria vel ad alius generis ligamina potest admitti in temnus, quod non sit brevius uno anno aut spatio probationis temporariae, quod, cum Religionem deseruit, ei ante professionem perpetuam erat traducendum. Licet autem Su- 120
periori probationis tempus praecipere. /

III. *De peculiarium normarum exsecutione*

Quod ad praesentes normas exsequendas spectat, haec serventur:

I. Praescripta iuris communis pergunt valere, nisi per huius Instructionis normas iis derogetur.

II. Facultates hac Instructione concessae delegari nullatenus possunt.

III. Nomine supremi Moderatoris seu Superioris generalis intellegitur etiam Abbas, qui Congregationi monasticae praeest.

IV. Supremo Religionis Moderatore deficiente vel legitime impedito, eaedem facultates ei competunt, qui ex probatis Constitutionibus eius partibus legitime fungitur.

V. Quod ad moniales uni vitae contemplativae deditas pertinet, peculiares normae Constitutionibus inserantur et ad approbationem proponantur. Normae autem huius Instructionis, quae nn. 22, 26, 27 continentur, iis possunt applicari.

VI. 1) Si speciale Capitulum generale, per Litteras «Ecclesiae sanctae» motu proprio datas praescriptum iam celebratum fuerit, supremi Religionis Moderatoris eiusque Consilii est, omnibus rerum adiunctis diligenter perpensis, in solidum statuere, utrum Capitulum generale convocari oporteat ad deliberandum de facultatibus ipsi concessis, an praestet rem ad proximum Capitulum generale differre.

[19] Cfr. *supra*, n. 3.

http://www.obrascatolicas.com

2) Quodsi Moderator generalis eiusque Consilium eadem ratione arbitrantur convocationem novi Capituli generalis esse nimis onerosam aut id cogi non posse, simul tamen usum earundem facultatum Capitulo generali attributarum urgere, ut bono Societatis prospiciatur, eidem Moderatori generali eiusque Consilio in solidum potestas est in usum adducendi, usque ad proximum Capitulum generale, omnes aut nonnullas facultates, dummodo antea ceteri Superiores maiores eorumque Consilia audiantur, et duae partes illorum e tribus consentiant. Hisce Superioribus maioribus cordi sit, ut religiosos professos a votis perpetuis in antecessum consulant. In Institutis vero in provincias non divisis supremus Moderatur professos a votis perpetuis oportet consulat et assensum duarum partium e tribus accipiat.

VII. Hae normae, experimenti causa editae, vigere incipiunt ex quo die praesens Instructio fuerit pervulgata.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus, in festo Epiphaniae Domini, anno MCMLXIX.—H. Card. ANTONIUTTI, *Praef.* Antonius Mauro, Archiep. tit. Thagasten., *a Secr.*

Adn. J. de J. ANAYA in Vinculum 17 (1969) 97-105; S. ARA in Confer 14 (1969) 251-274 et in Laurentianum 10 (1969) 142-172; I. BEYER in PrM 59 (1970) 21-64; C. BROVETTO in Vita rel. 5 (1969) 113-122, 335-343; V. CAPRIOLI in Vita rel. 5 (1969) 139-150; T. J. CONNOLLY in Australasian Ecclesiastical Record 47 (1970) 19-33; F. DA TORINO in Vita rel. 5 (1969) 264-266; A. DIEZ in CpR 48 (1969) 131-164; W. J. DUFAULT in Studia canonica 3 (1969) 269-275, 319-323; E. FABREGAT in CpR 48 (1969) 165-173; J. FERNANDEZ in REDC 25 (1969) 403-423; I. FUERTES in CpR 48 (1969) 58-81; C. GALLACHER in Vie consacrée 43 (1970) 89-103; J. F. GALLEN in Review for Religious 28 (1969) 898-906; J. GALOT in PrM 59 (1970) 167-176; E. GAMBARI in Rivista delle religiose 18 (1969) 156-168, 409-415, 488-494; C. GORRICHO in CpR 48 (1969) 174-195 et in Vida rel. 26 (1969) 137-143, 172-182; A. GUTIERREZ in CpR 48 (1969) 28-55, 240-256; E. L. HESTON in Review for Religious 28 (1969) 373-378; A. LATTAQUE in Vie cons. 43 (1971) 229-235; I. LEE in CpR 48 (1969) 82-130; O. LESAGE in Studia canonica 3 (1969) 77-105; F. LONDOÑO in Vinculum 17 (1969) 89-96; S. LOPEZ in Vinculum 17 (1969) 89-96; E. MURA in Vita rel. 5 (1969) 134-138; XAV. OCHOA in CpR 48 (1969) 196-239; J. F. OGUETA in REDC 25 (1969) 403-423; A. PENADOR in Vida rel. 26 (1969) 183-190; B. PENNINGTON in Studia canonica 3 (1969) 107-124; L. RAVASI in Vita rel. 5 (1969) 103-122, 151-158, 237-259; E. F. REGATILLO in Sal terrae 57 (1969) 455-461, 524-535; G. RINALDI in Perfice munus 45 (1970) 18-33; G. SARAGGI in Pal. clero 48 (1969) 1077-1082, 1194-1201, 1325-1330; O. VAN DEN BROECK in RDC 20 (1970) 23-43, 308-329; R. ZAVALLONI in Vita rel. 5 (1969) 123-133; C. R. WILSON-K. HARGADON in Review for Religious 28 (1969) 595-603.

3708

1969 IAN 14.-SC RELIGIOSORUM, RESCRIPTUM. PART.*

FACULTAS DATUR ORDINI FRATRUM PRAEDICATORUM NONNULLAS INNOVATIONES INDUCENDI CONTRA IUS COMMUNE

PRECES.—*Beatissime Pater*, Patres Capitulares Capituli Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum humiliter postulant facultatem ad normam Decreti *Perfectae caritatis* [LE 3333] nonnullas innovationes faciendas contra ius commune:

1. can. 580, § 3, ut cessionem vel dispositionem de administratione propriorum bonorum frater professus a votis simplicibus mutare possit, non quidem proprio arbitrio, sed de Provincialis licentia, dummodo mutatio, saltem de notabili bonorum parte, non fiat in favorem Ordinis;

2. n. 14 Rescript. Pont., ut vota simplicia dispensatione Provincialis cum suo Consilio cessare valeant.

3. can. 2385, ut religiosus, apostata a religione, si redierit, fruatur voce activa post quinquennium, nisi Provincialis cum suo Consilio, perspectis conditionibus, tempus prorogaverit. Et Deus, etc.

RESCR.—Vigore facultatum a Summo Pontifice tributarum, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus attentis expositis:

ad primum: annuit iuxta preces usque ad proximum Capitulum Generale, servatis clausulis can. 580, § 3; *ad secundum*: non expedire; *ad tertium*: recurrant in singulis casibus.

Contrariis quibuslibet non obstantibus. Datum Romae, die 14 ianuarii 1969.—D. H. HUOT, *subs.* C. Addivinola, *Ad. a studiis.*

* Ordini Fratrum Praedicatorum, Prot. N. 5509/68: AOP 39 (1969-70) 3.

3709

1969 IAN 25.-CONS. LITURGIAE, INSTRUCTIO. PART.*

NORMAE PROPONUNTUR AD VERSIONES VERNACULAS TEXTUUM LITURGICORUM RECTE APPARANDAS

1969 FEB 14.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 61 (1969) 222-226

Normae universales de anno liturgico et novum Calendarium Romanum generale approbantur

PAULUS PP. VI

Mysterii paschalis celebrationem potissimum habere in religioso christianorum cultu momentum, eandemque per dierum, hebdomadarum totiusque anni explicari cursum, dilucide sacrosancto Concilio Vaticano II docemur. Ex quo sequitur, opus esse, ut idem paschale Christi mysterium in instauratione anni liturgici, cuius normae ab ipsa Sancta Synodo tradita sunt [1], in clariore luce ponatur, sive ad ordinationem Proprii, quod vocant, de Tempore ac de Sanctis, sive ad Calendarii Romani recognitionem quod 223 attinet. /

I

Re enim vera, progredientibus saeculis, factum est, ut tum ex auctis pervigiliis, religiosis festis, eorumque per octo dies celebrationibus, tum ex variis anni liturgici sensim intersertis partibus, ita non numquam peculiaribus pietatis exercitationibus christifideles uterentur, ut eorum mentes a praecipuis divinae Redemptionis mysteriis quadamtenus sevocari viderentur.

Sed neminem latet, a Decessoribus Nostris S. Pio X et ven. rec. Ioanne XXIII nonnulla data esse praecepta eo spectantia, ut pariter dies dominica, in suam pristinam dignitatem restituta, vere proprieque *primordialis dies festus* [2] ab omnibus haberetur, pariter liturgica sacrae quadragesimae celebratio instauraretur. Neque minus tenetur, Decessorem Nostrum ven. rec. Pium XII decreto facto [3]

[1] Constitutio de sacra liturgia *Sacrosanctum Concilium*, cap. V; *A. A. S.* 56, 1964, pp. 125-128 [LE 3141].
[2] *Ibid.*, n. 106, p. 126.
[3] S. R. C. Decretum *Dominicae Resurrectionis*, die 9 mensis Februarii anno 1951 datum; *A. A. S.* 43, 1951, pp. 128-129 [LE 2190].

http://www.obrascatolicas.com

mandavisse, ut apud Ecclesiam Occidentalem, inter Noctem Paschalem, sollemnis vigilia redintegraretur; in qua, dum Sacramenta christianae initiationis celebrarentur, populus Dei cum Christo Domino resurgente suum renovaret spirituale foedus.

Hi videlicet Summi Pontifices, Sanctorum Patrum institutionem firmiterque catholicae Ecclesiae traditam doctrinam secuti rectissime sentiebant, annali Liturgiae cursu non modo facta commemorari, quibus Christus Iesus salutem nobis moriendo attulit, aut praeteritarum rerum gestarum memoriam repeti, quam meditantes christifidelium animi, vel simpliciores, erudirentur et nutrirentur, verum etiam iidem edocebant anni liturgici celebrationem *peculiari sacramentali vi et efficacia pollere ad christianam vitam alendam* [4]. Quod quidem Nosmetipsi et sentimus et profitemur.

Recte igitur ac merito cum *Sacramentum Nativitatis Christi* [5] eiusque in mundo agimus manifestationem, illud
224 depre/camur, *ut per eum, quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur* [6]; et cum eiusdem Christi Pascha renovamus, a summo Deo poscimus, ut, qui cum Christo sint renati, *sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt* [7]. Nam, ut Concilii Oecumenici Vaticani II verbis utamur, Ecclesia *mysteria Redemptionis ita recolens, divitias virtutum atque meritorum Domini sui, adeo ut omni tempore quodammodo praesentia reddantur, fidelibus aperit, qui ea attingant et gratia salutis repleantur* [8].

Quam ob rem anni liturgici recognitio, normaeque eius instaurationem consequentes, ad nihil aliud pertinent, nisi ut fideles per fidem, spem, caritatem ardentius cum *toto... Christi mysterio per anni circulum explicato* [9] communicent.

II

A quo argumento illud haudquaquam dissidere existimamus, etiam festa Beatae Mariae Virginis, *quae indissolubili nexu cum Filii sui opere salutari coniungitur* [10], et memorias Sanctorum, quibus iure merito *dominorum nostrorum Martyrum et Victorum* [11] natalicia accensentur, nitida luminis claritate fulgere; cum *festa Sanctorum mirabilia... Christi in servis eius praedicent, et fidelibus opportuna praebeant exempla imitanda* [12]. Etenim hoc firmum certumque semper Ecclesiae catholicae fuit, Sanctorum festis paschale Christi mysterium nuntiari ac renovari [13].

Quapropter, cum infitias ire non liceat, labentibus saeculis, plura quam par esset Sanctorum festa inducta esse,
225 convenienter Sancta Synodus monuit: *Ne festa Sanctorum festis / ipsa mysteria salutis recolentibus praevaleant, plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationis vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda, iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant, momentum universale prae se ferentes* [14].

Iamvero haec Concilii Oecumenici decreta ad effectum adducendi causa, hinc nonnullorum Sanctorum nomina a Calendario generali sublata sunt, hinc facultas est concessa, ut aliorum Sanctorum memoriae, cum libet, agantur, eorumque cultus, in suis cuiusque regionibus tributus, congruenter restituatur. Ex quo natum est, ut quorundam Sanctorum non ubicumque terrarum notorum, a Calendario Romano expunctis nominibus, ibidem nomina recepta sint quorumdam Martyrum, in iis ortorum regionibus, ad quas Evangelii nuntium serius manavit; ita ut in eodem indice omnium gentium quidam quasi vicarii, vel profuso pro Christo sanguine, vel praestantissimis adhibitis virtutibus insignes, pari dignitate conspiciantur.

Has ob causas putamus, novum generale Calendarium, ad usum Latini ritus digestum, sive magis cum huius temporis pietatis rationibus et sensibus congruere, sive aptius eam Ecclesiae proprietatem, qua est universalis, referre; utpote quod praeclarissimorum Virorum nomina deinceps proponat, qui perspicua sanctitatis specimina, multiplicibus excultae modis, cuncto populo Dei apponant. Quod quantum ad spiritualem totius christianae multitudinis utilitatem conducat supervacaneum est dicere.

[4] S. R. C. Decretum generale *Maxima Redemptionis*, die 16 mensis Novembris anno 1955 datum; *A. A. S.* 47, 1955, p. 839 [LE 2526].
[5] S. Leo Magnus, *Sermo XXVII in Nativitate Domini*, 7, 1: *PL* 54, 216.
[6] Cfr. Missale Romanum, *Oratio de Epiphania*. [7] *Ibid.*, *Oratio feriae III infra octavam Paschae*.
[8] Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 102; *A. A. S* 56, 1964, p. 125 [LE 3141]. [9] Cfr. *ibid.*
[10] *Ibid.*, n. 103.
[11] Cfr. *Breviarium Syriacum* (saec. v), ed. B. Mariani, Roma, 1956, p. 27.
[12] Cfr. Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 111; *A. A. S.* 56, 1964, p. 127 [LE 3141]. [13] Cfr. *ibid.* n. 104; pp. 125 s. [14] *Ibid.*, n. 111; p. 127.

Huiusmodi ergo causis diligentissime coram Domino perpensis, novum Calendarium Romanum generale a Consilio ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia compositum, itemque normas universales ad ordinationem anni liturgici spectantes, Apostolica Nostra auctoritate approbamus, ut a die 1 mensis Ianuarii proximi anni MCMLXX vigere incipiant, iuxta decreta, quae Sacra Rituum Congregatio coniuncte cum Consilio, de quo mox diximus, fecerit, usque ad illud tempus valitura, quo Missale et Breviarium rite instaurata edita erunt.

Quaecumque vero Nostris hisce Litteris motu proprio datis / statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, 226
non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis mentione et derogatione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIV mensis Februarii, anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri sexto.—PAULUS PP. VI.

Acta. Notit. 5 (1969) 294-303; R. GAZEAU in EL 76 (1962) 389-417; A. DIRKS in Notit. 1 (1965) 150-152; V. RAFFA in ME 95 (1970) 41-45; O. STEVENS in EL 76 (1962) 418-422.

3718

1969 FEB 15.-VICARIATUS URBIS, INSTRUCTIO. PART.*

CRITERIA SERVANDA IN APPLICATIONE NORMARUM CIRCA MATRIMONII CELEBRATIONEM IN URBE

In conformità alle deliberazioni della Conferenza Episcopale Italiana, dalla IV Domenica di Quaresima 16 marzo p. v. nella Diocesi di Roma come in tutto il territorio nazionale nella celebrazione della S. Messa potranno usarsi le nuove Preci Eucaristiche e i nuovi Prefazi nella versione italiana approvata, secondo le norme e le indicazioni già rese note.

Sull'applicazione delle norme per la celebrazione dei matrimoni

Le norme ed indicazioni pastorali per la celebrazione dei matrimoni nella diocesi di Roma, emanate il 4 dicembre 1968 ed entrate in vigore il 1° gennaio c. a., mirano a stabilire in tale materia, piuttosto complessa, una disciplina più ordinata ed uniforme, meglio rispondente ad una esigenza largamente sentita e più in armonia con direttive e orientamenti del Concilio Ecumenico [LE 3701].

Le norme, pur attentamente ponderate non presumono di prevedere e risolvere tutte le possibili situazioni e difficoltà; comunque, proposte ad esperimento, sono suscettibili di quelle modifiche che appariranno opportune.

Perché esse abbiano regolare e concorde applicazione si danno qui alcune istruzioni e precisazioni: i numeri citati rimandano alle norme già rese note.

1. In adempimento delle norme nn. 6 e 9, per ogni cerimonia nuziale, indistintamente, che si celebri nella propria parrocchia o in altra chiesa, dovrà predisporsi, come minimo richiesto da esigenze di proprietà e di decoro: un inginocchiatoio per gli sposi, coperto da un drappo; due poltrone o poltroncine per gli sposi; quattro sedie o poltroncine per i testimoni; un tappeto normale; qualche vaso di fiori sull'altare; una conveniente illuminazione del presbiterio; paramenti festivi per il sacerdote; possibilmente, suono d'organo o di harmonium.

2. L'offerta indicata, nella sua espressione massima, dalla norma n. 9, si riferisce alla celebrazione nuziale nella forma sopra descritta.

3. Quando, in circostanze particolari, l'apparato superasse i limiti sopra definiti (al n. 1), fermo sempre l'obbligo rigoroso di bandire ostentazioni di lusso, di sfarzo e di profanità, le spese relative sono a carico degli sposi. E', tuttavia, in loro facoltà servirsi, per l'addobbo, quello floreale compresso, e per il canto, di persone di loro scelta, che, però, si attengano alle direttive del Parroco o del Rettore della chiesa.

4. La scelta del fotografo è parimenti lasciata alla libertà degli sposi, salva l'osservanza della norma n. 8.

5. Il congruo intervalo di tempo, da interporre tra l'inizio dell'una e dell'altra celebrazione nuziale, in conformità alla norma n. 5, non può essere inferiore ad un'ora e mezza.

6. In conformità alla norma n. 9, l'offerta per la celebrazione nuziale nella parrocchia è contenuta entro i limiti massimi di lire ventimila, a discrezione del Parroco, che valuterà le varie situazioni; l'offerta per la celebrazione fuori della propria parrocchia è fissata a lire quarantamila.

7. Ai fini della determinazione dell'offerta, di cui al numero precedente, per parrocchia propria si intende non solo quella della sposa (dove comunemente si svolgono le pratiche matrimoniali), ma anche quella dello sposo e quella del domicilio eletto dai nuovi coniugi.

8. Nell'offerta sopra indicata (al n. 6) devono intendersi compresi anche i contributi: del 10 % per le opere diocesane, al Vicariato; del 20 % alla parrocchia da cui fosse stata rilasciata la *licenza* di celebrare altrove il matrimonio; del 5 % alla parrocchia da cui fosse stata rilasciata la *delega*.

9. L'intera offerta viene rimessa al Parroco o al Rettore della chiesa dove si celebra il matrimonio.

10. I Parroci e i Rettori indicheranno in apposito modulo, fornito dal Vicariato, i matrimoni celebrati nella loro chiesa e i relativi dati richiesti; alla fine di ogni trimestre, essi consegneranno all'Amministrazione del Vicariato, insieme con il modulo debitamente compilato, le somme spettanti al Vicariato e, eventualmente, alle parrocchie che hanno rilasciato la licenza o la delega, alle quali il Vicariato stesso rimetterà le offerte dovute.

11. Le disposizioni di cui ai due numeri precedenti (9-10), saranno in vigore dal 1° marzo p. v.

12. Si vorrà spiegare ai fedeli che l'offerta, nel lieve margine residuo sulle spese occorrenti, rappresenta un adempimento, che si desidererebbe volenteroso, del precetto di sovvenire alle necessità della Chiesa.

13. Pur riconosciuta la prevalenza dell'impegno per la preparazione spirituale dei futuri sposi (cfr. norme nn. 1-2), anche la procedura d'ufficio deve essere diligentemente espletata.

14. Le pratiche matrimoniali si svolgono secondo la prassi attuale, con esclusione, però, di ogni tassa.

15. Quando la «posizione matrimoniale» è completa, il Parroco la porterà o la trasmetterà a mano al Vicariato, comunemente tramite i futuri sposi.

16. Nei casi in cui si domandasse al Vicariato l'applicazione degli artt. 12 o 13 o 14 della nota Legge del 27 maggio 1929, esecutiva del Concordato, i Parroci non prendano impegni prima che sia stata ottenuta la concessione richiesta.

17. Il cosiddetto modulo V, debitamente vistato dall'Ufficio competente del Vicariato e da questo restituito, sarà portato direttamente al Parroco o al Rettore della chiesa dove avverrà la celebrazione del matrimonio: soltanto dopo la presentazione del documento, in regola, si potrà procedere alla benedizione delle nozze.

18. Le norme in oggetto valgono per tutti i matrimoni da celebrare dal 1° gennaio c. a. in poi, anche per quelli prenotati anteriormente a tale data.

19. Per i casi che non rientrassero nei termini delle norme in esame o presentassero particolari difficoltà si interpelli il Vicariato.

20. Per le pratiche di stato libero e per quelle riguardanti i matrimoni da celebrare fuori della diocesi, rimangono immutate le norme vigenti.

Dal Vicariato di Roma, 15 febbraio 1969.—ANGELO Card. DELL'ACQUA, *Vicario Generale di Sua Santità.*

* Riv. dioc. Roma 10 (1969) 337-340. Vide **Normas** sub die 1968 Dec. 4: LE 3701 et **eas** sub die 1971 Nov. 14: LE 4004 datas.

3719

1969 FEB 18.-SC RELIGIOSORUM, DECRETUM. PART.*

NOVA STATUTA GENERALIA CONFERENTIAE HISPANAE RELIGIOSORUM APPROBATA PROMULGANTUR

Desde el año 1953, en que la Confederación de Superiores y Superioras Mayores de España fue legitimamente erigida por decreto de esta Sagrada Congregación bajo el titulo de «Confederación Española de Religiosos» (CONFER) y aprobados sus Estatutos «ad experimentum», han pasado tres lustros, durante los cuales la mencionada Confederación ha dado pruebas de su vitalidad clon as numerosas obras emprendidas y los frutos alcanzados mediante su diligente gestión, y al mismo tiempo se ha hecho posible la experimentación de los Estatutos.

Pero durante este tiempo han ocurrido algunos acontecimientos, y por cierto de gran trascendencia, que aconsejaban una revisión total de los Estatutos, como el Concilio Ecuménico Vaticano II, a tenor del cual convenia adaptar los dichos Estatutos, y al mismo tiempo la transformación de la Sección de los Institutos femeninos en Conferencia independiente.

La Conferencia de Superiores Mayores, considerando detenidamente estas cosas, en la Asamblea plenaria celebrada en el mes de enero próximo pasado, sancionó por su parte los Estatutos nuevamente elaborados y los envió a este Sagrado Dicasterio para su aprobación.

Por consiguiente, esta Sagrada Congregación para los Religiosos e Institutos Seculares, en virtud del presente decreto previo un diligente examen y hechas algunas observaciones, aprueba gustosamente «ad experimentum», por un quinquenio, estos Estatutos de la mencionada Confederación, que en adelante deberá llamarse «Conferencia Española de Religiosos». No obstando nada en contrario.

Roma, dia 18 de febrero de 1969.—I. Card. ANTONIUTTI, *Prefecto.* Ant. Mauro, *Secretario.*

* Confer 14 (1969) 401. Vide **textum Statutorum** apud **Confer** 14 (1969) 402-411.

3720

1969 FEB 24.-SC GENT. EV., INSTR. AAS 61 (1969) 276-281

DE ORDINANDA COOPERATIONE MISSIONALI EPISCOPORUM QUOAD PONTIFICALIA OPERA MISSIONALIA NECNON CIRCA INCEPTA PARTICULARIA DIOECESIUM PRO MISSIONIBUS

Quo aptius ad effectum deducantur quae ab Oecumenico Concilio Vaticano Secundo necnon a Summis Pontificibus decreta sunt ad fovendam ordinatam catholicorum cooperationem quoad missionalem Ecclesiae sollicitudinem, necesse est certa quaedam principia atque normas statuere.

Ideoque Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, approbante Summo Pontifice Paulo VI, censuit hoc magni momenti negotium tractandum esse in Congregatione Plenaria, quae, ob novam ordinis rationem eidem a Constitutione Apostolica «Regimini Ecclesiae Universae» [1] tributam, non modo aptissimum ac legitimum evasit instrumentum ad iudicium faciendum de antedictis negotiis, verum etiam sedes propria pro decisionibus ferendis ad dirigendam universam Ecclesiae missionalem activitatem.

Hunc igitur in finem eadem Sacra Congregatio, cum prius a Conferentiis Episcopalibus et a Pontificalium Operum Missionalium Directoribus Nationalibus propositiones ac suggestiones de hac re expostulasset, auditis insuper sententiis peculiaris coetus Consultorum, examini iudicioque primae Congregationis Plenariae, Romae habitae a die 25 ad diem 28 mensis Iunii 1968, has duas *Quaestiones* proposuit, scilicet:

A) *de definiendis relationibus quae intercedere debent inter Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione et Conferentias Episcopales quod attinet ad Pontificalia Opera Missionalia;* / 277

B) *de moderandis quibusdam inceptis Dioecesium territorii iuris communis pro Missionibus.*

A) Patres vero Congregationis Plenariae, omnibus mature perpensis, quoad priorem quaestionem, in primis haec *Principia* recolenda atque confirmanda censuerunt:

1. Omnis cooperatio missionalis ordinatim componi debet, quippe quae pars est illius sollicitudinis qua Episcopi tamquam «membra Collegii episcopalis et legitimi Apostolorum successores», una cum Summo Pontifice, «pro universa Ecclesia ex Christi institutione et praecepto tenentur» [2].

2. Ad hanc autem cooperationem in Ecclesia universa obtinendam, pro suo munere, Summus Pontifex praesertim adhibet sua Opera Missionalia, id est: Pontificale Opus a Propagatione Fidei, Pontificale Opus a Sancto Petro Apostolo pro Clero indigena, Pontificale Opus a Sancta Infantia, Pontificalem Cleri Consociationem Missionalem.

Cum haec Opera sint Pontificalia, ipsis necessario illa competit praestantia quae ab eorundem Operum universalitate profluit, quaeque confirmata atque definita fuit propriis Statutis a Sancta Sede datis [3].

3. Ideoque ab Episcopis, in proprio exsequendo missionali munere, istis «Operibus iure primus locus tribui debet quippe quae media sunt tum ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, tum ad

[1] Const. apost. *Regimini Ecclesiae Universae*, art. 83, § 2: *A. A. S.* 59 1967, p. 916 [LE 3588].
[2] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 23: *A. A. S.* 57, 1965, p. 27 [LE 3141].
[3] *Statuta generalia* Pii Operis a Propagatione Fidei (adiecta M. P. *Romanorum Pontificum*, diei 3 mali 1922): *A. A. S.* 14, 1922, pp. 326-328 [LE 414 et 415].
Statuta pro Consilio Superiore Generali eiusdem Operis: *A. A. S.* 14, 1922, pp. 328-330 [LE 416].
Statuta generalia Piae Unionis Cleri pro Missionibus (adiecta Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, diei 4 aprilis 1926): *A. A. S.* 18, 1926, pp. 231-235 [LE 698].
Cfr. Motu proprio *Decessor Noster*, diei 24 iunii 1929, De Pontificiorum Operum Missionalium coordinatione: *A. A. S.* 21, 1929, pp. 342-345 [LE 910]; Motu proprio *Vix ad Summi Pontificatus*, diei 24 iunii 1929, quo Pontificium Opus «a S. Petro Apostolo» pro Cleri Indigenae institutione propriis et definitis *Statutis* donatur: *A. A. S.* 21, 1929, pp. 345-349 [LE 911].
Instructio data a Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 9 martii 1937: De coordinatione Piae Unionis Cleri pro Missionibus cum Operibus Missionalibus: *A. A. S.* 29, 1937, pp. 476-477 [LE 1370]; De concessione tituli «Pontificiae» huic Unioni a Summo Pontifice Pio XII die 28 octobris a. 1956 facta: *Acta Pontificalium Operum*, 1957, p. 97.
Pontificium Opus a Sancta Infantia, *Ordinati Operis*, die 7 iunii 1950 recognita (Paris 1951).

http://www.obrascatolicas.com

excitandam efficacem collectionem subsidiorum in bonum
278 omnium Missionum pro cuiuscumque necessitate» [4]. /

4. Horum vero Operum directio a Summo Pontifice concredita fuit Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, cui proinde proprio iure haec Opera subiiciuntur [5].

5. Apud Conferentias Episcopales adsit specialis Commissio Episcopalis pro Missionibus, tamquam potissimum et immediatum instrumentum in bonum earundem Missionum [6].

6. Praecipua munera huius Commissionis Episcopalis sunt:

a) Incepta fovere quibus excitentur in Populo Dei, praesertim in Clero, conscientia atque activitas missionalis.

b) Promovere Pontificalia Opera Missionalia in omnibus Dioecesibus atque curare ut eorundem Operum Statuta, maxime vero quoad transmissionem omnium subsidiorum, rite serventur [7].

c) Proponere Conferentiae Episcopali certam stipem propriis reditibus congruentem quam singulae Dioeceses, iuxta votum Concilii Oecumenici Vaticani Secundi, Sanctae Sedi, id est Congregationi pro Gentium Evangelizatione, quotannis dare tenentur, ab eadem Sancta Sede Missionibus distribuendam [8];

d) Curare ne peculiaria incepta missionalia Conferentiae Episcopalis damno evadant Pontificalibus Operibus et Institutis Missionalibus necnon aliis Operibus in Natione forte erectis pro Missionibus.

7. *a)* Quo melius autem in cooperatione missionali, sub quavis ratione considerata, unitas atque efficacitas obtineantur, Commissio Episcopalis pro Missionibus utatur Consilio Nationali Missionali hunc in finem erecto [9], quod regitur a Praeside eiusdem Commissionis. Pro sua cuiusque competentia in hoc Consilio partes habent Praeses Pontificalis Cleri Consociationis Missionalis, Directores Nationales Pontificalium Operum Missionalium, aliqui Sacerdotes necnon Delegati Dioecesani electi a Commissione Episcopali, Delegati Institutorum Missionalium in Natione existentium [10] atque Adsociationum Laicorum operam praestantium pro Missionibus.

b) Ubi constituta sunt Consilia Regionalia pro Missionibus, eorum agendi modus ad concordanda incepta dioe-
279 cesana cum Pontificalibus Operibus Missionalibus analoga ratione regitur ac Consilium Nationale pro Missionibus.

Consideratis autem Statutis Pontificalium Operum Missionalium, Patres has quae sequuntur *normas* pro structura atque agendi modo eorundem Operum in unaquaque Natione proposuerunt:

1. Pontificalia Opera Missionalia suum habeant in unaquaque Natione Directorem, cuius munus est ista Opera promovere ac regere.

Pontificalis vero Cleri Consociatio Missionalis, praeter Directorem Nationalem, habeat insuper Praesidem Episcopum.

2. Istorum Directorum atque supradicti Praesidis nominatio facienda est hoc modo:

Director Pontificalis Cleri Consociationis Missionalis nominatur ab eiusdem Consociationis Praeside;

Director Pontificalis Operis a Sancta Infantia nominatur a Praeside Consilii Superioris Generalis eiusdem Operis, de consensu Conferentiae Episcopalis;

Director vero Pontificalium Operum a Propagatione Fidei et a Sancto Petro Apostolo pro Clero indigena, necnon Praeses Episcopus Pontificalis Cleri Consociationis Missionalis, nominantur a Sacra Congregatione pro Gentium Evangelizatione ex tribus quidem, si possibile sit, candidatis quos Praeses Conferentiae Episcopalis, nomine eiusdem Conferentiae, Sacrae Congregationi praesentaverit.

3. Tam Directores Nationales Pontificalium Operum Missionalium quam Praeses Pontificalis Cleri Consociationis Missionalis nominantur ad quinquennium; possunt tamen confirmari ad aliud quinquennium.

4. Directores Nationales Pontificalium Operum Missionalium in omnibus muneribus quae officio sibi commisso connectuntur, Statuta aliasque normas in eundem finem a Sancta Sede data sedulo servare debent; ut vero quae praescribuntur in praedictis Statutis atque normis fideliter ad effectum deducantur, studiose curabunt; totam autem stipem pro Missionibus a Pontificalibus Operibus Missionalibus collectam ad suum quisque Consilium Generale fideliter transmittent.

Tandem, ad meliorem usque ordinationem obtinendam actuositatis Sanctae Sedis et Conferentiarum Episcopalium in eiusdem cooperatione missionali, Patres Congregationis Plenariae antedictis Conferentiis Episcopalibus haec in Domino magnopere commendant:

1. Ut ad rem diligenter deducant quod exponitur in n. 3° ex supra memoratis principiis, primum scilicet locum, inter media ad assequendam cooperationem missionalem, 280
Pontificalibus Operibus Missionalibus tribuendum esse.

2. Ut in munere fungendo faveant Praesidem Pontificalis Cleri Consociationis Missionalis atque Directores Nationales Pontificalium Operum Missionalium, quibus suam praebet fiduciam Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione.

3. Ut in deliberationibus inceptisque Commissionis Episcopalis pro Missionibus sociam operam tribuere velint Directoribus Nationalibus Pontificalium Operum Missionalium; hac enim ratione ipsi efficacius suum munus explere valebunt, mentem Hierarchiae localis cognoscentes, ad promovendam conscientiam missionalem et ad congrua auxilia colligenda.

4. Ut dent operam ad deducendum in actum quod editur in 6° principio *c)*, id est ut, praeter oblationes a fidelibus sponte datas Pontificalibus Operibus Missionalibus, a singulis dioecesibus subsidium propriis reditibus congruens Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione quotannis tradatur.

B) Quoad *alteram quaestionem*, scilicet *de moderandis quibusdam inceptis Dioecesium territorii iuris communis pro Missionibus*.

Patres, rite perpendentes quam necessarium sit ut in hac quoque parte actuositatis missionalis omnia recte et ordinatim procedant, ad has quae infra exponuntur conclusiones devenerunt:

1. Peculiaris forma activitatis missionalis singularum Dioecesium territorii iuris communis vel etiam ipsius Conferentiae Episcopalis, qua presbyteri dioecesani atque, servatis servandis, religiosi quoque ac religiosae, necnon laici mittuntur ad aliquam Circumscriptionem Missionalem ut ibi collaborationem praestent sub iurisdictione Ordinarii loci, agnoscitur atque libenter recipitur [11].

2. Ad hanc peculiarem formam actuositatis seu sollicitudinis missionalis in actum traducendam, requiritur praevia consultatio tum Conferentiae Episcopalis ad quam pertinet Dioecesis territorii iuris communis, tum Conferentiae Episcopalis in cuius ambitu comprehenditur Circumscriptio Missionalis; de hac re autem certior quoque fiat Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione.

3. Omnes formae huius directae collaborationis Dioecesium ter/ritorii iuris communis cum Circumscriptionibus 281
Missionalibus, sive agatur de personis mittendis ut in superiore n. 1 dictum est, sive de subsidiis oeconomicis atque de fundatione operum missionalem finem respicientium, plane commendantur, dummodo tamen ne detrimentum exinde capiant Pontificalia Opera atque Instituta Missionalia.

Quae omnia ab infrascripto huius Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto in Audientia diei 6 vertentis mensis et anni Sanctissimo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Papae VI relata, Ipse Summus Pontifex Instructionem de

[4] Decr. de activ. mission Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 38: *A. A. S.* 58, 1966, p. 985 [LE 3364]; cfr. Nuntius Summi Pontificis Pauli VI pro die missionali anni 1968: *A. A. S.* 60, 1968, pp. 399-403.
[5] Cfr. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, III, 13, 2: *A. A. S.* 58, 1966, p. 785 [LE 3457].
[6] Cfr. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, III, 9: *A. A. S.* 58, 1966, p. 784.
[7] Cfr. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, III, 7: *A. A. S.* 58, 1966, p. 784.
[8] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 38: *A. A. S.* 58, 1966, p. 986; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, III, 8: *A. A. S.* 58, 1966, p. 784.
[9] Cfr. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, III, 11: *A. A. S.* 58, 1966, p. 784.
[10] Cfr. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, III, 11: *A. A. S.* 58, 1966, p. 784.

[11] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 38, 41: *A. A. S.* 58, 1966, pp. 985-986; 988-989; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 6: *A. A. S.* 58, 1966, pp. 675-676; Nuntius Pauli VI *Africae Terrarum*, 26: *A. A. S.* 59, 1967, p. 1088 [LE 3606].

qua supra approbare dignatus est atque publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, in Festo S. Matthiae Apostoli, die 24 mensis Februarii a. D. 1969.— Gregorius P. Card. Agagianian, *Praef.* Sergius Pignedoli, Archiep. tit. Icon., *a Secr.*

Adn. I. LEE in CpR 48 (1969) 361-369; S. PAVENTI in BM 32 (1968) 257-270.

3721

1969 FEB 24-SC GENT. EV., INSTR. AAS 61 (1969) 281-287

DE QUIBUSDAM PRINCIPIIS ATQUE NORMIS CIRCA RELATIONES IN TERRITORIIS MISSIONUM INTER ORDINARIOS LOCORUM ET INSTITUTA MISSIONALIA *

Relationes in territoriis missionum inter Ordinarios locorum et Instituta Missionalia, ea praesertim quibus demanata erat cura pastoralis horum territoriorum, pro locorum temporumque adiunctis aliquas nonnumquam suscitarunt difficultates, de quibus solvendis Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, pro munere sibi commisso, semper sollicita fuit.

Nemo sane ignorat praeeminentes atque haud raro unicas partes quas habuerunt praedicta Instituta in condendis atque evolvendis missionibus. Ideoque facile perspicitur tantummodo memoratarum relationum harmonicam compositionem possibiles reddere tum ordinatam atque efficacem navitatem evangelicae praedicationis in territoriis mis-
sionum, tum ipsam existentiam consolidationemque cir-
cumscriptionum ecclesiasticarum in his territoriis erec-
282 tarum. /

Haec autem rerum condicio bene ostendit probatque necessitatem interventuum eiusdem Sacrae Congregationis ut pro sua sollicitudine aptis normis consuleret novis in dies exigentiis ex mutata conformatione seu figura iuridica circumscriptionum missionalium promanantibus.

Istiusmodi normae decursu temporis auctae atque inter se aliquando diversae, veluti ad quandam organicam codificationem redactae sunt Instructione a Sacra Congregatione data die 8 Dec. 1929 [1]. Haec vero Instructio, ut in compertis est, cum a principio procederet sic dicti «iuris commissionis», quo nempe aliquod territorium missionum cuidam delecto Instituto evangelizandum committebatur, necessario versari seu sistere debuit in definienda habitudine Superioris illius Instituti dumtaxat ad Vicarium vel Praefectum Apostolicum vel etiam ad alium huiusmodi Ecclesiasticum Superiorem.

Hisce tamen postremis decenniis aliqua supervenerunt facta et mutationes quae saltem ex parte inefficacem reddiderunt praefatam Instructionem, uti verbi gratia: erectio ordinariae Hierarchiae Episcopalis fere ubique peracta in territoriis missionum, latior in dies curae Dioecesium Missionalium Clero saeculari autochtoni traditio, nuperrime vero Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum quod denuo asseruit sollemnique ratione confirmavit theologica atque iuridica principia supra quae condicio Episcopi residentialis in Ecclesia eiusque dioecesi arcte fundatur.

Itaque ex supradictis mutationibus patuit necessitas fundi-
tus recognoscendi, sub ductu principiorum conciliarium, relationes in Ordinarios locorum, plerumque Episcopos Dioecesanos, et Instituta Missionalia, quae, dum antea praecipuas partes habebant in opere missionali, postea autem interdum ad aliam modestiorem sed haud minoris momenti condicionem cooperatorum in ipso opere transierant.

Huic ergo necessitati respondens, Sacra Congregatio postquam positivas sententias obtinuit a potioribus Conferentiis Episcopalibus et Institutis Missionalibus, audito insuper speciali coetu Consultorum, de consensu Summi Pontificis examini iudicioque primae Congregationis Plenariae [2], Romae habitae a die 25 ad diem 28 Iunii a. 1968,
283 quaestionem proposuit. /

Post argumenti diligentem integramque considerationem, Patres Congregationsi Plenariae ita decernendum censuerunt:

1. Iuridicum systema Commissionis, de quo in memorata Instructione, abrogatur quoad Dioeceses territoriorum missionum. E contra ipsum adhuc vigere pergit in Circumscriptionibus Ecclesiasticis Missionalibus nondum in Dioeceses veri nominis erectis.

2. Novum systema iuridicum quod introducitur loco systematis commissionis in supradictis Dioecesibus, specialem formam habebit collaborationis Institutorum Missionalium cum Episcopis harum Dioecesium, quae Mandatum vocatur.

3. Istud vero Mandatum ita describitur:

Munus quod alicui Instituto, petente Episcopo et ipso Instituto audito, a Suprema Auctoritate Ecclesiae datur ad collaborandum in Dioecesi missionali cum et sub eodem Episcopo, secundum conventionem initam [3].

4. Mandatum tantummodo datur si quod Institutum, qua tale, sive curam determinati territorii sive definitum opus missionale maioris momenti in Dioecesi rite assumpserit.

5. Suprema Auctoritas Ecclesiae quae in praefata descriptione ut mandans indicatur, intellegi debet Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, quae, nomine ac iussu Summi Pontificis, omne opus missionale ubique terrarum dirigit atque ordinat [4].

6. Mandatarii nomine, e contra, venit Institutum clericale vel laicale, sive virorum sive mulierum, quod iuxta suam cuiusque indolem praedictum munus collaborationis acceptat.

Ad hoc mandatum suscipiendum unice competens est Instituti Moderator Supremus et quidem ad normam Constitutionum seu Regularum vel Statutorum pro Missionibus.

7. Finis mandati est tutela iurium atque officiorum tum Episcoporum Dioecesanorum in locis missionum, tum Institutorum quae collaborationis munus explent. Ope sane mandati facilior atque magis aequa efficitur distributio missionariorum et subsidiorum, dictorum Institutorum functio efficacior fit in Ecclesia ac stabilis ordinataque evadit in Missionibus evangelica activitas. / 284

8. Episcopus, antequam petat mandatum, tenetur:

a) mentem exquirere Conferentiae Episcopalis ad quam pertinet; siquidem Conferentiarum Episcopalium in Missionibus est, in connexione cum Sacra Congregatione pro Gentium Evangelizatione, «examinare modum aptiorem quo vires (sacerdotes, catechistae, Instituta, etc.) in territorio distribui possint» [5];

b) de hac mente Sanctam Sedem scripto certiorem facere.

9. Mandatum datur «Decreto» a Sacra Congregatione.

10. Mandatum exstinguitur unice explicita revocatione ex parte Sacrae Congregationis, quae tamen ad hanc revocationem non deveniet nisi prius audierit tam Episcopum quam Institutum.

11. Episcopus admittere potest in suam Dioecesim alia Instituta etiam absque mandato, quin teneatur prius audire Institutum cui antea mandatum datum fuerat, nisi aliud de hac re in conventione statutum fuerit. Cum novum Institutum admittitur absque mandato, Sacra Congregatio illam peculiarem responsabilitatem quae ex concessione mandati promanat sibi non assumet.

12. Cum Circumscriptiones Ecclesiasticae de quibus supra in Dioeceses evehuntur, cessat systema iuridicum commissionis. Attamen, ad difficultates vitandas, Episcopus et Institutum, quod iure commissionis fruebatur, inter se conveniant de modo prosequendi apostolatum missionalem in loco.

13. Circa iura et officia Episcoporum residentialium in territoriis missionum:

a) Romanus Pontifex habet in universam Ecclesiam potestatem plenam, supremam, universalem [6] et immedia-

* Nomine Institutorum Missionalium veniunt Ordines, Congregationes, Instituta et Adsociationes sive virorum sive mulierum quae in Missionibus laborant; cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 23, not. 2: *A. A. S.* 58, 1966, p. 974 [LE 3364].
[1] *A. A. S.* 22, 1930, pp. 111-115 [LE 935]. [2] Cfr. Const. Apost. *Regimini Ecclesiae universae*, art. 83, § 2: *A. A. S.* 59, 1967, p. 916 [LE 3588].

[3] De qua in n. 14 c). [4] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 29 *A. A. S.* 58, 1966, p. 980 [LE 3364]; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae* III 13, 1: *A. A. S.* 58, 1966, p. 785 [LE 3457]. [5] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae* III, 18, 4: *A. A. S.* 58,1966, p. 786. [6] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22: *A. A. S.* 57, 1965, p. 26 [LE 3232].

http://www.obrascatolicas.com

tam [7]. Episcopi Ecclesias particulares sibi commissas regunt potestate propria, ordinaria et immediata [8]. Exercitium potestatis episcopalis a Romano Pontifice ultimatim regitur atque intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium certis limitibus circumscribi potest [9]. Ad exercendam autem hanc potestatem supremam Romanus Pontifex utitur Dicasteriis Curiae Romanae [10]. Sic pro omnibus Missionibus et pro
285 tota activitate missionali unum / Dicasterium competens est, nempe Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, cuius est dirigere et ordinare omnem actuositatem missionalem, ideoque et missionarios distribuere secundum urgentiores necessitates in variis terrae regionibus [11].

b) Exercitium vero potestatis episcopalis in Dioecesibus Missionalibus tale esse debet ut Episcopus, qua rector et centrum unitatis in apostolatu dioecesano, missionalem activitatem promovere, moderari atque ordinare valeat, ita tamen ut spontanea navitas eorum qui in opere missionali partem habent, atque in primis Institutorum quae collaborationem praestant, servetur et foveatur [12].

14. Circa iura et Officia Institutorum Missionalium in territoriis missionum:

a) Instituta quae decursu saeculorum enixe operam dederunt Evangelii praedicationi atque Ecclesiae plantationi, adhuc agnosci debent ab Episcopis in territoriis missionum ut instrumentum magnae utilitatis hisce dioecesibus [13]; collaboratio revera ab istis Institutis praestita efficit ut Episcopi Missionarii evangelizandi operam validius absolvere valeant. Verumtamen etiam in territoriis missionum istis Institutis haud prohiberi potest exercitium iuris servandi suam peculiarem indolem debitamque autonomiam [14], nec non facultas condendi domos ad normam iuris atque fovendi vocationes proprias [15], ita ut singuli fideles libere suam ingredi valeant viam iuxta inspirationem a Domino receptam [16].

b) Eadem vero Instituta zelo atque experientia in servitium auxiliumque erunt Episcopis Missionariis, sub eorundem Episcoporum iurisdictione praestandum, quod veram atque efficacem collaborationem in evangelizatione constituat. Haec collaboratio, quae speciali modo absolvitur missis Instituti sodalibus necnon apte praestitis subsi-
286 diis, / perficienda est tam in cura animarum, quam in peculiaribus functionibus pro bono communi territorii missionalis [17].

c) Ad fructuosam autem collaborationem fovendam conventiones ineantur inter Ordinarios locorum et Instituta Missionalia ad mutuas relationes moderandas, quas Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione in memorata Instructione iam commendavit [18] et Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum Summusque Pontifex nunc explicite edixerunt [19]. Per eas enim non solum concordia et pax, quae omni sacro ministerio sunt necessariae, facilius obtinentur, verum etiam stabilitas qua tum ipsae Missiones tum Instituta valde indigent. In his conventionibus, igitur, apte ac perspicue indicare oportet inter alia, munus ab Institutis susceptum et modum collaborationis cum Ordinariis locorum. Similiter, quod ad missionarios attinet, in eisdem definienda sunt, praeter numerum missionariorum, ius eosdem praesentandi atque nominandi pro variis officiis necnon omnia quae ipsorum translationem, amotionem et substitutionem respiciunt.

d) Tandem, sodales istorum Institutorum in sua praestanda actuositate illas normas aliaque praecepta observare tenentur quae data sunt ab Episcopo vel a Conferentia Episcopali quoad activitatem pastoralem et socialem necnon quoad disciplinam liturgicam et ecclesiasticam [20].

15. Circa vero habitudines inter Ordinarios locorum et Instituta Missionalia, quod attinet ad bona temporalia eorundemque bonorum administrationem, Patres Congregationis Plenariae, ob implicationem materiae diversitatemque condicionum in variis locis missionum, opportunum existimaverunt nonnulla principia generalia de hac re in mentem revocare, remisso Sacro Dicasterio pro Gentium Evangelizatione munere parandi specialem instructionem post absolutam investigationem huius quaestionis sub quavis ratione attente consideratae.

Interim vero sequentia principia prae oculis habeantur:

a) Circa bona ecclesiastica: Bona personarum moralium quae directe dependent ab Ordinario loci (ut bona dioece-
287 sis, paroeciarum, etc.) administrari debent ad normam iuris communis; bona vero personarum moralium quae dependent ab Instituto (ut bona domorum, provinciarum, etc.) administrantur ad normam iuris communis atque Constitutionum seu Regularum Instituti, necnon, iuxta Statuta pro Missionibus.

b) Circa eleemosynas: prae oculis in primis semper habeatur supremam normam hac in re esse sive explicitam sive implicitam voluntatem donatoris. Ideoque eleemosynae receptae pro definita Circumscriptione Missionali, vel pro missionibus determinati Instituti, tradendae sunt illi qui regit vel praefatam Circumscriptionem vel Institutum; eleemosynae vero quae missionariis datae fuerint intuitu personae, ipsi missionario vel Instituto pertinent secundum eiusdem Instituti Constitutiones seu Regulas vel Statuta pro Missionibus.

16. Quae in hac Instructione exposita sunt circa iura et officia tam Episcoporum aliorumque Ordinariorum locorum in territoriis missionum, quam Institutorum ibidem collaborationem praestantium, necnon circa cetera principia in hac ipsa Instructione definita, habenda sunt veluti caput et fundamentum pro illis conventionibus inter Ordinarios locorum et Instituta Missionalia ineundis, de quibus dictum est in n. 14 *c)*.

Sacra Congregatio, quo ordinatius procedatur in executione huius Instructionis, omnes quorum interest admonet nullam mutationem statim admittendam esse. Ordinarii vero locorum et Superiores Institutorum Missionalium curent ut intra annum a die promulgationis Instructionis mutuae relationes, de communi consilio, novis hisce normis adaptentur.

Quae omnia ab infrascripto huius Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto in Audientia diei 6 vertentis mensis et anni Sanctissimo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Papae VI relata, Ipse Summus Pontifex Instructionem de qua supra approbare et Apostolica Auctoritate munire dignatus est, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus atque mandavit ut eadem Instructio rite promulgetur.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, in Festo S. Matthiae Apostoli, die 24 mensis Februarii a. D. 1969.—Gregorius P. Card. Agagianian, *Praef.* Sergius Pignedoli, Archiep. tit. Icon., *a Secr.*

[7] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 2: *A. A. S.* 58, 1966, p. 673 [LE 3332]. [8] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 27: *A. A. S.* 57, 1965, p. 32. [9] Cfr. ib. [10] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 9: *A. A. S.* 58, 1966, p. 676. [11] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 29: *A. A. S.* 58, 1966, p. 980; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae* III, 13, 1: *A. A. S.* 58, 1966, p. 785; Const. apost. *Regimini Ecclesiae Universae*, art. 82: *A. A. S.* 59, 1967, p. 915 [LE 3588]. [12] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 30: *A. A. S.* 58, 1966, p. 981. [13] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 27: *A. A. S.* 58, 1966, p. 978. [14] Cfr. Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 2 b): *A. A. S.* 58, 1966, p. 703 [LE 3333]; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 35, 2-5: *A. A. S.* 58, 1966, pp. 691-692. [15] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 18: *A. A. S.* 58, 1966, pp. 968-969. [16] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 43: *A. A. S.* 57, 1965, p. 50. [17] Cfr. Decr. de activ. missior. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 27: *A. A. S.* 58, 1966, p. 978. [18] *A. A. S.* 22, 1930, p. 113 [LE 935]. [19] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 32: *A. A. S.* 58, 1966, p. 982; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, III, 17: *A. A. S.* 58, 1966, pp. 785-786. [20] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 30: *A. A. S.* 58, 1966, p. 981; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, 25, 2: *A. A. S.* 58, 1966, p. 770.

APPENDIX *

SCHEMATA CONTRACTUUM INTER EPISCOPOS RESIDENTIALES VEL ALIOS ORDINARIOS LOCORUM, IN TERRITORIIS MISSIONUM, ET INSTITUTA MISSIONALIA

A—*Specimen conventionis sub novo systemate iuridico mandati, ad normam Instructionis S. C. pro G. E.* Relationes in territoriis missionum, diei 24 *februarii* 1969 [LE 3721].

NOTIONES PRAEVIAE

1. Mandatum, prout hic ponitur, est munus ad specialem formam collaborationis instaurandam in territoriis missionum, inter Episcopos Residentiales et Instituta Missionalia. Huiusmodi munus confertur quidem a S. C. pro G. E. *sed solummodo cum Episcopus id libere seu sua sponte petit.* Institutum vero, vi praedicti Mandati, collaborabit speciali ratione in Dioecesi missionali seu Ecclesia novella, cum et sub eodem Episcopo, «rectore et centro unitatis in apostolatu dioecesano», *secundum praesens conventionem mutuo consensu initam* (Cfr. nn. 3 et 5).

2. Mandatum dari potest cuilibet Instituto clericali vel laicali sive virorum sive mulierum, quod ad eiusmodi collaborationem aptum et paratum sit, dummodo Institutum,

* BIM 33 (1969) 186-196.

qua tale, ope Moderatoris Supremi, et quidem ad normam Constitutionum seu Regularum vel Statutorum pro Missionibus, sive curam determinati territorii sive definitum opus Missionale maioris momenti in Dioecesi rite assumpserit (Cfr. nn. 4 et 6).

3. Cum finis Mandati non tantum sit tuitio iurium atque officiorum utriusque partis contrahentis, sed etiam facilior atque magis aequa distributio missionariorum et subsidiorum, Episcopus, antequam petat Mandatum, mentem exquirere tenetur Conferentiae Episcopalis, ad quam pertinet, atque de eadem Sedem Apostolicam scripto certiorem facere (Cfr. nn. 7 et 8).

4. Mandatum quod Decreto apposito a S. Congregatione de Propaganda Fide datur, nonnisi explicita revocatione ex parte eiusdem S. Congregationis extinguitur, auditis Episcopo et Instituto (Cfr. nn. 9 et 10).

5. Episcopus pro diversis regionibus et operibus plura quoque Instituta missionalia cum Mandato et etiam sine Mandato in propriam Dioecesim admittere potest, quin teneatur prius audire Institutum, cui antea Mandatum datum fuerat, nisi aliud de hac re in conventione statutum fuerit (Cfr. n. 11).

6. In contractibus seu conventionibus sive generalibus sive particularibus ineundis ea prae primis attendere oportet, quae in praelaudata Instructione sub nn. 13, 14 et 16 indicata reperiuntur, eaque accurate ad casum de quo agitur applicare.

7. Ad fovendam unionem inter diversos cooperatores Episcopi, maxime iuvabit ut sodales Institutorum Missionalium partem habeant in Consiliis Presbyterali et Pastorali; numerus vero participantium in contractu definiatur.

8. Specimen autem conventionis, quod hic sequitur, nonnisi ad modum exempli et pro utilitate contrahentium proponitur, *quin ullo modo eos obligat.* Contrahentes igitur puncta, de quibus pacisci intendunt, vel sic vel aliter, prout ipsi malint, in contractu statuere possunt, salvis tamen praescriptis n. 14 citatae Instructionis.

CONVENTIO

Partes contrahentes.—Episcopus N. N., tamquam Ordinarius Dioecesis N., eiusque nomine, cum consensu consilii dioecesani et auditis iis quorum interest

et

P. N. N. Superior Provincialis Instituti N. in Natione N., a Superiore Generali rite delegatus, ad normam Constitutionum, sequentem conventionem mutuo consensu ineunt, quae tamen vim partes contrahentes obligandi non habebit, antequam ab ipso Superiore Generali Instituti signata et a S. Congregatione pro Gentium Evangelizatione Decreto Mandati sancita fuerit.

1. *Obiectum conventionis.* Episcopus Ordinarius hisce praesentibus Instituto negotium confert: curam animarum exercendi, operaque apostolatus vel missionalia promovendi sub regimine ipsius Episcopi in tota Dioecesi vel in parte determinata...

Nota. Munus pastorale hisce collatum praeter paroecias stationesque missionales curandas alia quoque officia compiecti potest, quae Episcopus sodalibus Instituti conferre decernat, ut sunt officia administrativa cuiusvis generis, etiam in ipsa Curia dioecesana, Seminarium dioecesanum, directio scholarum alumnorumque institutio, opera socialia et similia. Haec omnia clare et accurate in conventione describantur.

2. *Personae.* Institutum, quod praedicta munera et onera explenda assumit, numerum... sodalium (Sacerdotum vel aliorum) aptorum et qui examine medico idonei reperti sint, in Dioecesim mittet atque in eadem tenebit eosque, prout necessarium fuerit et ipsum praestare potuerit, etiam subsidiis materialibus adiuvabit, secundum normas separatim stabiliendas.

3. *Auctoritas.* Sodales Instituti, sive clerici sive laici, quoad omnia, quae ministerium in Dioecesi susceptum respiciunt, subsunt immediate omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, observantia regulari unice excepta; in iis vero, quae ad religiosam disciplinam attinent, proprio subsunt Superiori, qui proinde solus in eorum agendi rationem circa haec omnia inquirere eosque, si casus ferat, corrigere potest (Cfr. can. 630, par. 2).

4. Superiori Religioso competit sodales pro variis muneribus vel officiis in Dioecesi Episcopo proponere vel praesentare; Episcopus iterum ad ea officia nominat iurisdictionemque ad ipsa implenda confert. Notitia vero nominationis vel assumptionis ad munus determinatum ordinarie per Superiorem Religiosum sodali transmittitur.

Nota. a) Quod si de Instituto Missionali non religioso agatur, Episcopo Dioecesis maior facu.tas seu libertas de sodalibus disponendi eosque ad varia ministeria adhibendi in ipso contractu tribui vel concedi potest.

b) Cooperatio sodalium Instituti cum aliis sacerdotibus vel religiosis in variis muneribus Dioecesis ita ordinetur ut vitam communem secundum proprias Constitutiones non impediat. In specie determinetur utrum sodales una cum membris cleri saecularis vel aliorum Institutorum in eadem opera adhiberi possint (v. g. in eadem paroecia) vel, ubi casus ferat, cum eisdem cohabitare.

5. Translatio sodalium servitio Dioecesis addictorum, sive ad alium locum intra Dioecesim, sive extra Dioecesim, quantum fieri potest tempestive (v. g. sex mensibus ante) ab utraque auctoritate collatis consiliis decernitur, aequitate naturali servata etiam in eo quod ad ipsum sodalem transferendum attinet.

6. Remotio sodalium ab officio in Dioecesi commisso gravi de causa decerni potest tam ab Ordinario loci, monito Superiore, quam a Superiore, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu (c. 454); nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem; sodali tamen, de quo agitur, aequa respondendi occasio praebenda est.

7. Servatis de iure servandis, Institutum in Dioecesi, pro qua Mandatum acceptat, domos quoque suas habere vel erigere potest propriaque opera pia peragere vel ministeria sacra exercere (Cfr. can. 497, par. 2). Quod modo speciali ad domos Instituti referendum est, quae vocationibus religiosis fovendis et educandis destinantur.

8. *Bona temporalia.* Possessio et administratio bonorum quae ad Dioecesim eiusve opera pertinent, reguntur normis canonicis necnon praescriptis particularibus, quae ab Episcopo vel a Conferentia Episcopali de hac re data fuerint. Ratio administrationis Curiae Episcopali semel saltem in anno reddenda est, salva semper vigilantia Superioris (Cfr. can. 630, par. 4). Possessio vero et administratio bonorum quae ad Institutum eiusque opera pertinent reguntur iure communi necnon iure particulari ipsius Instituti. Inventarium de bonis tam Instituti quam Dioecesis contractui adnexum habetur.

9. Ordinarius providebit necessitatibus operum Dioecesis necnon sodalium Instituti qui illis operibus incumbunt, sive directe sive indirecte, id est, aut ope paroeciarum vel missionum quae reditus sufficientes habeant et necessitatibus pastorum aliorumque ipsae per se occurrere possunt, aut ope aerarii dioecesani seu episcopalis.

10. Expensae pro exercitiis spiritualibus aliisque quae renovationi vel progressui sodalium Dioecesi addictorum inserviunt, (vel a solo Instituto, vel) ab utraque auctoritate ratione congrua sustinentur, dum expensae pro delegatis vel «repraesentantibus» propriis ab ea auctoritate solvuntur, sive dioecesana sit vel religiosa, quae eiusmodi delegationes mittere decernit.

11. Expensae pro curis medicis sodalium Instituti, qui Dioecesi addicti sunt, ab Ordinario solvuntur; quod si sodalis post duos saltem annos in servitio Dioecesis peractos incapax seu infirmus evaserit, cura pro ipso ab utraque auctoritate ratione congrua sustinetur.

Nota. Hoc fieri potest sive directe, sive etiam indirecte, ope scilicet «adsistentiae socialis» vel mutuae, secundum conditiones locales.

12. Expensae pro itineribus sive ad missionem sive in patriam vel in alias regiones, e. g. vacationis vel recreationis causa, solvuntur a...

Nota. Quando adsit concursus partium contrahentium stabiliatur ratio contributi inter easdem partes.

13. Stipendia Missarum per se ad Sacerdotem vel Institutum pertinent secundum Constitutiones. Iura stolae a sodalibus Instituti percepta pro eorum substentatione computantur.

14. Dona et subsidia oblata vel collecta pro determinato opere in Dioecesi ipsi operi obveniunt, dona vero et subsidia pro missionibus Dioecesis in genere bonis ipsius Dioecesis addicuntur.

15. Dona pro Instituto qua tali vel pro singulis eiusdem sodalibus in Dioecesi operam praestantibus, si «intuitu personae» data sunt, in possessionem Instituti vel sodalium transeunt, secundum proprias Constitutiones.

Nota. Ad stipendia quod attinet quae a Gubernio vel aliis Institutionibus solvuntur pro muneribus, quae sodales Instituti in Dioecesi explent, servetur aequitas naturalis, ratione quoque habita onerum Dioecesis vel Instituti.

16. *Generalia.* Interpretatio clausularum huius conventionis ex aequo et bono et secundum criteria pastoralia facienda est.

17. Conventio, postquam a S. Sede confirmata est, absque Beneplacito Apostolico substantialiter mutari vel rescindi non potest.

18. Conventio valida erit pro spatio... annorum et renovata censetur nisi tot... (v. g. sex) mensibus ante expirationem temporis alterutra pars recedere velit. Hac de re certior redditur Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione.

In quorum fidem nomen subscribunt et sigillum apponunt:
Pro Dioecesi N. N. . *Episcopus Ordinarius loci* . . Pro Instituto Missionali . . *Superior Generalis.*

Nota. a) S. C. pro Gentium Evangelizatione praedictam conventionem ratam habet et confirmat ipsamque prae oculis habens praelaudato Instituto *Mandatum* confert, ab Episcopo petitum, ope quidem decreti.

b) Si *Mandatum* confertur pro activitate limitata, definita vel «speciali», ut sunt: ministerium scholarum catholicarum vel operum socialium aliorumve, articuli conventionis congruenter mutandi sunt.

B—*Specimen conventionis absque mandato.*

NOTIONES PRAEVIAE

1. Specimen conventionis quod hic sequitur pro utilitate contrahentium tantum proponitur, *quin ullo modo eos obligat:* unde partes contrahentes mutationes quaslibet inducere possunt, alias elausulas addere etc., dummodo sint ad normam iuris. Huiusmodi mutationes praesertim requiruntur si agatur de conventionibus cum Institutis laicalibus sive virorum sive mulierum.

2. Hoc specimen datur dumtaxat ut inserviat pro conventione inter Ordinarium loci (Episcopum, Vicarium vel Praefectum Apostolicum) et Superiorem Instituti Missionalis.

In ceteris conventionibus partes contrahentes formam stipulationis libere et mutuo consensu determinabunt.

3. De «conventionibus» iam sermo fit in Instructione S. C.

http://www.obrascatolicas.com

de P. F. diei 8 Decembris 1929 (A. A. S., XXII. 1930, p. 113) [LE 935].

Commendantur «conventiones» in Decreto Conc. Vat. II «Ad Gentes» n. 32; de iis sermo fit quoque in Litteris Apostolicis, Motu Proprio datis «Ecclesiae Sanctae» diei 6 Augusti 1966, I, n. 33 et III, n. 17. Quaedam principia generalia pro conventionibus dantur etiam in Instructione S. C. pro G. E. diei 24 Februarii 1969 [LE 3721].

4. Ad fovendam unionem inter diversos cooperatores Ordinarii loci, maxime iuvabit ut sodales Instituti Missionalium partem habeant in Consiliis Presbyterali et Pastorali ubi haec constituta sint; numerus vero participantium in contractu definiatur.

CONVENTIO

Partes contrahentes.—N. N. Ordinarius loci N... in Natione N., cum consensu sui consilii et auditis iis quorum interest, nomine eiusdem ditionis ecclesiasticae

et

P. N. N. Superior Provincialis Instituti N. in Natione N., a Superiore Generali rite delegatus, ad normam Constitutionum sequentem conventionem mutuo consensu ineunt.

1. *Obiectum conventionis.* Ordinarius Instituto confert opera sequentia: curam paroeciarum N. N. vel stationum missionalium N. N., directionem, administrationem scholarum... (et pro casu: nosocomii, orphanatrophii, etc.).

Nota. Hoc loco accurate et in particularibus describantur opera Instituto commissa.

2. Institutum ad tempus... annorum supradicta opera acceptat, ad normam iuris, sub auctoritate Ordinarii loci moderanda.

Ad haec opera explenda Institutum numerum... sodalium, pro posse suppeditabit.

Nota. Duratio conventionis nimis brevis ne sit, praesertim si sodales linguam difficilem addiscere debeant aut Institutum multis expensis pro aedificiis etc. gravetur. Opus, quod natura sua perpetuum est, etiam *in perpetuum Instituto committi potest*, immo expedit, praesertim si est opus proprium Instituti et Institutum habet sodales autocthonos.

3. *Auctoritas.* Clerici qui curam animarum exercent in paroeciis aut in stationibus missionalibus proponuntur vel praesentantur a Superiore Instituti, nominantur vero ab Ordinario loci.

5. Magistri religionis indigent approbatione saltem habituali Ordinarii loci.

6. Directio operis, (admissio alumnorum, horarium, studiorum ratio etc.) est penes Institutum, sub vigilantia tamen Ordinarii loci et ad normam iuris.

Nota. Pro varietate casuum dispositiones sub n. 6 differentes esse debent.

a) Opus quod mediante conventione committitur Instituto potest esse opus iam fundatum (vel adhuc fundandum) ab ipso Instituto, expensis eiusdem Instituti: in hoc casu expedit ut Institutum fruatur debita autonomia, salvo iure vigilantiae Ordinarii loci ad normam iuris.

b) Opus quod conventione inita committitur Instituto potest esse opus iam fundatum (vel adhuc fundandum) ab ipsa Dioecesi, expensis eiusdem Dioecesis: in hoc casu verus director operis est ipse Ordinarius, qui plerumque nominat directorem delegatum sodalem Instituti. In directione operis, Institutum non est autonomum, salva tamen independentia quoad regimen internum sodalium ipsius Instituti.

c) Opus fundatum est proprium Instituti sed indiget subsidiis Dioecesis, aut opus est proprium Dioecesis sed indiget subsidiis Instituti: in tali casu conventio clare indicare debet iura et onera utriusque partis.

7. Petente Ordinario et consentiente Superiore Instituti, sodales Instituti collaborare possunt etiam in operibus Dioecesis, Instituto non concreditis.

8. Institutum ius habet admittendi, ad normam Constitutionum, aspirantes, postulantes, novitios etiam ex Dioecesi oriundos.

9. *Bona temporalia.* In folio huic conventioni annexo enumerantur bona Dioecesis, quae Instituto in usum, usumfructum, administrationem committuntur necnon bona quae sunt propria Instituti.

10. Administratio bonorum Dioecesis de quibus supra regitur iure communi necnon praescriptis hac in re datis sive a Conferentia Episcopali sive ab ipso Ordinario; administratio vero bonorum Instituti regitur iure communi necnon Constitutionibus Iustituti.

11. *Reditus et expensae.* Reditus operum Instituti, quocumque titulo percepti, obveniunt Instituto.

Nota. Quoties opus est proprium Dioecesis (Cfr. Nota sub n. 6): «Reditus... obveniunt Dioecesi».

12. Reditus quos sodales Instituti industria propria acquirunt cedunt Instituto aut ipsis sodalibus ad normam Constitutionum.

13. Expensae omnes, tum pro promotione operum Instituti, tum pro sustentatione sodalium, solvuntur ab Instituto.

Nota. Quoties opus est proprium Dioecesis (Cfr. Nota sub n. 6): «Expensae omnes... solvuntur a Dioecesi».

In hoc casu iuvat addere articulum sequentis tenoris: Expensae pro sustentatione sodalium complectuntur: *a)* victum, vestitum, habitationem; *b)* sumptus pro curis medicis (pro quibus utiliter adhiberi potest systema «adsistentiae socialis» vel mutuae), pro relaxatione, itineribus etc.

In genere remuneratio, quae datur sodalibus Instituti pro servitio Dioecesi praestito talis sit ut revera sufficiat pro expensis ordinariis quas Institutum pro sodalibus sustinere debet. Itaque in concreto determinetur summa quae ab Ordinario singulis mensibus solvenda est.

Conclusio. Praesens conventio *mutuo consensu* mutari vel revocari potest etiam ante tempus expirationis.

Pariter mutuo consensu prorogari potest. Prorogata censetur ad alios... annos, nisi... annis (vel mensibus) ante eius expirationem alterutra vel utraque pars manifestaverit in scriptis suam voluntatem recedendi a conventione.

Nota. Non requiritur ut conventio proponatur S. Sedi pro approbatione; mutuo consensu mutari vel prorogari potest etiam sine interventu S. Sedis. Quando oritur conflictus patet recursus ad S. Sedem.

Pro Dioecesi N. N., *Ordinarius loci.* Pro Instituto N. N., *Superior Provincialis* (et - vel *Superior Generalis*).

Adn. M. CLEMENTI in BiM 32 (1968) 271-294; I. LEE in CpR 51 (1970) 34-54, 151-167, 238-258; 52 (1971) 43-59, 167-187; E. PECORAIO in ME 95 (1970) 507-534; AOFMCap 87 (1971) 110.

3722

1969 MAR 6.-PAULUS VI, CONST. AAS 61 (1969) 761-764

VICARIATUS CASTRENSIS AUSTRALIAE ERIGITUR

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei - Ad perpetuam rei memoriam

Summi Pastoris qui munere fungimur, nihil hoc sanctius agitamus in mente quam ut omnibus populis sacratissimam Christi religionem tradamus et peculiares fidelium coetus opportunis instruamus spiritualibus auxiliis. Quam ob rem, cum Conferentia Episcopalis Australiana, instante venerabili Fratre Thoma McCabe, Episcopo Vollongensi et adhuc pro spirituali militum australianorum cura «Director» seu «Inspector», enixe postulaverit ut pro christifidelibus exercitus Australiae Vicariatus Castrensis constitueretur, Nos, de sententia Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando, post auditum venerabilem Fratrem Dominicum Enrici, Archiepiscopum tit. Ancusensem atque in Australia et Papuasia-Nova Guinea Apostolicum Delegatum, deque suprema Nostra potestate haec quae sequuntur decernimus atque iubemus. Suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, his praesentibus Nostris Litteris / *Vicariatum Castrensem Australiae* erigimus et constituimus; qui constabit: Vicario 762
Castrensi, tribus cappellanis maioribus pro copiis terrestribus et aëriae ac navalis classis, necnon cappellanis minoribus, qui militum cappellani nuncupabuntur. Sedes Vicariatus Castrensis eiusque Curiae Camberrae statuimus; quae ad instar Curiae dioecesanae efformabitur et ad eam pertinebunt: Vicarius Generalis, Cappellani maiores seu Vicarii quasi-episcopales, consultores ceterique administri qui, iudicio Vicarii Castrensis, necessarii videantur. A causis non ab Apostolica Sede reservatis et in prima instantia pertractatis coram iudicio Vicarii Castrensis, fiat appellatio ad Metropolitam seu Archiepiscopum, semel pro semper electum, praehabita S. C. de Propaganda Fide approbatione. Vicario autem Castrensi, a Nobis per decretum eiusdem Congregationis eligendo et episcopali seu archiepiscopali dignitate cohonestando, iurisdictio ordinaria erit, personalis, tum fori interni tum fori externi, specialis et cumulativa cum iurisdictione Ordinariorum locorum, ad normam Instructionis «Sollemne semper» seu de «Vicariis Castrensibus» a Sacra Congregatione Consistoriali, die vigesimo tertio mensis aprilis, anno Domini MCMLI editae [LE 2208]. In stationibus seu praesidiis militaribus primo et principaliter Vicarius Castrensis iurisdictionem exercet, secundo, quoties scilicet Vicarius Castrensis eiusque cappellani absint vel desint, etiam extra Australiam, semper autem iure proprio, Ordinarius loci atque parochus, initis, quatenus opus erit, consiliis cum Vicario Castrensi et militum ducibus. Eidem autem facultatem tribuimus constituendi Vicarium Delegatum seu pro-Vicarium Castrensem, cui, congrua congruis referendo, munia conferantur quibus C. I. C. Vicarium Generalem instruit. Vicarii Castrensis iurisdictioni subdantur; — Sacerdotes saeculares et regulares qui munus cappellani militum, in bonum animorum, apud Australiae copias legitime exerceant; — universi christifideles qui in copiis terrestribus seu aëriae et navalis classis, Australianae nationis, actu stipendia faciunt; omnes pariter fideles qui memoratis copiis addicantur, dummodo legibus pro iisdem latis adstringantur; — familiae eorum qui supra memorantur, seu uxores, liberi, famuli, propinqui et necessarii qui cum illis in stationibus militaribus cohabitent vel extra patriam

eosdem comitentur; — omnes utriusque sexus fideles qui in nosocomiis, eorumque accessionibus vel scholis militaribus addicti sint et ibidem cohabitent; — omnes tandem christifideles qui intra copiarum stationes habitent. Cappellanos
763 omnes constituet, servatis ser/vandis, Vicarius Castrensis; Cappellanos autem maiores necessariis et opportunis facultatibus pro copiis regendis, ad instar Vicariorum Episcopalium instruet. Militum cappellani animorum sibi commissorum curam gerent ad normam memoratae Instructionis «Sollemne semper». Cappellani militum sive maiores sive minores, quoad ecclesiasticam disciplinam Vicario Castrensi omnino subdantur, sed potestati quoque Ordinarii loci, in quo versari contingat, subiciantur. Huic ergo in casibus urgentioribus et quoties Vicarius Castrensis providere non possit, fas est in eos animadvertere etiam canonicis sanctionibus, si casus ferat, monito confestim Vicario Castrensi Quoad militum cappellanos religiosos, si forte adsint, adamussim servetur Instructio «de Cappellanis militum religiosis» a Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, die secundo mensis februarii anno Domini MCMLV edita [LE 2478], nisi in casibus specialibus a S. C. pro Gentium Evangelizatione aliter provideatur. Cappellani valide et licite audire poterunt confessiones quorumlibet ad se accedentium in locis militibus reservatis, et etiam extra hos locos, nisi Ordinarius loci id iisdem expresse negaverit. Ad matrimonium quod attinet subditorum Vicariatus Castrensis districte servetur praescriptum canonis 1097, 2 C. I. C., id est «pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset», et accurate expleantur actus qui, ad normam iuris, celebrationem matrimonii praecedere et subsequi solent. In conficienda Relatione de statu Vicariatus Castrensis quae singulis quinquennliis Apostolicae Sedi exhibenda est, Vicarius Castrensis quaesitis respondeat iuxta ea quae in «Formula servanda» praescripta sunt a S. C. Consistoriali die vigesima mensis octobris, anno Domini MCMLVI, statuta. [LE 2603] Vacante officio Vicarii Castrensis, nisi aliter ab Apostolica Sede provisum fuerit, eius munus devolvetur ad pro-Vicarium, si adfuerit; secus ad Cappellanum maiorem qui ad normam can. 106, 3 C. I. C. praecedit. Qui autem huiusmodi munus assumpserit facultatibus fruatur atque oneribus adstringatur quae ius commune, congrua congruis referendo, Vicario Capitulari tribuit. Eiusdem praesertim erit de assumpto officio S. C. de Propaganda Fide certiorem facere ab eaque instructiones impetrare. Ceterum haec omnia quae mandavimus ad exitum adducat venerabilis Frater Dominicus Enrici, cuius meminimus, vel quem ipse delegaverit. Rebus vero factis, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad S. C. de Propaganda
764 Fide cito mittantur. /

Hanc autem Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse volumus, contrariis minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius.* Gregorius P. Card. AGAGIANIAN, *S. Congr. pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide Praefectus.* Franciscus Tinello, *Apostolicam Cancellariam Regens.* Ioannes Calleri, *Proton. Apost.* Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

3723

1969 MAR 8.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 61 (1969) 306-307

INTERNUNTIATURA APOSTOLICA AETHIOPIAE AD DIGNITATEM ET GRADUM NUNTIATURAE EVEHITUR

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Ex quo tempore haud sine divino consilio in summum sumus christiani sacerdotii fastigium provecti, ex eo sane tempore, id quod cum officii Nostri natura maxime congruit, in nullam rem, in negotium nullum cogitationem curamque Nostram magis convertimus, quam in sanctissimam Christi religionem intendendam, propagandam, tuendam, utpote qua nihil carius, sanctius, sollemnius habeamus, nihil necessarium hominibus ad aeternae atque immortalis vitae bona comparanda. Quam ob rem, cum Internuntiaturam Apostolicam Aethiopiae ad gradum et dignitatem Nuntiaturae evehere visum sit, Nos, re bene reputata, proque certo habentes id nonnisi cum utilitate et decore Ecclesiae fieri, motu proprio, certa
307 scientia ac matura / deliberatione Nostra, harum Litterarum vi Nostraque item auctoritate, Internuntiaturam Apostolicam *Aethiopiae* in Nuntiaturam Apostolicam, sedem etiam eandem confirmantes, redigimus; cui profecto omnia iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta deferimus, quae huiusmodi Legationum propria sunt, certa spe freti hanc animi Nostri testificationem religioni provehendae esse conducturam. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; ipsique Apostolicae Nuntiaturae Aethiopiae, sic a Nobis erectae, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die octavo mensis martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto. Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius.* Franciscus Tinello, *Apostolicam Cancellariam Regens.* Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.* Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

3724

1969 MAR 8.-SC GENTIUM EVANG., DECLARATIO. PART.*

INSTRUCTIO «RENOVATIONIS CAUSAM» AD INSTITUTA A S. C. PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE DEPENDENTIA EXTENDITUR

Roma, 18 marzo 1969

Reverendissimo Padre, Mi reco a premura di significarLe che questo Sacro Dicastero ha fatto propria la recente Istruzione «Renovationis causam» della Sacra Congregazione per i Religiosi e gli Istituti Secolari.

Pertanto la suddetta Istruzione è pienamente valida anche per il Suo Istituto dipendente da Propaganda.

Nel rimetterLe, qui accluso, un esemplare in italiano del suddetto documento, profitto ben volentieri della circostanza per porgerLe distinti ossequi.—G. P. Card. AGAGIANIAN, *Praef.* Sergio Pignedoli, *Segr.*

* CpR 49 (1970) 83.

3725

1969 MAR 19.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 61 (1969) 149-153

PROCESSUS DE CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS APTIUS ORDINANTUR

PAULUS PP. VI

Sanctitas clarior in dies altiorque est mysterii Ecclesiae declaratio et significatio, donec haec, plenam in caelis compaginem assecuta, *in summa caritatis beatitudine adorabit Deum et Agnum qui occisus est* [1].

Ipse autem benignissimus Deus, qui est omnis sanctitatis et fons et corona et gloria, in Ecclesia semper nova instaurat exempla virtutum, atque in vita eorum qui, *humanitatis nostrae consortes, ad imaginem tamen Christi perfectius transformantur... praesentiam vultumque suum hominibus vivide manifestat* [2] praeclarumque in iis signum praebet Regni sui, ut ad illud adipiscendum, *magna imposita nube testium* [3], nos potenter alliciat.

Nihil ergo mirum, si Concilium Vaticanum II, de mysterio agens Ecclesiae, praestantissimam hanc sanctitatis notam, cui ceterae arcte conectuntur, in pleniore luce collocavit, cunctosque christifideles cuiusvis condicionis vel ordinis ad vitae / christianae plenitudinem et caritatis perfec- 150
tionem etiam atque etiam advocavit [4]; quae quidem ad sanctitatem invitatio peculiarissima habetur tamquam proprietas ipsius conciliaris magisterii eiusque veluti ultimus finis.

Dum vero sanctitatem omnium fidelium pro viribus Ecclesia fovere studet, iisdem vera sanctitatis exempla ante oculos proponere numquam intermittit, martyres scilicet aliosque viros et mulieres heroicarum, quas appellant, vir-

[1] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 51. *A. A. S.* 57, 1965, p. 58 [LE 3232]. [2] *Ibid.*, n. 50, p. 56. [3] Cfr. *Hebr.* 12, 1. [4] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*,

http://www.obrascatolicas.com

tutum laude insignes, quorum ut *et conversationem exemplum, et communione consortium, et intercessione subsidium* [8] assequantur magnopere enititur.

Ut vero praeclara huiusmodi sanctitatis exempla probe dignoscantur, atque sua sincera luce plene resplendeant, canonicae pervestigationes necessariae sunt, summo quidem studio ac sedulitate, prouti rei gravitas postulat, peragendae, quas Decessores Nostri, in primis f. r. Benedictus XIV, sapientissimis, pro suorum temporum ratione, communierut inlegbus, in Codicem Iuris Canonici postea receptis. Sed mutatis moribus vitaeque adiunctis, congruum et consentaneum visum est inquisitionis, quam diximus, viam ac rationem recognoscere, atque ad nostri huius temporis necessitates accommodare, ut, suprema Summi Pontificis cum Episcoporum auctoritate efficaciter consociata, planius et expeditius fiat iter ad causas beatificationis et canonizationis Servorum Dei instruendas.

Quapropter, rebus diligentissime perpensis, motu proprio et auctoritate Nostra Apostolica, haec quae sequuntur statuimus atque decernimus.

I—De episcoporum cum summo pontifice consociata actione in processibus instruendis

1. In iure, hucusque vigenti, duplicis ordinis Processus quoad Beatificationem Servorum Dei servabantur: alii enim erant *Ordinarii*, ab Episcopis scilicet seu locorum Ordinariis / iure proprio, ex demandata in canonibus auctoritate, 151
instructi (cc. 1999, § 3; 2038, §§ 1 et 2, 1.-3.); alii *apostolici* (cc. 2087-2097), auctoritate nempe a Sancta Sede delegata et sub ipsius moderamine instructi (cc. 2088-2100).

In posterum vero, in Causis procedentibus per viam ordinariam *non cultus*, unicus instituetur Processus cognitionalis seu ad colligendas probationes, qui in duplici auctoritate consistet: in *ordinaria* nempe demandata, proprio iure exercita atque in pluribus aucta; et in *delegata* ab Apostolica Sede, quae priori addetur eamque confirmabit atque extollet.

2. Episcopis dioecesanis vel Hierarchis aliisque ipsis in iure aequiperatis, intra fines suae iurisdictionis (cc. 1999, § 3; 2038, § 2, 1.-3., 2039), sive ex officio, sive ad instantiam singulorum fidelium vel legitimorum fidelium coetuum (c. 2003, §§ 1-2) eorumdemve procuratorum (c. 2004), ius competit: inquirendi, atque, servatis praescriptis Iuris communis et peculiaribus Normis, a Sacra Rituum Congregatione ad hoc edendis, Causam aperiendi seu introducendi.

3. Antequam vero Episcopus vel Hierarcha, sive ex officio sive ad instantiam, Causam aperiat seu introducat (n. 2), Sancta Sedes consulenda est, validis idoneisque suppeditatis argumentis, quibus Causa ipsa legitimo solidoque fundamento innixa cognoscatur.

Postea Sancta Sedes, omnibus perpensis, decernet utrum nihil obsit Causae aperiendae seu introducendae.

II—De cursu processus

4. Venia Sanctae Sedis habita, Episcopus aut Hierarcha, lato Decreto, Causam valet aperire vel, si id in Domino expedire existimaverit, in opportunius tempus eam differre, aut etiam eadem supersedere.

Quidquid tamen statuerit, de consilio a se suscepto Sanctam Sedem certiorem facere ne omittat.

5. Processus complectitur inquisitionem: 1° super Servi
152 Dei scriptis; / 2° super eiusdem vita et virtutibus, vel martyrio, necnon super *non cultu*.

6. Processu absoluto, eiusdem Acta ad Sacram Rituum Congregationem mittantur.

7. Sacra Rituum Congregatio, Actis Processus diligenti examine cognitis, si quae addenda vel complenda videantur, vel ea ab Episcopo aut Hierarcha requirat, vel ex officio ipsa compleat (cf. Const. *Regimini Ecclesiae universae*, n. 62, § 2, 1)[LE 3588].

8. Quoad asserta miracula ad Beatificationem et Canonizationem iure requisita, Episcopus vel Hierarcha, antequam de iisdem inquirat, brevem et accuratam facti relationem mittat ad Sacram Rituum Congregationem, ut ab ea opportunam instructionem obtineat.

nn. 40-42: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 44-47. [8] Ex *Praefatione*, quibusdam dioecesibus concessa.

Inquisitio de assertis miraculis ab inquisitione de virtutibus vel de martyrio separatim fiat.

III—De tribunalibus ad processum instruendum

9. Episcopus vel Hierarcha, ad normam Iuris competens, omnia potest agere quae ad instruendum Processum necessaria sunt. Ab eodem, vel ipsius nomine, pertractanda sunt quae ad Causam aperiendam, seu introducendam pertinent, Sede Apostolica annuente (cfr. nn. 2, 3).

10. § 1. Ad Processus aptius instruendos, Episcoporum Conferentia alicuius Nationis vel Regionis facultate fruitur, vi harum Litterarum Apostolicarum, erigendi Tribunalia territorialia specialia ad hoc constituta pro territoriis suae iurisdictioni subiectis; quae tamen Sedis Apostolicae recognitione indigent.

§ 2. Haec Tribunalia territorialia sunt Provincialia, vel Interprovincialia, vel Nationalia, prouti erecta fuerint pro aliqua tantum Provincia ecclesiastica, vel pro pluribus Provinciis ecclesiasticis alicuius regionis, vel pro toto territorio ecclesiastico alicuius Nationis.

§ 3. Constitutio Tribunalis territorialis est obligatoria,/ 153
si dioeceses territorii, de quo agitur, careant Officialibus ad proprium Tribunal dioecesanum apte constituendum.

11. Episcoporum Conferentiae erit: 1.° Tribunalia territorialia erigere, assignata unicuique Tribunali opportuna circumscriptione; 2.° Sedem Tribunalis territorialis determinare; 3.° Uniuscuiusque Tribunalis praesidem eligere, ad quinquennium.

12. Coetus Episcoporum Provinciae aut Regionis, de quibus agitur, erit: 1.° Erectionem Tribunalis territorialis Episcoporum Conferentiae proponere; 2.° Praesidis nomen eidem Conferentiae praesentare; 3.° Ceteros Officiales Tribunalis territorialis, ad quinquennium, eligere.

13. Tribunal territoriale legitime constitutum potestatem iudicialem obtinet in toto territorio sibi assignato, quoad omnes instruendos Processus, quos Episcopi, de quibus supra, eidem commiserint.

14. Licet cuilibet Episcopo dioecesano territorii, quod commemoravimus, instructionem omnium Processuum Causarum Beatificationis Servorum Dei et Canonizationis Beatorum suae dioecesis Tribunali territoriali, si libet, committere, tunc etiam cum in sua Curia Tribunal rite constituere potest.

15. Integrum tamen manet Episcopi ius, etiam Tribunali territoriali legitime constituto, eosdem Processus in propria Curia instruendi, dummodo proprium Tribunal idoneis Officialibus, etiam extra dioecesim quaesitis, constituere valeat.

Quae vero a Nobis hisce Litteris, motu proprio datis, statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIX mensis Martii, in festo S. Ioseph, B. Mariae Virginis Sponsi, anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri sexto.—Paulus PP. VI.

Adn. G.-F. ANTONELLI in **Doc. Cath.** 66 (1969) 408-409; E. F. REGATILLO in **Sal terrae** 57 (1969) 801-804. P. DE LETTER in **The Clergy Monthly** 33 (1969) 357-358.

3726

1969 MAR 19.-SC RITUUM, DECRETUM. PART.*

Ordo celebrandi matrimonium recognitus approbatur

I—DECRETUM APPROBATIONIS

Ordo celebrandi Matrimonium ad normam decretorum Constitutionis de sacra Liturgia recognitus, quo ditior fieret et clarius gratiam sacramenti significaret atque munera conlugum inculcaret, a Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia est apparatus. Summus autem Pontifex Paulus VI eundem ritum Auctoritate Sua Apostolica approbavit et evulgari iussit. Quapropter haec Sacra Rituum Congregatio, de speciali mandato Summi Pontificis, illum promulgat, statuens ut a die 1 Iulii 1969 adhibeatur. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus S. Congregationis Rituum, die 19 martii 1969, in sollemnitate S. Joseph, Sponsi B. M. V.—Benno Card. Gut, *Praefectus S. Congr. Rituum et Consilii Praeses*. Ferdinandus Antonelli, Archiep. tit. Idicrensis, *S. C. R. a Secretis*.

II—PRAENOTANDA

De momento et dignitate sacramenti Matrimonii

1. Matrimonii Sacramento mysterium unitatis et fecundi amoris inter Christum et Ecclesiam coniuges christiani significant atque participant; [1] ideoque tum in vita coniugali amplectenda, tum in prole suscipienda atque educanda se invicem ad sanctitatem adiuvant, et in populo Dei suum et ipsi habent locum propriumque donum. [2]

2. Coniugii foedere, seu irrevocabili utriusque consensu, quo coniuges libere sese mutuo tradunt excipiuntque, Matrimonium instauratur. Plenam autem coniugum fidem necnon indissolubilem vinculi unitatem tum ipsa singularis viri mulierisque exigit unio, tum bonum expostulat liberorum. Quod ut Christus Dominus et clarius significaret et facilius redderet, indissolubilem coniugii pactionem, ad exemplar sui nuptialis cum Ecclesia foederis, ad Sacramenti dignitatem evexit. [3]

3. Coniuges ergo christiani, indivisa dilectione, quae e divino scatet caritatis fonte, coniugium suum nutrire satagant atque fovere, quatenus divina simul et humana sociantes, inter prospera et adversa, et corpore et mente fideles perseverent. [4]

4. Indole autem sua naturali, ipsum institutum Matrimonii amorque coniugalis ad procreationem et educationem prolis ordinantur, iisque veluti suo fastigio coronantur; filiique sane sunt praestantissimum Matrimonii donum et ad ipsorum parentum bonum maxime conferunt. Quare coniuges christiani, haud quidem posthabitis ceteris Matrimonii finibus, forti animo dispositi sint ad cooperandum cum amore Creatoris atque Salvatoris, qui per eos suam familiam in dies dilatat et ditat. [5]

5. Principia doctrinalia de quibus supra prae oculis habeant animarum pastores tum in catechesi ad nupturientes tradenda, tum in homilia infra celebrationem Matrimonii habenda, servata tamen connexione cum textu sacrae lectionis. [6]

Ad nupturientes, his fundamentalibus elementis doctrinae christianae pro opportunitate in mentem revocatis, fiat catechesis tum de doctrina circa Matrimonium et familiam, tum de Sacramento eiusque ritibus, precibus et lectionibus, ita ut sponsi illud conscie et fructuose celebrare queant.

6. Celebrationis Matrimonii (quae de more intra Missam habenda est) praecipua elementa eluceant, nempe liturgia verbi, in qua significatur momentum Matrimonii christiani in historia salutis eiusque munera et officia in coniugum et liberorum sanctificatione curanda; consensus contrahentium, quem requirit excipitque sacerdos assistens; veneranda illa oratio super sponsam, qua sacerdos benedictionem Dei invocat super coniugale foedus; Communio denique eucharistica utriusque sponsi ceterorumque adstantium, qua praesertim alitur caritas atque ad communionem cum Domino et inter nos elevamur. [7]

7. Imprimis pastores foveant nutriantque fidem nupturientium: Sacramentum enim Matrimonii fidem supponit atque expostulat.[8]

De ritu adhibendo

8. Si Matrimonium fit inter partem catholicam et partem baptizatam acatholicam, adhiberi debet ritus celebrandi Matrimonium sine Missa (nn. 39-54). Si autem casus ferat, et de consensu Ordinarii loci, adhiberi potest ritus celebrandi Matrimonium intra Missam (nn. 19-38), exclusa Communione eucharistica partis acatholicae lege generali non admissa.

Si Matrimonium fit inter partem catholicam et partem non baptizatam, adhiberi debet ritus qui infra (nn. 55-66) habetur.

9. Specialem insuper rationem habeant pastores de iis qui occasione Matrimonii liturgicis celebrationibus assistunt vel Evangelium audiunt, sive sunt acatholici sive catholici qui Eucharistiam numquam vel vix umquam participant, vel fidem amisisse videntur: sunt enim sacerdotes ministri Evangelii Christi pro omnibus.

10. In celebratione Matrimonii, praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caeremoniis, sive in exterioribus pompis habeatur acceptio.[9]

11. Quoties Matrimonium intra Missam celebratur, dicitur, cum sacris vestibus coloris albi, Missa «Pro Sponsis». Occurrente tamen dominica vel sollemnitate, dicitur Missa de die, retentis in ea benedictione super sponsam et sponsum atque, pro opportunitate, formula propria benedictionis finalis.

Cum tamen liturgia verbi celebrationi Matrimonii aptata magnam vim habeat in catechesi de ipso Sacramento et de muneribus coniugum tradenda, quando Missa «Pro Sponsis» prohibetur (nisi occurrant Triduum sacrum, sollemnitates Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes et SS.mi Corporis Christi, vel aliae sollemnitates de praecepto servandae), una e lectionibus sumi potest e textibus pro celebratione Matrimonii praevisis (nn. 67-105). In dominicis insuper temporis Nativitatis et «per annum» si missa in qua celebratur Matrimonium a communitate paroeciali non participatur, dici potest etiam integra Missa «Pro Sponsis».

Si Matrimonium celebratur tempore Adventus vel Quadragesimae aliisve diebus indolem paenitentialem praeseferentibus parochus sponsos moneat ut rationem habeant peculiaris naturae horum temporum liturgicorum.

De Ritualibus particularibus parandis

12. Firma manente facultate de qua infra, sub n. 17, in regionibus in quibus Rituale Romanum Matrimonii viget, Ritualia particularia singularum regionum consuetudinibus et necessitatibus aptata parentur, ad normam art. 63 b et 77 Constitutionis de sacra Liturgia, actis ab Apostolica Sede recognitis.

In aptationibus apparandis, prae oculis habeantur ea quae sequuntur:

13. Formulae Ritualis Romani aptari possunt vel, si casus fert, compleri (etiam quaestiones ante consensum et ipsa verba consensus).

Quando Rituale Romanum plures exhibet formulas ad libitum, Ritualia particularia possunt etiam alias formulas eiusdem generis adicere.

14. In ritu Sacramenti Matrimonii proprie dicto, ordo partium accommodari potest, omissis etiam, si opportunius videbitur, quaestionibus ante consensum, sed firma lege ut sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.

15. Traditione anulorum expleta, attentis locorum consuetudinibus, haberi potest vel coronatio sponsae, vel eius velatio.

Sicubi iunctio manuum vel benedictio vel traditio anulorum cum ingenio populorum componi nequeunt, possunt Conferentiae Episcopales statuere ut hi ritus omittantur, vel aliis ritibus suppleantur.

16. In usibus et modis celebrandi Matrimonium vigentibus apud populos, qui nunc primum Evangelium recipiunt, quidquid honestum est, nec indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque adstipulatur, benevole perpendatur ac, si fieri potest, sartum tectumque servetur, immo in ipsam etiam Liturgiam admittatur, dummodo cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat.[10]

De facultate exarandi ritum proprium

17. Unaquaeque Conferentia Episcopalis facultatem habet exarandi ritum proprium Matrimonii, locorum et populorum usibus congruentem, actis ab Apostolica Sede probatis: firma tamen lege ut sacerdos assistens requirat excepiatque contrahentium consensum [11] et benedictionem nuptialem impertiatur.[12]

18. In populis apud quos caeremoniae Matrimonii ex consuetudine in domibus habentur, etiam per plures dies, oportet illas ad spiritum christianum ac liturgicum aptare. Quo in casu, potest Conferentia Episcopalis, iuxta necessitates pastorales populorum, statuere ut ipse ritus Sacramenti in domibus celebrari possit.

[*Sequuntur ritus liturgici et formulae deprecationum*].

[1] Cf. *Eph.* 5, 32. [2] Cf. 1 *Cor.* 7, 7; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 11 [LE 3232]. [3] Cf. Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, n. 48 [LE 3366]. [4] Cf. *Ibid.*, nn. 48, 49. [5] Cf. *Ibid.*, nn 48, 50. [6] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 52 [LE 3141]; S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 54: *A. A. S.* 56 (1964) p. 890 [LE 3217]. [7] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem*, n. 3 [LE 3146]; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 12 [LE 3232]. [8] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 59 [LE 3141]. [9] Cf. *Ibid.*, n. 32.

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 37 [LE 3141]. [11] Cf. *Ibid.*, n. 77. [12] Cf. *Ibid.*, n. 78.

* Prot. N. R. 23/969, **Ordo celebrandi matrimonium**, Typis Poliglottis Vaticanis 1969, p. 5-10. **Adn. Notit.** 5 (1969) 203-216; 6 (1970) 151-152; A. BUGNINI in **Perfice munus** 44 (1969) 269-274; B. FISCHER in **La Maison-Dieu** n° 99 (1969) 154-159; P.-M. GY in **La Maison-Dieu** n. 99 (1969) 124-143; B. NEWNS in **CR** 54 (1969) 895-900; 58 (1971) 535-540; S. MAZZARELLO in **EL** 83 (1969) 251-277; V. RAFFA in **ME** 95 (1970) 29-32.

3727

1969 MAR 21.-SC RITUUM, DECRETUM. PART.*

Ordinatio anni liturgici et novum Calendarium liturgicum approbantur

Anni liturgici ordinatione atque generali Calendario Romano a Summo Pontifice Paulo PP. VI approbatis, per Litteras Apostolicas *Mysterii paschalis celebrationem* die 14 Februarii 1969 motu proprio datas [LE 3717], Sacra haec Congregatio, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis ea promulgat, statuens ut a die 1 ianuarii proximi anni 1970 vigere incipiant.

Dum vero novum Breviarium novumque Missale, ad normam Constitutionis de sacra Liturgia instaurata exspectantur, novum Calendarium generale libris liturgicis in praesens vigentibus aptandum est prout sequitur:

a) Dies liturgici qui *Sollemnitates* inscribuntur tamquam festa I classis celebrentur; qui autem *Festa* nominantur tamquam festa II classis; qui *Memoriae* appellantur, tamquam festa III classis. Si vero hae Memoriae in feriis Adventus a die 17 ad diem 24 Decembris, diebus infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimae occurrunt, eorum celebratio fiat ad libitum et tantummodo ad modum commemorationis in fine Laudum cum antiphona, versu et oratione. In ordinanda celebratione feriarum, normae serventur hactenus vigentes.

http://www.obrascatolicas.com

b) Festa Baptismatis Domini, et D. N. I. C. universorum Regis diebus noviter ipsis assignatis celebrentur; festum vero S. Familiae dominica infra octavam Navitatis, iam hoc anno recolatur.

c) Festa quae e Calendario generali sunt expuncta, in universo ritu romano amplius non celebrentur; retineantur tamen si ad Calendaria pertinent particularia;

d) Sancti, qui in novo Calendario memoria ad libitum recensentur, hac eadem ratione recolantur. Eorum autem celebratio fiat ad modum festorum III classis; si vero in feriis Adventus a die 17 ad diem 24 Decembris, diebus infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimae occurrunt, fiat ad modum commemorationis in fine Laudum cum antiphona, versu et oratione.

e) Sancti, qui in Calendario generali instaurato alii diei ac nunc assignantur, eo celebrari pergant die quo, apud hodiernos libros liturgicos, recensentur;

f) Sancti, qui noviter in Calendario instaurato inscripti sunt, memoria ad libitum recolantur, adhibitis textibus e Communi vel Missa inter eas exstante, quae in Missali pro aliquibus locis assignantur.

Quapropter, Calendario generali instaurato additur schema eiusdem Calendarii generalis, ad interim, idest usque ad promulgationem novorum librorum liturgicorum, adhibendum.

Instaurato denique Calendario generali, consentaneum visum est etiam Litanias Sanctorum recognoscere. Duplex proinde evulgatur schema Litaniarum, longius alterum, in publicis supplicationibus et in processionibus adhibendum, alterum brevius, in ritibus usurpandum, qui in Missae celebrationem inseruntur.

Haec autem Litaniarum schemata, quae libere statim adhiberi possunt, a die 1 Ianuarii 1970 obligatoria erunt.

Omnes autem ad quos pertinet, Calendaria atque Officiorum et Missarum Propria, sive dioecesana sive religiosa, novo Calendario generali conformare studeant, prae oculis habitis normis ad ordinationem anni liturgici spectantibus. Huiusmodi vero Calendaria et Propria, ab Apostolica Sede probanda, tunc valere incipient, quando Missale et Breviarium instaurata vigorem habebunt.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Ex aedibus S. Congregationis Rituum, die 21 Martii 1969.—Benno Card. Gut, *S. C. R. Praefectus et «Consilii» Praeses.* Ferdinandus Antonelli, Archiep. tit. Idicrensis, *S. C. R. a Secretis.*

* Calendarium Romanum, Typis Poliglottis Vaticanis 1969, p. 5-8. Adn. in Calendarium Romanum, cit., p. 51-177; R. GAZEAU in EL (1963) 389-417; O. STEVENS in EL 76 (1962) 418-422.

3728

1969 MAR 21.-SC RITUUM, NORMAE. PART.*

Normae universales de Anno liturgico et de calendario

Caput. I—De anno liturgico

1. Christi opus salutiferum sancta Ecclesia, statis diebus per anni decursum, sacra recordatione celebrat. In unaquaque hebdomada, die quae dominica appellatur, memoriam agit Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, maxima Paschae sollemnitate, una cum beata eius Passione frequentat. Per anni vero circulum Christi totum mysterium explicat natalitiaque Sanctorum commemorat.

Variis autem anni liturgici temporibus, iuxta traditas disciplinas, Ecclesia fidelium eruditionem perficit, per pias animi et corporis exercitationes, instructionem, precationem, paenitentiae et misericordiae opera.[1]

2. Principia quae sequuntur tum ad ritum romanum tum ad omnes alios ritus applicari possunt ac debent, normae tamen practicae solum ritum romanum spectare intellegendae sunt, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.[2]

Tit. I—De diebus liturgicis

I. *De die liturgico in genere*

3. Unusquisque dies sanctificatur liturgicis populi Dei celebrationibus, praesertim vero Sacrificio eucharistico et Officio divino.

Dies liturgicus decurrit a media nocte ad mediam noctem. Celebratio vero dominicae et sollemnitatum incipit iam vespere diei praecedentis.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 102-105; A. A. S. 56 (1964) pp. 125-126 [LE 3141]. [2] *Cf. ibid.*, n. 3: A. A. S. 56 (1964) p. 98.

II. *De dominica*

4. Primo uniuscuiusque hebdomadae die, quae dies Domini seu dies dominica nuncupatur, Ecclesia, ex traditione apostolica, quae originem ducit ab ipsa die Resurrectionis Christi, mysterium paschale celebrat. Itaque dominica uti primordialis dies festus haberi debet.[1]

5. Propter suum peculiare momentum, dominica suam cedit celebrationem solummodo sollemnitatibus, necnon festis Domini; dominicae vero Adventus, Quadragesimae et Paschae super omnia festa Domini et super omnes sollemnitates praecedentiam habent. Sollemnitates autem in his dominicis occurrentes, sabbato anticipantur.

6. Dominica excludit per se assignationem perpetuam alius celebrationis. Attamen: *a)* Dominica infra octavam Nativitatis Domini, fit festum S. Familiae; *b)* Dominica post diem 6 Ianuarii, fit festum Baptismatis Domini; *c)* Dominica post Pentecosten, fit sollemnitas Ss.mae Trinitatis; *d)* Dominica ultima «per annum», fit sollemnitas D. N. I. C. universorum Regis.

7. Ubi autem sollemnitates Epiphaniae, Ascensionis et Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi non sunt de praecepto servandae, assignentur dominicae tamquam diei proprio, hac ratione: *a)* Epiphania, dominicae a die 2 ad diem 8 Ianuarii occurrenti; *b)* Ascensio, dominicae VII Paschae; *c)* Sollemnitas Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, dominicae post Ss.mam Trinitatem.

III. *De sollemnitatibus, festis et memoriis*

8. Anni circulo, Ecclesia, mysterium Christi celebrando, etiam beatam Dei Genetricem Mariam cum peculiari amore veneratur, memoriasque Martyrum aliorumque Sanctorum pietati fidelium proponit.[1]

9. Sancti qui momentum universale prae se ferunt in Ecclesia universa obligatorie celebrantur; ceteri, aut in calendario inscribuntur ad libitum tamen celebrandi, aut particulari cuique Ecclesiae, vel nationi, vel religiosae familiae, relinquuntur colendi.[2]

10. Celebrationes, iuxta momentum quod ipsis tribuitur, ita inter se distinguuntur et nominantur: sollemnitas, festum, memoria.

11. Sollemnitates inter dies praecipuos adnumerantur, quorum celebratio incipit a I Vesperis, die praecedenti. Nonnullae sollemnitates etiam Missa propria vigiliae ditantur, vespere diei praecedentis adhibenda, si Missa horis vespertinis celebratur.

12. Summarum sollemnitatum Paschae et Nativitatis celebratio per octo dies continuos protrahitur. Utraque octava legibus propriis ordinatur.

13. Festa intra fines diei naturalis celebrantur; proinde non habent I Vesperas, nisi de festis Domini agitur quae in dominicis «per annum» et temporis Nativitatis occurrunt et pro earum Officio substituuntur.

14. Memoriae sunt obligatoriae vel ad libitum; earum autem celebratio cum celebratione feriae occurrentis componitur secundum normas, quae in Institutionibus generalibus de Missa et de Officio divino exponuntur.

Memoriae vero obligatoriae, quae occurrunt in feriis Quadragesimae, solummodo tamquam memoriae ad libitum celebrari possunt.

Si eodem die plures inscribuntur in calendario memoriae ad libitum, una tantum celebrari potest, omissis ceteris.

15. In sabbatis «per annum», in quibus non occurrat memoria obligatoria, fieri potest memoria ad libitum de beata Maria Virgine.

IV. *De feriis*

16. Hebdomadae dies, qui post dominicam decurrunt, feriae nuncupantur; diversa tamen ratione celebrantur, iuxta momentum ipsis proprium:

a) Feria IV Cinerum et feriae Hebdomadae sanctae, a feria II ad feriam V inclusive, omnibus aliis celebrationibus praeferuntur.

b) Feriae Adventus, a die 17 ad diem 24 decembris inclusive, et omnes feriae Quadragesimae memoriis obligatoriis praeferuntur.

c) Ceterae feriae omnibus sollemnitatibus et festis cedunt et cum memoriis componuntur.

Tit. II—De anni circulo

17. Totum Christi mysterium per anni circulum ab Ecclesia recolitur, ab Incarnatione usque ad diem Pentecostes et ad exspectationem adventus Domini.[1]

I. *De Triduo paschali*

18. Cum vero humanae redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus adimpleverit Christus praecipue per suum paschale mysterium, quo mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit, sacrum paschale Triduum Passionis et Resurrectionis Domini uti totius anni liturgici

[1] *Cf. ibid.*, n. 106: A. A. S. 56 (1964) p. 126.
[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 103-104: A. A. S. 56 (1964) pp. 125-126 [LE 3141]. [1] *Cf. ibid.*, n. 111: A. A. S. 56 (1964) p. 127.
[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*,

culmen effulget.[1] Fastigium igitur, quod dies dominica habet in hebdomada, sollemnitas Paschae habet in anno liturgico.[2]

19. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini incipit a Missa vespertina in Cena Domini, habet suum centrum in Vigilia paschali, et clauditur Vesperis dominicae Resurrectionis.

20. Feria VI in Passione Domini,[1] et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato Sancto usque ad Vigiliam paschalem,[2] ubique celebratur sacrum ieiunium paschale.

21. Vigilia paschalis, nocte sancta qua Dominus resurrexit, habetur ut «mater omnium sanctarum Vigiliarum»,[1] in qua Ecclesia Christi resurrectionem vigilando exspectat, eamque in sacramentis celebrat. Ergo tota huius sacrae Vigiliae celebratio nocte peragi debet, ita ut vel incipiatur post initium noctis vel finiatur ante diei dominicae diluculum.

II. *De tempore paschali*

22. Quinquaginta dies a dominica Resurrectionis ad dominicam Pentecostes in laetitia et exsultatione celebrantur sicut unus dies festus, immo «magna dominica».[1]

Hi sunt dies in quibus praecipue cantatur Alleluia.

23. Dominicae huius temporis veluti dominicae Paschae habentur et, post dominicam Resurrectionis, dominicae II, III, IV, V, VI, VII Paschae nuncupantur; concluditur autem hoc sacrum quinquaginta dierum tempus dominica Pentecostes.

24. Octo primi dies temporis paschalis constituunt octavam Paschae et uti sollemnitates Domini celebrantur.

25. Quadragesima die post Pascha celebratur Ascensio Domini, nisi, ubi non est de praecepto servanda, VII dominicae Paschae fuerit assignata (cf. n. 7).

26. Feriae post Ascensionem usque ad sabbatum ante Pentecosten inclusive ad adventum praeparant Spiritus Sancti Paracliti.

III. *De tempore Quadragesimae*

27. Tempus Quadragesimae ordinatur ad praeparationem celebrationis Paschae: liturgia enim quadragesimalis tam catechumenos, per diversos initiationis christianae gradus, quam fideles, memoriam Baptismi recolentes et paenitentiam agentes, componit ad celebrandum paschale mysterium.[1]

28. Tempus Quadragesimae decurrit a feria IV Cinerum ad Missam in Cena Domini exclusive.

Ab initio Quadragesimae usque ad Vigiliam paschalem non dicitur Alleluia.

29. Feria IV in capite Quadragesimae, quae ubique habetur ut dies ieiunii,[1] imponuntur cineres.

30. Dominicae huius temporis appellantur dominicae I, II, III, IV, V in Quadragesima. Dominica sexta, in qua initium sumit Hebdomada sancta, dicitur «Dominica in palmis de Passione Domini».

31. Hebdomada sancta ordinatur ad recolendam Passionem Christi ab eius ingressu messianico in Ierusalem.

Feria V Hebdomadae sanctae, mane, Episcopus, Missam cum suo presbyterio concelebrans, olea sancta benedicit et chrisma conficit.

IV. *De tempore Nativitatis*

32. Post annuam mysterii paschalis celebrationem, nihil antiquius habet Ecclesia quam memoriam Nativitatis Domini et primarum eius manifestationum recolere: quod fit tempore Nativitatis.

33. Tempus Nativitatis decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad dominicam post Epiphaniam, seu post diem 6 Ianuarii, inclusive.

34. Missa in Vigilia Nativitatis adhibetur vespere diei 24 decembris sive ante sive post I Vesperas.

Die autem Nativitatis Domini, Missa ter celebrari potest, secundum antiquam traditionem romanam, scilicet in nocte, in aurora et in die.

35. Nativitas Domini suam habet octavam sic ordinatam: *a)* Dominica infra octavam, vel, ea deficiente, die 30 decembris, fit festum S. Familiae Iesu, Mariae et Ioseph. *b)* Die 26 decembris, fit festum S. Stephani, Protomartyris. *c)* Die 27 decembris, fit festum S. Ioannis, Apostoli et Evangelistae. *d)* Die 28 decembris, fit festum Ss. Innocentium. *e)* Dies 29, 30, 31 sunt dies infra octavam. *f)* Die 1 Ianuarii, in octava Nativitatis, fit Sollemnitas Sanctae Dei Genetricis Mariae, in qua commemoratur etiam impositio Ss.mi Nominis Iesu.

36. Dominica a die 2 ad diem 5 Ianuarii occurrens est Dominica II post Nativitatem.

37. Epiphania Domini celebratur die 6 Ianuarii, nisi, ubi non est de praecepto servanda, assignata sit dominicae a die 2 ad diem 8 Ianuarii occurrenti (cf. n. 7).

38. Dominica post diem 6 Ianuarii occurente, fit festum Baptismatis Domini.

n. 102: A. A. S. 56 (1964) p. 125. [1] Cf. Conc. Vat. II Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 5: A. A. S. 56 (1964) p. 99. [2] *Cf. ibid.*, n. 106: A. A. S. 56 (1964) p. 126. [1] Cf. Paulus VI, Const. Apost. *Paenitemini*, 17 febr. 1966, II § 3: A. A. S. 58 (1966) p. 184 LE 3412]. [1] Cf Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*. n. 110: A. A. S. 56 (1964) p. 127. [1] S. Augustinus, *Sermo* 219: PL 38, 1088. [2] S. Athanasius, *Epist. fest.* 1: PG 26, 1366. [1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 109: A. A. S. 56 (1964) p. 127. [1] Cf. Paulus VI, Const. Apost. *Paenitemini*, 17 febr. 1966, II § 3: A. A. S. 58 (1966) p. 184. [LE 3412].

V. *De tempore Adventus*

39. Tempus Adventus duplicem habet indolem: est enim tempus praeparationis ad sollemnia Nativitatis, in quibus primus Dei Filii adventus ad homines recolitur, ac simul tempus quo per hanc recordationem mentes diriguntur ad exspectationem secundi Christi adventus in fine temporum. His duabus rationibus, tempus Adventus se praebet ut tempus devotae ac iucundae exspectationis.

40. Tempus Adventus incipit a I Vesperis dominicae quae incidit in diem 30 novembris vel est huic vicinior, et explicit ante I Vesperas Nativitatis Domini.

41. Dominicae huius temporis nuncupantur dominicae I, II, III, IV Adventus.

42. Feriae a die 17 ad diem 24 decembris inclusive modo magis directo ad praeparationem Nativitatis Domini ordinantur.

VI. *De tempore «per annum»*

43. Praeter tempora propriam indolem habentia, triginta tres vel triginta quattuor supersunt hebdomadae per anni circulum, in quibus non celebratur peculiaris mysterii Christi aspectus; sed potius ipsum mysterium Christi in sua plenitudine recolitur, praesertim vero diebus dominicis. Huiusmodi periodus, tempus «per annum» nuncupatur.

44. Tempus «per annum» incipit feria II quae sequitur dominicam post diem 6 Ianuarii occurrentem et protrahitur usque ad feriam III ante Quadragesimam inclusive; iterum incipit feria II post dominicam Pentecostes et explicit ante I Vesperas dominicae I Adventus.

Eadem ratione adhibetur series formulariorum, quae pro dominicis et feriis huius temporis invenitur tum in Breviario tum in Missali.

VII. *De Rogationibus et Quattuor anni Temporibus*

45. In Rogationibus et Quattuor anni Temporibus, Ecclesia solet pro variis hominum necessitatibus, imprimis vero pro fructibus terrae et hominum laboribus, Domimum exorare, eique publice gratias referre.

46. Ut Rogationes et Quattuor anni Tempora diversis locorum et fidelium necessitatibus aptari possint, quoad tempus et rationem illa celebrandi a Conferentiis Episcopalibus ordinentur oportet.

De eorum proinde amplitudine celebrationis, per unum vel plures dies protrahendae, de eorum iteratione per anni decursum, normae statuantur a competenti auctoritate, attentis necessitatibus localibus.

47. Missa pro singulis diebus harum celebrationum, inter votivas eligatur, quae sit magis accommodata supplicationum proposito.

Caput II—De calendario

Tit. I—De calendario et celebrationibus in eo inscribendis

48. Ordinatio celebrationis anni liturgici calendario regitur, quod est generale vel particulare, prouti statutum est in usum totius ritus romani, vel in usum alicuius Ecclesiae particularis vel familiae religiosae.

49. In calendario generali universus cyclus celebrationum inscribitur, tum mysterii salutis in Proprio de tempore, tum eorum Sanctorum qui momentum universale prae se ferunt, et ideo obligatorie ab omnibus celebrantur, tum aliorum qui universalitatem et continuitatem sanctitatis in populo Dei demonstrant.

Calendaria vero particularia celebrationes magis proprias continent congruenti ratione cum cyclo generali organice compositas. Singulae enim Ecclesiae vel familiae religiosae Sanctos, qui ipsis sunt peculiari ratione proprii, peculiari honore prosequantur oportet.

Calendaria tamen particularia, a competenti auctoritate componenda, ab Apostolica Sede sunt probanda.

50. In componendis calendariis particularibus, ad haec attendatur:

a) Proprium de tempore, seu cyclus temporum, sollemnitatum et festorum, quo mysterium Redemptionis in anno liturgico explicatur et colitur, integer semper servetur, et debita praeminentia gaudeat super celebrationes particulares.

b) Celebrationes propriae organice cum celebrationibus universalibus componantur, attentis ordine et praecedentia in tabula dierum liturgicorum pro singulis indicatis. Ne tamen calendaria particularia plus aequo onerentur, singuli Sancti unica celebratione in anno liturgico gaudeant, servata, ubi rationes pastorales id suadeant, altera celebratione in forma memoriae ad libitum pro translatione aut inventione sanctorum Patronorum aut Fundatorum Ecclesiarum vel familiarum religiosarum.

c) Celebrationes indultae ne sint duplicatio aliarum celebrationum in cyclo mysterii salutis iam occurrentium, neque numero plus aequo augeantur.

51. Quamvis conveniat ut quaevis dioecesis suum Calendarium et Proprium Officiorum atque Missarum habeat, nihil tamen obstat quominus Calendaria et Propria habeantur universae provinciae aut regioni aut nationi, vel etiam latiori dicioni, communia, ab iis quorum interest, mutua cooperatione paranda.

Quod principium, aequa ratione, servari potest etiam in

http://www.obrascatolicas.com

calendariis religiosis pro pluribus provinciis eiusdem dicionis civilis.

52. Calendarium particulare conficitur inserendo calendario generali sollemnitates, festa et memorias quae sunt propria, idest:

a) In calendario dioecesano, praeter celebrationes Patronorum, et Dedicationis ecclesiae cathedralis, Sancti et Beati, qui cum dioecesi peculiarem habent necessitudinem, ex. gr. originis, commorationis longioris, obitus.

b) In calendario religioso, praeter celebrationes Tituli, Fundatoris et Patroni, Sancti et Beati, qui illius familiae religiosae sodales fuerunt vel cum ea peculiarem relationem habuerunt.

c) In calendario singularum ecclesiarum, praeter celebrationes proprias dioecesis aut familiae religiosae, celebrationes ipsius ecclesiae propriae, quae in tabula dierum liturgicorum recensentur, necnon Sancti quorum corpus in eadem ecclesia asservatur. Sodales autem familiarum religiosarum cum communitate Ecclesiae localis iunguntur in celebrandis anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis et Patronis principalibus loci et amplioris dicionis ubi degunt.

53. Quando aliqua dioecesis vel aliqua familia religiosa pluribus Sanctis et Beatis decoratur, cavendum est ne calendarium universae dioecesis vel universi Instituti plus aequo gravetur. Proinde:

a) Haberi potest imprimis celebratio communis omnium Sanctorum et Beatorum dioecesis vel familiae religiosae, vel alicuius ordinis eorum;

b) Singulari celebratione inscribantur calendario tantummodo Sancti vel Beati, qui peculiare momentum prae se ferunt pro universa dioecesi vel familia religiosa;

c) Ceteri Sancti et Beati celebrentur tantum iis in locis cum quibus strictiores habent necessitudines, aut ubi eorum corpus asservatur.

54. Celebrationes propriae, nisi aliter pro aliquibus earum in tabula dierum liturgicorum praevideatur, aut peculiares rationes exstent historicae aut pastorales, ut memoriae obligatoriae vel ad libitum inscribantur. Nihil tamen impedit, quominus aliquae celebrationes pro certis locis modo sollemniore fiant quam in universa dioecesi vel familia religiosa.

55. Celebrationes calendario proprio inscriptae ab omnibus qui ad illud calendarium tenentur servari debent; et nonnisi approbante Apostolica Sede e calendario expungi vel gradu mutari possunt.

Tit. II—De celebrationum die proprio

56. Sanctos consuevit Ecclesia celebrare ipsorum die natalicio: quod opportune servetur etiam in propriis celebrationibus calendario particulari inscribendis.

Attamen, etsi celebrationes propriae peculiare momentum habent pro singulis Ecclesiis particularibus vel familiis religiosis, valde tamen expedit ut, in celebrandis sollemnitatibus, festis et memoriis obligatoriis, quae in calendario generali recensentur, unitas, quantum fieri potest, habeatur.

Proinde in celebrationibus propriis calendario particulari inscribendis haec serventur:

a) Celebrationes quae etiam in calendario generali recensentur, eodem die quo ibi inscriptae sunt, calendario proprio inscribantur, mutato, si necesse est, gradu celebrationis.

Idem servetur in inscribendis celebrationibus alicui tantum ecclesiae propriis, ad calendarium dioecesanum vel religiosum quod attinet.

b) Celebrationes Sanctorum, quae in calendario generali non inveniuntur, diei natalicio assignentur. Quando vero dies natalicius ignoratur, celebratio assignetur diei alia ratione eidem Sancto proprio, ex. g. diei ordinationis, inventionis, translationis; secus diei qui in calendario particulari liber sit ab aliis celebrationibus.

c) Si vero dies natalicius vel proprius impeditur alia celebratione obligatoria, etiam inferioris gradus, in calendario generali vel particulari, assignetur proximiori diei simili ter non impedito.

d) Attamen si agitur de celebrationibus quae ob rationes pastorales ad alium diem transferri nequeunt, transferatur celebratio impediens.

e) Aliae celebrationes, quae indultae vocantur, inscribantur die aptiore sub respectu pastorali.

f) Ut autem cyclus anni liturgici plena sua luce fulgeat, neque celebrationes Sanctorum perpetuo impediantur, dies quibus plerumque tempus Quadragesimae et octava Paschae occurrunt, necnon dies a 17 ad 31 decembris, a celebrationibus particularibus liberi maneant, nisi agatur de memoriis non obligatoriis vel de festis de quibus in tabula dierum liturgicorum, n. 8 a, b, c, d, aut de sollemnitatibus quae ad aliud tempus nequeunt transferri.

Sollemnitas S. Ioseph (die 19 martii), ad alium diem extra Quadragesimam a Conferentiis Episcopalibus transferri potest, nisi sit de praecepto servanda.

57. Si qui Sancti vel Beati una simul calendario inscribuntur, simul semper celebrantur, quoties eodem gradu sunt celebrandi, etsi unus aut aliqui eorum sunt magis proprii. Si vero unus aut aliqui ex his Sanctis vel Beatis gradu superiore sunt celebrandi, fiat Officium de his tantum, omissa celebratione ceterorum, nisi conveniat eos alii diei assignare ad modum memoriae obligatoriae.

58. Ad bonum pastorale fidelium procurandum, in dominicis «per annum», licet eas celebrationes agere, quae infra hebdomadam occurrunt, quaeque ipsorum fidelium pietati sunt acceptae, dummodo hae in tabula praecedentiae ipsi dominicae praeponantur. De his celebrationibus dici possunt omnes Missae, quae concurrente populo celebrantur.

59. Praecedentia inter dies liturgicos, quoad eorum celebrationem, unice regitur sequenti tabula.

Tabula dierum liturgicorum secundum ordinem praecedentiae disposita

I

1. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini.
2. Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio et Pentecostes. Dominicae Adventus, Quadragesimae et Paschae. Feria IV Cinerum. Feriae Hebdomadae sanctae, a feria II ad feriam V inclusive. Dies infra octavam Paschae.
3. Sollemnitates Domini, beatae Mariae Virginis, et Sanctorum in calendario generali inscriptae. Commemoratio omnium fidelium defunctorum.
4. Sollemnitates propriae, nempe: *a)* Sollemnitas Patroni principalis loci seu oppidi aut civitatis. *b)* Sollemnitas Dedicationis et anniversarii Dedicationis ecclesiae propriae. *c)* Sollemnitas Tituli ecclesiae propriae. *d)* Sollemnitas aut Tituli, aut Fundatoris, aut Patroni principalis Ordinis seu Congregationis.

II

5. Festa Domini in calendario generali inscripta.
6. Dominicae temporis Nativitatis et dominicae «per annum».
7. Festa beatae Mariae Virginis et Sanctorum calendarii generalis.
8. Festa propria, nempe: *a)* Festum Patroni principalis dioecesis. *b)* Festum anniversarii Dedicationis ecclesiae cathedralis. *c)* Festum Patroni principalis regionis «ut provinciae, nationis, amplioris territorii. *d)* Festum Tituli, Fundatoris, Patroni principalis Ordinis seu Congregationis et provinciae religiosae, salvis praescriptis sub n. 4. *e)* Alia festa alicui ecclesiae propria. *f)* Alia festa inscripta in Calendario cuiusque dioecesis vel Ordinis seu Congregationis.
9. Feriae Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive. Dies infra octavam Nativitatis. Feriae Quadragesimae.

III

10. Memoriae obligatoriae calendarii generalis.
11. Memoriae obligatoriae propriae, nempe: *a)* Memoriae Patroni secundarii loci, dioecesis, regionis aut provinciae, nationis, amplioris territorii, Ordinis seu Congregationis et provinciae religiosae. *b)* Aliae memoriae obligatoriae alicui ecclesiae propriae. *c)* Aliae memoriae obligatoriae inscriptae in calendario cuiusque dioecesis, vel Ordinis seu Congregationis.
12. Memoriae ad libitum, quae tamen, modo quidem peculiari in Institutionibus de Missa et de Officio descripto, fieri possunt etiam diebus de quibus sub n. 9.

Hac eadem ratione, ut memoriae ad libitum celebrari possunt memoriae obligatoriae, quae accidentaliter occurrunt in feriis Quadragesimae.

13. Feriae Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive.

Feriae temporis Nativitatis a die 2 ianuarii ad sabbatum post Epiphaniam.

Feriae temporis paschalis a feria II post octavam Paschae ad sabbatum ante Pentecosten inclusive.

Feriae «per annum»...

60. Si eodem die plures celebrationes occurrunt, fit de ea quae in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum. Attamen sollemnitas, quae impeditur a die liturgico, qui praecedentia gaudeat, ad proximiorem diem transferatur qui sit liber a diebus sub nn. 1-8 in tabula praecedentiae recensitis, servatis iis quae n. 5 statuuntur. Reliquae celebrationes eo anno omittuntur.

61. Si vero eodem die celebrandae sint Vesperae Officii currentis et I Vesperae diei sequentis, praevalent Vesperae celebrationis quae in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum; in casu autem paritatis, Vesperae diei currentis.

[*Sequitur Calendarium Romanum generale*].

* Calendarium Romanum. Typis Poliglottis Vaticanis 1969, p. 11-49. Adn. in Calendarium Romanum, cit., p. 51-177; EL 83 (1969) 163-182; C. BRAGA in EL 83 (1969) 150-162, 183-201; P. J. in EL 83 (1969) 231-234.

3729

1969 MAR 24.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

Signatura Apostolica competens est solummodo circa contentiones ortas ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae eique delatas per recursum adversus decisionem competentis Dicasterii Curiae Romanae

Facti species.—Dominus X, expulsus a «Société de Saint Vincent de Paul», utpote modernismo infectus, die 25 octobris 1968 recursum interposuit apud Congregationem

pro Clericis. Haec autem libellum, ratione competentiae, ad Consilium de Laicis transmisit; sed Dominus X, recursu d. 19 Martii 1969 ad Signaturam Apostolicam misso, suspicionem movit adversus integritatem fidei membrorum Consilii de Laicis, simulque petiit ut Supremum Tribunal de sua quaestione videret.

Decisio.—Die 24 Martii 1969 Signatura Apostolica recurrenti respondit se competentem esse solummodo circa contentiones ortas ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae, et ad eam, ob interpositum recursum adversus decisionem competentis Dicasterii, delatas, ut habet art. 106 Const. *Regimini Ecclesiae Universae* [LE 3588]. Quapropter, si recursus respicit disciplinam, debet adiri Consilium de Laicis; si, e contra, respicit doctrinam, debet adiri Congregationem pro Doctrina Fidei.

* Apoll. 43 (1970) 467.

3730

1969 MAR 25.-SECRETARIA STATUS, EPISTULA. PART.*

De proxime constituendo coetu notitiis circa Synodum episcoporum vulgandis

Rome, 25 Mars 1969

Monseigneur, Par une lettre du 5 de ce mois, vous aviez présenté au Saint-Père quelques observations et propositions concernant le problème de l'information de l'opinion publique à l'occasion de la prochaine Assemblée extraordinaire du Synode des Evêques.

Je suis chargé de vous faire savoir que cet exposé a fait l'objet d'un examen attentif. On a soigneusement pris note des réponses faites par certains représentants de la presse catholique à la consultation engagée à ce sujet par le Secrétaire Général de l'U.C.I.P.

C'est ainsi que je puis vous assurer dès maintenant que dans la révision de l'*Ordo Synodi* des normes sont prévues pour l'institution d'un Comité de Presse du Synode. C'est à cet organisme qu'il reviendra de déterminer en temps utile les modalités concrètes pour l'information de l'opinion publique sur les sujets traités dans les réunions du Synode.

«Veuillez agréer, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments dévoués en N. S.—A. G. Card. Gicognani.

* Secretario Generali U. C. I. P.: G. CAPRILE, Il sinodo dei Vescovi 1969, Roma 1970, p. 359. Adn. G. CAPRILE, op. cit., p. 353-366.

3731

1969 MAR 27.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 61 (1969) 253-256

Allocutio die 27 *Martii* 1969 *habita Praesidibus Membrisque Commissionum Episcopalium ad Seminaria spectantium, qui Coetui interfuerunt de Ratione fundamentali institutionis sacerdotalis, iuxta placita Concilii Oecumenici Vaticani II:*

De recta institutione ad vitam sacerdotalem tradenda deque novis methodis aptanda

Venerabiles Fratres, Libenti fraternoque animo vos salvere iubemus, Praesides Commissionum Episcopalium ad Seminaria spectantium, gratiamque vobis habemus quod, pro munere vestro, huic conventui interesse voluistis, cui res non levis ponderis est proposita, scilicet ut de «Ratione fundamentali institutionis sacerdotalis» cognoscatis. In officio tam gravi atque difficili versantibus, vobis singulari prorsus modo cordi est, ut alumni ad sacerdotium rite instituantur; rem videlicet agitis, quacum ipsa fortuna Ecclesiae coniungitur maxime.

Etenim, si merito quaeritur: «Quid par illi arti quae dirigendae animae et efformandae iuvenis menti et indoli incumbit» [1], quid erit / dicendum de arte, quae eo pertinet, 254
ut homines, aetate plerumque florentes, ad munus celsissimum et sanctissimum et perarduum obeundum comparentur? Huius sane educationis causae summum momentum tribuatur oportet, et qui eam gerunt, noverint se Ecclesiae peculiari omnino ratione inservire.

Non necesse habemus, Venerabiles Fratres, de plurimis commemorare testimoniis, quibus comprobetur, quanta cum sollicitudine eadem Ecclesia hanc rem tractaverit et tractet. Viget memoria Concilii Oecumenici Vaticani Secundi, quod novae aetatis signa perspiciens, non modicum studium eo contulit. Proximi in apostolico munere Decessores Nostri hac cura uri videbantur; et Nosmet ipsi paucis mensibus postquam arcano Dei consilio ad ministerium universi dominici gregis pascendi sumus asciti, Epistulam Apostolicam edidimus, quarto exacto saeculo post constituta a Concilio Oecumenico Tridentino sacra Seminaria, ita ut iam in ipso Pontificii huius servitii exordio Nobis datum sit eandem curam cum Ecclesia communicare [LE 3144]

Vestra autem praesentia opportunitatem Nobis praebet de nonnullis rationibus huius argumenti breviter exponendi.

Neminem latet, quot et quantae difficultates his temporibus ortae sint, quod ad educationem attinet eorum, qui ad ineundum sacerdotium componuntur. Quae quidem difficultates latius patent, ut omnes novistis, atque adeo non solum ad hos candidatos pertinent, sed quoquoversus pervaserunt atque pervadunt: cuiusvis enim fere ordinis iuvenes moventur et concitantur; novus quidam mentis habitus inductus est, quem maturitatem vocant et ex quo illi cupiunt res, quae ad ipsos spectant, cognoscere suarumque actionum arbitri esse. Nolunt, ut ab iis tantum, qui praesunt, de se ipsis statuatur, sed exoptant hinc aliquam partem habere operis ad sui institutionem et profectum spectantis, illinc libertate frui suoque uti arbitrio. Haec duo propria sunt et peculiaria discriminis seu «crisis», uti appellant, qua iuventus nunc temporis urgetur.

Quemadmodum liquet, ex his consequitur, ut auctoritas ipsa in controversiam vocetur. Quod quidem est sedulo perpendendum. Quodsi primaria et probata institutionis praecepta non sunt abicienda, tamen etiam novae huius aetatis novique mentis habitus, quem diximus, ratio ducatur oportet. Etenim necessitudo inter educatorem et alumnum non amplius eiusmodi esse putatur, ut externo quodam mandato perficiatur, quatenus alter imperet sitque activus, alter passive, ut aiunt, obtemperet, sed illa mutua necessitudo in iis innitatur, quae ipsi iusso inhaerent atque adeo ex eius interiore veluti parte procedunt. / 255
Munus institutoris et, ut ita dicamus, monstratoris viae sine dubio semper est necessarium, attamen eius exercitatio aequis rationibus determinetur oportet, fiat considerate cogitateque, et sit ad persuadendum apta et accommodata.

Non negamus hoc modo difficilius praeceptoris partes impleri, sed affirmari debet novam hanc institutionis disciplinam, cum recta firmitate copulatam, mori christiano magis esse consentaneam; scilicet in hoc educationis opere iam magis causae respiciantur, quae efficiuntur sacra ipsius praeceptoris indole, siquidem etiam veteres, christianae religionis non participes, «paedagogos plurimum benevolentiae postulare, non neglegendos esse, sed alio quodam modo aestimandos» censuerunt [2]: quae causae praeterea efficiuntur ipsis finibus educationi propositis, quippe qui pertineant ad rem spiritualem, disciplinam, doctrinam, ministerium pastorale, ac denique exemplis institutoris, qui oportet sit vivendi magister eo quod in ipso vera virtus elucet, maxime humilitas et firmitas animi.

Institutio, praeterquam quod his rationibus seu causis suffulciatur oportet, secum ferre debet etiam sermocinationem seu colloquium, praesertim quatenus id praeceptor cum alumnis singillatim facit. Qua in re affabilitas, sincerus animi affectus, patientia non satis commendantur, scilicet superemineat caritas, «dulce ac salubre vinculum mentium» [3].

Hoc vero principium, quasi lux totum institutionis opus dirigens, studiose diligenterque attendatur: magister seu praeceptor, cuius officium necessarium quidem est, utpote cum ipse sit veluti artifex imprimens formam, paulatim se quodam modo subducat, ita ut eius opus non amplius sit expetendum; is enim virtutem ac doctrinam sic in animos alumnorum transfundere debet, ut horum ipsorum vires iam sufficiant et iidem libere et ex conscientiae officio agere sciant. Iter autem, quo ad hoc fastigium pervenitur, est caritas.

Nec timeat magister, si ita se gerat, virtutem educatoris propriam imminui, cum potius ea semper vigilans esse debeat et efficax; neque colloquia sua cum alumnis ad quaestiones tantum minores et vanas spectare velit, cum potius sermonem arripere debeat eorundem mentibus et cordibus inserendi altissimas illas notiones, in quibus vita sacerdotalis omnis nititur; idque agat sobrie quidem sed continenter, maxime has duas / notiones praecipuas inculcans: con- 256
sortium Sacerdotii Christi, cuius scilicet erunt participes, et munus pastorale, quod in medio Populo Dei obibunt.

[1] Cfr. Cic. *De amic.* 74. [2] S. Aug. *Sermo* 350, 3: *PL* 39, 1534. [3] *Matth.* 11, 29.

http://www.obrascatolicas.com

Quis neget hanc educandi rationem perdifficilem esse? Etenim ea postulat, ut impensius et apertius imitatione exprimatur usus Divini Magistri, qui, «mitis et humilis corde» [4], discipulos, olim rudes et imperitos, ad apostolicum munus, quo «faciem terrae renovarent», informavit.

Multum denique studii ac diligentiae positum esse videmus in apparanda «Ratione fundamentali institutionis sacerdotalis», quae ad normam Decreti «Optatam totius» Concilii Oecumenici Vaticani Secundi et ex consulto Synodi Episcoporum est composita sed nondum absoluta. Cui opportuno consilio propositum est, ut in hoc gravissimo educationis negotio cuidam unitati prospiciatur et simul varietati, pro regionum necessitatibus, locus detur. Non est quin momentum huius veluti primariae legis institutionis sacerdotalis videat et ponderet; ex ea enim efficacitas eiusdem educationis et ministerii, quod sacrorum alumni quondam gerent, non minima ex parte pendebit. Eadem ex caritate, cuius praeconium diximus, vim suam hauriat oportet, cum futura sit instrumentum illorum, quorum est potissimum caritate iuvenes ad altare Dei perducere.

Ceterum, quaecumque est forma huius «Rationis» eadem tum solum sufficiet, si rerum optimus magister, usus, quem experiendo estis consecuti, atque dilectio, qua alumnos non solum complectimini sed etiam educare studetis, accesserint.

Itaque Christum Dominum humili prece rogamus, ut labori vestro aspiret, isque in Ecclesiae bonum et profectum feliciter vertat. Haec vota, quae, magnitudinis huius causae consci, animo sollicito suscipimus, Apostolica Benedictio confirmet, quam vobis, Venerabiles Fratres, flagranti caritate impertimus.

3732

1969 MAR 27.-SECR. STATUS, LIT. AAS 61 (1969) 384

DIRECTORIUM GENERALE PRO MINISTERIO PASTORALI CIRCA «TURISMUM» A SUMMO PONTIFICE APPROBATUR

Vide *textum* sub die 1969 Aprilis 30: LE 3745.

3733

1969 MAR 29-PAULUS VI, ALLOC. AAS 61 (1969) 262-266

Allocutio die 29 Martii 1969 habita Sodalibus ex Ordine Cisterciensium Reformatorum, qui Romae speciali Coetui generali religiosae suae communitatis interfuerunt:

DE IIS QUAE ECCLESIA AB INSTITUTIS VITAE CONTEMPLATIVAE EXPECTAT HODIE

Dilectissimi filii, Libenti ac paterno animo vos salutamus, qui, incitam Familiam religiosam Cisterciensium Reformatorum seu Strictioris Observantiae repraesentantes, Romam convenistis ad speciale Capitulum Generale celebrandum.

Iamvero abhinc paucos menses Epistulam satis amplam ad Abbatem Generalem vestrum et ad universum Ordinem, cui praeest, dedimus; qua multa, quae animum Nostrum pulsabant circa ipsam vitam vestram et hoc Capitulum Generale caritate sincera ediximus.

Imprimis egregiam existimationem de Ordine vestro significavimus atque in sua luce ponere conati sumus magnum et praeclarum bonum vitae contemplativae, quae statum vitae christianae «perfectum» quendam efficiat et non solum monachis, Deo penitus adhaerentibus, maxime prodest, sed etiam Ecclesiae universae. Libet iterare haec verba, quae in eadem Epistula protulimus: «si hae animae (contemplativae) deficiant, si vita illarum tabescat ac debilitetur, necessario consequetur, ut vires totius Corporis Christi deminuantur». Vos hortati sumus, ut essetis tantum vosmet ipsi, monentes verum apostolatum vestrum esse vitam absconditam.

Ceterum non dubitamus, quin peculiaria consilia et hortamenta, quae de Capitulo Generali vobis adhibuimus, animo obsequenti acceperitis et ad effectum adducere studeatis.

Itaque non paucae res, quas in Epistula illa pertractavimus, Nobis forent nunc repetendae, sed ipse conspectus vester et hoc ipsum Capitulum Generale Nos impellunt, ut nonnulla, vobis certe nota, quae Ecclesia a vobis expectat, enuntiemus, fore confisi, ut post hunc magni momenti conventum, Capitulum dicimus Generale, nova animorum alacritate novoque vigore vitam vestram, uni Deo deditam, agatis.

1. Ordo vester, licet ipsa eius institutio ad prisca revocetur tempora, ortum habuit media aetate, qua vitae conditiones magis favebant monasticae disciplinae. Nunc vero positi estis in mundo, qui / febri quadam correptus esse 263
videtur, quae etiam in loca sacra et solitaria quodam modo pertingit. Clamore atque tumultu fere omnia personant. Potissimum vero hominum animi vix se colligere valent, alienis rebus distinentur, ex more evagantur multiplicibus rationibus hodierni cultus civilis: diaria, ephemerides, commentarii, libri, quasi colluvies quaedam, in domorum et mentium penetralia irrumpunt; maxima est vis instrumenti radiophonici ac televisifici; multo arctiores crebrioresque quam antea sunt necessitudines inter homines, qui facillime se attingunt, cum itinera etiam longa, congressiones, commune opus certi cuiusdam coetus hisque similia, iam ad cotidianum usum nostrum pertineant. Absit, ut veri nominis bona, quae progressio humani cultus secum tulit, negemus aut respuamus, sed fatendum est difficilius nunc inveniri recessum, ubi animus Deo ac sibi penitus possit vacare.

Vestrum igitur munus, dilecti filii, eo spectat, ut hac ipsa aetate vitam contemplativam integram et absolutam servetis, novum quoddam eius testimonium mundo exhibentes. Necesse est, ut ab illo rerum humanarum strepitu, quo mens nimis occupatur nec facile in Deum intenditur, vos abstrahatis. In solitudine, procul a negotiis et ineptiis mundi, viget et floret spiritualis vita Familiae Cisterciensis; etenim, ut ait Sanctus Bernardus, «quantam internae consolationis dulcedinem, et gratiam visitationis divinae praepedit huiusmodi nugarum vapor ad modicum parens» [1].

Hic facere non possumus, quin brevem mentionem de silentii disciplina faciamus, quae est sacra veluti hereditas Ordinis vestri et his etiam temporibus momentum suum prorsus retinet. Quod quidem silentium, ut probe novistis, non praecipue in eo positum est, ut quis verbis oris abstineat, sed potissimum et cunctas vires animi a rebus fluxis et vanis avertat et in unum Deum dirigat. Sed ipsum silentium externum, si ita fas est loqui, in monasteriis vestris signum sit interioris huius silentii.

Ad hoc meditatio accedat oportet, in qua an[i]mus suavi cum Deo commercio calescit. Huc maxime pertinet lectio meditata Sacrae Scripturae, qua monachus Verbum Dei quasi proxime contingit et sapide cognoscit. Cui opportune additur ipsum studium sacrorum Bibliorum, quae ope recentium inquisitionum altius possunt intellegi. Sine huiusmodi Scripturae lectione vita monastica vix illo pollet vigore, qui ei / proprius esse debet. Ita in rebus divinis cogi- 264
tatione defixus, filius Sancti Bernardi amore erga Christum Dominum crescit, siquidem tota eius vita ad perfectionem caritatis tendat oportet. Solum si hoc vero amore inflammatur, iucundum ei erit monasticum institutum, asperum quidem ac veluti cruce Christi signatum, ac solum hoc id fecundum redditur pro ipso, pro Ordine, cuius est sodalis, pro Ecclesia et hominum societate. Ubi haec vivida flamma caritatis ardet, omnia cetera inveniuntur, ubi languet vel exstincta est, cuncta desunt.

2. Haec precatio, meditatio, lectio vos habiliores etiam reddent ad fructuose participandam vitam liturgicam Ecclesiae, siquidem hic veluti concentus inter privatum opus singulorum atque sacros ritus publicasque preces est una e praeclarioribus traditionibus Ordinis vestri; satis est ex hac parte memorare «usus antiquiores Ordinis Cisterciensis» [2].

Sed quaestio non levis exsistit, qua quorundam animi moventur atque etiam turbantur, scilicet qui sit rectus mentis habitus, quod attinet ad mutationes in rem liturgicam post Concilium Vaticanum Secundum inductas. His sine dubio id propositum est, ut precatio melior et sanctior evadat et ut una cum Ecclesia animo magis conscio oretur; quodsi nonnulla in hisce precibus expeditiora sunt effecta, ea subsidia sunt et esse debent ad altius noscendas et veluti amplius gustandas ipsas Ecclesiae orationes, ad impensiorem assequendam participationem mysteriorum, quae celebrantur, et ad arctiorem reddendam communionem cum Populo Dei.

[1] *Ep.* 385, 4: *PL* 182, 589. [2] *PL* 166, 1383 ss. [3] *PL* 166, 1379. [4] *Sermo* 3 *in Ascens. Domini*, 9: *PL* 183, 313.

3. Id etiam blando alloquio vos hortamur, ut unitatem Familiae religiosae vestrae studiosa voluntate servetis. Libet ergo in memoriam revocare verba quae in «Charta Charitatis», a Sancto Stephano Harding composita, continentur: «In actibus nostris nulla sit discordia, sed una charitate, una regula similibusque vivamus moribus» [3]. Licet in praesenti quiddam peculiare ac diversum concedatur, tamen omnino oportet annitamini, ut unitatem mentium et finium, aequalem rationem regulae et observantiam disciplinae Benedictinae sectemini. Cavendum est vobis, ne ullo pacto rem asceticam, vobis propriam, et spiritualis vitae formam, qua estis insignes, amittatis. Quodsi nunc, ut quaedam exempla afferamus, vobis permittitur, ut unusquisque suam habeat cellam, tamen propter hoc propositum et dulcedo vitae communis ne quid detrimenti patiantur; 265
praeterea si austeriores quaedam / consuetudines temperatae sunt propter corporis valetudinem, locorum naturam vel aliam causam probandam, semper tamen memores estote vos elegisse vitam pauperem, humilem, cum paenitentia et in silentio agendam; liceatque Nobis verba Sancti Bernardi usurpare: «Obsecro vos, fratres mei, non graventur corda vestra in curis saecularibus» [4].

4. Vita autem spiritualis et liturgica vestra sedulo studio alatur, quod per vices opere manuum varietur secundum illud: «ora et labora». Quem quidem laborem plurimi aestimate, quippe cum sit proprietas vestri Instituti. Ceterum is est etiam exercitatio quaedam virtutis paupertatis, cum praesertim minus fortunati fabrilibus victum sibi quaerant oporteat. Ipsum vero Concilium Vaticanum Secundum dignitatem et utilitatem laboris laudibus efferre non dubitavit, haec proferens verba: «Labore suo homo ordinarie suam suorumque vitam sustentat, cum fratribus suis coniungitur eisque inservit, germanam caritatem exercere potest atque creationi divinae perficiendae sociam operam praebere. Immo, per laborem Deo oblatum, tenemus hominem ipsi redemptionis operi Iesu Christi consociari, qui praecellentem labori detulit dignitatem, cum in Nazareth propriis manibus operaretur» [5]. Itaque vita vestra, ad hoc quod attinet, est menti Ecclesiae et his temporibus maxime consentanea; iamvero, ut scitis, quidam sacerdotes, novas apostolatus vias ingressi, ut operarii inter operarios hac aetate vitam degere conantur.

Vos bene meruistis de re rustica; etenim sudore vestro salubres et feraces effecistis amplas regiones, veluti Langobardiae planitiem. Hic recordari Nosmet ipsos sinite opere vestro loca plana Mediolanensia —«bassa milanese» vulgo appellantur— in fertilium agrorum formam esse redacta, Nosque ecclesiam vestram, nunc refectam et restitutam, invisisse in oppido «Morimondo», quod ab abbatia quadam, quam Sanctus Bernardus condidit, nomen traxit. Recte quidem hic cadunt versus illi arguti, quibus labor vester quodam modo definitur: «Bernardus valles, montes Benedictus amabat; oppida Franciscus, magnas Ignatius urbes».

Opus autem vestrum, pertinens ad agrorum culturam, id etiam efficere potest, ut in regionibus ad humanum cultum et profectum nitentibus, novus finis missionalis monasteriis vestris proponatur ac nova tribuatur efficacitas. 266
Peropportune enim ibi, ut quondam in Oc/cidente evenit, centra vitae Cisterciensis erigentur, quae «cruce et aratro» maxima beneficia in gentem illis in partibus habitantem poterunt conferre.

5. Ecclesiam denique adiuvate spirituali disciplina vestra serena, tranquilla, constanti, quae simul in intimis animis haereat et austeritate commendetur. Conscii sitis oportet muneris, quod vobis in Ecclesia est implendum. Communicate eius necessitatibus atque doloribus, preces hac de causa fundite, paenitentiam agite et mundo exemplum praebete vitae vestrae singularis, quae illum excitet atque alliciat. Ut paucis dicamus, ad mundum loquimini silentio vestro! «Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore et grati estote» [6].

Unus e conditoribus vestris, Stephanus Harding, quem ut Sanctum colitis et qui Sanctum Bernardum Cistercium petentem recepit, traditur fuisse «sermone comis, facie iocundus, animo semper in Domino laetus» [7]. Ita et vos sitis oportet, ita prorsus! Sitque huius rei pignus et benevolentiae Nostrae testimonium Apostolica Benedictio, quam vobis amanti animo impertimus.

[1] Const. Past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes* n. 67: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1088 [LE 3366].
[2] *Col.* 3, 15. [3] *Gesta Regum Anglorum*, 337: *PL*, 179, 1289.

3734

1969 MAR 31.-SECR. STAT., INST. AAS 61 (1969) 334-340

INSTRUCTIO CIRCA VESTES, TITULOS ET INSIGNIA GENERIS CARDINALIUM, EPISCOPORUM ET PRAELATORUM ORDINE MINORUM

Ut sive sollicite suum munus tueretur universae vigilandi Ecclesiae, sive Concilii Oecumenici Vaticani II indicia et consilia ad effectum adduceret, Summus Pontifex Paulus VI nihil praetermisit, quin considerationem suam etiam in quasdam vitae ecclesiasticae externas formas intenderet, ut pariter eas magis ad mutata temporum adiuncta componeret, pariter aptius ad summa animorum bona referret, quae iis formis et significari et foveri oportet.

De re videlicet agitur, qua mens hominum, qui nunc sunt, in primis commovetur, et in qua, extremis utriusque vitatis appetitionibus, proprietas et dignitas accommodentur opus est ad simplicitatem, ad utilitatem, ad demissionis denique et paupertatis spiritum, quo eos praesertim ornari decet, qui, cum ecclesiasticis officiis initiati sint, certum onus idcirco receperunt operam populo Dei navandi.

Quapropter his ductus rationibus Summus Pontifex superioribus hisce duobus annis primum nonnullas edendas normas curavit circa vestes et alios Cardinalium honores (cfr. Decretum a S. Congregatione Caerimoniali die 6 mensis Iunii anno 1967 datum et N. 3711 notatum); deinde die 28 mensis Martii anno 1968, Litteras Apostolicas a verbis *Pontificalis Domus* incipientes motu proprio dedit de nova Domus Pontificiae ordinatione [LE 3642]; praeterea die 21 mensis Iunii anno 1968 alias Apostolicas Litteras, quibus initium *Pontificalia insignia*, motu proprio de Pontificalibus insignibus emisit [LE 3668], quibus adiectum erat Decretum a S. Congregatione Rituum de eadem re, eodemque die factum, atque n. R. 32/968 notatum [LE 3669].

Cum autem haud ita pridem Summus Pontifex vellet planius immutare disciplinam de vestibus, de titulis deque insignibus generis sive Cardinalium, sive Episcoporum, sive Prae/latorum ordine minorum, peculiari Cardinalium Coe- 335
tui et Suae Secretariae Status mandavit, ut diligenter rei studerent, iustam rationem habentes et trdaiti moris, et nostrae huius aetatis usus, et summorum animi bonorum, cum hisce vitae formis, licet externis et adventiciis, quodammodo coniunctorum.

Ex quibus collatis consiliis haec Instructio provenit, quam Summus Pontifex coram me Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis, die 28 mensis Martii hoc anno ad colloquium admisso, ratam habuit, iussitque, ut a die 13 mensis Aprilis huius anni, hoc est a Dominica *in Albis*, vigere incipiat.

Contrariis quibusvis, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Pars Prima—De vestimentis

A) *Pro S. R. E. Cardinalibus*:

1. In usu permanent sive talaris vestis e lana similive e panno rubri coloris, una cum zona, limbis, suturis et globulis e rubro serico, sive mozeta eiusdem textilis et coloris ac vestis, dempto tamen cucullo.

Pallium, seu manteletum, aboletur.

2. Item in usu permanet talaris vestis torulo exornata, una cum limbis, suturis, ocellis et globulis e rubro serico, dempto tamen reflexu in manicis.

Hanc supra vestem palliolum, torulo item exornatum, deferre licet.

3. Cum alterutra talari veste, sive rubri coloris, sive torulo exornata gestanda erit zona rubra e serico undulato cum lacinilis item sericis duas extremas partes exornantibus.

Zona autem cum flocculis aboletur.

4. Cum talaris vestis rubra gestatur, rubra etiam tibialia adhibentur. Usus vero tibialium rubrorum cum talari 336
veste torulo exornata prorsus liber est. /

5. Vestis communis, seu cotidiani usus, potest esse talaris torulo non exornata. Una cum talari veste nigra, tibialia nigra adhibentur. Rubrum collare et pileolum, e serico undulato rubri coloris una etiam cum talari veste torulo non exornata deferri possunt.

http://www.obrascatolicas.com

6. Biretum, ex undulato serico rubri coloris, una tantum cum chorali veste, non autem pro communi capitis tegumento, adhiberi potest.

7. Usus perampli talaris pallii ex serico undulato rubri coloris non amplius praescribitur in pontificalibus audientiis lisque caeremoniis, quae adstante Summo Pontifice peraguntur. Idem aliis in casibus liber est, veruntamen ad sollemniora adiuncta reservatur.

8. Peramplum talare pallium laneum rubri coloris aboletur, atque pro eo decorum nigri coloris pallium substitui potest, cui adicere palliolum licet.

9. Ruber galerus et petasus e rubro item gausapo abolentur. In usu autem permanet petasus e nigro gausapo, qui, si casus ferat, chordulis flocculisque rubri et flavi coloris exornari poterit.

10. Usus rubrorum calceorum atque fibularum, earum etiam quae argenteae super nigros calceos imponuntur, tollitur.

11. In usu permanet rochetum e lino simplive e textili. Eidem vero numquam superpelliceum imponetur.

12. Magna cappa sine pelle mustelina, scilicet sine hermellino, non amplius praescribitur, eademque tantum extra Urbem, in sollemnissimis quidem festivitatibus, adhiberi poterit.

13. Usus funiculi et catellae ad pectoralem Crucem sustinendam servatur. Funiculus autem tunc tantum gerendus est, cum talaris vestis rubri coloris aut sacrae vestes
337 adhibentur. /

B) *Pro Episcopis*:

14. Similiter ac de Cardinalium vestibus statutum est, Episcopi servant vestem talarem violacei coloris, mozetam sine cucullo, et vestem talarem nigram torulo, ocellis, globulis ac subsuto rubini coloris ornatam.

Mozeta ubique terrarum gestari poterit, etiam ab Episcopis titularibus.

Manteletum seu pallium violacei coloris aboletur.

Vestis talaris nigra cum torulo ceterisque ornamentis rubini coloris non amplius praecipitur, ut vestis communis. Supra hanc vestem palliolum gestari poterit.

15. Quod attinet ad zonam sericam violaceam, ad tibialia, ad vestem communem, ad collare, ad pileolum, ad biretum, ad peramplum talare ex serico violacei coloris pallium, ad talare laneum pallium eiusdem coloris, ad fibulas, ad rochetum, ad cappam magnam, ad funiculum et catellam Crucis pectoralis, serventur normae, quae nn. 3-8 et 10-13 statutae sunt.

16. Usus vigere pergit petasi gausapati chordula et floccis viridi coloris ornati, qui similis erit pro omnibus Episcopis, residentialibus et titularibus.

17. Episcopi ex Ordinibus vel Congregationibus religiosis delecti utentur veste talari violacei coloris, veste talari cum vel sine torulo, globulis, ocellis ac subsuto rubini coloris, haud secus ac ceteri Episcopi.

C) *Pro Praelatis ordine minoribus*:

18. Praelati Superiores Dicasteriorum Curiae Romanae dignitate episcopali non aucti, Auditores Sacrae Romanae Rotae, Promotor Generalis Iustitiae et Defensor Vinculi in Supremo Tribunali Apostolicae Signaturae, Protonotarii Apostolici de numero, Clerici Camerae Apostolicae et Praelati Pontificali Aulae addicti servant vestem talarem violacei coloris, manteletum seu pallium violaceum, rochetum, vestem talarem cum torulo ceterisque ornamentis rubini coloris sine palliolo, zonam violaceam cum lacinilis seri-
338 cis duas extremas partes exornanti/bus, peramplum talare pallium violacei coloris, quod tamen necessario adhibendum non est, et floccum rubrum supra biretum.

Zona serica cum floccullis, tibialia violacei coloris et fibulae supra calceos tolluntur.

19. Ad Protonotarios Apostolicos supra numerum et ad Praelatos Honorarios Sanctitatis Suae quod attinet, abolentur manteletum violacei coloris, zona serica cum floccullis, tibialia violacei coloris, fibulae supra calceos et floccum rubrum supra biretum.

Servantur autem vestis talaris violacei coloris, vestis talaris nigra cum torulo ceterisque ornamentis rubini coloris sine palliolo, et zona serica lacinilis ornata. Si opus fuerit, supra vestem talarem violacei coloris, loco rocheti, iidem induent superpelliceum non crispatum.

Pallium talare violacei coloris, etsi non praecipiatur, servant Protonotarii Apostolici supra numerum, non autem Praelati Honorarii Sanctitatis Suae.

20. Pro Cappellanis Sanctitatis Suae vigere pergit usus vestis talaris nigrae cum torulo ceterisque ornamentis, et serica zona violacei coloris, quae gestanda erit etiam in sacris caeremoniis.

Vestis talaris violacea, peramplum pallium eiusdem coloris binis caudis praeditum, zona flocculis ornata, et fibulae supra calceos abolentur.

Secunda Pars—Tituli atque insignia

21. Tituli, quos cognationis dicunt, a Summo Pontifice adhibiti erga Patres Cardinales, Episcopos aliosque ecclesiasticos viros, hi ex ordine tantummodo erunt, qui sequuntur: «Venerabilis Frater Noster», «Venerabilis Frater», «Dilectus Filius».

22. Pro Patribus Cardinalibus adhiberi poterit titulus «Eminentiae», pro Episcopis vero titulus «Excellentiae», 339
quibus adiungi etiam fas erit adiectivum nomen «Reverendissimum». /

23. Cum vero vel Pater Cardinalis vel Episcopus, aut scriptis aut oretenus compellatur, prior «Dominus Cardinalis», alter vero italica lingua *Monsignore* vocari poterit.

24. Titulus *Monsignore*, qui in rationibus habendis cum Episcopo adhibetur, coniunctum habere poterit adiectivum «Reverendissimum».

25. Etiam pro Praelatis, quorum mentio facta est ad n. 18, titulus *Monsignore* coniungi poterit cum adiectivo nomine «Reverendissimo».

Decanus Sacrae Romanae Rotae atque Secretarius Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae ornari poterunt titulo «Excellentiae», quin tamen eidem titulus «Reverendissimus» addatur. Quod quidem fieri potest etiam pro Vicario Camerarii Sanctae Romanae Ecclesiae.

26. Protonotarii Apostolici supra numerum, Praelati Honorarii, necnon Cappellani Sanctitatis Suae titulo *Monsignore* ornari poterunt, quem praecedere potest, si casus ferat, nomen adiectivum «Reverendum».

27. In officiosis litteris scribendis omitti poterunt verba «sacram osculatus purpuram» atque «sacrum anulum osculatus».

28. Sive Patribus Cardinalibus, sive Episcopis conceditur, ut generis insigne adhibere possint.

Huius vero insignis aspectus ad normam artis exarandorum insignium delineandus erit, idemque simplex atque perspicuus sit oportet. Ab huiusmodi autem insigni sive baculi pastorali sive infulae effigies tollantur.

29. Patribus Cardinalibus permittitur, ut proprium insigne in templi fronte, quod eorum Titulum vel Diaconiam efficiat, depictum suspendere curent.

Ab inferiore tamen templo Purpurati Patris, cuius est Titulus, removeatur imago. Venia autem conceditur ut, in memoratis templis, haud procul a primariis foribus, Patris Cardinalis, ad quem Titulus spectat, nomen legatur, accommo/data forma litteris inscribendum, quae cum sacri ae- 340
dificii structura apte conveniat.

Additamenta

30. Quod ad Patrum Cardinalium vel Patriarcharum ex Orientali Ritu vestes et titulos attinet, proprii cuiusque ritus usus serventur.

31. Patriarchae Latini Ritus, Romana Purpura non decorati, vestes induant, quibus ceteri Episcopi utuntur.

32. Pontificii Legati, qui episcopali dignitate sive conquae Episcopis supra praescripta sunt.

Iis tamen, in sua cuiusque sede, zonam, pileolum, biretum atque peramplum talare pallium ex undulato serico confectum induere licet. Horum tamen Legatorum ii tantum «Venerabilis Fratris» nomine vocabuntur, ut supra ad n. 21 scriptum est, qui episcopali dignitate ornati erunt.

33. Praelati atque Abbates «nullius», Apostolici Administratores, Vicarii ac Praelati Apostolici, qui Episcoporum dignitate careant, easdem vestes ac ceteri Episcopi induere poterunt.

34. Quod ad appellationes attinet, Episcoporum Con-

ferentiae opportunas leges edere queunt, quae singularum regionum usibus respondeant, habita tamen ratione normarum atque regularum, quae hac Instructione continentur.

35. Quod denique spectat ad Canonicorum, Beneficiariorum Parochorumque vestes et titulos, aptae praescriptiones a S. Congregatione pro Clero in posterum edentur, quae ad huius tamen Instructionis rationes accommodabuntur, scilicet ut in hac etiam materia omnia ad simpliciorem formam redigantur.

Datum ex Aedibus Vaticanis, die XXXI mensis Martii, anno MCMLXIX.—Hamletus I. Card. Cicognani, *a publicis Ecclesiae negotiis*.

3735

1969 APR 3.-PAULUS VI, CONST. AAS 61 (1969) 217-222

Missale Romanum ex decreto Concilii Oecumenici Vaticani II instauratum promulgatur

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei - Ad perpetuam rei memoriam

Missale Romanum, ex decreto Concilii Tridentini a Decessore Nostro S. Pio V anno MDLXX promulgatum [1], nemo non suscipit in multis lisque mirificis utilitatis fructibus esse numerandum, qui ex eadem Sacrosancta Synodo in universam Christi Ecclesiam dilapsi sunt. Per quattuor enim saecula, non modo illud ritus Latini sacerdotes pro norma habuerunt, ad quam Eucharisticum Sacrificium facerent, sed sacri etiam Evangelii nuntii in omnes fere terras invexerunt. Innumeri praeterea sanctissimi viri animorum suorum erga Deum pietatem, haustis ex eo sive Sacrarum Scripturarum lectionibus sive precationibus, copiosius aluerunt, quarum praecipuam partem Sanctus Gregorius Magnus in certum digesserat ordinem.

Sed ex quo tempore latius in christiana plebe increbesce-
re et invalescere coepit sacrae fovendae liturgiae studium,
218 quod, / de Decessoris Nostri ven. rec. Pii XII sententia, ostendere visum est aeque providentis Dei erga huius aetatis homines propensissimae voluntatis indicium, aeque Sancti Spiritus per Ecclesiam suam salutiferum transitum [2], palam pariter eluxit, Missalis Romani formulas tum aliquatenus recognoscendas tum accessionibus esse locupletandas. Cuius rei faciendae initium idem Decessor Noster attulit Vigilia Paschali et Ordine Hebdomadae Sanctae instauratis [3], qui proinde primum quasi gradum posuit ad Missale Romanum novis huius temporis animi sensibus accommodandum.

Recens autem Concilium Oecumenicum Vaticanum II, edita Constitutione a verbis *Sacrosanctum Concilium* incipiente, generalis renovationis Missalis Romani fundamenta locavit: statuens, ut primum *textus et ritus ita ordinarentur, ut sancta, quae significarent, clarius exprimerent* [4]; deinde, ut *Ordo Missae ita recognosceretur, ut singularum partium propria ratio necnon mutua conexio clarius paterent, atque pia et actuosa fidelium participatio facilior redderetur* [5]; tum ut, *quo ditior mensa Verbi Dei pararetur fidelibus, thesauri biblici largius aperirentur* [6]; ut postremo *novus ritus concelebrationis conficeretur, Pontificali et Missali Romano inserendus* [7].

Attamen huiusmodi Missalis Romani renovatio nequaquam ex improviso inducta putanda est; cum ad eam haud dubie viam munierint progressiones in disciplinis liturgicis, proximis hisce quattuor saeculis, factae. Nam si, post Concilium Tridentinum celebratum, ad Missalis Romani recognitionem non parum adiuvarunt evoluti et inspecti *vetusti Bibliothecae Vaticanae aliique undique conquisiti codices*, uti confirmatur Constitutione Apostolica *Quo primum* a De-
219 cessore Nostro / S. Pio V data, posthaec nimirum hinc ve-

[1] Cfr. Const. Apost. *Quo primum*, die 13 mensis Iulii anno 1570 data.
[2] Cfr. Pius XII, Allocutio iis, qui primo Conventui ex omni natione de Liturgia pastorali, Assissi habito, interfuerunt, die 22 mensis Sept. anno 1956: *A. A. S.* 48, 1956, p. 712 [LE 2599].
[3] Cfr. S. Congr. Rituum, Decr. *Dominicae Resurrectionis*, die 9 mensis Febr. anno 1951 datum: *A. A. S.* 43, 1951, pp. 128 ss. [LE 2190]; Decr. *Maxima redemptionis nostrae mysteria*, die 16 mensis Nov., anno 1955 editum: *A. A. S.* 47, 1955, pp. 838 ss. [LE 2526].
[4] Cfr. Concilium Oecum. Vaticanum II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 21; *A. A. S.* 56, 1964, p. 106 [LE 3141]. [5] Cfr. *ibid.* n. 50, p. 114. [6] Cfr. *ibid.* n. 51, p. 114. [7] Cfr. *ibid.* n. 58, p. 115.

tustissimi liturgici fontes et reperti et foras emissi sunt, hinc liturgicae Orientalis Ecclesiae formulae altius sunt investigatae; ita ut optarent multi, ut huius generis cum doctrinae tum pietatis divitiae, non modo in tabulariorum tenebris non lacerent, sed e contrario in lucem prolatae christianorum mentes animosque illustrarent et pascerent.

Nunc vero, ut novam Missalis Romani compositionem, summis saltem lineamentis, quasi praefiniamus, in primis animadvertimus, *Institutione Generali*, qua in libro tamquam prooemio usi sumus, novas normas Eucharistici Sacrificii celebrandi proponi, sive quoad ritus persolvendos et officia uniuscuiusque astantis et participis propria, sive quoad supellectiles et loca rei divinae peragendae necessaria.

Praecipua instaurationis novitas in Precatione Eucharistica, quam vocant, versari existimanda est. Quamvis enim in Romano ritu prima eiusdem Precationis pars, hoc est Praefatio, varias, saeculis volventibus, susceperit formulas, altera tamen pars, quam Canonem Actionis appellabant, per illud tempus, quod a IV ad V saeculum actum est, immutabilen induit formam; cum, e contrario, Liturgiae Orientales in ipsas Anaphoras quandam varietatem reciperent. Hac autem in re praeterquam quod Precatio Eucharistica aucta est copia Praefationum, vel ex antiquiore Romanae Ecclesiae traditione sumptarum, vel nunc primum compositarum, quibus et peculiares partes mysterii salutis clarius patefierent, et plura uberioraque gratias agendi argumenta praeberentur, praeterea ut eidem Precationi tres novi Canones adderentur statuimus. Attamen sive ut pastoralibus, quas nominant, rationibus consuleretur, sive ut concelebratio expeditius procederet, iussimus verba Dominica in qualibet Canonis formula una eademque esse. Itaque in quavis Precatione Eucharistica illa sic proferri volumus: supra panem: Accipite et manducate ex hoc omnes: HOC EST ENIM CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS TRADETUR; et supra calicem: Accipite et bibite ex eo omnes: HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI NOVI ET AETERNI TESTAMENTI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. — Hoc facite in meam commemorationem. Verba autem Mysterium fidei, de / contextu verborum Christi Domini deducta, at- 220
que a sacerdote prolata, ad fidelium acclamationem veluti aditum aperiunt.

Quoad Ordinem Missae, *ritus, probe servata eorum substantia, simpliciores facti sunt* [8]. Ea namque praetermissa sunt, *quae temporum decursu duplicata fuerunt vel minus utiliter addita* [9], praesertim circa ritus oblationis panis et vini, et circa ritus fractionis panis et Communionis.

Huc accedit quod *restituuntur... ad pristinam Sanctorum Patrum normam nonnulla quae temporum iniuria deciderunt* [10]; cuius generis sunt Homilia [11], et Oratio universalis seu Oratio fidelium [12], et ritus paenitentialis, seu reconciliationis cum Deo et cum fratribus, initio Missae peragendus: cui, ut oportebat, suum redditum est momentum.

Ad haec, iuxta illud Concilii Vaticani II praescriptum, quo praecipiebatur *ut intra praestitutum annorum spatium, praestantior pars Scripturarum Sanctarum populo legeretur* [13], totum Lectionum corpus diebus dominicis legendarum in trium annorum ordinem tributum est. Praeterea diebus utcumque festis, lectioni Epistulae et Evangelii alia praeponitur, ex Veteri Testamento, vel, Tempore Paschali, ex Actibus Apostolorum sumpta. Hac enim adhibita ratione, enucleatius mysterii salutis continuus processus illustratur, verbis Dei revelatis demonstratus. Quae amplissima lectionum biblicarum copia, qua diebus festis praestantior Sacrarum Scripturarum pars fidelibus proponitur, accessione profecto completur reliquarum Librorum Sacrorum partium, quae diebus profestis recitantur.

Quae sane omnia hoc modo ordinata sunt, ut magis ac magis in christifidelibus ea verbi Dei fames [14] exstimuletur, qua, Spiritu Sancto duce, novi Foederis populus ad perfectam Ecclesiae unitatem veluti urgeri videatur. Hisce ita compositis, illud etiam vehementer fore confidimus, ut sacerdotes et fideles simul sanctius animum suum ad Cenam
Domini praepa/rent, simul, Sacras Scripturas altius me- 221
ditati, verbis Domini uberius in dies alantur. Exinde denique sequetur, ut, iuxta Concilii Vaticani II monita, Divinae Litterae sive quasi quidam spiritualis vitae fons perennis, sive praecipuum christianae doctrinae tradendae argumentum, sive demum cuiusvis theologicae institutionis medulla ab omnibus habeantur.

[8] Cfr. *ibid.* n. 50, p. 114. [9] *Ibid.* [10] Cfr. *ibid.* n. 52, p. 114. [11] Cfr. *ibid.* n. 53, p. 114. [12] Cfr. *ibid.* n. 51, p. 114. [13] Cfr. Amos 8, 11.

http://www.obrascatolicas.com

Verumtamen in hac Missalis Romani instauratione, non solum tres, de quibus adhuc diximus, partes, hoc est Precatio Eucharistica, Ordo Missae et Ordo Lectionum, mutatae sunt, sed ceterae etiam, in quibus idem constat, recognitae et valde variatae sunt, id est: Temporale, Sanctorale, Commune Sanctorum, Missae Rituales et Missae votivae, quae vocant. In quibus peculiaris quaedam diligentia ad Orationes adhibita est, quae non solum numero auctae sunt, ut novis horum temporum necessitatibus novae responderent, sed etiam vetustissimae ad antiquorum textuum fidem redditae. Ex quo factum est, ut singulis praecipuorum temporum liturgicorum feriis, scilicet Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, diversa cotidie adiceretur Oratio.

Quod reliquum est, licet textus Gradualis Romani, ad cantum saltem quod attinet, non fuerit mutatus, tamen, facilioris intellectus gratia, sive Psalmus ille Responsorius, de quo S. Augustinus et S. Leo Magnus saepe commemorant, sive Antiphonae ad Introitum et ad Communionem in Missis lectis adhibendae, pro opportunitate, instaurata sunt.

Ad extremum, ex iis quae hactenus de novo Missali Romano exposuimus quiddam nunc cogere et efficere placet. Cum Decessor Noster S. Pius V principem Missalis Romani editionem promulgavit, illud veluti quoddam unitatis liturgicae instrumentum idemque tamquam genuini religiosique cultus in Ecclesia monumentum christiano populo repraesentavit. Haud secus Nos, etsi, de praescripto Concilii Vaticani II, in novum Missale *legitimas varietates et aptationes* [13] ascivimus, nihilo tamen secius fore confidimus, ut hoc ipsum a christifidelibus quasi subsidium ad mutuam omnium unitatem testandam confirmandamque accipiatur,
222 utpote cuius ope, in tot varietate / linguarum, una eademque cunctorum precatio ad caelestem Patrem, per summum Pontificem nostrum Iesum Christum, in Spiritu Sancto, quovis ture fragantior ascendat.

Quae Constitutione hac Nostra praescripsimus vigere incipient a die XXX proximi mensis Novembris hoc anno, id est a Dominica I Adventus.

Nostra haec autem statuta et praescripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque praescriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die III mensis Aprilis, in Cena Domini N. I. C., anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri sexto.—PAULUS PP. VI.

[13] Cfr. CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 38-40: *A. A. S.* 56, 1964, p. 110 [LE 3141].

Adn. EL 83 (1969) 357-374, Notit. 5 (1969) 148-158; C. BRAGA in EL 83 (1969) 375-385; L. BRANDOLINI in EL 83 (1969) 386-402; J. DUPUIS in **The Clergy Monthly** 33 (1969) 448-457, 490-496; S. FAMOSO in EL 83 (1969) 422-430; A. FRANQUESA in EL 83 (1969) 403-406; D. MOSSO in **Perfice munus** 44 (1969) 514-530; A. PISTOIA in EL 83 (1963) 409-421; V. RAFFA in ME 95 (1970) 11-24.

3736

1969 APR 4.-COM. INT. CONC., RESP. AAS 61 (1969) 348

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM CIRCA DELEGATIONEM DIACONO FACTAM PRO ASSISTENDO MATRIMONIO

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, proposito in plenario coetu quod sequitur dubio, respondendum censuerunt ut infra:

D.—Utrum, iuxta Litteras Apostolicas *Sacrum Diaconatus ordinem*, diei 18 Iunii 1967, n. 22, 4 [LE 3571], collatas cum Constitutione dogmatica de Ecclesia *Lumen Gentium*, diei 21 Novembris 1964, n. 29 [LE 3232], clausula *ubi deest sacerdos* requiratur ad validitatem delegationis quae fit Diacono pro assistendo matrimonio.

R.—*Negative*, seu clausulam supradictam non esse ad validitatem requisitam.

Ssmus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 4 Aprilis 1969 infrascripto impertita supradictam decisionem ratam habuit, adprobavit et publicari iussit.—Pericles Card. FELICI, *Praeses*.

Adn. V. CARBONE in ME 96 (1972) 333-336.

3737

1969 APR 6.-SC RITUUM, DECRETUM. PART.*

ORDO MISSAE ET INSTITUTIO GENERALIS MISSALIS ROMANI PROMULGANTUR

Ordine Missae ad normam Constitutionis de sacra Liturgia instaurato, eodemque a Summo Pontifice Paulo VI per Constitutionem Apostolicam *Missale Romanum*, die 3 aprilis 1969 datam [LE 3735], approbato, haec Sacra Rituum Congregatio de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis praedictum Ordinem Missae promulgat, statuens ut a die 30 novembris huius anni 1969, dominica prima Adventus, vigere incipiat.

Una vero cum Ordine Missae, evulgatur etiam Institutio generalis Missalis Romani, quae deinceps locum tenebit tractatuum: *Rubricae generales*, *Ritus servandus in celebratione* et *in concelebratione Missae*, et *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, qui initio Missalis Romani nunc exstant. Statuitur praeterea ut haec *Institutio generalis Missalis Romani*, a Summo Pontifice pariter approbata, eodem die 30 novembris, una cum Ordine Missae instaurato, vigere incipiat. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus S. Congregationis Rituum, in Dominica Paschae, die 6 aprilis 1969.—BENNO Card. GUT, *S. C. R. Praefectus et «Consilii» Praeses*. Ferdinandus Antonelli, Archiep. tit. Idicrensis, *S. C. R. a Secretis*.

* Prot. N. R. 22/969: Notit. 5 (1969) 147. Adn. vide sub die 1969 Apr. 3: LE 3735.

3738

1969 APR 14.-SECRET. STATUS, DECLARATIO. PART.*

COMPETENTIA COMMISSIONIS DECRETIS CONCILII VATICANI II INTERPRETANDIS EXTENDITUR AD DOCUMENTA S. SEDIS PRO EXSECUTIONE DECRETORUM IPSIUS CONCILII

14 Aprile 1969

Eminenza Reverendissima, Il Santo Padre —anche in considerazione del parere espresso dall'Eminenza Vostra Reverendissima con il venerato foglio n. 115/69 del 29 Marzo scorso— ha disposto che la competenza di cotesta Commissione sia estesa alla interpretazione dei Documenti emanati dalla Santa Sede per l'esecuzione dei Decreti Conciliari.

Tanto mi do premura di comunicare all'Eminenza Vostra per sua opportuna conoscenza e norma.

Profitto volentieri della circostanza per confermarmi con sensi di profonda venerazione di Vostra Eminenza Reverendissima dev.mo in Domino.— A. G. Card. CICOGNANI.

* Praesidi Pont. Commissionis Decretis Conc. Vaticani II interpretandis, Prot. N. 134834: **Communicationes** 2 (1970) 72.

3739

1969 APR 15.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 61 (1969) 226-227

IURIDICAE QUAEDAM PATRUM CARDINALIUM RATIONES DEFINIUNTUR QUOAD SUOS TITULOS VEL DIACONIAS IN URBE

PAULUS PP. VI

Ad hoc usque tempus, Patres Cardinales in sacris huius Urbis aedibus, quas vel uti Titulum vel uti Diaconiam habebant, eiusmodi facultatibus ad administrationem pertinentibus fruebantur, quarum causae vel in munere pastorali vel in recto regimine Nostrae Romanae dioecesis positae, nunc suadere videntur abrogationem.

Quod profecto congruere putamus sive cum iis quae Decessor Noster ven. mem. Ioannes XXIII, de titulis Sedium suburbicariarum edixit, Apostolicis Litteris *Suburbicariis Sedibus* motu proprio die XI mensis Aprilis anno MCMLXII datis [LE 3058], sive cum iis quae Nosmetipsi Apostolicis Litteris *Romanae dioecesis* die XXX mensis Iunii anno MCMLXVIII editis [LE 3672] praecepimus (cfr. n. 15, *b*), quae ad collationem spectabant beneficiorum in basilicis minoribus et in collegiatis, quas vocant, in Titulum Cardinalibus assignatis.

Quapropter Nostris hisce Litteris motu proprio emittendis, ea quae sequuntur decernimus.

I. Cardinalium est bonum ecclesiarum, in Titulum vel Diaconiam acceptarum, postquam in earum canonicam venerunt possessionem, consilio et patrocinio promovere. In eas vero nulla iurisdictione pollent, neque ullo modo possunt iis se interponere, quae vel ad bonorum administrationem, vel ad disciplinam, vel ad morum correctionem,
227 vel ad ecclesiae servitium spectant. /

II. Si quid Cardinales in suis Titulis vel Diaconiis, praeter fines supra statutos, agere in animo habeant, ea de re sive cum Cardinale in Urbe Vicario, sive, si de ecclesia agatur ad Religionem clericalem immunem pertinente, cum legitimo Moderatore religioso consilia conferant.

III. Quatenus opus est, abrogantur can. 240, § 2; can. 1414, § 4; can. 1432, § 1, Codicis Iuris Canonici.

IV. Ea quae per has Apostolicas Litteras decrevimus a die XXVIII huius mensis vigere incipient.

Quae vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia rata ac firma esse iubemus, contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis Aprilis anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri sexto.—PAULUS PP. VI.

3740

1969 APR 16.-SECRETARIA STATUS, NOTIF. PART.*

PRIVILEGIUM IMPONENDI BIRETUM RUBRUM CARDINALIBUS NOVELLIS, OLIM CONCESSUM SUPREMIS MODERATORIBUS NONNULLARUM NATIONUM, CESSARE NOTIFICATUR

È noto che alcuni Sovrani ed altri Capi di Stato hanno goduto in passato del privilegio d'imporre la berretta cardinalizia a nuovi Cardinali, segnatamente a Nunzi Apostolici elevati alla dignità della porpora.

Pur consapevole delle circostanze che una volta hanno giustificato la concessione, da parte sua, di detto privilegio, la Santa Sede ha ora creduto proprio dovere fare rispettosamente presente ai Capi di Stato interessati, e cioè agli Ecc.mi Capi di Stato d'Italia, di Francia, di Portogallo e di Spagna, che, a motivo del carattere squisitamente sacro e spirituale dell'alto ufficio cardinalizio, ed anche nello spirito del Concilio Ecumenico Vaticano II, sembrava opportuno che anche il privilegio dell'imposizione della berretta cardinalizia venisse a cessare.

L'adesione che i menzionati Ecc.mi Capi di Stato hanno dato alla proposta della Santa Sede è stata cortesemente premurosa e lodevolmente unanime.

La Santa Sede ne ha preso atto con riconoscente e sincero compiacimento.

* **L'Osservatore Romano**, 109 n. 87 diei 16 aprilis 1969 p. 2.

3741

1969 APR 21.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 61 (1969) 316-320

Allocutio die 21 *Aprilis* 1969 *habita moderatoribus ac sodalibus Societatis Iesu, qui Romae Coetui interfuerunt de quaestionibus ad Instituti regimen spectantibus:*

DE VOCATIONE RELIGIOSA ET APOSTOLICA SODALIUM SOCIETATIS IESU IN PRAESENTIARUM RERUM ECCLESIAE ADIUNCTIS EXPLENDA

Dilectissimi Nobis filii, iidemque filii Societatis Iesu! Vobis, qui haud immerito, immo optimo iure «Patris» nomine appellamini [1] ob dignitatem sacerdotii Christi, qua ornati estis, ac religiosae professionis, quae vos praeclari exempli famulos et ductores efficit in Ecclesia Dei: iisque praesertim ex vobis, Patres Societatis Iesu, quibus Provincialis munus aut alia gravis momenti officia in Ordinis vestri regimine commissa sunt: de vestro adventu deque pietatis studio, quod praesentia vestra significat atque confirmat, gratias plurimas persolvimus.

Dum vobis peculiari hac data occasione gratum animum profitemur, facere non possumus quin permoveamur ad effusiorem plenioremque solvendam gratiarum actionem, quam universo Instituto vestro debemus. Siliccet Societati Iesu meritam debitamque gratiam referimus, quod quattuor amplius saecula actuosam sapientemque operam confert ad defendandam, promovendam illustrandamque Ecclesiam sanctam Dei, ac numquam cessavit strenuam filiisque dignam praestare fidelitatem erga servum servorum Dei, hoc est Romanum Pontificem, et erga hanc ipsius Apostolicam Sedem, in qua catholicae Ecclesiae unitatis et universalitatis centrum constitutum est. Item grati animi sensus proferimus de innumeris operibus et inceptis, quae Societas Iesu ad maiorem Dei gloriam suscepit promovit atque perfecit, in quovis navitatis campo, quae ad Ecclesiae munus spectat, praesertim quod attinet ad praedicationem verbi Dei, ad spiritualem animorum curam, ad ecclesiasticam profanamque mentis culturam, ad sacras missiones inter / gentes nondum Evangelii luce collustra- 317
tas, ad Christum Iesum extollendum atque defendendum per suorum exemplorum imitationem, ad testimonium denique verbis et exemplo eius nuntio salutis praestandum, quod quidem apud vos usque ad sanctitatis fastigium et sanguinis effusionem pertingit.

Hae autem laudes nostra quoque aetate inclitae strenuaeque Societati Iesu sane debentur; ac dum libenter hac utimur opportunitate, ut eas ex intimo animi sensu proferamus, enixe Deum rogamus, ut inaestimabilibus suis praemiis Institutum vestrum remuneret illudque singulari amore supernoque auxilio continenter prosequatur; itemque vota facimus, ut vos omnes vestrique sodales tam praeclarae traditionis digni sitis heredes, eamque religiose servare ac pergere valeatis.

Hoc autem grati animi Nostri testimonium singulari hoc tempore libentius impensioreque studio exhibere cupimus ob duplicem causam, quam operae pretium est nonnullis peculiaribus considerationibus explanare.

Prior causa ex eo petenda est, quod inter universam catholicam Ecclesiam vestrumque Institutum communis quaedam sors habetur, quae quidem labente tempore magis magisque firmata est. Vestra enim Societas in Ecclesia catholica locum obtinet, sine dubio circumscriptum sed egregium, ministerium quoddam implet, vitae institutionisque cuiusdam formam exhibet, laborem sustinet, qua de causa inter utramque peculiaris necessitudinis vinculum intercedit: scilicet fortuna vestra quodam modo fortunam totius familiae catholicae contingit, sive cum prosper status vester est, ut optamus, sive cum forte res vestrae dilabuntur, quod esset miserandum. Si autem ex eo quod corpori Ecclesiae militantis inseritur, Instituto vestro signum divinae benevolentiae obvenit et hoc eidem cedit honori, in quibus vobis licet gloriari [2], simul tamen illud vobis onus imponit atque officium, vosque impellit, ut conscientiam excitetis, qua ad summam omni ope nitamini fidelitatem.

Altera vero iam exponenda est causa: Ecclesia enim, ut probe nostis, nunc tempus transigit singularis momenti, sive quod ad eius attinet incrementa, quae effici iam possunt vehementi impulsu Concilii Oecumenici Vaticani Secundi, recens celebrati, et exspectatione illa hominum nostrae aetatis, novam manifestationem nuntii christiani exoptantium, sive quod spectat ad quandam perturbationem, quae non solum eius bono historice considerato, sed 318
etiam ac multo magis / gloriae nominis Christi et saluti multarum, immo plurimarum animarum detrimentum afferre potest. Est tempus, quo fortasse summo in discrimine versatur ipse vigor spiritualis et historicus Ecclesiae; etenim, quae sint hodie rerum condiciones in Ecclesia et extra eam, vos optime compertum habetis. Futurus eius status pendere potest e viis, quas in praesentibus rerum adiunctis inierint, cum onerum munerumque suorum conscientia, praecipui christifidelium coetus.

Sinite ergo, filii dilectissimi, Nos monere, quantum Ecclesia vestro opus habeat provido adiumento. Ecclesia indiget interiore animorum coniunctione, fraternitate recte disposita, consensu in dilectione innixo. Ecclesia requirit, ut caritas et oboedientia hanc suam compagem, qua in unitate componatur et institutis apte ordinetur, servent atque corroborent. Ecclesia oportet veris et vitalibus traditionibus suis, sibi constans, inhaereat, e quibus, quasi floridi rami, oriantur novae formae perennis eius vigoris. Ecclesia servet oportet germanam sacerdotii notionem eiusque propriam rem sacram et asceticam, praesertim ut integra firmaque sacri caelibatus excelsa norma colatur; pariterque oportet laicorum ordinem ad operositatem et fidelitatem incitet, qui, conscientia matura adducti, eius

[1] Cfr. *1 Cor.* 4, 15.

[2] Cfr. *2 Cor.* 8, 23; *Phil.* 3, 3.

http://www.obrascatolicas.com

evangelici nuntii disseminandi actionem confirment et amplificent intra eiusdem fines et extra. Ecclesia oportet nova comprobet ratione se idoneam esse ad hodiernae hominum societati serviendum in paupertate, cum sapientia et amore, neque temen in re sociali locum det ignaviae, qua facinora leviter permittantur, aut falso robori, quo ad seditionem et violentiam descendatur. Ecclesia, si alias umquam, hoc potissimum tempore opus habet in suae fidei professione atque studio firma perstare: illam dicimus fidem, perennem atque sinceram, quam magisterii charisma, ab ipso Christo Ecclesiae collatum, tutam securamque reddit. Ecclesia necesse habet suum afflatum, suum gaudium, suumque robur ex intima sua vita, e precationibus sive liturgicis sive privatis, atque ex divinae gratiae fontibus haurire. Ecclesiae necesse est suum ingens desiderium ad effectum deducere, quo flagrat, ut fracta christianae familiae unitas in recte compositam sibique cohaerentem caritatis conspirationem rursus instauretur, quin tamen fidei integritas per ambiguitates reticeatur neve praecipua veritatis capita corrumpantur. Ecclesia oportet recens celebrati Oecumenici Concilii Vaticani II doctrinis sincero adhaereat obsequio, easque ut normas quam fidelissime sequatur ad iuvenilem vigorem suum iterum acrius excitandum. Ecclesiae denique opus est, ne spes, ab ipso Concilio ortae, ad
319 irritum cadant; ut suscepta renova/tionis itinera non minus recta quam expedita sint; ut praesertim succrescens iuventa percipiat atque experiatur, quantopere Ecclesia eam profecto existimet, sustineat, amet.

O quae quantaeque sunt aliae etiam necessitates, quarum indicia Ecclesiae vita nostro hoc tempore praebet, instar crescentium gemmarum, e solo veluti erumpentium, vel dolorum, quae auxilium solaciumque imploranti Tempus prorsus deficiat, si has vobis numerare velimus, qui tamen eas tali rerum scientia et experientia novistis, quas unus amor vobis infudit. Quam ob rem, filii electi, strenui Nobisque carissimi, Ecclesiam iuvate. Eius necessitatibus opem auxiliumque ferte. Omnibus denuo nunc ostendite, hac scilicet temporum condicione, periculi plena sed animis fortiter accendendis aptissima, ad quaenam egregia facinora Ignatii filii adhuc valeant!

Vobis Sanctae Ecclesiae necessitates breviter commemoravimus: at vero nihil aliud addemus, ut viam rationemque vobis explicemus, qua spiritualem militiam vestram, sueta ac iuvenili semper alacritate, exerceatis? Omnia sane, quae ad vos attinent, satis diceremus, si vos id unum moneremus: scilicet ut recentis vestrae tricesimae primae Congregationis Decreta diligenter fideliterque servetis, in quae elaboranda tanto incubuistis studio. Nihilominus perplacet Nobis, ut sane addecet amantissimum ac sollicitum patrem, vestros ante oculos tria haec hortamenta ponere, quippe quae apta ac salutaria sint tum vobis tum iis omnibus, qui vobismetipsis ducibus in militia vestra sunt adscripti.

Horum primum hortamentorum hoc est, ut insignem illam Spiritualium Exercitiorum palaestram constanti existimatione atque fiducia prosequamini. Brevissima huiusmodi commemoratio satis esto ad eadem Exercitia enixe commendanda.

Alterum vero hortamentum tale est, ut duplex momentum vocationis vestrae, quae religiosa atque apostolica est, penitus perspicere studeatis: scilicet firma cum illa animi perseverantia, quae vobis propria est, meditandas observandasque curate vestras Constitutiones, sive vetustiores sive recentiores. Cavete ne umquam tentationi indulgeatis iisdem vos exsolvendi, speciosa causa impulsi quod ita paratiores ad hodierna tempora sitis atque adeo faciliorem ad nostrae aetatis homines aditum habeatis. Tali enim modo in id inciditis periculum, ut vos ipsi ad *naturalismum*, qui latissime nunc obtinet, convertamini, potius quam homines ad vitae ducendae rationem et ad supernaturalia mysteria convertatis, quae catholicae religionis propria sunt.

320 Tertium demum hortamentum est —neque admiremini, quod id/ ipsum Nostro profluat ab ore; hanc enim rem dicimus, ut Nobismetipsis dicamus itemque arctiore vobiscum ac firmiore communione coniungamur—: Iesum diligite; tamquam viventem Personam Eum diligite (siquidem Ipse revera vivit!), tamquam Magistrum verum, tamquam Amicum unicum a quo inenarrabili prorsus ratione diligimur, tamquam Salvatorem omnia donantem omniaque merentem; diligite Eum, dicimus, sicut nempe ab iis diligi debet, quibus praesenti hac vita et semper feliciter contigit, ut membris Societatis eius ascriberentur.

Haec quidem omnia vobis, cunctis vestris Sodalibus, vestraeque disciplinae alumnis et discipulis ex animo ominamur libenterque Apostolica Nostra Benedictione confirmamus.

3742

1969 APR 25.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 61 (1969) 610-611

IN THAILANDIA NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR, NOMINE THAILANDENSIS

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Instans illa qua urgemur sollicitudo, ut cunctis pro munere consulamus hominibus, Nos impellit ut, opportuna oblata occasione, arctiores cum civilibus nationum auctoritatibus consuetudines foveamus, quae non solum sanctae Christi Ecclesiae, verum etiam nationibus ipsis magnas afferant utilitates. Cuiusmodi consuetudines cum in Thailandensi etiam natione instituendae viderentur, Apostolica scilicet Nuntiatura constituta, libenti Nos animo ad illud conficiendum negotium contendere statuimus, id plurimum confisi ut, quae incepta in religiosarum temporaliumque rerum provincia inita ibi locorum adhuc fuerint, vel maiora etiam, Deo iuvante, initum iri. Quae cum ita sint Nos, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione, harum Litterarum vi, Delegatio illa Apostolica quae in regionibus Thailandensi, Laosiensi, Malacensi et Singaporensi antea exstabat, ita in / posterum 611
mutabitur ut Nuntiatura Apostolica, nomine Thailandensis, habeatur, atque separatim Delegatio Apostolica in regionibus Laosiensi, Malacensi et Singaporensi, quarum sedes in urbe vulgo Bangkok esse pergat. Novae conditae Nuntiaturae omnia deferimus iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta, quae huiusmodi legationum propria sunt, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque integros effectus sortiri et obtinere, ipsique nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die quinto et vicesimo mensis aprilis, anno millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius*. Franciscus Tinello, *Apostolicam Cancellariam Regens*. Ioannes Calleri, *Proton. Apost.* Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

3743

1969 APR 25.-CONS. LITURGIAE, DECRETUM. PART.*

QUAEDAM APTATIONES GENIO ET CULTURAE INDIAE IN LITURGIAM INTRODUCENDAE APPROBANTUR

The Cardinal President of the «Consilium», His Eminence Benno Cardinal Gut, has accepted the proposals of the Catholic Bishop's Conference of India for certain adaptations in the liturgy, according to articles 37-40 of the Liturgical Constitution. In his name I would like to establish what follows:

1. The posture during Mass, both for the priests and the faithful, may be adapted to local usage, that is, sitting on the floor, standing and the like; footwear may be removed also.
2. Genuflections may be replaced by the profound bow with the anjali hasta.
3. A panchanga pranam by both priests and faithful can take place before the liturgy of the Word, as part of the penitential rite, and at the conclusion of the anaphora.
4. Kissing of objects may be adapted to local custom, that is, touching the object with one's fingers or palm of one's hand and bringing the hands to one's eyes or forehead.
5. The kiss of peace could be given by the exchange of the anjali hasta and, or the placing of the hands of the giver between the hands of the recipient.
6. Incense could be made more use of in liturgical services. The receptacle could be the simple incense bowl with handle or with agarbatti.
7. The vestments could be simplified. A single tunic-type chasuble with a stole (angavastra) could replace the traditional vestments of the Roman rite. Samples of this change are to be forwarded to the «Consilium».
8. The corporal could be replaced by a tray (thali or thamboola thattu) of fitting material.
9. Oil lamps could be used instead of candles.
10. The preparatory rite of the Mass may include: *a)* the presentation of gifts; *b)* the welcome of the celebrant in an Indian way, e.g. with a single arati, washing of hands, etc.; *c)* the lighting of the lamps; *d)* the greeting of peace among the faithful in sign of mutual reconciliation.
11. In the «Oratio fidelium» some spontaneity may be

permitted both with regard to its structure and the formulation of the intentions. The universal aspect of the Church, however, should not be left in oblivion.

12. In the Offertory rite, and at the conclusion of the Anaphora the Indian form of worship may be integrated, that is, double or triple «arati» of flowers, and/or incense, and/or light.

The above-mentioned adaptations can be put into effect by the Episcopal Conference and local hierarchies in places where they see fit and in the degree and measure that they think fitting for the faithful. A catechesis, however, should precede such changes, and if necessasy, a gradual implementation could be done.

* Ad Praesidem Conferentiae episcopalis Indiae, Prot. N. 802/69: Notit. 5 (1969) 365-366. Adn. Notit. 5 (1969) 366-374; 6 (1970) 89 et 282.

3744

1969 APR 29.-CONVENTIO SOLLEMNIS CUM RHENANIA-PALATINATO. AAS 62 (1970) 157-162

CONVENTIO INTER SANCTAM SEDEM ET RHENANIAM-PALATINATUM, CIRCA NONNULLAS MUTATIONES IN CONCORDATTUM INTRODUCENDAS

ACCORDO FRA LA SANTA SEDE ED IL LAND RENANIA-PALATINATO, CON CUI SI APPORTANO AGGIUNTE E MODIFICHE ALLE DISPOSIZIONI CONCORDATARIE VIGENTI NELLA RENANIA-PALATINATO

La Santa Sede, rappresentata dal suo Plenipotenziario Monsignor Corrado Bafile, Arcivescovo titolare di Antiochia di Pisidia, Nunzio Apostolico in Germania,

e il Land Renania-Palatinato, rappresentato dal Signor Dr. h. c. Peter Altmeier, Presidente dei Ministri, mossi dal desiderio di rafforzare e promuovere le amichevoli relazioni esistenti fra la Santa Sede ed il Land, partendo dalla considerazione che i Concordati con la Baviera del 29 Marzo 1924 (per il territorio già bavarese) [LE 586], con la Prussia del 14 Giugno 1929 (per il territorio già prussiano) [LE 905] e con il Reich Germanico del 20 Luglio 1933 [LE 1182] sono in vigore, hanno deciso di stipulare il seguente Accordo al fine di adeguare alla nuova situazione le dispozisioni concernenti la formazione dei maestri.

ARTICOLO 1

1) In ogni sezione dell'Alta Scuola scientifico-educativa del Land vengono istituite: 1. cattedre di Teologia cattolica, i cui titolari saranno nominati soltanto se dal competente Vescovo diocesano non saranno state sollevate obiezioni contro il candidato; 2. una cattedra per Pedagogia religiosa, il cui titolare sia in grado di svolgere il suo insegnamento nello spirito della dottrina cattolica.

2) I programmi e gli ordinamenti per gli esami nelle discipline Teologia cattolica e Didattica dell'insegnamento religioso vengono compilati d'intesa con l'Autorità diocesana. Nelle commissioni di esame, che sono competenti per il conferimento della idoneità all'insegnamento della Religione cattolica nelle *Grundschulen*, *Hauptschulen* e *Sonderschulen*, le Autorità diocesane saranno convenientemente rappresentate. Per impartire l'istruzione religiosa si richiede la *missio canonica* da parte del Vescovo diocesano.

ARTICOLO 2

1) Il Land garantisce l'istituzione ed il funzionamento di una Alta Scuola scientifico-educativa ecclesiastica. La partecipazione dello Stato alle spese relative sarà regolata in apposita convenzione.

2) Il Land curerà che all'Alta Scuola scientifico-educativa ecclesiastica siano riconosciuti gli stessi diritti accademici che alle corrispondenti Alte Scuole statali.

3) Gli studenti formati nell'Alta Scuola scientifico-educativa ecclesiastica verranno ammessi, a tenore delle prescrizioni generali, agli esami di Stato e verranno equiparati nell'impiego agli insegnanti formati nelle Alte Scuole statali.

ARTICOLO 3

Se in avvenire sorgesse qualche divergenza sulla interpretazione e sulla pratica applicazione di una disposizione del presente Accordo, la Santa Sede ed il Land Renania-Palatinato procederanno di comune intelligenza ad una amichevole soluzione.

VERTRAG ZWISCHEN DEM HEILIGEN STUHL UND DEM LAND RHEINLAND-PFALZ ZUR ERGÄNZUNG UND ÄNDERUNG DER KONKORDATÄREN BESTIMMUNGEN IM LAND RHEINLAND-PFALZ

Der Heilige Stuhl, vertreten durch dessen Bevollmächtigten, den Herrn Apostolischen Nuntius in Deutschland, Corrado Bafile, Titularerzbischof von Antiochen in Pisidien,

und das Land Rheinland-Pfalz, vertreten durch den Herrn Ministerpräsidenten, Dr. h. c. Peter Altmeier, haben, geleitet von dem Wunsch, das freundschaftliche Verhältnis zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Lande zu festigen und zu fördern, ausgehend von der Tatsache, dass die Konkordate mit Bayern vom 29. März 1924 (im ehemals bayerischen Teil des Landes) [LE 586], mit Preussen vom 14. Juni 1929 (im ehemals preussischen Teil des Landes) [LE 905] und dem Deutschen Reich vom 20. Juli 1933 [1182] in Geltung stehen, beschlossen, in Anpassung / an 158
die Entwicklung auf dem Gebiet der Lehrerbildung den folgenden Vertrag zu schliessen:

ARTIKEL 1

1) An jeder Abteilung der Erziehungswissenschaftlichen Hochschule des Landes werden eingerichtet: 1. Lehrstühle für katholische Theologie, deren Inhaber erst dann ernannt werden, wenn von dem zuständigen Diözesanbischof gegen die in Aussicht Genommenen keine Erinnerung erhoben worden ist; 2. ein Lehrstuhl für Religionspädagogik, dessen Inhaber in der Lage ist, seinen Wissenschaftsbereich im Geiste der katholischen Lehre zu vertreten.

2) Die Studien- und Prüfungsordnungen für die Fächer katholische Theologie und Didaktik des Religiosunterrichts werden im Einvernehmen mit den kirchlichen Oberbehörden aufgestellt. In den Prüfungsausschüssen, die für die Erteilung der Lehrbefähigung für den katholischen Religionsunterricht an den Grund-, Haupt- und Sonderschulen zuständing sind, erhalten die kirchlichen Oberbehörden eine angemessene Vertretung. Die Erteilung des katholi-/ 159
schen Religionsunterrichts setzt die Missio canonica durch den Diözesanbischof voraus.

ARTIKEL 2

1) Das Land gewährleistet die Errichtung und den Betrieb einer kirchlichen Erziehungswissenschaftlichen Hochschule. Die Beteiligung des Landes am notwendigen Aufwand wird in einer besonderen Vereinbarung geregelt.

2) Das Land wird dafür Sorge tragen, dass der kirchlichen Erziehungswissenschaftlichen Hochschule die gleichen akademischen Rechte wie vergleichbaren staatlichen Hochschulen des Landes eingeräumt werden.

3) Die an der kirchlichen Erziehungswissenschaftlichen Hochschule ausgebildeten Studenten werden nach Massgabe der allgemeinen Bestimmungen zu den staatlichen Prüfungen zugelassen und in ihrer beruflichen Verwendung den an staatlichen Hochschulen des Landes ausgebildeten Lehrern gleichgestellt.

ARTIKEL 3

Sollte sich in Zukunft wegen der Auslegung oder praktischen Anwendung einer Bestimmung dieses Vertrages irgendeine Meinungs/ verschiedenheit ergeben, so werden 160
der Heilige Stuhl und das Land Rheinland-Pfalz im gemeinsamen Einvernehmen eine freundschaftliche Lösung herbeiführen.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICOLO 4

Il presente Accordo, i cui testi italiano e tedesco fanno ugualmente fede, dovrà essere ratificato. Gli Istrumenti della ratificata verranno scambiati in Bad Godesberg. Esso entrerà in vigore il giorno dello scambio di detti Istrumenti.

In fede di che il presente Accordo è stato sottoscritto in doppio originale.

Magonza, 29 Aprile 1969.—CORRADO BAFILE, *Nunzio Apostolico.*

PROTOCOLLO FINALE

Nell'atto di sottoscrivere l'Accordo oggi concluso fra la Santa Sede ed il Land Renania-Palatinato, sono state fatte le seguenti concordi dichiarazioni che costituiscono parte integrante dell'Accordo stesso:

Circa l'Art. 1: Norme analoghe si applicheranno, in caso di modifica dell'interna struttura dell'Alta Scuola scientifico-educativa, alle nuove forme organizzative che subentreranno a quelle finora in vigore per la formazione dei maestri destinati alle *Grundschulen* e *Hauptschulen*.

Circa l'Art. 1 *comma* 1: I titolari delle cattedre di cui all'Art. 1 n. 1 estendono il loro insegnamento anche alla Didattica dell'insegnamento religioso ed alle questioni di confine fra la Teologia e le altre scienze. La dotazione minima per la disciplina Teologia cattolica comprende, oltre a dette cattedre, secondo il bisogno, incarichi di insegnamento, posti per collaboratori accademici, personale ausiliario e di segreteria, come pure una biblioteca, il tutto da integrarsi in una unità.

Le liste dei candidati alle cattedre di Teologia cattolica vengono compilate d'intesa con il competente Vescovo diocesano, il quale con ciò stesso fa conoscere che non solleva obiezioni contro le persone proposte. Per il conferimento di un incarico d'insegnamento si applica l'Art. 1 comma 1 n. 1.

I titolari delle cattedre di Pedagogia religiosa trattano il campo scientifico della Pedagogia con speciale riguardo alla formazione ed educazione religiosa. Il giudizio se i candidati presi in considerazione per le cattedre di cui all'Articolo 1 comma 1 n. 2 siano in grado di svolgere il proprio insegnamento nello spirito della dottrina cattolica spetta alla competente Autorità diocesana.

Nella configurazione dello studio pedagogico e nella compilazione dei programmi e degli ordinamenti per gli esami, il Land curerà che gli studenti, i quali scelgono le materie Teologia cattolica e Pedagogia religiosa, non vengano per questo gravati più che gli altri studenti.

Circa l'Art. 1 *comma* 2: Il Land favorirà l'aggiornamento dei maestri nell'insegnamento della Religione nello stesso modo che nelle altre discipline.

Circa l'Art. 2 *comma* 3: Il Land assicura agli studenti dell'Alta Scuola scientifico-educativa ecclesiastica possibilità di tirocinio pari a quelle degli studenti dell'Alta Scuola scientifico-educativa del Land.

Magonza, 29 Aprile 1969.—CORRADO BAFILE, *Nunzio Apostolico.*

ARTIKEL 4

Dieser Vertrag, dessen italienischer und deutscher Text gleiche Kraft haben, bedarf der Ratifikation. Die Ratifikationsurkunden werden in Bad Godesberg ausgetauscht. Er tritt mit dem Tage des Austausches in Kraft.

Zu Urkund dessen ist dieser Vertrag in doppelter Urschrift unterzeichnet worden.

Mainz, den 29. April 1969.—ALTMEIER, *Ministerpräsident.*

SCHLUSSPROTOKOLL

Bei der Unterzeichnung des am heutigen Tag geschlossenen Vertrages zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Land Rheinland-Pfalz sind folgende übereinstimmende Erklärungen abgegeben worden, die einen integrierenden Bestandteil des Vertrages bilden:

Zu Artikel 1: Bei einer Änderung der inneren Struktur der Erziehungswissenschaftlichen Hochschule gilt für / neue Organisationsformen, die an die Stelle der bisherigen Organisationsformen zur Ausbildung der Lehrer an Grund- und Hauptschulen treten, Entsprechendes. 161

Zu Artikel 1 *Abs.* 1: Die Lehrstuhlinhaber gemäss Art. 1 Abs. 1 Ziff. 1 vertreten ihren Wissenschaftsbereich auch hinsichtlich der Didaktik des Religionsunterrichts und der theologischen Grenzfragen. Die Mindestausstattung für das Fach Katholische Theologie umfasst neben diesen Lehrstühlen nach Bedarf Lehraufträge, Stellen für akademische Mitarbeiter, Hilfs- und Schreibkräfte sowie eine Bibliothek; sie sollen zu einer Einheit zusammengefasst werden.

Die Vorschlagslisten für die Berufungen auf die Lehrstühle für katholische Theologie werden im Einvernehmen mit dem zuständigen Diözesanbischof erstellt, der damit gleichzeitig zum Ausdruck bringt, dass er gegen die Vorgeschlagenen keine Erinnerung erhebt. Für die Erteilung eines Lehrauftrages gilt Art. 1 Abs. 1 Ziff. 1 entsprechend.

1 Die Lehrstuhlinhaber für Religionspädagogik vertreten den pädagogischen Wissenschaftsbereich unter besonderer Berücksichtigung der religiösen Bildung und Erziehung. Die Beurteilung, ob die für die Besetzung der Lehrstühle gemäss Art. 1 Abs. 1 Ziff. 2 in Aus/sicht Genommenen in 162
der Lage sind, ihren Wissenschaftsbereich im Geiste der katholischen Lehre zu vertreten, trifft die zuständige kirchliche Oberbehörde.

Im Aufbau des Pädagogischen Studiums und in der Gestaltung der Studien- und Prüfungsordnungen wird das Land dafür Sorge tragen, dass die Studenten, die die Fächer Katholische Theologie und Religionspädagogik wählen, dadurch nicht mehr als andere Studenten belastet werden.

Zu Artikel 1 *Absatz* 2: Das Land wird die Fortbildung der Lehrer im Fach Religion in gleicher Weise fördern wie die Fortbildung in den anderen Fächern.

Zu Artikel 2 *Absatz* 3: Das Land wird die schulpraktische Ausbildung der Studenten der kirchlichen Erziehungswissenschaftlichen Hochschule in gleicher Weise sicherstellen wie diejenige der Studenten der Erziehungswissenschaftlichen Hochschule des Landes.

Mainz, den 29. April 1969.—ALTMEIER, *Ministerpräsident.*

Conventione inter Apostolicam Sedem et Rhenaniam-Palatinatum rata habita, die XXVII mensis Februarii anno MDCCCCLXX Ratihabitionis Instrumenta accepta et reddita mutuo fuerunt. Exinde, i. e. a die XXVII Februarii anno MDCCCCLXX, huiusmodi Conventio inter Apostolicam Sedem et Rhenaniam-Palatinatum icta vigere coepit ad normam articuli IV eiusdem Pactionis

3745

1969 APR 30.-SC CLERI, INSTR. AAS 61 (1969) 361-384

DIRECTORIUM GENERALE PRO MINISTERIO PASTORALI QUOAD «TURISMUM»

I. DE ECCLESIA ET TURISMO SEU DE HOMINUM PEREGRINATIONIBUS ANIMUM RELAXANDI CAUSA INITIS

Peregrinans in terra, Ecclesia ad Evangelium omni creaturae nuntiandum (cfr. *Mc.* 16, 15) missa, operi instans Christi, qui «non in mundum a Patre missus est ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum» (*Io.* 3, 17), vult ministerium suum seu servitium hominibus praestare in concretis realitatibus, in quibus reapse ipsi hodie versantur et quae hodiernae civilizationis propriae sunt [1]. Ad «novos modos sentiendi, agendi, otioque utendi» [2], qui de «novi humanismi» [3] instauratione testes nos reddunt, per-

[1] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 2 et 3 [LE 3366]; cfr. etiam Pauli VI, *Homilia* in IV Ss. Conc. Vat. II: *A. A. S.* 58 (1966), p. 57 [LE 3362].
[2] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 54 [LE 3356].
[3] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 55.

scrutandos intenta; in societatis, in qua ipsa vivit, transformatione, una cum eius «expectationibus, appetitionibus et indole» [4], occupata; ipsa «totius mundi varias et pugnantes significationes summa benevolentia ipsa prosequitur... et in ipsum sincera fertur admiratione sinceroque proposito movetur non ei dominandi sed serviendi, non eum contem- 362
nendi / sed dignitatem ipsius augendi, non eum damnandi, sed solacium et salutem ei afferendi» [5].

Inter has mundi mutationes grandiaque phaenomena socialia certe «Turismus» eminet, qui pluribus in nationibus turbarum hominum (de «masse») phaenomenon constituit; in ceterarum pluribus vel iam initium capit vel de die in diem succrescit. Ob formas vel modos quibus perficitur, Turismus amplitudines «fere immensas» [6] iam iam assumit, omnium hominum civilizationum et religionum mutuas fovendo coniunctiones.

1. *De novis pastoralis formis seu modis*

Ecclesiæ, huius novae formae temporis liberi usus, qui saepe hominum multitudines a propria habitatione movet sive intra suae nationis fines sive extra, non lucri aut laboris exclusiva causa, amplitudine complexitateque valde anxiatur [7]. Hac de causa ipsa, quatenus ex se est, operam suam praestare cupit, ut Turismus «a perfectorum rectorum numeris ac nobilibus intentionibus sustentus, validum in moderna formatione culturali elementum, benevolentiae inter populos pacisque internationalis vinculum, efficiens ad magis ac magis excelsiores ascensiones benedicente Dei aspectu prorsus dignas spiritum perducendi significatio, esse queat» [8].

Atque, conscia de multis problematibus quae hoc phaenomenon, «nostrorum temporum signum», in animarum cura exercet, Ecclesia respuit deprimentia examina (diagnoses) ac remedia proponere vult, ut hodiernae societatis aspirationes purificet ac benedicat «et Evangelii nuntium tradat... quodammodo eam prosequendo, quae velociter ac continenter mutatur» [9]. Ecclesia valores humanos christianosque non iudicat omderni Turismi causa periclitari, sed 363
non congruente spirituali / maturatione [10] non solum ipsius turistae (vel omnium qui industriae turisticae in eius permultis expressionibus inserviunt), sed etiam communitatum e quibus ipse exiit quibusque inseritur.

Ex hoc patet cur Ecclesia, prae oculis etiam certe habenda repugnantes discrepationes oeconomicas ac sociales, quae varios populos angunt, atque non paucis moderni Turismi turbidis formis sollicita, altos valores ac specifica perfectionabilitatis elementa, quae ipsemet promovere potest, ut novus humanarum relationum ordo instauretur, agnoscat. Ipsum Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum fideles ut sano Turismo fruantur, hortatus est: «Otia ad animum relaxandum et mentis ac corporis sanitatem roborandam rite insumantur, per liberas industrias et studia, versus alias regiones itinera (turismus), quibus ingenium hominis expolitur, sed et homines mutua cognitione locupletantur, per exercitationes quoque et manifestationes sportivas quae ad animi aequilibrium, etiam in communitate, servandum necnon ad fraternas relationes inter homines omnium condicionum, nationum, vel diversae stirpis statuendas, adiumentum praebent» [11].

Denique: succrescens Turismi extensio, sua dimensio internationalis, suus dynamismus vehemens, profundae transformationes quas movet, graves interrogationes quas ponit, Ecclesiam sollicitant stimulantque ne sistat «in positionibus traditionalibus, sed novas formas pastorales quaerat» [12] atque ut tempestiva opportunaque remedia paret tum pro peregrinantibus tum etiam pro iis, qui a Turismo vitae subsidia laborisque media hauriunt, ut nostrae homines aetatis, qui etiam huius phaenomeni causa «variis hodie vinculis socialibus, technicis, culturalibus arctius coniuncti, plenam etiam unitatem in Christo consequantur» [13].

Analysis enim linearum evolutionis humanae communitatis praevidere facit tempus liberum —ideoque Turis- 364
mum, qui eiusdem validum est elementum— quo magis solvi poterunt graviores praeoccupationes oeconomicae, sociales, politicae in variis regionibus, magnum futuri hominis problema constiturum esse, cum ipse, quamquam varia mensura, semper maiore libertate gaudebit: aut pro ampliore deflexionis ac donorum Dei fruitionis facultate, aut pro sua radicaliore dishumanizatione.

Pastores ac prudens christianus munus habent, pro sua quisque competentia, operam navandi ut tempus liberum fiat tempus superioris aestimationis affluentium copiarum oeconomicarum, culturalium, affectivarum, spiritualium, necnon pro Turismi temporis in salutis aeternae tempus promotione fovenda.

2. *De responsabilitate communitaria*

Huius «eventus socialis» [14] saeculi evangelizatio integro Populo Dei, Clero Laicisque, pro suo quisque munere, impendit atque novos caritatis limites [15] sollicitudinemque pro nova Communitatis christianae forma structuraque, ad quam Turismus dynamicizandam, dilatandam atque transformandam confert, manifestare debet.

Responsabilitates, quae ex hac situatione oriuntur, permultae sunt omnibusque patescunt si, omni praeludicio remoto, fundamentales mutationes observentur, quas haec forma modernae hominum peregrinationis promovet praesertim in iuvenilium generationum animo insidendo, necnon in locis qui Turismi «*terminus a quo* et *terminus ad quem*» sunt.

Concilium Vaticanum Secundum sacram Hierarchiam hortatus est ut particularem sollicitudinem pro fidelibus, qui «ob vitae condicionem ordinaria Parochorum cura pastorali non satis frui valent, aut eadem penitus carent, uti sunt quamplurimi migrantes... maritimi... aëronavigantes, nomades *aliique id genus*. Aptae methodi pastorales promoveantur ad vitam spiritualem fovendam *eorum qui relaxationis causa* ad tempus alias regiones petunt. Episcoporum Conferentiae, praesertim Nationales, urgentioribus quaestionibus ad praedictos spectantibus sedulo studeant et aptis instrumentis ac institutionibus spiritualibus / eo- 365
rum curae concordi voluntate viribusque unitis consulant atque faveant, attentis in primis normis ab Apostolica Sede statutis vel statuendis, temporum, locorum et personarum condicionibus apte accommodatis» [16].

Quatenus ipsimet pertinet, Communitas christiana suam responsabilitatem perpendere debet respectu omnium eorum qui in seipsa, Turismi causa, inseruntur, quamquam ad breve tempus, quaevis eorum cultura vel religio sit. Communitas ideo ad eos «actuosae hospitalitatis sensu» [17], excipiendos, necnon ad eos cohaerens fidei caritatisque testimonium praebendum, tenetur.

Concilium Vaticanum Secundum insuper ad laicorum mentem non solum revocavit eorum munus mundi animationem «spiritu christiano» [18] fovendi, sed etiam cum ipsimet solacii causa peregrinantur, munus sese gerendi quasi «praecones itinerantes Christi» [19].

Id quoque valet pro operatoribus turisticis, qui suis ac-

[4] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 4.
[5] Pauli VI, *Allocutio*, secunda Ss. Concilii Vat. II periodo ineunte: *A. A. S.* 55 (1963), p. 856 [LE 3130]. [6] Paulus VI: *A. A. S.* 59 (1967), p. 429.
[7] Praecipuae formae quibus Turismus manifestatur sunt: rusticatio, week-end, curae thermales, turismus religiosus, socialis, culturalis, technologicus, congressualis, sportivus, navigatio oblectationis causa, etc.
[8] Paulus VI: *A. A. S.* 55 (1963), p. 749.
[9] Decl. de educatione christina *Gravissimum educationis*, Prooemium [LE 3335]; cfr. etiam Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A. A. S.* 53 (1961) p. 402 [LE 2984]; cfr. Pauli VI, *Homilia* in IV Ss. Conc. Vat. II: *A. A.* 58 (1966), pp. 54-56 [LE 3362].
[10] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 13: «Deum tamquam principium suum saepe agnoscere rennens, etiam debitum ordinem ad finem suum ultimum, simul ac totam suam sive erga seipsum, sive erga alios homines et omnes res creatas ordinationem disrupit».
[11] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 61; cfr. etiam Ioan. XXIII: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 455-457.
[12] Paulus VI, *L'Osservatore Romano*, 7-6-1964.

[13] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 1; cfr. etiam Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 4: «... de vera sociali et culturali transformatione loqui possumus, quae etiam in vitam religiosam redundat»; ibid., n. 5: «... genus humanum a notione magis statica ordinis rerum ad notionem magis dynamicam atque evolutivam transit, unde quam maxime nascitur problematum nova complexio, quae ad novas analyses et syntheses provocat».
[14] Paulus VI, *L'Osservatore Romano*, 17-18-8-1963; cfr. etiam Pius XII, 30-3-1952 et 29-10-1952: *Discorsi e Radiomessaggi*, Ed. Pol. Vat., vol. XIV, pp. 375-378.
[15] Cfr. *Circulares Litterae* S. Congregationis Concilii, n. 104132, diei 19-3-1966 [LE 3123].
[16] Decr. de past. Episcopi munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 18; cfr. Paulus VI: «Singulae Auctoritates Ecclesiasticae, quibus a Deo gravis responsio est commissa curam fidelium spiritualem agendi, qui etiam tantum ad breve tempus in suis territoriis commorantur, eam instituendi formis magis idoneis a «complexus» Pastorali hodie requisitis». *L'Osservatore Romano*, 8-3-1964; cfr. etiam Pauli VI, *Allocutio* quarta Ss. Concilii periodo ineunte, 14-9-1965: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 794-805 [LE 3317].
[17] Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 12 [LE 3346].
[18] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 43; cfr. etiam Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 2 [LE 3335].
[19] Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 14; cfr. etiam Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 9 [LE 3232].

http://www.obrascatolicas.com

ttvitalibus explendis, forte magis quam turistae, cohaerentis fidei testimonii praebendi difficultatem experiuntur.

3. *De turismi valoribus*

Praedictae considerationes plene confirmantur iis quae sequuntur.

Populus Dei, etsi diversis mensuris modisque, directe vel indirecte particeps Turismi factus, edocendus est ut valores aestimet authenticos, quos phaenomenon secum fert non solum sub stricte spirituali respectu, sed etiam humano, quatenus ipse est, inter cetera, medium: — unitatis humanae familiae necnon transformationis elevationisque socialis; — hominis solidarietatis cetero cum universo; —
366 humanae personae restaurationis. /

Magis definite:

a) *Turismus, principium unitatis, transformationis elevationisque socialis fermentum.*

Turismus enim, si eo recte fruatur: — confert ad mutuam hominum cognitionem ac ad hospitalitatis sensum evolvenda; — discidia socialia et «ratialia», uti aiunt, minuit [20]; — populorum segregationem vincit, nocivorum praeiudiciorum victoriam fovendo, variarum civilizationum culturarumque occursu ope; — stipem oeconomicam conspicuam pro pluribus nationibus constituit fovetque novos laboris fontes, quibusdam in regionibus emigrationis phaenomenon perstringendo; — unificationis, ad quam Populus Dei ordinatur, cursum promovet [21].

His similibus modis potest itaque Turismus non solum pacis fraternae coniunctionisque inter populos instrumentum fieri, sed etiam facilem, realem validamque reddere conciliationem inter variarum religionum credentes, necnon inter non credentes, in occursu oecumenici dialogique instrumentum conversus, in caritatis ac spei spiritu [22].

b) *De hominis cum universo mundo solidarietate.*

Turismus, praesertim in quibusdam suis formis, fovet
367 hominis cum natura consuetudinem; ipsiusmet naturae copiarum aestimationem promovet; earum mutua ligamina, faciliter a technica discrimini exposita, removet; pulchritudines, in creato mirabiliter respersas, velut haereditatem toti humanitati communem, conspiciendas pandit [23].

Quae ligamina in Providentiae, quae creationis operam homini / commisit [24], ordine continentur. In ipso enim homine «ob... eius corporis condicionem ... mundi materialis elementa suum verticem pertingunt vocemque sumunt ad Creatorem *in libertate* laudandum (cfr. Dan. 3, 57-90)» [25].

Bona legitimaque est humana aspiratio ad rerum fruitionem creatarum, e quibus Turismus fulturam excipit quasque ipse favet. «A Christo enim redemptus et in Spiritu Sancto nova creatura effectus, homo ipsas res a Deo creatas amare potest et debet. A Deo enim illas accipit et quasi de manu Dei fluentes respicit et reveretur. Pro illis Benefactori gratias agens et in paupertate et libertate spiritus creaturis utens ac fruens, in veram mundi possessionem introducitur, tanquam nihil habens et omnia possidens (cfr. 2 *Cor.* 6, 10)» [26].

c) *De humanae personae restauratione.*

Turismus considerari quoque potest velut validum humanae personae restaurationis elementum. In ipso enim «soma et psychè», laboris ac rhytmici vitae cotidiani intertritura defatigata, reficiuntur: homo suam libertatis mo-

[20] Cfr. Ioannes XXIII: «In praesenti humanorum eventuum cursu, quo hominum societas novum rerum ordinem ingredi videtur, potius arcana Divinae Providentiae cor ullia agnoscenda sunt, quae per tempora succedentia, hominum opera, ac plerumque praeter eorum expectationem, suum exitum consequuntur, atque omnia, adversos etiam humanos casus, in Ecclesiae bonum sapienter disponunt». *Allocutio* in sollemni SS. Concilii Vat. II inauguratione, die 11-10-1962: *A. A. S.* 54 (1962), p. 789 [LE 3083]; cfr. etiam Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 1; Pius XII, 30-3-1952: *Discorsi e Radiomessaggi*, Ed. Pol. Vat., vol. XIV, pp. 39-45.

[21] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 5 et 24; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 1; cfr. etiam Paulus VI: «Ecclesiae catholicae nemo extraneus, nemo exclusus, nemo longinquus est». *Homilia* in sollemni Ss. Concilii Vat. II conclusione (8-12-1965) *A. A. S.* 58 (1966), p. 6 [LE 3362].

[22] Cfr. Paulus VI, *L'Osservatore Romano*, 23-1-1965; cfr. etiam Pius XII, 5-6-1952: *Discorsi e Radiomessaggi*, Ed. Pol. Vat., vol. XIV, pp. 191-194.

[23] Cfr. Pius XII, 29-10-1953: id., vol. XV, p. 448.

[24] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 12: «... hominem ad imaginem Dei» creatum esse, capacem suum Creatorem cognoscendi et amandi, ab eo tanquam dominum super omnes creaturas terrenas constitutum (cfr. *Gen.* 1, 26; *Sap.* 2, 23) ut eas regeret eisque uteretur, glorificans Deum (cfr. *Eccli.* 17, 3-10)»; cfr. etiam nn. 14 et 57.

[25] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 14.

[26] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 37.

tusque anxietatem confirmat relationesque interpersonales in quodam particulari serenitatis contextu, maioris fiduciae necnon plenioris ad occursum dialogumque promptitudinis instaurat.

Turismus, si recte vivatur, etiam autoeducationis ac personalis suppletionis formam assumit, praesertim vi sui culturalis elementi; non est ergo ipse merum effugium vel simplex animi relaxatio tantummodo ad saepe extenuatoriam operosae vitae monotoniam, sed «pretiosum humanum pondus» [27] suppeditare potest.

Ipse autonomiae ac in alios reverentiae sensum promovet, admirationem ac centra, ad quae omnium studia diriguntur, excitat necnon, spiritus relaxationem fovendo, quaedam personalitatis elementa, quae secus forte laesa remanerent, excolit [28]. Ad hoc memoretur Concilium Vaticanum Secundum expressim commendasse ut laborantes «opportunitatem habeant vires ac potentias libere evol- 368
vendi, quas fortasse in labore professionali parum excolere valent» [29].

* * *

Plerumque Turismus suam formam a spirituali eorum qui illum prosequuntur formatione sumit.

Evolutionis fit elementum quando homo illum redimit vivitque, restaurationem Christi Domini Resurrectione inceptam prae oculis habendo [30].

Id procul dubio supponit ut christianus plene educetur ad in praxim deducendas suas responsabilitates liberis decisionibus atque ad proprium tempus personaliter ordinandum, praesertim in maioris autonomiae contextu, qua fruitur quando a suae consuetae commorationis loco abest.

Quando, e contra, homo sana formatione morali indiget, Turismum prosequendo, fieri potest diductus, vagus, adventicius festinus, mancipium multorum mediorum, quae eidem percrescens progressus praebet, superficialis humani dialogi incapax, neglegens naturae pulchritudinum humanaeque operae divitiarum spectator, inquisitior anhelus voluptatum malarum experientiarum usque ad hospitalitatis, quae eidem obtulitur, abusum [31].

II. Praxis pastoralis [32]

Efficax pastoralis organica phaenomeni turistici perdiligentem coordinationem sequentibus gradibus postulat: *a)* S. Congregationis pro Clericis (Sector pro Ministerio Pastorali quoad Turismum); / *b)* Conferentiarum Episco- 369
palium; *c)* Dioecesium.

1. *De S. Congregationis pro Clericis eiusque pro ministerio pastorali quoad turismum sectoris opera*

Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae* [LE 3588] vi, Turismi Pastoralis inter competentias, responsabilitates et actuositates definitas pro Sacra Congregatione pro Clericis, quae specialem Sectorem, Ufficio Secundo adnexum, pro Ministerio Pastorali quoad «Turismum» habet, adnumeratur.

Huius Sectoris praecipua sunt muner : — studere phaenomeni turistici consectariis in fidelium vitam spirituam [33] easque in contextu socisli generali considerare; — coordinare «apostolicos conatus ut aequa novis exigentiis tum turistarum, tum variarum personarum, quae iisdem servitium praebent, responsio tribuatur» [34]; — curare relationes cum S. Sedis organis, quorum pro particulari competentia interest, ut problematibus a Turismo po-

[27] Pius XII, 29-10-1953: *Discorsi e Radiomessaggi*, Ed. Pol. Vat., vol. XV: p. 449.

[28] Cfr. Pius XII, 30-3-1952 et 5-6-1952: id., vol. XIV, pp. 43-44 et pp. 193-194.

[29] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 67.

[30] n. 11; Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 3; Litt. Encycl. *Populorum progressio*, n. 1 [LE 3546].

[31] Cfr. Pius XII: Nec desunt «qui in exteris regionibus ea sibi concedunt, quae conscientia in suis consuetae commorationis locis argueret», *Discorsi e Radiomessaggi*, Ed. Pol. Vat., vol. XV, p. 449; cfr. etiam Pius XII, 29-10-1952: id., vol. XIV, p. 378.

[32] Cum praesens Directorium Generale actionem pastoralem respiciat circa problemata Ecclesiae a Turismo proposita atque reservetur Episcopis quatenus animarum curae responsabiles sunt, manifestum est quod quae hic proponuntur, ad quaestiones circa apostolatum ab eisdem ordinatum essentialiter referuntur. In his variis normis directivis exarandis serio experientiae pastorales iam in multis diversorum Continentium regionibus peractae consideratae sunt.

[33] Cfr. Paulus VI: *A. A. S.* 59 (1967), p. 429. [34] Paulus VI: *ibidem*.

sitis in universo mundo studere [35], necnon cum Delegatis vel Commissionibus Conferentiarum Episcopalium pro Turismi Pastorali; — fovere congressus internationales ac nationales pro eiusdem Turismi renovanda Pastorali, quin negligantur opportuni occursus cum Organizationibus Internationalibus fratrum seiunctorum aut laicorum intuitu pacificae possibilisque collaborationis, ut Turismi valores spirituales, ad omnes bonae voluntatis homines movendos, diffundantur.

2. *De Conferentiarum Episcopalium opera*

Sicut praevisum est a Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 9 [LE 3457], et ad mentem Decr. *Christus Dominus*, n. 18 [LE 3332, necessarium omnino est ut singulae Con-
370 ferentiae Episcopales, quibus statuere competit / muneris pastoralis rationes vel condiciones concretas congruentesque, in suo sinu constituant Commissionem vel saltem Sacerdotem delegent ad perpendendas Turismi exigentias pastorales locales, statisticas reales prae oculis tenendo, ut conatus omnes Turismi Pastoralem respicientes prout reales necessitates requirunt, coordinantur. Hoc vero postulat:

a) studium «novarum praesentiae formarum ac Evangelii nuntiandi» [36], tum ut turistarum christianorum exigentiis spiritualibus provideatur, tum ut omnibus bonae voluntatis turistis opportunitas fraterni occursus dialogique praebeatur;

b) ordinatio, animatio, renovatio ac coordinatio Pastoralis Turismi in tota Natione, ope etiam conventuum pro Clero Laicisque, quin ulla forma propria Turismi negligatur;

c) selectio ac formatio quorundam Sacerdotum, extraneis non exclusis [37], ad dioecesium in quibus maxime Turismus evolvitur, servitium addictis;

d) promotio forte utilis quorundam congressuum internationalium variarum Conferentiarum Episcopalium, quarum Pastoralis Turismi interest.

Praedicta Commissio, vel Sacerdos delegatus, non solum Sacerdotibus recte paratis, sed etiam ac praesertim Laicis in re *peritis* utantur.

Hos inter novissimos opportunum erit cooptare peritos in re sociologica, in generali cultura ac in actuositatibus turisticis; praesertim repraesentantes auctoritate pollentes praecipuarum Societatum navigantium aëris marisque, magnarum itinerum procurationum (vulgo «Agenzie»), cauponum, operatorum turisticorum in genere, necnon eorum qui editiones turisticas curant.

Conferentiae Episcopales insuper invitantur consulere pro viribus ut praesertim frequentioris Turismi tempore, facultatem sacras confessiones fidelium excipiendi extendant Sacerdotibus omnibus iam in sua Dioecesi eadem gaudentes, dum in toto territorio nationali iter agunt, vel etiam, specificis in casibus, quando exteras regiones peragrant.

Similes normae praevideantur etiam pro sacra praedicatione ac Eucharistico cultu, salvis tamen Ordinarii loci iuribus.

Foveantur relationes contactusque etiam ope congres-
371 suum opportune / ordinatorum cum fratribus seiunctis, possibilis intuitu collaborationis in peramplo Turismi agro, iuxta normas a Secretariatu pro Christianorum unitate statutas.

3. *De Dioecesium opera*

A) Normae generales.

Cum problemata pastoralia Turismum modernum respicientia efficaciter solvi singulorum animarum curatorum initiativa nequeant, actio pastoralis in hoc sectore relinquenda non est singulis cuiusvis pastoris conatibus, neque exsequi potest nisi coordinata mutuaque actione.

Loci Ordinarius, praevia sui Consilii Pastoralis consultatione, actionis rationes (vulgo «programmi») concretas parare debebit, ut omnes vires utiles consocientur ad ministerium reapse efficax ordinandum dialogumque cum tu-

[35] Inde ab anno 1965 S. Sedes Membrum Effectivum est Unionis Internationalis «Organismes Officiels de Tourisme» (U.I.O.O.T.) habetque suum Delegatum apud tale Ens.

[36] Card. A. Cicognani, *Epistula ad LXXI Congressum «les Oeuvres Catholiques»*, Annecy 8-4-1965; cf. *La Documentation Catholique*, 1965, col. 891.

[37] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, nn. 22 et 30 [LE 3332].

ristiis in genere instaurandum. Turismi Pastoralis requirit quoque tum in Dioecesibus, quae sunt *terminus ad quem*, tum in illis, quae sunt *terminus a quo*, mediorum ac remediorum complexum atque eorum coordinationem, quae postulant munus communitarium «ut cura pastoralis in Dioecesi unitate non careat atque efficacior reddatur» [38], securam reddendo «concordem actionem» [39], atque efficacem. Turismus enim, ut supra memoratum est, influxum suum exercet in magna contextus socialis parte, eidemque se admiscet «in mentalitate ac moribus nostrae aetatis» [40]. Tale munus ex Dioecesis parte valorem suum servat etiam si non omnes paroeciae Turismi metae sunt [41].

Turismi Pastoralis igitur Pastoralis dioecesanae ordinaria ac essentialis consideranda est, praesertim quem respicit: *a)* initiativas pervulgantes valorum notitiam, quos Turismus forte pro omnibus exprimit; *b)* praeparationem ac formationem christianorum ad sanam Turismi fruitionem; *c)* fidelium educationem ut expensae quas pro Turismo sustinent, / non in paupertatis iniuriam vertantur, sed, e 372
contra, valorum quos ipse, si eodem recte utatur, producit pro singulis ac pro societate; *d)* spiritualem assistentiam turistis atque omnibus Turismi operatoribus, necnon omnibus personis ab eisdem dependentibus; *e)* laicorum apostolatus animationem quoad Turismum [42]; *f)* acta proposita ut cultus a fratrum seiunctorum parte, prout infra notabitur, exercitium foveatur.

Ergo:

1. Necessarium est suscitare, praesertim praedicationis et catechesis ope, conscientiam valorum positivorum, tum humanorum tum christianorum Turismi, ita ut eo ipso fruatur gaudiosa participatione ac cum Domini Paschate communione.

2. Ut christianus iuvetur magis personali actuosaque adhaesione ad sua munera adimplenda praedictorum valorum institutio commendetur velut pars integrans educationis scholasticae, necnon communicationis socialis usu. Id humanae christianaeque conscientiae magis idoneam formationem adiuvabit, ut «tot problemata moralia, quae tam in vita singulorum quam in sociali consortione exsurgunt, in veritate solventur» [43] etiam et tam saepe Turismi causa.

3. Clerus et Laici ita formentur ut, cognito phaenomeno eiusque influxu tam positivo quam negativo in animarum cura atque in Communitate, oppetere valeant efficientia ac mediorum copia exigentias spirituales hodie a Turismo impositas, ut intret —etiam hunc agrum— Ecclesia in humana consortione [44] servitii spiritu praedita.

4. Christianorum ad Turismum formatio celebratione completur Eucharistica, «totius vitae christianae fonte et culmine» [45]. In SS. Eucharistia turistae ac industriae turisticae ministri Deo Victimam Divinam offerunt atque una cum Ipsa seipsos [46] in sui ipsius particulari condicione gaudii, libertatis, dono creationis fruitionis specialis, aut pro fratribus servitii.

Ex Christi Corporis autem communione virtutem hauriunt, qua semper gratiae baptismali ideoque morali adhaerentes [47] idoneique sunt / ad apostolatum exercendum 373
quem eisdem Ecclesia committit ab eisdemque expectat. Turismus, velut *praenuntius unitatis et pacis*, axem suum invenit centralem in Eucharistia quae *signum unitatis est et vinculum caritatis* Populi Dei [48] causaque fontalis illius libertatis, quae tantum scit bonum operari.

Insuper Eucharistiae participatione, christianus, sicut peregrini Emmaus (cfr. *Lc.* 24, 13-32), facilius agnoscere sciet fratres in Christo homines sibi in Turismo consociatos, vel illos quibus occurrit in sua peregrinatione, vel quibus ipse inservit.

[38] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 30.

[39] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 17.

[40] Paulus VI, *L'Osservatore Romano*, 18-19-7-1966.

[41] Cfr. Decr. de past. Episcp. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 17; «... in eiusdem peculiaribus regionibus...».

[42] Cfr. Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, nn. 5; 13, 14.

[43] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 16.

[44] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 9; cfr. etiam Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 3.

[45] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 11; cfr. etiam n. 3.

[46] Cfr. Const. dogm. de Eccles. *Lumen gentium*, n. 11.

[47] Cfr. *S. Thom.*, III, q. 79, aa 1 et 5.

[48] Cfr. S. August., In Ioannem, Tract. XXVI, n. 13; *PL* 35, 1613; cfr. etiam *1 Cor.* 10, 17; 12, 12; 12, 27; *Rom.* 12, 5; *S. Thom.*, III, q. 82, a. 7, ad 2; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, nn. 3 et 11.

http://www.obrascatolicas.com

B) Normae particulares.

Hoc Directorium Generale, perspecta necessitate quod Ecclesia suam methodologiam pastoralem novis temporum exigentiis continuo aptet atque conspiret, ut «sedulo perfectior quaeratur temporalis ordinatio» [49] coram vitae hodiernae transformationibus utile iudicat quasdam animadversiones in concreto proponere aptandas utique in singulis Dioecesibus iuxta Ordinarii prudens iudicium ac iuxta pastorales characteristicas quae, logice, variantur —interdum etiam magnopere— in variis regionibus [50].

Ordinario loci cura est ut:

a) *Quod cleri formationem in genere*: — prividear lectiones orientativas circa Turismi Pastoralem, etiam opportunis exercitationibus [51] (v. g. itinera culturae acquirendae utilia promovenda), ut fere manuducantur futuri Sacerdotes ad realem in hoc sectore pastoralem [52]; / — faveat
374 linguarum extranearum inter Clerum studium [53]; — doceat quod dialogus omissus vel neglectus cum turistis et operatoribus turisticis — praesertim cum his qui minus religionem servant — minus grave non est quam mediocris hospitalitatis oblatio.

b) *Quoad ministerium sacerdotale*: —ordinentur cursus renovationis vel dies studii Pastoralis Turismi pro Clero, dioecesano ac regulari, etiam una cum laicis catholicis tum ut oportune experientiae comparentur, tum ut auxilia definiantur, quae Conferentia Episcopalis forte poterit pro apta assistentia spirituali turistarum etiam extraneorum destinare [54];

— quaerantur igitur, si opus fuerit, a Conferentia Episcopali Sacerdotes eiusdem nationis, vel extranei ad paroecias iuvandas in locis turisticis positas, «temporibus» peregrinationum, ne desint «Sacerdotes, numero et idoneitate saltem sufficientes, qui praesto sint pro rite pascendo Populo Dei» [55];

— reddatur secura effectiva praesentia Cleri localis temporibus maioris occursus turistici, concedendo tamen cuique Sacerdoti in alio anni tempore congruum requiei spatium [56];

— attentis phaenomeni turistici characteristicis internationalibus atque ut facilis Poenitentiae Sacramenti administratio reddatur, Parochis facultas concedatur Sacerdotes *pro tempore* in suis paroeciis commorantes, delegandi, dummodo iam regularibus facultatibus in propria Dioecesi gaudeant, ad Confessiones audiendas etiam turistarum extraneorum, statutis tamen horis;

— dirigantur Parochi ut faciliter accedant conditionibus pro Pastorali Turismi a Laicis propositis, sive ipsi paroeciani sint, sive turistae commorantes, qui per plures anni menses contextui paroeciali adhaerent;

— sollicitentur animarum curatores ut directe aut indi-
375 recte provi/deant ut opportune maiori quo potis est numero turistarum operatorumque turisticorum occurratur, quin qui fidem nostram non profitentur obliviscantur;

— Sacerdotibus itinerantibus memoretur ut Oleum Sanctum pro Infirmorum Unctione secumferant.

c) *Quoad cultum in locis turisticis*: — oblectatione, quam cultus locus decore servatus in omnes exercet, considerata, semper eiusdem dignitas secura reddatur;

— securae quoque reddantur celebrationes liturgicae in opportunis horis magnaque cum cura celebratae, necnon sacra praedicatio spiritualibus hospitum exigentiis apta [57];

— S. Missae in diebus festis celebratio necnon Poenitentiae Sacramenti administratio linguis turistis magis notis foveantur, nuntio opportuno, intelligentis indicationis (v. g. segnaletica, signalisation) ope, etiamque, si casus ferat, pluribus linguis vulgato [58];

— in diebus festis (eorumque vigiliis) SS. Missarum, quas «vespertinas» vocant, celebratio foveatur, et saltem una Missa ferialis vespertina in locorum turisticorum paroeciis celebretur. Etiam, dum talis cultus ferialis celebratur, opportunum erit, sicut experientia iam docet, brevem homiliam dicere;

— examinetur, effectivis statisticis attente consideratis, opportunitas S. Missam in diebus festis vel dominicis celebrandi inde a primis vesperis dominicae vel vigiliae [59].

— secura in diebus festis S. Missae celebratio reddatur in tentoriis (v. campeggi, camping) —opportune electo loco— atque, ubi potis est, «Sacellorum mobilium» (v. cappelle mobili, chapelles mobiles) ope, necnon coetuum selectorum, ut christianum turistis testimonium praebeant, praesentia foveatur;

— secura coordinatio ex parte parochorum, praesertim in diebus festis, reddatur, ut servitia religiosa Sacerdotibus transeuntibus, vel *pro tempore* in sua quisque paroecia commorantibus praebeantur;

— praescribatur in «oratione fidelium» ut, tempore quo Turismus agitur, mentio fiat tam illorum, qui Turismo fruuntur, ad eos sollicitan/dos ut christiana officia observent, quam eorum qui eodem Turismo frui nequeunt, quia 376
pauperes sunt, vel in ipsomet suam operam praestant;

— cultus loca ita disponantur ut integro die patescant ad fidelium pietatem fovendam atque ad operum arte insignium forte ibi servatarum visione fruendum;

— provideatur ut oblationum, quae in Ecclesia colliguntur, pars deferatur pro servitiis animarum curae necessariis, vel dialogo cum turisticis fovendo;

— hortentur monasteria contemplativa ut Ministerio Pastorali quoad Turismum suarum ferventium precum subsidium praebeant.

d) *Quoad turismum religiosum*: — cura habeatur ut magis aestimetur turismus religiosus (peregrinationes), eiusdem elementum spirituale vel sacrum dierum festorum traditionalium in loco characterem tutando;

— aestimatio Sanctuariorum in Dioecesi existentium promoveatur, tum magna contributione considerata, quam ipsa Sanctuaria administrationi Sacramentorum Poenitentiae ac Eucharistiae conferunt, tum incitamento perpenso, quod eadem etiam in turistas non observantes exercent.

e) *Quoad populum christianum*: — memoretur pastoralis actio defutura esse nisi efficax fidelium collaboratio adsit nisique eorum modus vitam ducendi personalem et familiarem atque per se ipsum solum validum testimonium constituat;

— non solum provideatur, praesertim in centris turisticis, actio ad praecavenda mala, sed etiam ad ea medenda ante et postea quam Turismus suos periodicos cursus incipiat, formando populationes, apud quas turistae diversantur, ad christianae vitae testimonium praebendum, ad hospitales esse in caritate atque coram mentalitatis morumque novitate prudentes;

— ubi possibile est, praesertim in Centris montanis thaermarumque, comparentur ac apparentur una cum Societatibus turisticis collaborando conferentiae aut occursus culturales-religiosi, etiam extra Ecclesiam, ad praesertim «longinquos» («lontani») in suo circulo vel loco captandos [60]; ad hunc finem consequendum pretiosa erit etiam in formatio/nis Institutis (Universitatibus, Seminariis, etc...) 377
Docentium collaboratio;

[49] Const. past de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 4; cfr. etiam Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 14.

[50] Quaedam animadversiones *praeparationem remotam* ad Turismi Pastoralem, aliasque, *proximam* respiciunt. Sed cum etiam haec distinctio in concreto a diversis situationibus singularium Dioecesium propriis dependeat, hic non opportunum visum est earum tempora distinguere. Notetur insuper quod quae infra Pastoribus proponuntur —ut iam supra dictum est— experientiarum apostolicarum sunt fructus a multis Delegatis Nationalibus ac Dioecesanis pro Turismi Pastorali communicatarum respicientique praesertim Dioeceses, quae Turismi *sterminus ad quem* sunt.

[51] Cfr. Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 21 [LE 3334].

[52] Cfr. Card. A. Cicognani: «Summus Pontifex exoptat ut institutio theologica pastoralis Turismi suum debitum locum obtineat in formationis ecclesiticae religiosaeque Institutis, ad hunc finem etiam maiorem Professorum et Docentium in Universitatibus Seminariisque collaborationem fovendo». *Epistula* ad «Convegno Ital. per i Docenti di Teologia Pastorale», *L'Osservatore Romano*, 18-9-1966; cfr. etiam Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 8 et 19.

[53] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 23.

[54] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 16; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 19.

[55] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 23.

[56] Cfr. Card. A. Cicognani: *Epistula* ad «I Conv. Naz. Ital. per Curatori di Anime in località turistiche», *L'Osservatore Romano*, 24-25-10-1966.

[57] Cfr. *Instructio de Cultu Mysterii Eucharistici*, n. 19 [LE 3562]; cfr. etiam Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 44 [LE 3423]

[58] Cfr. *Litterae Circulares S. Congregationis Concilii*, n. 104132, 19-3-1966

[59] Cfr. *Instructio de Cultu Mysterii Eucharistici*, n. 28; cfr. analogia cum Decr. de Eccl. Orient. Cath. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 15 [LE 3233].

[60] Cfr. Card. A. Cicognani: «Numquam satis laudari queunt initiativae culturales-religiosae, iam in quibusdam maioribus centris turisticis experitis quae mirum efficientium ad animabus remotis occurrendi Deo possibilitatem, quae mirum efficientium ad animabus remotis occurrendi Deo possibilitatem, obtinendam manifestaverunt». *Epistula* ad «I Conv. Ital. «Turismo e Pastorale»», *L'Osservatore Romano*, 6-2-1963; cfr. etiam Paulus VI, *L'Osservatore Romano*, 8-3-1964.

— excolatur Pastoralis Turismi elementum missionale, eorum praevia aequaque praeparatione, qui regiones non christianas neque credentes peragraturi sunt, ut validum fidei, caritatis virtutumque civilium testimonium, ipsa suae vitae ratione, praebeant;

— secure firmetur collatio apostolica Associationum laicalium catholicarum ad Turismi, praesertim iuvenilis, Pastoralem;

— foveatur *turismus socialis* ita ut iuvet evolutionem valorum constitutivorum personae atque verae authenticae vitae socialis [61];

— praebeatur directe vel indirecte, «etiam illis qui congruis carent mediis possibilitas inveniendi requiem et reficiendi vires in domibus pro feriis aptis, in peregrinationibus ordinatis, in «coloniis» pro pueris» [62];

— iuste aestimentur christianae artis monumenta in Dioecesi existentia, eorum religiosae significationis perspicuam praesentationem praebendo; ad hunc finem promoveatur formatio spiritualis ac culturalis mystagogorum vel «ductorum» (v. «Guide»), necnon perdiligens praeparatio mediorum technicorum utilium ad ea monumenta aestimanda, vel ad vitam christianam illustrandam [63];

— curetur ne in locis turisticis stipes fastidiose quaerantur;

— concurratur, etiam cuiusdam diei festi sacram praedicationem opportunam tradendo, ut recte fideles in christiana viarum disciplina doceantur ne aliorum vita in autovehicularum ductione periclitetur [64];

— foveatur in vehiculis signi S. O. S. diffusio, sicut iam quibusdam in regionibus utiliter fit, ut facilis, in gravibus variis casibus, spiritualis adsistentia reddatur.

f) *Quoad operatores turisticos*: — evolvatur dialogus in caritate cum omnibus operatoribus turisticis quamcumque
378 religionem colant; /

— curetur spiritualis eorum christianorum catholicorum formatio, qui in variis industriarum turisticarum sectionibus laborant (v. g. ductorum montanorum, ludimagistrorum vulgo «sci» nuncupati, ministrorum in thermarum institutis, etc. ...) atque debito tam cauponibus quam personis cauponicis spiritualis adsistentia foveatur [65];

— ubi potis, auxilium Sacerdotibus in Turismi apostolatu praestantibus praebeatur ad formationem ethico-professionalem in Turismi Institutis professionalibus;

— promoveantur occursus cum operatoribus turisticis, ut eorum labor spiritu evangelico imbuatur: eorum exigentias praesertim spirituales cognoscendo; eorum relationes frequentiores cum Ecclesia reddendo; eorum officiorum conscientiam quoad Turismi moralitatem illuminando [66];

— suadeatur cauponibus opportunitas in singulis diversorii cubiculis S. Bibliam, si potis in linguis praecipuarum turmarum turisticarum, idque fraterne consentientibus cultus ministris fratrum seiunctorum, sicuti iam variis in fregionibus fit.

g) *Quoad Fratres seiunctos*: — Praeter ea, quae in praecedentibus paginis iam memoratum est: *a)* praebeantur christianis non catholicis loca cultus iuxta Directorii Oecumenici normas [67]; *b)* invitentur animarum curatores ut christianos non catholicos ad suum ministrum vel locum
379 cultus, si ibi existant, dirigant, in praescriptionum / spiritu praedicti Directorii pro Orientalibus, in nn. 53 et 54 [68], pro ceteris christianis vero in nn. 62 et 63 [69].

Summatim: loci Ordinarius curet ut suus Clerus turistas, cuiuscumque nationis, condicionis, aetatis, religionis sint, velut ad Populum Dei ordinatos atque nunquam velut Communitati, cuius animarum curator est et pastor, extraneos consideret [70].

Ut Ordinarius firmare valeat quae supra [71] ad «idoneae curae spiritualis fines» [72], analogice uti debebit, sicut M. P. *Ecclesiae sanctae*, I, n. 9 (cfr. num. 15), praevidet, vel Sacerdote vel Commissione *ad hoc*, quae laicos in Turismo peritos comprehendet atque relationes regulares cum Delegato vel cum nationali Commissione pro Turismi Pastorali teneat.

Commendatur insuper ut quaedam membra praedictae Commissionis ac praesertim eiusdem Praeses (deficiente vero Commissione, Delegatus supradictus) membra quoque sicut effectiva Consilii tum Presbyteralis tum Pastoralis dioecesani sint.

Omnes tandem Communitates, et urgentiore modo, quarum Turismus interest, suum apostolatum perficere debent iuxta exigentias, quas / gentium (osmosis) peregrinatio gra- 380
datim magis magisque definit: id quod exigit spiritualem aperitionem formationemque, cuius evolutio et amplitudo fructus erunt caritatis mensurae, quae reapse eas vivificat debetque «tendere ut cor Ecclesiae dilatetur... usque ad universalem Christi propositi et caritatis mensuram» [73].

4. *De Religiosorum auxilio ad turismi pastoralem*

Religiosi, quatenus «bono totius Ecclesiae pro sua vocatione et gratia serviunt» [74], validam suam operam Turismi Pastorali praebere possunt vel preces fundendo (cfr. n. 23), vel pro sua competentia doctrinam proponendo, vel etiam sua communicationis socialis instrumenta commodando. Pastoralis Turismi insuper, qua «Pastoralis organicae» (Pastorale d'insieme, Pastorale d'ensemble) elementum, fidere debet religiosorum Sacerdotum cooperatione [75], sicut etiam illa Institutorum Saecularium Religiosarumque.

Praeterea, Sacerdotum religiosorum sicut etiam ceterorum Institutorum perfectionis apostolatus in coetibus turisticis exercendus legitime requiri potest non solum quia religiosi «Corpori Episcoporum coaptantur» [76], sicut omnes presbyteri, sed etiam quia eorum ipsa particularis «mobilitas», quam saepe Fundatores suis religiosis Communitatibus concessere, speciali modo idonea videtur ad hunc «Pastoralis complexus» laborem atque modo actuali vivoque ad apostolicae vocationis exigentias respondet. Omnes igitur religiosi, salvis cuiuscumque Instituti indole, fine specifico, sanis traditionibus, interna disciplina Superiorumque auctoritate, qua Episcoporum collaboratores vocantur ad Populi Dei exigentiis occurrendum, praesertim ubi multi fideles viis ministerii ordinariis prosequi nequeunt.

Superiores religiosi insuper invitentur: *a)* ut praeparent

[61] Cfr. *A. A. S.*, ibidem n. 53: «Curent moderatores scholarum et Institutorum catholicorum ut copia detur ministris orientalibus praestandi adiutorium, spirituale et sacramentale, fidelibus ipsorum qui Institura catholica frequentant. Quod adiutorium, pro rerum adiunctis et concessa licentia Ordinarii loci, etiam intra aedificium catholicum, templo non excluso, praeberi potest.»

N. 54: «In nosocomiis et aliis institutionibus similibus quae a catholicis reguntur, curent moderatores ut sacerdotem Ecclesiae Orientalis seiunctae tempestive certiorem faciant de praesentia fidelium eius atque facultas ei detur aegrotos visitandi necnon sacramenta digne et reverenter iis administrandi».

[62] Cfr. *A. A. S.*, ibidem n. 62: «Curent moderatores scholarum et Institutorum catholicorum ut facultas detur ministris aliarum Communionum praestandi adiutorium, spirituale et sacramentale, propriis fidelibus qui Instituta catholica frequentant. Quod adiutorium, pro rerum adiunctis, etiam intra aedificium catholicum dari potest ad normam numeri 61.

N. 63: «In nosocomiis et aliis institutionibus similibus quae a Catholicis reguntur, curent moderatores ut ministros Communionum seiunctarum tempestive certiores faciant de praesentia eorum fidelium atque facultas aegrotos visitandi necnon adiumentum spirituale et sacramentale praestandi iisdem detur».

[63] Cfr. Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 6: «Communitas ... localis non suorum dumtaxat fidelium curam fovere, sed etiam zelo missionali imbuta viam ad Christum omnibus hominibus parare debet».

[64] Cfr. Card. A. Cicognani: «Turismi Pastoralis, quatenus Pastoralis «organicae», quam vocant, pars est, a locorum Ordinariis dependet ab iisdemque providenda est». *(Epistula* ad II Congressum Italicum pro animarum Curatoribus in locis turisticis); *L'Osservatore Romano*, 24-25-10-1966.

[65] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 23.

[66] Paulus VI, *L'Osservatore Romano*, 20-1-1966.

[67] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28.

[68] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; cfr. etiam Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 30.

[69] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28.

http://www.obrascatolicas.com

excolantque tales pretiosos collaboratores huius tam modernae animarum curae, vel aeque institutione in formationis Pastoralis Turismi Institutis, vel participatione ad Congressus ordinatos ut Cleri cultura circa tales apostolatus formas renovetur; / *b)* ut collocentur, in paroeciis 381
praesertim religiosis commissis, Sacerdoti religiosi omnimodo formati ad huius phaenomeni spirituales exigentias satisfaciendas.

Praecipuo modo perutile erit auxilium Institutorum Saecularium, sive ut «servitium», sive ut «christianum testimonium».

Domus religiosae denique, commodatae velut «convictus», vel ut diverticula in locis turisticis, optimum praebere exemplum debent, secura indicia quoad religiosa servitia communicando, in singulis cubiculis S. Bibliam, vel saltem Novum Testamentum collocando atque super omnia circulum vere fraternum, occursus pro omnibus obtulendo.

5. *De Diaconis in turismi pastorali*

Ubi Diaconatus permanens a Conferentiis Episcopalibus, Summo Pontifice assentiente (cfr. *Sacrum Diaconatus Ordinem*, I, 1) restitutus est, Diaconorum permanentium opera, sub eorum Superiorum ductu, etiam in Turismi Pastorali exercenda pretiosa erit. «Gratia etenim sacramentali reborati, in diaconia liturgiae, verbi et caritatis, ... in communione cum Episcopo eiusque presbyterio» [77], validi cooperatores sunt. Revera ut tales evadant, necesse prorsus est ut Dioeceses ad eorum specialem formationem etiam in hoc animarum curae sectore provideant.

6. *De laicis militantibus ac de turismi pastorali*

Laicorum apostolatus maximum interest in Turismi Pastorali Generali, sive quia praesertim laici sunt qui Turismo indulgent, sive quia industria ac organizatio turistica a laicis dependet [78].

Ecclesia igitur a Laicis militantibus non solum testimonium, sed etiam intellegentem ac fervidam collaborationem in variis apostolatus turistici gradibus expectat.

Evidenter haec collaboratio variabitur prout variae sunt possibilitates situationesque singularum personarum, necnon varia earum specifica erit praeparatio. «Laici vero, qui 382
in tota vita Ecclesiae actuosas / partes gerendas habent, non solum mundum spiritu christiano imbuere tenentur, sed etiam ad hoc vocantur ut in omnibus, in media quidem humana consortione, Christi sint testes» [79]. Magni quoque momenti sunt Concilii Vaticani Secundi sequentia verba: «Colant... sensum dioecesis... prompti semper, ad invitationem Pastoris sui, suas quoque vires inceptis dioecesanis adicere... eo magis quia crebrescens in dies migratio populorum, mutuae necessitudinis augmentatio et communicationum facilitas, iam non sinunt ullam partem societatis in se clausam manere. Ita de necessitatibus Populi Dei in toto orbe terrarum dispersi solliciti sint» [80]; eoque magis quam laici «in campo... otii fratribus adiuvandis aptiores exsistunt» [81]. Revera cum ipsi sive ad Populum Dei, sive ad societatem civilem pertineant [82], frequentiores obviaeque occasiones dialogum cum ceteris instaurandi habent.

Immo exoptandum est ut ipsi periti fiant vel ut Directores aut similes in diversis actuositatibus mansionis laborisque a Turismo oblatis, itaque bonum fermentum in farina reconditum evadant (cfr. *Mt.* 13, 33). Optanda quoque est Laicorum militantium insertio in organizationibus turisticis etiam in regionibus non christianis [83], quas etiam turistae catholici petunt.

Laicorum collaboratio praesertim consulitur ut foveatur: *a)* institutio in omnibus suis gradibus circa temporis liberi ideoque Turismi rationalem usum; *b)* diffusio cognitionum de Turismi valoribus positivis ope omnium instrumentorum communicationis socialis; *c)* profundior cognitio culturalis circa eiusdem functionem in hominis vita; *d)* institutio spiritualis coetuum professionalium. / 383

Insuper: Laici, praesertim militantes, sibi persuasum habeant sanum Turismum exigere coordinatum non solum singulorum, sed etiam coetuum conatum, quoniam impossibile evadit promovere singulis seiunctisque conatibus humanizationem, quam vocant, huius phaenomeni tam dynamici irreversibilisque sicuti Turismus est.

Tandem, si Hierarchiae munus est docere ac authentice interpretari principia hac in re tenenda atque promovere necessarias structurarum reformationes (postulatas a ministerio magis sollicito de Turismi multiplicibus influxibus in animarum curam) ad Laicos praesertim pertinet, libera sua initiativa, quin passive officia normasque expectent [84], spiritu christiano mentes et mores, Communitatis leges, habitudinesque imbuere, necnon Turismo habitu vere humano et christiano frui.

Revera, «Ecclesia non vere fundata est, non plene vivit, nec perfectum Christi signum est inter homines nisi, cum hierarchia, laicatus veri nominis exstet et laboret» [85].

Ideo, hoc Directorium Generale non neglexit commendare ut inter collaboratores Delegati nationalis vel dioecesani pro Ministerio Pastorali quoad Turismum (aut inter Commissionum pro dicta Pastorali membra) etiam laici bene praeparati cooptentur, similiter ac Concilium Vaticanum, Secundum pro Commissione Pastorali dioecesana praevidit [86].

CONCLUSIO

In superiore disceptatione perspicue probatum est Turismum, per se, non solum homini hodierno —magis magisque futuro— occasionem praebere cognoscendi invisendique totam terram, iam, quodam sensu, nimis angustam effectam pro eo, sed etiam et maxime ceteros homines fraterne obviandi.

Haec fundamentalis realitas Ecclesiam instat, ut christianos formet «adultos», qui semper et ubique vivant prout fides exigit.

Pastoralis ergo Turismi, considerata in sua multiplici evolutione suisque semper novis exigentiis, cum tandem intime «Pastorali motus» uniatur, supra descriptis normis exhauriri nequit. Quoniam vero hortamenta illa experientiarum iam longe lateque confirmatarum fructus / sunt: ... 384

— in communi agnitione «progressum humanum verae hominum felicitati inservire posse» [87]; — in admissione totius boni, quod in moderno dynamismo invenitur; — in praevisione percrebescentis diffusionis Turismi vis quoad loca, vis quoad varios humanae familiae coetus, dummodo odia bellaque ne sanguine mundum maculent; — in memorando, tandem, Turismum esse elevationis socialis perfectorem posseque etiam Oecumenismum necnon inter populos unionis causam, ... eadem auxilium praebere cupiunt Pastoribus, ut traditionalem animarum curam enovent integrantque quoad novum contextum socialem Turismi phaenomeno productum.

Huius Directorii Generalis normae, tandem, sibi proposuerunt fovendi ex fidelium parte, qui Turismo fruuntur vel in Turismo laborant, cum Deo Caritate communionem, «a Quo averti, cadere; in Quem converti, resurgere; in Quo manere, consistere est; a Quo exire, emori; in Quem redire, revivíscere; in Quo habitare, vivere est» [88].

Romae, in Festo S. Catharinae Senensis, 1969.—I. Car. VILLOT, *Praef.* P. Palazzini, *a Secr.*

Praesens Directorium Generale Summus Pontifex Paulus Papa VI Litteris suae Secretariae Status, n. 128984/SI, die 27 Martii 1969, approbavit et auctoritate sua confirmavit et publici iuris fieri iussit.

[77] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 29; cfr. etiam Motu Proprio *Sacrum Diaconatus Ordinem*, (18-6-1967), nn. 1 et 2 [LE 3571].
[78] De Laicorum muneribus iam pluries in praesentis Directorii cursu actum est, referendo etiam quaedam documenta conciliaria, Turismum etiam in hoc sectore, respicientia.
[79] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 43; cfr. etiam *1 Pt.* 2, 9-12; *Gal.* 4, 19; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, nn. 7 et 9; Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 2.
[80] Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 10; cfr. etiam Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 5.
[81] Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 13; cfr. etiam n. 29: «Ad bonas relationes humanas colendas oportet ut valores vere humani foveantur, imprimis ars fraternae convivendi atque cooperandi, necnon colloquium instituendi»; cfr. etiam Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 16 et 72; cfr. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 12 [LE 3235]; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 41 [LE 3364].
[82] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 21.

[83] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 41.
[84] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 43.
[85] Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 21; cfr. etiam Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 30.
[86] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere *Christus Dominus*, n. 27.
[87] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 37.
[88] S. Augustinus, Soliloquia, I, 1, 3: *PL* 32, 870.

Adn. Riv. dioc. Roma 10 (1969) 1051-1165; F. APPENDINO in Perfica munus 45 (1970) 404-410; G. ARRIGHI in ME 95 (1970) 110-113; J. C. PERISSET in ME 94 (1969) 367-378.

3746

1969 APR 30.-SC SACRAMENTORUM, INSTRUCT. PART.*

DE MINISTRIS EXTRAORDINARIIS SACRAE COMMUNIONIS EUCHARISTICAE ADMINISTRANDAE

Fidei custos, Ecclesia, cuius depositum per hominum aetates servat inviolatum, leges omnino canonicas, saeculorum decursu a se latas, quas diligenter tuetur, quandoque ob peculiares condiciones novasque subortas necessitates prudenter simul et magnanimiter immutat. Cum enim salus animarum sit finis Ecclesiae, canonicae praescriptiones ad hunc finem aptari debent, ut prout res et tempora poscunt, reapse efficaces sint et ad universam Ecclesiae navitatem recte temperandam pertineant.

Hac vero aetate, qua humanae vitae condiciones quam citissime demutantur, Ecclesia praeter alia nequit non animadvertere angustias et difficultates in quibus, ob sacrorum ministerium exiguum nonnullis in regionibus numerum, ipsa versatur cum animarum curae necessitates augescant et pastoralis ministerii multiplices labores et industriae expostulentur.

Quam ob rem visum est Beatissimo Patri Paulo VI pro Sua pastorali sollecitudine fidelium votis accedere caute derogando vigenti iuri, ita ut, praeter ministros de quibus in can. 845, huius aetatis necessitate comperta, extraordinarii constituantur ministri, qui sibi et fidelibus Sacram Communionem administrare possint.

Quod ut recte fiat hae, auctoritate Summi Pontificis, decernuntur normae circa administrationem Ssmae Communionis iuxta ritum latinum:

1. Episcopi residentiales, Coadiutores omnibus iuribus et officiis Episcopalibus praediti, Abbates de regimine, Praelati Ordinarii locorum, Vicarii Capitulares, Administratores Apostolici, Vicarii ac Praefecti Apostolici, etsi charactere episcopali carentes, quique in hoc Decreto Pastores vocantur, adire possunt Sacras Congregationes de Disciplina Sacramentorum ac pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, pro suae potestati subiectis, ad assequendam facultatem, qua personae cuidam idoneae permittere valeant administrationem Sanctae Communionis sibi et fidelibus: *a)* quoties minister de quo in can. 845 C. J. C. deest; *b)* quoties idem minister Ssmam Communionem administrare nequeat sine incommodo ratione adversae valetudinis, provectae aetatis ac pastoralis ministerii; *c)* quoties numerus fidelium ad Ssmam Communionem accedentium ita notabilis sit ut Missae celebratio nimis protrahatur.

2. Praedicti Pastores hanc facultatem acceptam delegare possunt Episcopis Auxiliaribus, Vicariis Generalibus, Vicariis Episcopalibus et Delegatis.

3. Persona idonea, de qua in n. 1, designabitur iuxta hunc ordinem: subdiaconus, clericus in ordinibus minoribus constitutus, tonsuratus, religiosus, religiosa, catechista (nisi, prudenti Pastoris iudicio, catechista religiosae praeferendus sit) aut simplex fidelis: vir et mulier.

4. Re pressius determinata:

A. *In oratoriis Communitatum religiosorum utriusque sexus*, Pastores de quibus supra, facultatem assequi possunt permittendi ut, omni cautione adhibita, Superior ordine sacro carens vel Antistita, aut eorum substituti, Panem Eucharisticum distribuant sibi ac suis sodalibus, fidelibus forte adstantibus Eumque aegrotis in domo degentibus deferant.

B. *In Orphanotrophiis, Domibus hospitalibus, Collegiis et Institutis*, ampliore verbi significatione acceptis, quae moderantur Religiosi vel Religiosae, iidem pariter Pastores, de quibus in n. 1, facultate instrui possunt qua Superior seu Rector ordine sacro carens vel Antistita aut eorum substituti, aut etiam Christifidelis spectatae pietatis Sanctam Communionem distribuant sibi, alumnis propriae domus vel etiam ceteris fidelibus, quovis titulo adstantibus, Eamque aegrotis deferant.

5. Christifidelis minister extraordinarius Ssmae Communionis deligendus, vita christiana, fide moribusque excelleat et maturiore aetate commendetur oportet, necnon rite instructus ad tam nobile munus explendum. Mulier spectatae pietatis, in casibus necessitatis seligatur, quoties scilicet alia persona idonea inveniri nequeat.

6. Persona idonea ad Ssmam Communionem administrandam ab Episcopo nominatim selecta, mandatum ab eodem accipiat iuxta Ritum apparatum ad deputandum ministrum et distributionem Ssmae Communionis peragere debet iuxta liturgicas normas.

7. In administratione S. Synaxis quodlibet praecaveatur irreverentiae periculum adversum SS. Sacramentum, cui maximus est honor exhibendus.

8. Memorata facultas Pastoribus, de quibus supra in n. 1, iusta de causa petentibus a Sacris Congregationibus de Disciplina Sacramentorum et pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad triennium conceditur.

9. Praedicti Pastores, elapso triennio, ne omittant ad praefatas Congregationes referre de modo quo res processerint et utrum ad bonum animarum reapse contulerint.

Ex Aedibus Vaticanis, die 30 Aprilis 1969.

* E foliis ab ipsa S. C. de Sacramentis vulgatis.

3747

1969 APR .. -CONSILIUM LITURGIAE, DECL. PART.*

DECLARATIO CIRCA INTERPRETATIONES TEXTUUM LITURGICORUM «AD INTERIM» PARATAS

Circa Instructionem ad populares interpretationes liturgicas apparandas [LE 3709] in praecedenti fasciculo *Notitiae* publici iuris factam, et transmissam ad Praesides Conferentiarum Episcopalium, ad Praesides Commissionum liturgicarum nationalium necnon Commissionum mixtarum, quoddam ortum est dubium relate ad textus *ad interim*, nempe: Utrum textus ad interim transmittendi sint ad «Consilium» antequam promulgentur.

Praedicta «Instructio» de hac re loquitur bis in n. 42, ubi dicere *videretur* tales textus sub *una* responsabilitate Commissionis liturgicae vel Conferentiae Episcopalis promulgandos esse.

Textus Instructionis non est clarus: 1) nec quoad potestatem, quae videretur concedi Commissionibus liturgicis; 2) nec quoad confirmationem ex parte «Consilii» praedictorum textuum *ad interim*.

Quoad *primum*, dicendum est in vigore manere decisionem «Commissionis centralis... Concilii decretis interpretandis», quae relata est in *Notitiae*, 1968, p. 364 (Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 60 [1968] 361) [LE 3625], nempe: Conferentia delegare non potest Commissioni liturgicae munus conficiendi interpretationes liturgicas populares et *illas approbandi*, ut adhibeantur ad interim. Proinde saltem Consilium Praesidentiae ipsius Conferentiae illas approbare debet.

Quoad *secundum*: in vigore manent quae statuta sunt et publici iuris facta in *Notitiae*, 1968, p. 365, id est: ad «Consilium» transmittendas esse pro confirmatione etiam interpretationes populares *ad interim*, postquam Commissio liturgica Nationalis *et* saltem Consilium Praesidentiae Conferentiae illas approbaverint.

Agitur enim de textibus et formulis, interdum summi momenti qui publice et officialiter adhiberi debent in celebratione liturgica, et maxime interest ut omnibus condicionibus requisitis perfectionis et fidelitatis praediti sint. Insuper, deficiente approbatione totius Conferentiae Episcopalis, «Consilii» confirmatio constituit unitatis et harmoniae sigillum et pignus.

* Ad Praesides Conferentiarum episcopalium: Notit. 5 (1969) 68.

3748

1969 MAI 8.-PAULUS VI, CONST. AAS 61 (1969) 297-305

SACRA RITUUM CONGREGATIO IN DUAS CONGREGATIONES DIVIDITUR, ALTERAM PRO CULTU DIVINO, ALTERAM PRO CAUSIS SANCTORUM

PAULUS PP. VI

Servus servorum Dei - Ad perpetuam rei memoriam

Sacra rituum congregatio, quam Decessor Noster f. r. Xystus V anno a reparata salute MDLXXXVIII condidit [1], iam a principio duplici illi vacavit muneri: ut hinc scilicet sacris Ecclesiae latinae ritibus praeesset ac moderaretur; illinc omnia quoad totam Ecclesiam perageret, quae ad Sanctorum canonizationem omni modo spectarent. Quod alterum munus eam ob rem Congregationi sacris ritibus

[1] Cfr. Constit. Apost. sub plumbo data *Immensa aeterni Dei*: in *Bullario Romano*, VIII, Augustae Taurinorum ed. an. 1863, p. 989.

http://www.obrascatolicas.com

praepositae creditum est, quia canonizationis causae eo semper pertinuerunt, ut Servi Dei in Sanctorum Caelitum album relati in Ecclesia universa publico honorarentur cultu.

Duplici hoc munere Sacra Rituum Congregatio per quattuor fere saecula ea rerum prudentia functa est, ut eam ob causam praeclaras laudes collegerit. Etenim ad sacram liturgiam quod attinet, mentionem inicere sufficiat, Sacram
298 Rituum Congregationem, praescripta sacrosancti Concilii Tridentini secutam [2], postquam Sanctus Pius V Breviarium et Missale Romanum providenter emendata in lucem protulerat [3], ceteros libros liturgicos instauravisse et edidisse, formulas ritusque liturgicos Ecclesiae latinae, expolitis partibus media, quam vocant, aetate deformatis, ad pristinam puritatem aptamque compressionem restituisse, eorumque nimia varietate sublata, ad quandam liturgicam unitatem redegisse, incolumem postea firmiter servatam [4].

Nostra vero aetate eadem Sacra Congregatio, mandata agens Decessoris Nostri S. Pii X, viam aperuit generali liturgiae instaurationi per illam Breviarii recognitionem [5], quae ab eodem Sancto Pontifice nomen accepit; quam postea prosecuta, iubente Decessore Nostro ven. rec. Pio XII, Vigiliam paschalem anno MCMLI restituit [6], atque anno MCMLV novum Ordinem Hebdomadae Sanctae edidit [7]. Ex quibus inceptis multisque aliis proficisci quodammodo visa est ea Constitutio, quam Concilium Oecumenicum Vaticanum II probavit [8].

Nec minoris aestimanda est Congregationis, de qua loquimur, opera ad Sanctorum causas apparandas et cognoscendas collata. Quod palam index Sanctorum testatur, qui ab anno MDLXXXVIII ad nostrum hoc tempus in Caelitum numerum ascripti sunt, vel virtutibus heroicis, quas appellant, vel martyrio accurate excussis.

Attamen nunc sive generalis liturgiae instauratio a Concilio Vaticano II decreta, sive legum causas Sanctorum respicientium ad nostri temporis sensum recognitio nova studia, novas curas sollecitudinesque in huiusmodi negotiis
299 pertractandis et expediendis requirere et exigere videntur./

Perspicuum praeterea est, si res ipsa penitus consideretur, aliam esse liturgiae materiam, aliam causarum Sanctorum, itemque in altera diversa quam in altera studium, ingenii cultum, viam rationemque procedendi postulari.

Hanc ob causam Nosmetipsi, eo Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae* loco [9], ubi de Sacra Rituum Congregatione agebatur, eandem in duas tribui iussimus partes, quas Sectiones vocant, quarum altera circa divinum cultum, altera circa causas Sanctorum versaretur.

Nunc vero re diligentius perpensa, peritorumque virorum sententia petita, in illud venimus consilium, ut earum sectionum, ita aliam ab alia seiungamus, ut unaquaeque sui iuris omnino reddatur.

Quapropter Nostra hac Constitutione Apostolica, in locum Sacrae Rituum Congregationis, quae adhuc obtinuit, duas novas substituimus Congregationes, quarum prior *Sacra Congregatio pro Cultu Divino* appellabitur, altera vero *Sacra Congregatio pro Causis Sanctorum*.

Congregatio autem pro cultu divino, praeter iura sibi propria, quae mox definientur, partes etiam sibi ascisceat Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia, quod proinde tamquam Corpus sui iuris finem capere volumus, atque in eadem Congregatione inesse tamquam peculiarem Commissionem statuimus, quae esse pergat quoadusque inchoatos libros liturgicos perfecerit.

Quare ordinationibus abrogatis, quae in Constitutione Apostolica *Regimini Ecclesiae* [10] habentur, sequentes servandas esse decernimus.

Sacra Congregatio pro Cultu Divino

1. Sacra haec Congregatio, cui praeest Cardinalis Praefectus, iuvantibus Secretario et Subsecretario, ius habet

[2] Cfr. *Canones et Decreta Sacrosancti Oecumenici et Generalis Concilii Tridentini*, Sessiones XXII, XXIV, XXV.
[3] Cfr. Const. Apost. *Quo primum*, die 13 mensis Iul. an. 1570 data.
[4] Quantopere Sacrum hoc Consilium de re liturgica meruerit satis ostendunt quinque ab eo edita volumina, quibus *Decreta authentica* continentur.
[5] Cfr. Const. Apost. *Divino afflatu*, data die 1 mensis Nov., an. 1911: *A. A. S.* 3 (1911), pp. 633-638.
[6] Cfr. S. Congr. Rituum, Decr. *Dominicae Resurrectionis*: *A. A. S.* 43 (1951), pp. 128 ss. [LE 2190].
[7] Cfr. S. Congr. Rituum, Decr. *Maxima Redemptionis nostrae mysteria*: *A. A. S.* 47 (1955), pp. 838 ss. [LE 2526].
[8] Cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium*: *A. A. S.* 56 (1964) pp. 97-138 [LE 3142].
[9] Cfr. nn. 58-64: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 904-908 [LE 3588]. [10] Cfr. *ibid.*

in omnia quae cultum divinum directe et proxime respiciunt in Ritu romano inque ceteris Ritibus latinis, salvo iure aliorum Dicasteriorum, quoad ea, quae vel fidei doctrinam, vel ecclesiasticam disciplinam attingunt, vel ordinem iudicialem requirunt./ 300

2. Sacra haec Congregatio in tria dispescitur Officia.

§ 1) *Officium primum* operam confert ad liturgicum Dei cultum, vel rituali vel pastorali ratione spectata; textibus liturgicis emendandis aut conficiendis vacat; recognoscit calendaria peculiaria, et Propria Missarum et Officiorum, sive dioecesium sive Ordinum Religiosorum; opportunas ab hisce rebus vacationes concedit; agit de vera legitimaque interpretatione cum normarum tum rubricarum, quae in libris liturgicis habentur; attendit ad cultum sacrarum reliquiarum, ad confirmandos Caelites tutelares, et ad concedendam appellationem basilicae minoris.

§ 2) *Officium secundum* rationem habet cum Conferentiis Episcopalibus, quarum Acta liturgica, ad normam art. 36 § 3 Constitutionis de sacra Liturgia [11], perpendit, probat seu confirmat; accommodationes, de quibus art. 40 eiusdem Constitutionis [12] significat, a Conferentiis Episcopalibus propositas, accurate considerat, spectatis sive legibus liturgicis generalibus, sive necessitatibus, traditionibus et ingenio singulorum populorum; denique versatur circa cultum extraliturgicum, hoc est circa populi christiani pietatis exercitationes, salvis facultatibus Sacrae Congregationis pro doctrina fidei.

§ 3) *Officium tertium* rationes habet cum Commissionibus, quas appellant, liturgicis, cum Commissionibus mixtis plurium nationum, cumque Institutis, uti vocant, quae vel apostolatum liturgicum, vel musicam, vel cantum, vel artem sacram promovent; non solum notitias de vita liturgica in Ecclesia conquirit, sed scriptiones etiam de hoc argumento agentes congerit, ex quibus rationaria conficit; reputat quo modo media, quae vocitant, communicationis socialis ad divinum cultum provehendum conferre possint; inceptis denique pastoralibus, Consociationibus ex omni natione, et conventibus apostolatus liturgici favet.

3. Haec sacra Congregatio iuvatur tum a suo Coetu Consultorum, e viris constante rei liturgicae peritissimis, a Summo Pontifice undique gentium eligendis, tum a Commissionibus ad quaestiones difficiliores investigandas constitutis [13]./ 301

4. Ad instaurationem liturgicam absolvendam sacra haec Congregatio ad tempus opera utitur membrorum et peritorum, qui ad Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia pertinebant; ea scilicet ratione quae hic definitur:

§ 1) Purpurati Patres qui Membra erant Consilii, eo ipso Membra fiunt Congregationis pro cultu divino. Ad quos alii, si visum fuerit, addi poterunt.

§ 2) Episcopi dioecesani, vi Litterarum Apostolicarum *Pro comperto sane* [14] uti Membra huic Congregationi assignandi, pro hac vice, ab iis qui veluti Membra ad Consilium, quod diximus, pertinebant, e suis Sodalibus eligentur.

§ 3) In coetibus, in quibus ultimae conclusiones circa edendos libros liturgicos approbandae sunt, partem habebunt tum Sodales peculiaris Commissionis, e desito Consilio ortae, tum Membra huius sacrae Congregationis.

Sacra Congregatio pro Causis Sanctorum

5. Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, cui praeest Cardinalis Praefectus, iuvantibus Secretario et Subsecretario, hoc est munus, ut omnia agat quae vel ad Beatificationem Servorum Dei, vel ad Canonizationem Beatorum, vel ad reliquiarum conservationem omni modo pertinent [15].

6. Sacra Congregatio, quae in Causis cognoscendis ad modum iudicii procedit, tribus officiis constat, quae sunt: Officium primum iudiciale, cui proxime moderatur Secretarius, adiuvante Subsecretario et congruo Officialium numero; Officium secundum, cui praeest Promotor Generalis Fidei, opem ei ferentibus Subpromotore Generali Fidei et consentaneo numero Officialium; tertium Officium Historicum Hagiographicum, cui praeficietur Relator Generalis.

[11] Cfr. Concil. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*: *A. A. S.* 56 (1964), p. 109 s. [12] Cfr. *ibid.*, n. 40: l. c., p. 111.
[13] Cfr. Const. Apost. *Regimini Ecclesiae*, n. 61, § 3: *A. A. S.* 59 (1967), p. 905 [LE 3588]. [14] Cfr. *A. A. S.* 59 (1967), pp. 881-884 [LE 3584].
[15] Cfr. can. 253 § 3; et Const. Apost. *Regimini Ecclesiae*, n. 59: *A. A. S.* 59 (1967), p. 904.

7. *Primum Officium* haec praestat:

§ 1) Supplices libellos expendit ea de causa delatos, ut vel Causae introducantur, vel inquisitiones instruantur super as/serta miracula; scripta recognoscit, in quibus
302 supplices libelli nituntur; decernit num Causa introduci, vel processus de quodam miraculo instrui possit. Normas praeterea tradit ad processus instruendos; num hi valeant iudicat; acta ad inquisitionem necessaria, si casus ferat, per se ipsum vel per Episcopum loci complet vel supplet; de exceptionibus decernit [16].

In his agendis sequenti ratione procedit:

1.° Dubium num aliquid obsit Causae introductioni proponitur in peculiari Congressu, in quo, post acceptas tabulas —constantes ex documentis ab Episcopo missis, ex trium Consultorum votis, atque e voto Promotoris Generalis Fidei— suffragium pro rei veritate ferunt Secretarius, Subsecretarius, Promotor Generalis Fidei, Relator Generalis, Subpromotor Generalis Fidei, et tres Consultores, ab iis diversi qui scriptum votum de eadem re tulerunt. Postea de facto examine Relatio finalis componetur, quam omnes subscribent [17].

2.° Sententia ferenda est a peculiari Congregatione, quae constat ex Cardinali Praefecto, Cardinali Ponente, et ex tribus saltem aliis Cardinalibus, quibus cum prioribus tabulis ea etiam subicienda sunt suffragia in peculiari Congressu prolata, et Relatio finalis. Congregationi peculiari adest Secretarius [18].

3.° Iudicium de processuum auctoritate, post habitum votum Promotoris Generalis, pronuntiatur in ordinario Congregationis Congressu.

4.° Ad eundem ordinarium Congressum spectat de exceptionibus decernere [19].

§ 2) Videt de Servorum Dei scriptis, de martyrio, de virtutibus heroicis, de confirmatione antiqui cultus atque de Doctoris titulo Sanctis decernendo, sequenti modo:

1.° Examen scriptorum, post suffragium a duobus Censoribus theologis latum, fit in Congressu ordinario; si vero peculiares difficultates occurrant, quaestio ad Congregationem plenariam defertur.

303 2.° Disceptatio de martyrio, vel de virtutibus heroicis/ —parata Positione, constante e Summario, e Patroni Informatione, e trium Consultorum votis, ex animadversionibus Promotoris Generalis Fidei, atque e Patroni responsione— fit in peculiari Congressu, in quo iidem qui supra designati sunt n. 7 § 1, 1°, quasi iudicum munere fungentes [20], suffragium pro rei veritate ferunt. De peracta disceptatione Relatio finalis componitur, quam omnes suffragatores subscribunt [21].

3.° Sententia pronuntiatur in Congregatione plenaria Patrum Cardinalium, quibus cum priore Positione subicienda sunt suffragia in peculiari Congressu lata et Relatio finalis. Congregationi adest Secretarius [22].

4.° Ad excutiendum dubium de antiquo cultu confirmando vel de titulo Doctoris Ecclesiae Sanctis decernendo, paretur Positio constans ex Summario, Patroni Informatione, trium Consultorum votis, et Promotoris Generalis Fidei disquisitione vel declaratione. Disceptatio autem fiat primum in peculiari Congressu, deinde in Congregatione plenaria Patrum Cardinalium, uti indicavimus, in hac ipsa paragrapho ad nn. 2° et 3°.

§ 3) Cognoscit de assertis miraculis deprecationi Servi Dei tributis [23], sequenti ratione:

1.° Asserta miracula, de quibus duo Periti suum iudicium medico-legale aperuerint, expenduntur in coetu medicorum, quorum conclusiones accurata relatione exponuntur.

2.° Deinde paratur Positio, constans ex Summario, iudiciis medico-legalibus Peritorum, relatione coetus medicorum, informatione Patroni, votis trium Consultorum, animadversionibus Promotoris Generalis Fidei, et responsione Patroni. De quibus tabulis disceptatur primum in peculiari Congressu, deinde in Congregatione plenaria Patrum Cardinalium, uti supra significatum est n. 7 § 2, 2° et 3° [24].

[16] Cfr. Const. Apost. *Regimini Ecclesiae*, n. 62, § 2, 1°: l. c., p. 906; cfr. Litt. Apost. *Sanctitas clarior*, motu proprio datae die 19 mensis Mart. an. 1969, n. 7: *A. A. S.*, 61 (1969), p. 152 [LE 3725].
[17] Cfr. Const. Apost. *Regimini Ecclesiae* n. 62, § 2, 1°: l. c. p. 906. [18] Cfr. *ibid.* [19] Cfr. *ibid.*
[20] Cfr. *ibid.*, n. 62, § 2, 2°: l. c. [21] Cfr. *ibid.* [22] Cfr. *ibid.* [23] Cfr. *ibid.*, n. 62, § 2, 3°: l. c., p. 907. [24] Cfr. *ibid.*

8. § 1) Sententiae Patrum Cardinalium, de quibus ad n. 7 § 1, 2°; § 2, 3° et 4°; § 3, 2°, referuntur ad Summum Pontificem, iuxta praescripta cann. 2083 §§ 1 et 2; 2107; 2111; 2133 [25]./ 304

§ 2) Si Summus Pontifex decreverit ulterius esse procedendum, causa suum perget iter.

§ 3) Si vero Summus Pontifex decreverit dubium novae Congregationi Patrum Cardinalium esse subiciendum, Positio paretur, in qua ponantur sive difficultates non solutae, sive Patroni responsio, sive, si adsint, nova documenta.

§ 4) Si denique Summus Pontifex causam esse reponendam iusserit, de ea iam agere non licet, nisi, ob nova ac probabilia interposita documenta, venia ab ipso Summo Pontifice tribuatur.

9. *Officium secundum* est proprium *Promotoris Generalis Fidei*, cuius est ius tueri et animadversiones, vel disquisitiones aut suffragia edere, ut supra in singulis casibus statutum est [26].

10. *Officium Historicum Hagiographicum*, Causis historicis seu antiquis instruendis vacans, peculiari lege regitur, a Decessore Nostro f. r. Pio XI statuta Apostolicis Litteris *Già da qualche tempo* motu proprio die VI mensis Februarii anno MCMXXX editis [27].

11. Sacra haec Congregatio suam habet Cancellariam, quam appellant, proprio instituto administratam [28].

12. Item Congregatio in promptu habet album cum Advocatorum et Procuratorum, qui dotibus et titulis praeditis esse debent iure requisitis [29], tum collegium peritissimorum medicorum, ob suam scientiam et probitatem ad hoc electorum [30].

13. Quoad Servorum Dei Beatificationem et Beatorum Canonizationem, postquam haec in Consistorio decreta fuerit, ritus et sollemnia serventur a Curia Romana recepta [31].

14. Quae Constitutione hac Nostra praescripsimus ab/ 305 hoc ipso die vigere incipiunt.

Nostra haec autem statuta et praescripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus est, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque praescriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Maii, anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri sexto.—PAULUS PP. VI.

[25] Cfr. *ibid.*, n. 62, § 3: l. c.
[26] Cfr. cann. 2079; 2080; 2106, 3, 4; 2109, 1, 2; 2010, § 1; et Const. Apost. *Regimini Ecclesiae*, n. 62, § 5: l. c., p. 907.
[27] Cfr. *A. A. S.* 22 (1930), pp. 87-88 [LE 956]; et Const. Apost. *Regimini Ecclesiae*, n. 63: *A. A. S.* 59 (1967), p. 908. [28] Cfr. *ibid.*, n. 62, § 6: l. c., p. 907. [29] Cfr. can. 2018. [30] Cfr. Const. Apost. *Regimini Ecclesiae*, n. 62, § 7: l. c. 907. [31] Cfr. can. 2111; et Const. Apost. *Regimini Ecclesiae*, n. 62, § 4: l. c., p. 907.

3749

1969 MAI 15.-SC CULTUS, DECR. AAS 61 (1969) 548

ORDO BAPTISMI PARVULORUM RECOGNITUS APPROBATUR

I—DECRETUM DE ORDINE BAPTISMI PARVULORUM RECOGNITO

Ordinem Baptismi parvulorum in Rituali Romano exstantem esse recognoscendum, Sacrosanctum Concilium Vaticanum II edixit, ut ritus condicioni infantium accommodaretur; parentum et patrinorum partes et officia magis paterent; opportunae statuerentur aptationes pro magno baptizandorum numero aut pro Baptismo a catechistis, in terris Missionum, vel ab aliis, absente ministro ordinario, celebrando; et Ordo conficeretur quo indiceretur infantem, ritu brevi baptizatum, iam receptum esse in Ecclesiam (*Const. de sacra Liturgia*, artt. 67-69) [LE 3141].

Haec recognitio a Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia peracta est. Summus autem Pontifex Paulus VI novum Ordinem Baptismi parvulorum in locum Ordinis in Rituali Romano exstantis in posterum adhibendum auctoritate Sua Apostolica approbavit et evulgari iussit.

http://www.obrascatolicas.com

Quapropter haec Sacra Congregatio, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis, illum promulgat, statuens ut a die 8 Septembris 1969 adhibeatur. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus S. Congregationis pro Cultu Divino, die 15 Maii 1969, Sollemnitate Ascensionis Domini.—Benno Card. Gut, *Praef.* H. Bugnini, *a Secr.*

II—DE INITIATIONE CHRISTIANA [a]

Praenotanda generalia

1. Per initiationis christianae sacramenta homines liberati a potestate tenebrarum, Christo commortui, consepulti et conresuscitati, Spiritum accipiunt adoptionis filiorum, et memoriale mortis et resurrectionis Domini cum cuncto populo Dei celebrant.[1]

2. Per Baptismum enim Christo incorporati, constituuntur in populum Dei, acceptaque omnium peccatorum remissione, a nativa hominum condicione in statum adoptionis filiorum [2] transferuntur, nova creatura ex aqua et Spiritu Sancto effecti: unde filii Dei nominantur et sunt.[3] Donatione autem eiusdem Spiritus in Confirmatione signati, ita perfectius Domino configurantur et Spiritu Sancto implentur, ut, testimonium eius coram mundo perferentes, corpus Christi quamprimum ad plenitudinem adducant.[4] Synaxim denique eucharisticam participantes, carnem Filii hominis manducant eiusque sanguinem bibunt, ut vitam aeternam accipiant[5] unitatemque populi Dei exprimant; seipsos autem cum Christo offerentes, partem habent in universali sacrificio, quod est tota ipsa redempta civitas,[6] Deo per sacerdotem magnum oblata; et impetrant ut, pleniore facta Spiritus Sancti effusione, in unitatem familiae Dei totum genus humanum perveniat.[7] Tria igitur initiationis christianae sacramenta ita inter se coalescunt, ut ad plenam staturam perducant christifideles, qui missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent.[8]

I. De Baptismi dignitate

3. Baptismus, vitae et regni ianua, primum est novae legis sacramentum, quod Christus omnibus proposuit ut haberent vitam aeternam [9] et quod postea Ecclesiae suae cum Evangelio concredidit, cum Apostolis mandavit: «Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti».[10] Quare Baptismus est in primis sacramentum illius fidei, qua homines, gratia Sancti Spiritus illuminati, respondent Evangelio Christi. Ecclesia igitur nihil antiquius nihilque sibi magis proprium habet quam ut omnes, sive catechumeni sive parentes infantium baptizandorum sive patrini, excitentur ad illam veram et actuosam fidem, qua, Christo adhaerentes, pactum foederis novi ineant vel confirment. Ad quod revera ordinantur tum pastoralis catechumenorum institutio parentumque praeparatio, tum celebratio verbi Dei atque professio fidei baptismalis.

4. Baptismus praeterea est sacramentum quo homines Ecclesiae incorporantur, coedificati in habitaculum Dei in Spiritu [11] atque in regale sacerdotium et gentem sanctam; [12] necnon vinculum unitatis sacramentale vigens inter omnes qui eo signantur. [13] Propter illum immutabilem effectum, quem ipsa celebratio sacramenti in liturgia latina declarat, dum adstante populo Dei baptizati chrismate liniuntur, ritus Baptismi summo honore ab omnibus christianis habetur, ac nemini illum iterare licet, quando valide, etiam a fratribus separatis, celebratus est.

5. Lavacrum autem aquae in verbo vitae,[14] quod est Baptismus, homines efficit divinae consortes naturae [15] et adoptionis filiorum.[16] Baptismus enim, sicut in orationibus benedictionis aquae proclamatur, est lavacrum regenerationis [17] filiorum Dei nativitatisque ex alto. Invocatio SS. Trinitatis super baptizandos id efficit ut hi, nomine eius signati, ei consecrentur societatemque ineant cum Patre et Filio et Spiritu Sancto. Ad quod fastigium praeparant atque adducunt biblicae lectiones, supplicatio communitatis, et triplex fidei professio.

6. Prioris autem legis purificationibus longe praestans, Baptismus hos effectus operatur virtute mysterii Passionis et Resurrectionis Domini. Qui enim baptizantur, complantati similitudini mortis Christi, consepulti cum illo in mortem,[18] convivificantur etiam in ipso et conresuscitantur.[19] Baptismo enim nihil aliud quam mysterium paschale recolitur et exercetur, quatenus in eo homines transeunt de morte peccati ad vitam. Ideo in eius celebratione, maxime cum fit in Vigilia paschali aut die dominica, laetitia resurrectionis refulgeat oportet.

II. De officiis et ministeriis in celebratione Baptismi

7. Ad populum Dei, hoc est Ecclesiam, quae fidem ab Apostolis acceptam tradit et nutrit, praeparatio Baptismi et christiana institutio summopere pertinet. Per ministerium Ecclesiae adulti a Spiritu Sancto vocantur ad Evangelium et infantes in fide illius baptizantur et educantur. Magni igitur refert ut, iam in Baptismo praeparando, catechistae aliique laici sacerdotibus et diaconis cooperationem praestent. Oportet insuper ut in celebratione Baptismi populus Dei, non a solis patrinis et parentibus atque propinquis, sed etiam, quantum fieri poterit, ab amicis familiaribusque, vicinis et nonnullis Ecclesiae localis membris repraesentatus, partem actuosam habeat, ut communis manifestetur fides atque commune exprimatur gaudium quo noviter baptizati in Ecclesiam recipiuntur.

8. Ex antiquissimo Ecclesiae more, adultus ad Baptismum non admittitur sine patrino, e communitate christiana assumpto, qui eum saltem in ultima praeparatione ad sacramentum susciendum iam adiuverit et post Baptismum perseverantiae eius in fide et in christiana vita operam dabit.

In Baptismo etiam parvuli adsit patrinus, qui tum ipsam baptizandi familiam spiritualiter ampliatam tum Ecclesia Matris partes repraesentet, et, pro opportunitate, parentes adiuvet ut infans ad fidem profitendam perveniat eamque vivendo exprimat.

9. Saltem in ultimus ritibus catechumenatus et in ipsa celebratione Baptismi patrinus intervenit sive ut fidem baptizandi adulti testificetur sive ut Ecclesiae fidem, in qua infans baptizatur, una cum parentibus profiteatur.

10. Propterea, de iudicio animarum pastoris, patrinus, a catechumeno vel familia electus, opportet his dotibus sit praeditus, ut actus liturgicos sibi proprios, de quibus sub n. 9, peragere queat: 1) ad hoc munus implendum sit satis maturus; 2) tribus sacramentis Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae sit initiatus; 3) ad Ecclesiam catholicam pertineat, neque ab hoc officio implendo iure prohibeatur. Baptizatus autem, ex ecclesia vel communitate seiuncta ortus et Christi fide imbutus, simul cum patrino catholico (vel cum matrina catholica) admitti potest ut patrinus vel testis christianus Baptismi, si id optaverint parentes, ratione habita normarum in re oecumenica pro variis casibus statutarum.

11. Ministri ordinarii Baptismi sunt Episcopi, presbyteri et diaconi. In qualibet celebratione huius sacramenti memores sint se in Ecclesia agere nomine Christi et virtute Spiritus Sancti. Diligentes ergo sint in Dei verbo administrando et mysterio peragendo. Caveant etiam ab omni actione, quae a fidelibus recte censeri possit acceptio personarum. [20]

12. Episcopi, quippe qui praecipui dispensatores mysteriorum Dei, sicut et totius vitae liturgicae in Ecclesia sibi commissa moderatores, [21] regunt collationem Baptismi, quo regalis sacerdotii Christi participatio conceditur, [22] ne praetermittant, praesertim in Vigilia paschali, Baptismum et ipsi celebrare. Peculiariter eis adultorum Baptismus eorumque praeparationis cura commendatur.

13. Pastorum est in instituendis ac baptizandis adultis sibi commissis auxilium afferre Episcopo, nisi hic rem aliter ordinaverit. Eorundem insuper est tum parentes et patrinos parvolorum baptizandorum apto subsidio pastorali praeparare et adiuvare, auxiliantibus catechistis aliisque laicis idoneis, tum denique infantibus sacramentum conferre.

14. Ceteri presbyteri necnon diaconi, utpote qui sint ministerii Episcopi et parochorum cooperatores, ad Baptismum praeparant eumque, vocante vel assentiente Episcopo aut parocho, conferunt.

15. Celebrans ab aliis presbyteris vel diaconis, necnon a laicis in iis partibus quae ad eos spectant, praesertim si permulti sunt baptizandi, adiuvari potest, uti in respectivis partibus ritus providetur.

16. Absente sacerdote vel diacono, imminente periculo et praesertim articulo mortis, quilibet fidelis, quin etiam quilibet homo debita intentione motus, potest, immo aliquando debet, Baptismum ministrare. Si vero agitur de solo periculo mortis, sacramentum ministretur, quantum fieri poterit, a fideli, et secundum Ordinem breviorem, de quo infra (nn. 157-164). Praestat vero ut, etiam in hoc casu, congregetur parva communitas; aut saltem habeatur, quantum fieri poterit, unus vel alter testis.

17. Cordi habeant laici omnes, quippe qui membra sint populi sacerdotalis, praesertim autem parentes, et, ratione officii, catechistae, obstetrices, mulieres operibus assistentiae familiaris et socialis vel infirmorum curae addictae, necnon et medici et chirurgi, probe cognoscere, pro captu suo, rectum bap tizandi modum in casu necessitatis. Edoceantur a parochis, diaconis et catechistis; et intra dioecesim provideant Episcopi media apta ad illorum institutionem.

[a] Ordo baptismi parvulorum, Typis Poliglottis Vaticanis 1969, p. 7-22.

[1] Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 14 [LE 3364]. [2] *Rom* 8, 15; *Gal* 4, 5; cf. Conc. Trid., Sess. VI, Decr. *de iustificatione* cap. 4: *Denz.* 796 (1524). [3] Cf. *1 Io* 3, 1. [4] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes* n. 36. [5] Cf. *Io* 6, 55.

[6] S. Augustinus, *De Civitate Dei*, X, 6: PL 41, 284; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11 [LE 3232]; Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 2 [LE 3365]. [7] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28, b. 32. [8] Cf. *Io* 3, 5. [9] *Mt.* 28, 19.

[10] *Eph.* 2, 22. [11] *1 Pt* 2, 9. [12] Conc. Vat. II, Decr. de Oecumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 22 [LE 3235]. [13] *Eph.* 5, 26. [14] *2 Pt* 1, 4. [15] Cf. *Rom* 8, 15; *Gal* 4, 5. [16] Cf. *Tit.* 3, 5. [17] *Rom* 6, 4-5. [18] Cf. *Eph* 2, 6.

III. De iis quae ad Baptismum celebrandum requiruntur

18. Aqua Baptismi sit naturalis et munda, tum ad signi veritatem ostendendam, tum sanitatis causa.

19. Fons baptisterii, vel vas in quo, pro opportunitate, praeparatur aqua ad celebrationem in presbyterio agendam, munditie splendeat atque decore.

20. Provideatur insuper ut, iuxta regionum necessitates, aqua opportune calefieri possit.

21. Extra casum necessitatis ne baptizet sacerdos vel diaconus nisi cum aqua ad hoc benedicta. Si consecratio aquae in Vigilia paschali facta est, aqua benedicta per totum tempus paschale, quantum fieri poterit, servetur atque adhibeatur ad sacramenti nexum cum mysterio paschali pressius affirmandum. Optandum vero est ut, extra tempus Paschae, aqua pro singulis celebrationibus benedictione donetur, ut ipsis consecrationis verbis clare significetur salutis mysterium, quod Ecclesia recolit atque proclamat. Si baptisterium ita instructum est ut aqua scaturiat, fons scaturiens benedicetur.

22. Tum ritus immersionis, qui aptior est ad participationem mortis et resurrectionis Christi significandam, tum ritus infusionis iure adhiberi possunt.

23. Verba quibus Baptismus in Ecclesia latina confertur, sunt haec: «Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti».

24. Pro celebratione verbi Dei locus aptus in baptisterio vel in ecclesia praeparetur.

25. Baptisterium, seu locus ubi fons baptismalis scaturit vel positus est, sit sacramento Baptismi reservatum et prorsus dignum, ut ibi ex aqua et Spiritu Sancto renascantur christiani. Sive sit in aliqua cappella intra vel extra ecclesiam sita, sive in aliqua parte ecclesiae in conspectu fidelium, ita instructum sit oportet, ut multorum participationi congruat. Absoluto Paschae tempore, intra baptisterium cereum paschalem honorifice servari decet, ut ex eo, in Baptismatis celebratione accenso, cerei baptizandorum facile illuminari possint.

26. In celebrando Baptismate ritus, qui extra baptisterium agendi sunt, fient in diversis ecclesiae locis, quae opportunius respondeant tum numero adstantium tum variis partibus liturgiae baptismalis. Pro iis autem partibus, quae in baptisterio peragi solent, alia etiam loca aptiora in ecclesia seligere licet, si cappella baptisterii omnes catechumenos vel omnes praesentes continere nequit.

27. Pro omnibus nuper natis communis sit, eadem die, quantum fieri potest, Baptismi celebratio. In eadem autem ecclesia eademque die sacramentum bis ne celebretur, nisi iusta de causa.

28. De tempore Baptismi tum adultorum tum parvulorum pressius suo loco dicetur. Ceterum celebratio sacramenti semper prae se ferat indolem paschalem.

29. Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati Baptismi, in libro baptismali sedulo et sine mora referre.

IV. De aptationibus quae Conferentiis Episcopalibus competunt

30. Conferentiis Episcopalibus competit, vi Constitutionis de sacra Liturgia (art. 63 b), in Ritualibus particularibus parare titulum, qui huic Ritualis Romani titulo respondeat, accommodatum singularum regionum necessitatibus, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.

Qua in re, Conferentiarum Episcopalium erit: 1) Aptationes definire, de quibus in art. 39 Constitutionis de sacra Liturgia. 2) Sedulo et prudenter considerare quid ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune admitti possit; ideoque alias aptationes, quae utiles vel necessariae existimantur, Apostolicae Sedi proponere, de ipsius consensu introducendas. 3) Propria autem Ritualium particularium iam exstantium elementa, si quae habentur, retinere, dummodo cum Constitutione de sacra Liturgia et necessitatibus hodiernis componi queant; vel ea aptare. 4) Versiones textuum parare, ita ut ingenio variarum linguarum atque culturarum vere sint accommodatae, additis, quoties opportunum fuerit, melodiis cantui aptis. 5) Praenotanda, quae in Rituali Romano habentur, aptare et complere, ita ut ministri significationem rituum plene intellegant et effectu compleant. 6) In editionibus librorum liturgicorum cura Conferentiarum Episcopalium parandis, materiam ordinare modo qui ad usum pastoralem aptissimus videatur.

31. Attentis praesertim normis in nn. 37-40 et 65 Constitutionis de sacra Liturgia, in terris Missionum, Conferentiarum Episcopalium est iudicare an elementa initiationis, quae apud aliquos populos in usu esse reperiuntur, ritui Baptismatis christiani accommodari possint, et decernere an sint in eo admittenda.

32. Quando Rituale Romanum Baptismi plures exhibet formulas ad libitum, Ritualia particularia possunt alias formulas eiusdem generis adicere.

33. Cum Baptismi celebratio plurimum adiumenti a cantu accipiat, sive ad excitandam adstantium unanimitatem, sive ad orationem eorum communem fovendam, sive denique ad paschalem laetitiam manifestandam, qua ritum resonare oportet, studeant Conferentiae Episcopales peritos musicos incitare et iuvare ut melodiis ornent liturgicos textus, qui digni censentur ut a fidelibus cantentur.

V. De accommodationibus quae ministro competunt

34. Minister, prae oculis habens adiuncta aliasque necessitates necnon vota fidelium, variis facultatibus in ritu concessis libenter utatur.

35. Praeter eas aptationes, quae in dialogo atque benedictionibus ab ipso Rituali Romano praevidentur, pertinet ad ministrum, attentis diversis rerum adiunctis, aliquas accommodationes inducere, de quibus in Praenotandis ad Baptismum tum adultorum tum parvulorum pressius dicetur.

[*Sequuntur ritus liturgici.*]

III—DE BAPTISMO PARVULORUM

Praenotanda

I. De momento Baptismi parvulorum

1. Nomine parvulorum seu infantium ii intelleguntur qui, cum ad aetatem discretionis nondum pervenerint, fidem propriam habere et profiteri nequeunt.

2. Ecclesia, cui data est missio evangelizandi et baptizandi, iam a primis saeculis, non tantum adultos sed etiam infantes baptizavit. Nam in verbo Domini: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, [1] semper intellexit parvulos Baptismate non esse privandos, utpote qui in fide ipsius Ecclesiae baptizentur, quae a parentibus et patrinis ceterisque adstantibus proclamatur. Ab his enim repraesentatur tum Ecclesia loci, tum universa societas sanctorum atque fidelium: mater Ecclesia, quae tota omnes, tota singulos parit. [2]

3. Ad veritatem autem sacramenti complendam, oportet ut parvuli postea in illa fide instituantur, in qua baptizati sunt: cuius rei fundamentum erit sacramentum ipsum antea acceptum. Institutio enim christiana, quae parvulis iure debetur, ad nihil aliud contendit nisi ut paulatim eos adducat ad consilium Dei in Christo ediscendum ut ipsi denique fidem, in qua baptizati sunt, ratam habere queant.

II. De ministeriis et officiis in celebratione Baptismi

4. Populus Dei, hoc est Ecclesia, communitate locali repraesentata, sicut in adultorum, ita in parvulorum Baptismate magnas partes habet.

Infans enim, tum ante tum post celebrationem sacramenti, ius habet ad communitatis dilectionem et adiumentum. Intra ritum autem, praeter ea, quae in n. 7 Praenotandorum generalium a coetu congregato praestanda enumerata sunt, communitas munus suum exercet, post fidei professionem parentum et patrinorum, assensum suum una cum celebrante proferendo. Hoc modo apparet fidem, in qua baptizantur parvuli, non esse solius familiae, sed totius Ecclesiae Christi thesaurum.

5. Ex ipsius creationis ordine, ministerium officiumque parentum in Baptismo infantium potiorem partem super officium patrinorum obtinent.

1) Ante celebrationem sacramenti multum interest ut parentes, vel propria fide ducti, vel amicorum aliorumve membrorum communitatis subsidio adiuti, ad consciam celebrationem se praeparent, mediis aptis adhibitis, culusmodi sunt libri, epistolae, catechismi familiis destinati. Parochus autem studeat, per se vel per alios, eos visitare, immo plures simul familias adunare easque pastoralibus monitionibus precationeque communi ad proximam celebrationem praeparare.

2) Magni refert, ut parentes parvuli baptizandi celebrationi intersint in qua eorum filius ex aqua et Spiritu Sancto renascetur.

3) Parvuli parentes in celebratione Baptismi partes revera proprias exercent. Praeter monitiones enim celebrantis quas audiunt, et orationem quam cum universo coetu fidelium agunt, verum praestant ministerium, cum *a*) publice petunt ut baptizetur parvulus; *b*) eum post celebrantem in fronte signant; *c*) abrenuntiationem Satanae et professionem fidei proferunt; *d*) infantem ad fontem portant (in primis autem mater); *e*) cereum accensum tenent; *f*) benedicuntur formulis speciali modo matribus patribusque destinatis.

4) Si quis forte eorum professionem fidei emittere nequeat, ex, gr. quia catholicus non est, tacere potest: ab eo tantum postulatur ut, cum Baptismum parvuli petierit, provideat vel saltem permittat ut hic in fide baptismali instituatur.

5) Post collatum autem Baptismum, parentes, Deo grati susceptoque muneri fideles, parvulum adducere tenentur ad cognoscendum Deum, cuius filius adoptionis factus est, necnon ad Confirmationem suscipiendam et SS. Eucharistiam participandam praeparare. In quo officio iterum a parocho mediis aptis iuventur.

6. Pro unoquoque infante licet admittere patrinum et

[1] *Io* 3, 5. [2] S. Augustinus, *Epist.* 98, 5: PL 33, 362.

http://www.obrascatolicas.com

matrinam: uterque autem in Ordine ipsius ritus sub nomine «patrini» indicatur.

7. Praeter ea, quae in Praenotandis generalibus de ministro ordinario dicta sunt (nn. 11-15), notanda veniunt ea quae sequuntur:

1) Pastorum est familias ad Baptismum parvulorum praeparare easque adiuvare in implendo educationis munere, quod exinde susceperunt. Episcopi autem est pastoralia huiusmodi incepta in sua dioecesi, auxiliantibus etiam diaconis et laicis, coordinare.

2) Pastorum praeterea est operam dare ut quaevis Baptismi celebratio debita fiat cum dignitate sitque condicionibus et votis familiarum, quantum fieri poterit, accommodata. Quicumque baptizat, ritum accurate religioseque exsequatur; studeat insuper se humanum affabilemque omnibus exhibere.

III. De tempore et loco Baptismi parvulorum

8. Ad tempus conferendi Baptismum quod attinet, ratio habeatur in primis salutis parvuli, ne hic beneficio sacramenti privetur; deinde valetudinis matris, ut, quantum fieri potest, et ipsa adesse possit; demum, dummodo hoc praestantiori bono infantis non obsit, necessitatis pastoralis, idest temporis sufficientis ad praeparandos parentes et ad ipsam celebrationem ita congrue ordinandam, ut indoles ritus apte manifestetur.

Itaque: 1) Si parvulus in periculo mortis versatur, sine mora baptizetur modo infra statuto (n. 21). 2) In ceteris casibus, parentes quamprimum, immo, si casus fert, ante ipsam nativitatem parvuli, de futuro Baptismo parochum commonefaciant, ut celebratio sacramenti apte praeparari possit. 3) Celebratio autem Baptismi fiat infra priores hebdomadas post nativitatem parvuli. Conferentia Episcopalis tamen propter graviores ordinis pastoralis rationes, longius temporis intervallum statuere potest. 4) Parochi est, ratione habita ordinationum Conferentiae Episcopalis, statuere de tempore quo baptizandi sint parvuli, quorum parentes nondum sint praeparati ad profitendam fidem neque ad suscipiendum munus ipsos parvulos in fide christiana educandi.

9. Ad illustrandam Baptismi indolem paschalem, commendatur ut sacramentum in Vigilia paschali celebretur aut die dominica in qua Ecclesia resurrectionem Domini commemorat. Die autem dominica Baptismus celebrari poterit etiam intra Missam ut tota communitas ritui interesse queat clariusque necessitudo Baptismi et SS. Eucharistiae eluceat. Quod tamen ne nimis frequenter fiat. Ceterum normae de Baptismate celebrando in Vigilia paschali aut in Missa dominicali infra proponentur.

10. Quo clarius pateat Baptismum sacramentum esse fidei Ecclesiae necnon aggregationis ad populum Dei, de more celebretur in ecclesia paroeciali, quae fontem baptismalem habere debet.

11. Episcopi autem est, audito parocho loci, permittere vel iubere ut fons baptismalis habeatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra eiusdem paroeciae fines. Ad parochum de more pertinet etiam in his locis Baptismum celebrare.

12. In domibus privatis, extra mortis periculum, Baptismus ne celebretur.

13. In valetudinariis autem, nisi Episcopus aliter statuerit (cf. n. 11), Baptismus ne celebretur, nisi in casu necessitatis, vel alia ratione pastorali cogente. Semper tamen caveatur ut parochus commoneatur et opportuna parentum praeparatio praemittatur.

14. Dum liturgia verbi celebratur, expedit ut parvuli in locum separatum deferantur. Curandum tamen est ut matres vel matrinae liturgiam verbi frequentent; parvuli proinde aliis mulieribus committantur.

IV. De structura ritus baptizandi parvulos

A. *Ordo Baptismi a ministro ordinario celebrandi*

15. Sive de uno, sive de pluribus, sive etiam de multis baptizandis agatur, et mortis periculum non immineat, celebrans integrum ritum, prout hic describitur, exsequatur.

16. Incipit ritus parvulorum receptione, in qua parentum patrinorumque voluntas et Ecclesiae propositum de Baptismi sacramento celebrando significantur, et a parentibus et a celebrante exprimuntur parvulorum signatione in fronte.

sive his Gubernia intersunt sive non / intersunt; *c)* navitatem Consiliorum Internationalium Catholicorum sustinere ac promovere. 484

2. Delegati et Observatores Sanctae Sedis apud Consilia Internationalia munus sibi concreditum absolvant, consiliis initis cum Legato Pontificio Nationis, in qua commorantur.

XII

1. Sedes Legationis pontificiae a iurisdictione Ordinarii loci exempta est.

2. Legatus Pontificius in Oratorio suae sedis, potest sacerdotibus concedere facultatem excipiendi confessiones, facultates proprias exercere, ibique actus divini cultus et sacras caerimonias peragere, semper tamen congruenter cum normis in territorio vigentibus et, ubi expediat, certiore facta auctoritate ecclesiastica, cuius intersit.

3. Legato Pontificio fas est, praemonitis, quantum fieri poterit, locorum Ordinariis, in omnibus ecclesiis intra fines suae legationis populo benedicere et officia divina etiam in pontificalibus peragere.

4. Intra suae legationis fines, Legatus Romani Pontificis praecedit Archiepiscopos et Episcopos, non autem Sacri Collegii Membra, neque Patriarchas Ecclesiarum Orientalium, vel in proprio territorio degentes, vel alibi sacra proprio ritu peragentes.

5. Iura et privilegia sive personae sive sedi Pontificii Legati inhaerentia eo consilio concessa sunt, ut ipse Legatus, iis moderate et prudenter utendo, propriam indolem suae legationis clarius manifestet et adimplendum sibi ministerium facilius perficiat.

Quae vero a Nobis hisce Litteris, motu proprio datis, decreta sunt, ea omnia rata ac firma esse iubemus, contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Iunii, anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri septimo.—PAULUS PP. VI.

Adn. L. ECHEVERRIA in REDC 25 (1969) 581-636; I. MARTIN in Concilium 6 (1970) 94-103; W. M. PLOECHL in Oesterreichischs Archiv f. Kirchenrecht 21 (1970) 115-129; K. WOLF, in AKKR 138 (1969) 113-125.

3762

1969 IUN 24.-CONS. EC. NEG., RESC. AAS 61 (1969) 525-539

RESCRIPTUM EX AUDIENTIA SANCTISSIMI QUO ORDO SYNODI EPISCOPORUM CELEBRANDAE RECOGNITUS ET AUCTUS APPROBATUR

Ut consilia et optata plurium Conferentiarum Episcopalium de ordinandis rectius coetibus Synodi Episcoporum exciperentur et suum obtinerent locum, Summus Pontifex peculiari Commissioni munus attribuit recognoscendi et aptis additis normis perficiendi «Ordinem Synodi celebrandae» editum die 8 Decembris 1966 [LE 3504]. *Huius vero Commissionis nunc conclusiones ratas habere Beatissimus Pater dignatus est et iussit praesentem «Ordinem Synodi Episcoporum celebrandae recognitum et auctum» edi et ab omnibus, quorum interest, religiose servari.*

Datum Romae, die 24 *mensis Iunii anno Domini* 1969.—J. Card. VILLOT, *a publicis Ecclesiae negotiis.*

ORDO SYNODI EPISCOPORUM CELEBRANDAE RECOGNITUS ET AUCTUS

Pars Prima

De Suprema Potestate deque personis in Synodo Episcoporum partem habentibus

CAP. I—DE SUMMO PONTIFICE

Art. 1 *(De Summi Pontificis potestate).*—Summi Pontificis unice est: 1.° Convocare Synodum Episcoporum, quotiescumque id ipsi opportunum visum erit, loco etiam designato ubi coetus habendi erunt; 2.° Ratam habere Membrorum seu Sodalium electionem; 3.° Statuere argumenta
526 quaestionum pertractandarum; / 4.° Decernere ut materia rerum pertractandarum iis mittatur, qui harum quaestionum tractationi interesse debeant; 5.° Statuere ordinem rerum agendarum; 6.° Praeesse Synodo per se vel per alios; 7.° Synodum ipsam transferre, suspendere, dissolvere, circa eiusdem vota deliberare.

CAP. II—DE PRAESIDE DELEGATO

Art. 2 *(De Praesidis Delegati nominatione).*—§ 1. Praeses Delegatus nomine et auctoritate Summi Pontificis coetui Synodi Episcoporum praeest.

§ 2. Praeses Delegatus a Summo Pontifice nominatur, eiusque munus cessat post absolutum coetum, pro quo nominatus est.

§ 3. Si Summus Pontifex plures deputaverit, qui coetui praesint, hi officio fungentur sibi inter se succedentes, ordine ab ipso Summo Pontifice statuto.

Art. 3 *(De Praesidis Delegati muneribus).*—Praesidis Delegati est:

1.° Moderari Synodi labores, iuxta facultates sibi in litteris delegationis tributas, secundum ordinem rerum agendarum statutum, necnon servatis normis procedendi in hoc Ordine praescriptis.

2.° Quibusdam Sodalibus, cum opportunitas id suadeat, peculiaria munera tribuere, ut coetus aptiore ratione suis vacet laboribus.

3.° Acta coetus subsignare. Quod si Praesides Delegati plures sint, omnes acta conclusiva coetus subsignant.

CAP. III—DE SYNODI COETIBUS

Art. 4 *(De singulis Synodi coetibus).*—Synodus Episcoporum congregatur:

1.° In coetum generalem, si res tractandae, suapte natura ac momento, doctrinam, prudentiam atque vota totius Catholici orbis Episcopatus exquirenda suadeant; / 527

2.° In coetum extraordinarium, si res, ad bonum quidem Ecclesiae universae spectantes, expeditam definitionem requirant;

3.° In coetum specialem, si maioris momenti negotia respiciant Ecclesiae bonum, quod ad unam vel plures regiones praesertim pertineat.

CAP. IV—DE MEMBRIS SEU SODALIBUS

Art. 5 *(De Synodi participibus).*—§ 1. Coetui generali Synodi intersunt:

1.° *a)* Patriarchae, Archiepiscopi Maiores et Metropolitae extra Patriarchatus Ecclesiarum Catholicarum ritus Orientalis; *b)* Episcopi electi a singulis Conferentiis Episcopalibus Nationalibus, iuxta art. 6, § 1, 3.°; *c)* Episcopi electi a Conferentiis Episcopalibus plurium Nationum, constitutis scilicet pro iis Nationibus, quae propriam Conferentiam non habent, ad normam art. 6, § 1, 4.°; *d)* Decem viri religiosi qui partes agunt Institutorum Religiosorum Clericalium, electi ab Unione Superiorum Generalium;

2.° Patres Cardinales Dicasteriis Curiae Romanae praepositi.

§ 2. Coetui extraordinario intersunt:

1.° *a)* Patriarchae, Archiepiscopi Maiores et Metropolitae extra Patriarchatus Ecclesiarum Catholicarum ritus Orientalis; *b)* Praesides Conferentiarum Episcopalium Nationalium; *c)* Praesides Conferentiarum Episcopalium plurium Nationum, pro iis Nationibus constitutarum, quae propriam Conferentiam Episcopalem non habent; *d)* Tres viri religiosi qui partes agunt Institutorum Religiosorum Clericalium, electi ab Unione Superiorum Generalium;

2.° Patres Cardinales Dicasteriis Curiae Romanae praepositi.

§ 3.° 1.° Coetui speciali intersunt Patriarchae, Archiepiscopi Maiores, Metropolitae extra Patriarchatus Ecclesiarum Catholicarum ritus Orientalis, necnon illi qui partes agunt sive Conferentiarum Episcopalium unius vel plurium Nationum, sive Institutorum Religiosorum, ut in hoc articulo § 1, in art. 6, § 1, 4.° et quoad numerum Religiosorum, in art. 6, § 2, 4.°, statutum est: qui tamen omnes ad regiones pertineant, pro quibus Synodus Episcoporum convocata est. / 528

2.° Coetui speciali intersunt etiam Patres Cardinales Dicasteriis Curiae Romanae praepositi, quae cum materiis tractandis rationem habent.

§ 4. Singulis coetibus intersunt quoque Sodales, electi

http://www.obrascatolicas.com

a Summo Pontifice, ad normam n. X Litt. Apost. *Apostolica sollicitudo*, d. 15 Sept. 1965 [LE 3318].

Art. 6 *(De Sodalibus eligendis).*—§ 1. 1.° Episcopi a Conferentiis Episcoporum unius vel plurium Nationum deputati il habendi sunt, qui electi fuerint per secreta suffragia a sua quisque Conferentia in plenaria sessione coadunata.

2.° Hae electiones fiunt ad normam C. I. C. can. 101 § 1, 1.°. Si plures eligendi sint, pro singulis electionibus proprium habeatur scrutinium ita ut alter non eligatur nisi postquam prior electus fuerit.

3.° Episcopi qui partes agunt singularum Conferentiarum Episcopalium, ita eliguntur: *a)* unus pro unaquaque Conferentia Episcopali Nationali, quae constet non plus quam 25 membris; *b)* duo pro unaquaque Conferentia Episcopali Nationali, quae constet non plus quam 50 membris; *c)* tres pro unaquaque Conferentia Episcopali Nationali, quae constet non plus quam 100 membris; *d)* quattuor pro unaquaque Conferentia Episcopali Nationali, quae constet plus quam 100 membris.

4.° Conferentiae Episcopales plurium Nationum eligunt eos, qui ipsarum partes agunt, secundum easdem normas.

5.° In eligendis Episcopis summopere ratio habenda est non solum ipsorum scientiae et prudentiae generatim, sed etiam cognitionis, ad theoriam et praxim quod attinet, materiae de qua Synodus pertractabit.

6.° Electorum nomina Praesides Conferentiarum Episcopalium communicabunt Secretario Generali per Summi Pontificis Legatum suae Nationis, idque saltem duobus mensibus ante inchoandum coetum.

§ 2. 1.° Electio virorum religiosorum, de quibus in art. 5 huius Ordinis, fit, congrua congruis referendo, ad normam § 1, 2.° huius articuli.

2.° In eligendis viris religiosis ratio habeatur non solum psorum scientiae et prudentiae generatim, sed etiam cognitionis, ad theoriam et praxim quod attinet, materiae de qua Synodus pertractabit.

3.° Electorum nomina Praeses Unionis Superiorum Generalium / communicabit Secretario Generali saltem duo- 529
bus mensibus ante inchoandum Synodi coetum.

4.° Religiosi Sodales, nec plures quidem quam duo, ad partes agendas Institutorum Religiosorum in coetu synodali speciali ab Unione Superiorum Generalium eligentur inter viros peritos, qui sive materiam rerum agendarum sive Regiones, etsi e loco non sint, cognoscunt, pro quibus coetus convocatus est.

§ 3. Episcoporum et Religiosorum, qui electi sint, nomina publici iuris ne fiant, donec ipsorum electionem Summus Pontifex ratam habuerit.

Art. 7 *(De instrumento deputationis exhibendo).*—Ineunte quolibet Synodi coetu Sodales electi exhibebunt Summo Pontifici, per Secretarium Generalem, authenticum suae deputationis instrumentum a Praeside necnon a Secretario uniuscuiusque Conferentiae, vel, si de Religiosis agatur, a Praeside et a Secretario Unionis Superiorum Generalium subsignatum.

Cap. V—De Commissionibus studiorum

Art. 8 *(De Commissionibus studiorum constituendis).*—§ 1. 1.° Si res quae in Synodo agitur ulteriore enucleatione indigeat, Praesidis Delegati est, de consensu Summi Pontificis, peculiares inter Sodales Commissiones studiorum constituere.

2.° Uniuscuiusque propterea Commissionis est tantummodo studere textui argumenti melius forte redigendo aut difficultati propositae solvendae.

§ 2. Nisi aliter statutum fuerit a Summo Pontifice, singulae Commissiones constant ex duodecim membris, in materia peritis, quorum octo a Coetu eliguntur, quattuor vero nominantur a Summo Pontifice.

Art. 9 *(De Sodalibus Commissionum studiorum eligendis).* 1.° Electiones Sodalium Commissionum studiorum ad normam C. I. C. can. 101, § 1, 1.° fiunt.

2.° Inter electos vel nominatos Summus Pontifex Prae- 530
sidem eligit. /

3.° In Sodales uniuscuiusque Commissionis eligi potest quilibet e Patribus, exceptis Praeside Delegato, Secretario Generali et, pro argumento, pro quo constituitur Commissio, eius Relatore.

4.° Secretarius Commissionis erit unus ex eius Sodalibus, ab iisdem Sodalibus electus.

5.° Commissionibus studiorum intererit Secretarius Specialis qui praesto fuit in discussione argumenti, pro quo Commissio statuta est.

Cap. VI—De Commissione querelarum

Art. 10 *(De Commissionis querelarum constitutione et munere).*—Initio uniuscuiusque coetus constituitur a Summo Pontifice Commissio trium Sodalium cuius est porrectas querelas rite examinare et ad Summum Pontificem deferre.

Cap. VII—De Secretario Perpetuo seu Generali

Art. 11 *(De Secretarii Generalis nominatione).*—Secretarius Perpetuus seu Generalis a Summo Pontifice nominatur, ad Eiusque nutum munus suum exercet.

Art. 12 *(De Secretarii Generalis muneribus).*—§ 1. Secretarii Generalis est iussa seu mandata Summi Pontificis exsequi Eique communicare omnia quae ad Synodum Episcoporum spectant.

§ 2. Secretarius Generalis coetus Synodi participat, Secretariam generalem moderatur eiusque acta subsignat.

§ 3. Ad Secretarium Generalem quoque pertinet:

1.° Mittere, de mandato Summi Pontificis, epistulas convocationis et ordinem rerum agendarum uniuscuiusque coetus Synodi Episcoporum, necnon documenta, instructiones et notitias ad eundem coetum spectantia; / 531

2.° Communicare omnibus, quorum interest, nomina Membrorum seu Sodalium libere a Summo Pontifice designatorum, ad normam N. X Litt. Apost. *Apostolica sollicitudo*, d. 15 Sept. 1965 [LE 3318]; communicare item nominationem Secretarii Specialis uniuscuiusque coetus, a Summo Pontifice factam;

3.° Ordinem uniuscuiusque coetus praeparare, Summo Pontifici subiciendo res in eo agendas et elenchum Membrorum, quae ratihabitione indigent;

4.° Transmittere processum verbalem uniuscuiusque coetus Patribus Cardinalibus Dicasteriis Curiae Romanae praepositis, Patriarchis, Archiepiscopis Maioribus et Metropolitis extra Patriarchatus Ecclesiarum Catholicarum ritus Orientalis, Praesidibus Conferentiarum Episcopalium, necnon Praesidi Unionis Superiorum Generalium;

5.° Exsequi ea quae synodus Episcoporum ipsi mandaverit;

6.° Colligere, in ordinem disponere et asservare acta et documenta.

Art. 13 *(De Secretarii Generalis adiutoribus).*—§ 1. Adiutores Secretarii Generalis nominantur, approbante Summo Pontifice, a Secretario Generali ab eoque dependent.

§ 2. Iidem Adiutores eliguntur inter ecclesiasticos viros idoneos et aptos, scientia et prudentia praeditos.

§ 3. Si res postulet, periti in rebus technicis a Secretario Generali, approbante Summo Pontifice, eligi possunt.

Cap. VIII—De Secretario Speciali

Art. 14 *(De Secretarii Specialis nominatione).*—§ 1. Secretarius Specialis nominatur a Summo Pontifice pro unoquoque coetu, in quo res tractatur, cuius ipse sit peritus.

§ 2. Si argumenta in coetu tractanda diversa sunt, pro unoquoque argumento Secretarius Specialis nominatur.

§ 3. Si casus ferat, nominantur a Summo Pontifice adiutores Secretarii Specialis.

§ 4. Coetu absoluto, Secretarii Specialis munus cessat./ 532

Art. 15 *(De Secretarii Specialis muneribus).*—§ 1. Secretarius Specialis praesto est Praesidi Delegato, ipsi coetui et Secretario Generali pro apparandis documentis et relationibus; pro explanationibus et notitiis, iis praebendis, qui illas forte petent; denique pro actis conficiendis.

§ 2. In discussione argumenti fas est cuilibet Patri, de consensu Praesidis Delegati et ordine ab eo statuto, explicationes et notitias petere sive a Relatore sive praesertim a Secretario Speciali.

Cap. IX—De notitiis circa Synodum vulgandis

Art. 16 *(De coetu notitiis circa Synodum vulgandis).*—§ 1. Ad dandas notitias de Synodi conventibus et actuositate constituitur peculiaris coetus, constans ex Secretario Generali, Praeside Pontificiae Commissionis de Communicationibus Socialibus, duobus Patribus Synodalibus, a Praeside Delegato designatis, et Secretario Speciali.

§ 2. Coetus Secretarius erit Officialis, qui notitiis S. Sedis tradendis praepositus est (Direttore della Sala Stampa della Santa Sede).

§ 3. Coetui competit, approbante Praeside Delegato, determinare rationes et modos, quibus notitiae vulgentur.

§ 4. Per Patres Synodales, a Praeside Delegato designatos, fient identidem, de singulis argumentis, collationes cum diurnariis.

Pars Secunda

Normae Generales

Cap. I—De Synodo Episcoporum convocanda

Art. 17 *(De ratione Synodi convocandae).*—§ 1. Synodus Episcoporum a Summo Pontifice opportuno tempore opportunisque modis convocatur.

§ 2. Praesidis est proximae congregationis diem et horam necnon materiam tractandam, iuxta praestitutum or- 533
dinem, indicare. /

§ 3. Intimatio singulorum tunc tantum locum habet, cum id Praeses necessarium iudicaverit.

§ 4. Si contingat Summum Pontificem e vita decedere post convocationem coetus Synodi aut durante eius celebratione, coetus eo ipso suspenditur, donec novus Pontifex ipsum continuari decreverit aut novum coetum convocaverit.

Cap. II—De vestibus adhibendis

Art. 18 *(De vestibus in coetu adhibendis).*—In coetus congregationibus Sodales, ad quos pertinet, habitum planum induunt sine lacerna; ceteri proprium publicum.

Cap. III—De praecedentia

Art. 19 *(De praecedentiae ordine).*—§ 1. Servetur, pro praecedentia, praescriptum C. I. C. can. 106, 3.°, et C. I. O., De personis, can. 37, 3.°.

§ 2. Si qui Sodalis forte extra ordinem sedeat, sententiam proferat vel alios actus faciat, nullum ius acquirit, ac nemini praeiudicium affert.

Cap. IV—De secreto servando

Art. 20 *(De obligatione secreti servandi).*—Salvo praescripto art. 16, omnes qui in Synodo partem habent vinciuntur secreto quod attinet sive ad actus praeparatorios sive ad labores ipsius coetus, praesertim quod spectat ad singulorum sententias et suffragia et coetus decisiones et 534
conclusiones. /

Cap. V—De lingua in Synodo adhibenda

Art. 21 *(De lingua in coetibus et actis adhibenda).*—In congregationibus Synodi et in actis conficiendis lingua latina adhibetur.

Cap. VI—De colligendis ac distribuendis actis et documentis

Art. 22 *(De ratione colligendi ac distribuendi acta et documenta).*—§ 1. Omnia acta et documenta colliguntur et distribuuntur per Secretarium Generalem.

§ 2. Argumenta, de quibus in coetu Synodi agendum est, transmittuntur sex mensibus, si fieri potest, antequam coetus initium capiat, ita ut tempus detur ad convocandas Conferentias Episcopales, exquirendae sententiae causa.

Cap. VII—De sententia exquirenda a Conferentiis Episcopalibus

Art. 23 *(De ratione sententiae exquirendae).*—§ 1. Res, quas pertractandas Summus Pontifex in Synodi convocatione statuerit, ab unaquaque Episcoporum Conferentia vel coetu Episcoporum ritus Orientalis, studiose antea perspiciantur oportet.

§ 2. De earundem rerum definitione unusquisque Episcopatus suam communem sententiam exprimit aptiore, quae ipsi videbitur, ratione.

§ 3. Huiusmodi sententia a singulis Sodalibus pro Synodo deputatis in Synodi coetu exprimitur.

Cap. VIII—De suffragiis

Art. 24 *(De suffragiis ferendis).*—Postquam Sodales sententiam, de qua in art. 23, § 3, expresserint, si Summus Pontifex id constituerit, ad ferenda suffragia proceditur. / 535

Art. 25 *(De formula et modo ferendi suffragia).*—§ 1. Suffragia in Synodo feruntur formula: *placet, non placet, placet iuxta modum*, si agitur de schemate approbando, sive integro sive per partes diviso; feruntur vero formula: *placet, non placet*, in emendationibus seu modis approbandis et in aliis suffragationibus.

§ 2. Qui suffragium dederit formula: *placet iuxta modum*, tenetur modum clare et concinne scripto tradere.

§ 3. Suffragia exprimuntur aptis schedulis, nisi Praeses alium modum praeceperit, v. gr. surgendo vel sedendo, manum elevando vel minus.

Art. 26 *(De suffragiorum maioritate).*—§ 1. Ad maioritatem suffragiorum constituendam, si agitur de re approbanda, requiruntur duae tertiae partes suffragiorum Sodalium, qui suffragia ferunt; si vero de reicienda, eorundem Sodalium maioritas absoluta.

§ 2. Praescriptum § 1 servetur sive consilium praestandum est Summo Pontifici, sive, obtenta eiusdem Summi Pontificis licentia, est de re decernendum.

§ 3. Quoties de ratione procedendi quaestio movetur, ea per maioritatem absolutam Sodalium, qui, suffragium ferunt, solvitur.

Cap. IX—De sodalium absentia

Art. 27 *(De obligatione significandi absentiam).*—Qui coetus congregationi interesse nequit, is Praesidi, per Secretarium Generalem, absentiae rationem significare debet.

Cap. X—De dispensatione ab obligatione residentiae

Art. 28 *(De beneficiorum fructuum perceptione).*—Omnes, qui Synodo interesse tenentur vel eidem operam quovis titulo legitime impendunt, coetu perdurante et donec eidem adsunt vel inserviunt, ab obligatione residentiae eximuntur et quoslibet suorum / beneficiorum reditus ac distribu- 536
tiones quotidianas percipere valent, iis tantum exceptis, quae inter praesentes fieri dicuntur.

Pars Tertia

De ratione procedendi

Cap. I—De ritibus sacris

Art. 29 *(De coetu inaugurando et absolvendo).*—§ 1. Coetus Synodi inauguratur celebratione Sacri et cantu solemni hymni *Veni Creator Spiritus*.

§ 2. Idem coetus absolvitur celebratione Sacri et solemni cantu hymni *Te Deum*.

Cap. II—De Relatione conficienda

Art. 30 *(De Relatione paranda).*—§ 1. Relatio, qua quaestio in Synodo agenda exponitur, collustratur et enucleatur, ab illo Episcopo paratur, cui Summus Pontifex, cum coetus quilibet convocatur, hoc munus contulerit.

§ 2. Relatori praesto esse debet Secretarius Specialis.

Art. 31 *(De Relatione transmittenda).*—Textus Relationis, in Synodo dein legendae, saltem triginta diebus ante inchoandum coetum, perveniat ad Secretarium Generalem, qui curat exemplaria pro Sodalibus paranda.

Cap. III—De officii possessione a Praeside Delegato capienda

Art. 32 *(De ratione possessionis capiendae a Praeside Delegato).*—Ineunte Synodo in coetum congregata, si casus ferat, Secretarius Generalis perlegit pontificium documentum quo deputatur Praeses Delegatus; iste dein statim officium capit suum. / 537

Cap. IV—De ratione procedendi in coetibus Synodi

Art. 33 *(De argumenti propositione et illustratione).*—Praeses argumentum disceptandum nuntiat et Relatorem

http://www.obrascatolicas.com

vocat, qui Relationem iam apparatam et Patribus distributam summatim exponit et explicat, adiutorio usus, si necesse sit, Secretarii Specialis.

Art. 34 *(De coetibus minoribus).*—Relatione absoluta, Praeses, si hoc opportunum iudicaverit, potest promovere discussionem argumenti in coetibus minoribus. In hisce coetibus, secundum varias linguas distinguendis, Patres Synodales moderatorem eligant, et, discussione argumenti absoluta, committant uni alterive Patri, ut nomine aliorum sententiam proferat in congregatione generali.

Art. 35 *(De argumenti discussione).*—§ 1. 1.° Praeses, iuxta indicem a Secretario Generali confectum, ex ordine ad loquendum vocat Sodales, qui pridie nomina sua ad hunc finem significaverint.

2.° Patres, qui loqui postulaverunt, hoc ordine sese succedunt: primo loquuntur, iuxta ordinem praecedentiae (art. 19), qui nomine Conferentiarum Episcopalium orationem habent, deinde alii, ex eodem ordine.

3.° Qui Conferentias Episcopales repraesentant, iuxta facultates sibi tributas, illarum nomine loquantur.

4.° De uno eodemque argumento, nomine Conferentiae, unus tantum Pater loquetur.

§ 2. 1.° Si multi sint, qui disserendi veniam petierint, rogantur Patres ne repetant quae alii iam exposuerunt, sed ad ea, quae iam dicta sint, paucis se referant.

2.° Eodem in casu Praesidis Delegati est coadunare, vel per seipsum vel per Patrem a se deputatum (art. 3, 2.°), in separatis conventibus Patres oratores ad concordandum, salva omnium libertate, ut pauci nomine omnium, iuxta diversitatem sententiarum, loquantur.

§ 3. 1.° Omnes qui facultatem disserendi petierunt, etsi non loquantur, suas animadversiones Secretariae Ge-
538 nerali scripto dabunt. /

2.° Qui autem loquuntur orationes suas, spatio temporis, a Praeside statuto, contineant.

Art. 36 *(De responsionibus).*—§ 1. Si qui Sodalis, auditis Sodalium animadversionibus, respondere seu aliquid obicere intendit, hanc facultatem a Praeside petere potest.

§ 2. Praesidis est facultatem respondendi concedere, et diem statuere, qua responsio fiat.

§ 3. Die statuta, Praeses, iuxta indicem a Secretario Generali confectum, vocat Patres, qui respondere petierunt.

§ 4. Oratores, nisi tempus ad respondendum Praeses definierit, brevissimo sermone suas responsiones contineant.

§ 5. Possunt Oratores nomine plurium Sodalium respondere; quod si faciunt, eos indicare debent, quorum nomine loquuntur.

§ 6. Responsiones scripto Secretario Generali dein tradendae sunt.

Art. 37 *(De Commissionibus studiorum).*—§ 1. Si ex habita disceptatione constet argumentum ulteriore enucleatione indigere, potest Praeses Delegatus, de consensu Summi Pontificis et modis ab eodem Summo Pontifice statutis (cfr. art. 8), peculiarem Commissionem constituere, quae in hoc opus incumbat.

§ 2. Interea ad subsequentis argumenti examen proceditur.

§ 3. 1.° Cum Commissio studiorum suas conclusiones exhibuerit, eae a Relatore, per Commissionem designato, Sodalibus illustrantur.

2.° Si Sodales postulant, potest Praeses brevissimam disceptationem circa has conclusiones concedere; quae disceptatio fit iuxta art. 35.

Art. 38 *(De voto exprimendo).*—§ 1. Expleta disceptatione, singuli Sodales mentem suam iuxta sententiam, de qua in art. 23, § 2, pandunt per votum scripto deinde Secretario Generali tradendum.

§ 2. Si, ex voluntate Summi Pontificis, suffragatio fa-
539 cienda sit, haec peragitur ad normam artt. 24-26. /

Art. 39 *(De modis examinandis).*—§ 1. Secretarius Specialis expensos modos colligit, in ordinem disponit, et cum Secretario Generali typis imprimendos curat.

§ 2. Statuto tempore, Sodales, audita Relatione, ad exprimenda suffragia de singulis modis procedunt.

§ 3. Suffragatio modorum fit formula: *Placet, non placet.*

§ 4. Modi, qui maioritatem suffragiorum assecuti fuerint, probati a Patribus habentur.

CAP. V—DE RELATIONE CIRCA PERACTOS LABORES

Art. 40 *(De Relatione facienda).*—Omnibus absolutis, fit per Secretarium Generalem, cui operam praestat Secretarius Specialis, Relatio in qua describuntur labores circa argumentum vel argumenta examinata peracti, et conclusiones a Sodalibus deductae exhibentur.

Art. 41 *(De Relatione Summo Pontifici exhibenda).*—Relationem, de qua in art. 40, Summo Pontifici exhibent Praeses Delegatus et Secretarius Generalis.

Adn. V. FAGIOLO in Ephem. iuris can. 25 (1969) 9-64.

3763

1969 IUN 25.-SC SACRAMENTORUM, RESCRIPT. PART.*

FACULTAS DATUR PERMITTENDI PERSONIS IDONEIS DISTRIBUTIONEM SSMAE COMMUNIONIS IN AUXILIUM SACERDOTIS, NE MISSA NIMIS PROTRAHATUR

PRECES—Episcopus Duluthensis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter postulat facultatem permittendi personis idoneis, in ecclesiis vel publicis oratoriis suae dioecesis, distributionem Ssmae Communionis in auxilium sacerdotis, ne Missa nimis protrahatur.

RESCR.—Die 25 Junii 1969 Sacra Congregatio de Sacramentis, vigore specialium facultatum a Ssmo D. N. Paulo Papa VI tributarum, attentis expositis, Oratori singularem facultatem indulget iuxta preces, dummodo personae idoneae ab Episcopo nominatim seligantur et ab eodem, iuxta ritum, mandatum accipiant, secluso quolibet irreventiae periculo erga Ssmam Eucharistiam, omnibus adhibitis cautelis in huius facultatis exercitio ac servata quoad cetera Instructione *Fidei Custos* H. S. C. diei 30 Aprilis 1969 [LE 3746]. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Praesentibus valituris *ad triennium.*

* Ordinario Duluthensi, Prot. N. 1220/69: Jurist 29 (1969) 464. Adn. Jurist, loc. cit.

3764

1969 IUN 28.-SC EPISCOPORUM, RESCRIPTUM. PART.*

FACULTAS DATUR CONFERENTIAE EPISCOPALI HISPANAE ERIGENDI ASSOCIATIONES FIDELIUM PRO TOTO NATIONIS TERRITORIO

PRECES—*Beatissime Pater,* Hispaniae Episcoporum Coetus, in plenario conventu diebus 18-27 mensis Novembris anno 1968 habito, communi sententia decrevit de postulanda ab Apostolica Sede facultate associationes fidelium atque instituta, ad pietatis vel caritatis opera in tota Natione exercenda, per formale decretum erigendi vel approbandi.

RESCR.—*Ex audientia Summi Pontificis diei* 28 *Iunii* 1969.—Summus Pontifex Paulus, Divina Providentia Papa VI, audita relatione infrascripti Cardinalis Sacrae Congregationis pro Episcopis Praefecti, petitionem benigne excipiens, gratiam iuxta preces, condicionibus quae sequuntur, ad quinquennium concedit:

— facultas ab ipsa Conferentia, quavis vetita delegatione, exerceatur, per decisiones in plenario conventu proferendas per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum qui, voto deliberativo fruentes, ad Conferentiam pertinent;

— salvis in re Ordinariorum locorum iuribus ad normam iuris communis, limitationibus per sacros canones statutis ac quomodolibet exclusa erectione Congregationum religiosarum et Institutorum Saecularium;

— Conferentiae insuper curae erit, in fine quinquennii, relationem mittere de usu facultatis, ad Apostolicae Sedis Sacra Dicasteria, iuxta eorundem competentiam in fidelium associationes vel instituta, per normas a Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae editas, statutam [LE 3699].

Contrariis quibusvis minime obstantibus.—C. Card. CONFALONIERI, *Praef.* Ernestus Civardi, Archiep. tit. Serdicensis, *Secretarius.*

* Conferentiae episcopali Hispaniarum. Prot. N. 1047/64: Sal terrae 59 (1971) 62-63. Adn. F. LODOS in Sal terrae 59 (1971) 64-71.

3765

1969 IUN 29.-SC CULTUS, INSTRUCTIO. PART.*

INSTRUCTIO DE CALENDARIIS PARTICULARIBUS «AD INTERIM» ACCOMMODANDIS

Decreto Sacrae Congregationis Rituum, quo novum Calendarium Romanum generale promulgatur, statuitur Calendaria et Propria officiorum atque Missarum esse recognoscenda «prae oculis habitis normis ad ordinationem anni liturgici spectantibus» [LE 3727]. Ad hoc opus facilius et securius reddendum, haec Sacra Congregatio pro Cultu divino opportunas tradet indicationes et normas.

Interim, *pro anno* 1970 et donec editio typica librorum liturgicorum completa sit, haec serventur:

1. Celebrationes, quae etiam in Calendario generali inscribuntur, eadem ratione, qua in eo recensentur, peragantur.

2. Celebrationes propriae usque adhuc in Calendariis particularibus inscriptae, retineantur, et recolantur eadem ratione ac celebrationes in Calendario generali retentae, nempe: *a)* Festa I classis, quae tamquam sollemnitates retinentur in nova tabula dierum liturgicorum, fiant sollemnitates; *b)* Festa II classis, quae tamquam festa retinentur in nova tabula dierum liturgicorum, tamquam festa celebrentur; *c)* Festa III classis habeantur tamquam memoriae obligatoriae. In occurrentia cum memoria obligatoria Calendarii generalis, pro anno 1970 una vel alia eligi potest ad libitum celebrantis; *d)* Commemorationes fiant memoriae ad libitum, si occurrunt diebus quibus celebrari possint; secus, idest si hae commemorationes in diem incidant in quo habetur Sollemnitas, Festum vel Memoria obligatoria, omittantur.

3. Festis *Beatorum,* qui forte habentur in calendariis particularibus, eaedem applicentur normae supra recensitae.

E Civitate Vaticana, die 29 iunii 1969. In Sollemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli. De mandato Emmi Cardinalis Praefecti—A. Bugnini, *a Secretis.*

* Prot. N. 532/69: Notit. 5 (1969) 283.

3766

1969 IUL 1.-SC CULTUS, RESPONSUM. PART.*

FESTUM ET CULTUS S. CHRISTOPHORI POTEST LEGITIME CELEBRARI

Rome, le 1 juillet 1969

Cher M. l'Abbé, Son Eminence le Cardinal Préfet a reçu la lettre et le dossier que vous avez envoyés récemment au Saint-Père, et me prie de vous répondre à ce sujet.

Le culte et la dévotion populaire envers saint Christophe ne sont nullement atteints par la décision prise par le calendrier général au sujet de sa fête; celle-ci reste légitime partout où existe le culte du saint. La Sacrée Congrégation pour le culte divin vous invite à déterminer une date pour la fête annuelle du saint patron de l'archiconfrérie que vous dirigez et des confréries affiliées: cette détermination sera conforme aux normes de l'année liturgique, nn. 59 et 60 a. Une traduction française de ces normes a paru dans la *Documentation catholique,* n° 1541 du 1er juin 1969.

Veuillez croire, cher M. l'Abbé, à mon religieux respect.—A. Bugnini, *secrétaire.*

* Sacerdoti Directori Archiconfraternitatis Sancti Christophori: Doc. Cath. 67 (1970) 132.

3767

1969 IUL 3.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 62 (1970) 90-91

IN REGIONIBUS MARIS RUBRI DELEGATIO APOSTOLICA CONSTITUITUR

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Sollicitudo omnium Ecclesiarum, ad quam arcano Dei consilio vocati sumus, id exigit ut non solum eis aptos praeficiamus Pastores qui sapienti moderatione oves ad salutaria pascua deducant, sed
91 etiam ut Legatos / Nostros ad varias mittamus gentes, qui Nostram gerant personam eamque quodam modo aspectabilem reddant. Quod quidem eo consilio fit ut Nos Ipsi, omnium filiorum Nostrorum vitam participantes, eorum necessitates atque intima desideria magis comperta habeamus et praesidium ac tutelam Episcopis et Sacerdotibus praebeamus. Hac ducti mente Delegationem Apostolicam in regionibus Maris Rubri instituere decrevimus, quae territoria Sudan, Littoris Gallici gentium Afars et Issas, Reipublicae Somalae atque partis Arabicae paeninsulae, usque adhuc infra limites Delegationis Apostolicae Africae Orientalis posita, complectuntur. Quae cum ita sint, Nos e consulto Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, motu proprio, certa scientia et matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Delegationem Apostolicam *Regionum Maris Rubri* nomine appellandam erigimus eiusque sedem in urbe Khartumensi collocamus; quae quidem Delegatio praedicta territoria comprehendat. Eidem ergo omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae huiusmodi Delegationum propria sunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras, firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; enuntiataeque Delegationi ita constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri septimo.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius.* Franciscus Tinello, *Apostolicam Cancellariam Regens.* Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.* Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*

3768

1969 IUL 3.-COM. INT. CONC., RESP. AAS 61 (1969) 551

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM CIRCA AUCTORITATEM COMPETENTEM AD PAROECIAS ERIGENDAS, SUPPRIMENDAS AUT INNOVANDAS

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, proposito in plenario coetu quod sequitur dubio, respondendum censuerunt ut infra:

D.—Quaenam sit *Auctoritas competens,* de qua in Litteris Apostolicis *Ecclesiae Sanctae,* diei 6 Augusti 1966, I, n. 21, § 3 [LE 3457].

R.—Auctoritatem competentem esse, in casu Sanctam Sedem, per Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, si agatur de conventionibus initis inter Apostolicam Sedem et Gubernium civile: esse vero Episcopum vel, in gradu superiori, Sanctam Sedem, per Dicasterium competens ad normam Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae,* diei 15 Augusti 1967 [LE 3588], si agatur de conventionibus initis, vel iuribus aliis personis physicis vel moralibus quaesitis.

Ssmus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 3 Iunii 1969 infrascripto impertita supradictam decisionem ratam habuit, adprobavit et publicari iussit.—Pericles Card. FELICI, *Praeses.*

Adn. V. CARBONE in ME 96 (1972) 337-338.

3769

1969 IUL 5.-SC GENTIUM EVANG., RESCRIPTUM. PART.*

FACULTAS DATUR INSTITUENDI DIACONATUM PERMANENTEM APUD SOCIETATEM MISSIONARIORUM AFRICAE

Rome, le 5 juillet 1969

Très Révérend Père, Vous avez bien voulu, en son temps, présenter ici une demande, tendant à obtenir qu'en conformité avec la Lettre Apostolique *Sacrum Diaconatus Ordinem* [LE 3571], cette S. C. «pro Gentium Evangelizatione» approuve le voeu, unanime, exprimé par le Chapitre Général de votre Société «constituendi diaconatum permanentem in eadem Societate».

A cet égard, je suis heureux de vous faire savoir que cette S. C. «de Propaganda Fide», après avoir considéré très attentivement ce désir exprimé par le Chapitre Général de votre Institut, a jugé valables les motifs adoptés et en considération aussi du Décret *Ad Gentes Divinitus,* n. 16 [LE 3364], accorde donc bien volontiers, par la présente lettre, l'autorisation demandée, «servatis de iure servandis».

En vous communicant cette décision, j'attire votre attention sur les deux points suivants: 1) Il convient que le diaconat ne soit conféré qu'à ceux qui ont déjà pris leurs engagements définitifs dans la Société. 2) Pour les jeunes diacres déjà entrés dans la Société comme frères, la période de formation spéciale au diaconat peut être raccourcie, en tenant

http://www.obrascatolicas.com

compte de la formation déjà reçue au noviciat et dans les années de probation ou les premières années de vie religieuse.

Pour ceux qui entrent dans la Société avec l'intention, dès le début, de devenir diacres, la période de formation globale ne peut pas être de moins de trois ans (cfr. *Sacrum Diaconatus Ordinem*, art. 9).

Pour les frères déjà avancés en âge, ayant plus de 35 ans, on leur procurera une formation spécifique au diaconat en conformité avec les directives de la Lettre Apostolique *Sacrum Diaconatus Ordinem* (art. 14 et 15) et selon les besoins et les possibilités de chacun.

Veuillez agréer, Très Révérend Père, l'expression de ma considération distinguée et l'assurance de mes sentiments dévoués, accompagnés des meilleurs voeux pour les futurs diacres avec l'espérance qu'ils seront de bons instruments de l'oeuvre d'évangélisation.—G. P. Card. Agagianian, *Préfet.* T. Scalzotto, *Min.*

* Moderatori Generali Missionariorum Africae, Prot. N. 4201/69: BM 33 (1969) 184-185.

3770

1969 IUL 7.-SECRETARIA STATUS, NOTIF. PART.*

Religiosi Urbis tradere debent Vicariatui dimidiam summam eleemosynae quae pro Missis bis aut ter litatis acceptantur

Vide *textum* sub die 30 Ian. 1971: LE 3950.

* Card. Vicario Urbis, Prot. N. 133471: Riv. dioc. Roma 12 (1971) 95.

3771

1969 IUL 10.-SC CULTUS, DECR. AAS 61 (1969) 549-550

De legis vacatione pro novo Ordine Baptismi parvulorum ulterius proroganda

Petentibus nonnullis Conferentiis Episcoporum, ut vacatio legis pro novo Ordine Baptismi parvulorum, ad diem 8 septembris huius anni statuta, ulterius prorogaretur, quo populares interpretationes maiore cum tranquillitate confici possent et actio pastoralis opportunius disponi, haec Sacra Congregatio pro Cultu Divino, de mandato Summi Pontificis Pauli VI, statuit ut novus Ordo Baptismi parvulorum, die 15 mali 1969 [LE 3749] promulgatus, a die 29 martii proximi
550 anni 1970, hoc est/ a Dominica Resurrectionis D. N. I. Ch., vigere incipiat, ita tamen ut, a die 8 septembris huius anni, aut novus Ordo aut qui in Rituali vel Pontificali Romano exstat, ad arbitrium usurpari possit; a die vero 29 martii 1970 novus dumtaxat ritus adhibeatur.

Singulis tamen Conferentiis Episcoporum, postquam popularem interpretationem paraverint, et ab Sacra Congregatione confirmationem acceperint, facultas fit alium diem ante 29 martii 1970, pro opportunitate, statuendi, quo novus Ordo Baptismi parvulorum vigere incipiat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus. E Civitate Vaticana, die 10 iulii 1969.—Benno Card. Gut, *Praef.* H. Bugnini, *a Secretis.*

3772

1969 IUL 12.-SC DOCT. FID., NOR. AAS 61 (1969) 540-541

Statuta «ad experimentum» commissionis theologicae

1. Commissio Theologica penes Sacram Congregationem pro Doctrina Fidei instituitur, cuius munus est Sanctae Sedi et praecipuum in modum eidem Sacrae Congregationi auxilium praestare in quaestionibus doctrinalibus maioris momenti perpendendis.

2. Munere Praesidis Commissionis Theologicae fungitur Cardinalis Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei Praefectus, qui pro singulis sessionibus unum e Cardinalibus Membris eiusdem Sacrae Congregationis delegare potest.

3. Cardinalis Praeses secretarium pro laboribus technicis Commissionis designat.

4. Commissio Theologica constat theologis e diversis scholis ac Nationibus, qui scientia theologica et fidelitate erga Ecclesiae Magisterium praestant.

5. Commissionis Theologicae Membra a Summo Pontifice, cuius iudicio proponuntur a Cardinali Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei Praefecto post consultationem Conferentiarum Episcopalium, ad quinquennium nominantur, quo expleto iterum confirmari possunt. Summa Membrorum numerum triginta non superabit.

6. Coetus Plenarius Commissionis Theologicae saltem semel in anno convocatur.

7. Si studium particularium quaestionum id exigat, Cardinalis Praeses speciales Commissiones e Membris materia peculiariter peritis instituere potest, quae, studio expleto, munere suo cessant.

8. Commissionis Theologicae Membra etiam scripto consultari possunt.

9. Quaestiones et argumenta studio subicienda a Commissione quoque Theologica aut a singulis Membris proponi possunt Sacrae Congregationi pro Doctrina Fidei, quae de opportunitate rei tractandae decernit.

10. Conclusiones, ad quas Commissio Theologica in Conventu Plena/rio aut in Commissionibus specialibus pervenerit, necnon singula Membrorum vota, Summo Pontifici subiciantur atque Sacrae Congregationi pro Doctrina Fidei usui tradentur. 541

11. Membra Commissionis Theologicae, ratione habita de collaborationis necessitudinibus cum Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei, res Commissionis tractandas ad normam *Ordinis servandi* Curiae Romanae sub secreto pontificio continebunt.

Sathus Dominus Noster Paulus Papa VI in Audientia infrascripto Praefecto Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei die 11 *Aprilis* 1969 *concessa, necnon per litteras Secretariae Status N.* 134829, *diei* 24 *Aprilis* 1969 [LE 3741], *Commissionis Theologicae statuta «ad experimentum» adprobavit.*

Romae, die 12 Iulii 1969.—Franciscus Card. Seper, *Praefectus.*

Adn. Doc. Cath. 66 (1969) 814.

3773

1969 IUL 17.-SC RELIGIOSORUM, RESCRIPTUM. PART.*

Facultas datur faciendi aliqua experimenta quoad novitiatum, professionem, Officium, etc. in Tertio Ordine saeculari S. Francisci

Roma, 19 Giugno 1969

Preces—*Beatissimo Padre*, I Supremi Moderatori delle Quattro Famiglie Francescane, prostrati ai piedi di Vostra Santità, chiedono umilmente di poter godere dell'analoga concessione fatta nel M. P. *Ecclesiae Sanctae*, II, 6-7 [LE 3417], al Capitolo Generale e al Supremo Consiglio di ogni Istituto Religioso, cioè permettere, per i motivi sotto elencati, certe modifiche, a titolo di esperimento, delle prescrizioni della Regola, delle Costituzioni e del Cerimoniale del Terz'Ordine Secolare Francescano, sempre sotto il comune controllo dei Moderatori Generali o dei loro Delegati Generali del Terz'Ordine Francescano, fin al tempo in cui vi sarà la nuova legislazione. E che Dio ecc...

Le ragioni per chiedere la suddetta concessione sono le seguenti:

1) In ordine a rinnovare la Regola, Costituzioni e Cerimoniale del T. O. F. sono in corso ovunque sondaggi per sapere esattamente che cosa desiderano i terziari e i loro direttori a riguardo dell'aggiornamento della legislazione del T. O. F.; aggiornamento voluto dalla Chiesa stessa e desiderato da moltissimi terziari. Però, per poter raccogliere risultati di tali deliberazioni e consultazioni, occorrerà del tempo.

2) La Regola e le Costituzioni ora in vigore non fanno accenno a un Capitolo Generale, che potrebbe decidere adattamenti e aggiornamenti della legislazione, dopo aver consultato i terziari.

3) Di conseguenza si dovrebbe aspettare a lungo per introdurre certe innovazioni ed esperimenti. Anzi, siccome non esiste un Capitolo Generale, si dovrebbe pubblicare una nuova Regola e nuove Costituzioni senza poter compiere i dovuti esperimenti.

4) Per rimediare a queste medesime difficoltà la S. Sede ha concesso agli Istituti Religiosi la facoltà di poter esperimentare. Il motivo per cui fu concesso agli Istituti Religiosi tale facoltà dovrebbe valere molto più anche per il T. O. F. in considerazione del grandissimo numero di appartenenti e della sua larghissima diffusione nel mondo. (M. P. *Ecclesiae Sanctae* II, 6). [LE 3417]

5) Già da molte parti sono arrivate richieste di poter fare delle prove per es. a riguardo della vestizione, della professione, della durata della professione. Queste domande furono inoltrate con una certa urgenza allo scopo di introdurre al più presto talune innovazioni per modo di esperimento.

Aspettare una nuova legislazione, la quale sarà pronta soltanto dopo molto tempo, non soddisferà molti terziari.

6) Poiché la facoltà è chiesta per i Superiori Generali e per i loro Delegati, cioè i Commissari Generali del T. O. F., è assai facile il controllo di tali esperienze.

7) La stessa collaborazione tra i Superiori Generali e i loro Delegati, per quanto riguarda il T. O. F., e la elaborazione in comune di una Nuova Regola, Costituzioni e Cerimoniale, garantisce dal pericolo di certi inconvenienti, concedendo la facoltà. La facoltà sarà usata sempre di comune accordo.

8) In questo modo si potrebbe più facilmente evitare che i terziari o i loro direttori diano inizio ad esperimenti per conto proprio, senza nessuna autorizzazione.—Fr. Angelico Lazzeri, O. F. M., *Vic. Gen.* per Fr. Costantino Koser, O. F. M., *Min. Gen.* Fr. Basilio Heiser, O. F. M. Conv., *Min. Gen.* Fr. Clementino da Vlissingen, O. F. M. Cap., *Min. Gen.* Fr. Francesco Provenzano, T. O. R., *Vicario Gen.*

Rescr.—*Reverendo Padre*, È qui pervenuta la domanda per l'aggiornamento della Regola, delle Costituzioni e del Cerimoniale del Terz'Ordine secolare, nella quale le quattro Famiglie Francescane chiedevano di poter procedere ad esperimenti, secondo le norme e nei limiti fissati dal Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* (II, 6-7), non essendo previsto un Capitolo Generale del predetto Terzo Ordine secolare francescano.

Nell'udienza benignamente concessami il 5 luglio scorso ho esposto le ragioni della domanda al Santo Padre il quale volentieri concede la facoltà richiesta per quanto riguarda lo studio delle questioni elencate, desiderando però che le conclusioni alle quali saranno pervenuti i singoli Ordini vengano sottoposte all'approvazione della Santa Sede.

Rimetto la presente comunicazione alla Paternità Vostra dato che il Consiglio Generale interobbedienziale del Terz'Ordine secolare di S. Francesco d'Assisi ha la sua sede presso la Curia Generale dei PP. Cappuccini, con preghiera di informarne gli altri tre Ministri Generali delle Famiglie Francescane.

Tanto era mio dovere comunicarLe ed approfitto della circostanza per confermarmi, con religiosa stima della Paternità Vostra Reverenda devotissimo.—E. Heston, C. S. C., *Secr.* D. M. Huot, S. M. M., *Subsecr.*

* Ministro Gen. O. F. M. Cap., Prot. N. 02116/57: AOFMCap 86 (1970) 238-241.

3774

1969 IUL 25.-SC CULTUS, INSTRUCTIO. PART.*

Instructio de editionibus apparandis et de usu novi ordinis lectionum Missae

Decreto, quo novus Ordo Lectionum Missae promulgatur, statuitur ut a die 30 novembris 1969,[LE 3752] dominica prima Adventus, hic vigere incipiat. Conferentiis Episcopalibus insuper committitur eiusdem Ordinis Lectionum editiones apparare cum textibus lingua vernacula exaratis.

Attentis autem difficultatibus, quas harum editionum praeparatio secum certo feret, Sacra haec Congregatio pro Cultu divino, approbante Summo Pontifice, opportunum ducit sequentes indicationes praebere, quibus labor Conferentiarum Episcopalium dirigatur et facilior reddatur.

1. Dominica prima Adventus 1969 tamquam prima dies habenda est, qua novus ordo Lectionum Missae adhiberi poterit. Hac enim die vigere incipiet etiam novus Ordo Missae: quod facultatem praebebit habendi corpus organicum textuum liturgicorum et rituum pro celebratione eucharistica ditiore forma, sub aspectu pastorali, ordinanda. Attamen novi Lectionarii usus per gradus introduci potest.

2. Multiplex numerus lectionum exiget ut novum Lectionarium pluribus voluminibus distinctum edatur. Cura de materia in singulis voluminibus disponenda relinquitur Conferentiis Episcopalibus, quae prae oculis habebunt faciliorem usum in celebratione liturgica.

Hinc facultas oritur opportunioris ordinationis laboris pro apparandis editionibus.

3. Cura imprimis impendatur edendis voluminibus Ordinis Lectionum pro dominicis et festis diebus. Immo expedit ut statim paretur volumen aut saltem eius pars, continens seriem B lectionum dominicalium, quae erunt adhibendae proximo anno liturgico: quod sperandum est fore ut etiam brevi temporis intervallo, quod usque ad diem 30 novembris superest, effici possit. Tempore autem sequenti, et maiore cum tranquillitate, parari poterunt alia volumina pro annis sequentibus.

4. Ad Ordinem lectionum pro feriis quod attinet, cum fere ubique in usu iam habeantur schemata ad experimentum, res minus urget, et schemata quae nunc adhibentur ad tempus servari possunt, usque dum editio novi Lectionarii ferialis in promptu sit.

5. Hac eadem ratione, etiam partes Lectionarii quae ad Proprium et Commune Sanctorum et ad Missas votivas aut defunctorum spectant, ad tempus servari possunt quae in Missali Romano exstant. Expedit enim ut lectiones huiusmodi una cum Lectionario feriali edantur.

6. In apparandis editionibus novi Ordinis lectionum, principia serventur statuta in Instructione *De popularibus interpretationibus conficiendis*, data a «Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia» die 25 ianuarii 1969 [LE 3709]. Textus populares si sumuntur e Sacrae Scripturae interpretationibus iam legitime approbatis et ab *Apostolica Sede ad usum liturgicum confirmatis*, nova confirmatione non indigent. Si vero sumuntur e Sacrae Scripturae interpretationibus ad usum liturgicum non approbatis vel ex novo conficiuntur, ad Sacram Congregationem pro Cultu divino transmittendi sunt pro confirmatione *etiam si agatur de interpretationibus ad interim paratis* (cf. declarationem circa interpretationes textuum liturgicorum «ad interim» paratas, editam in *Notitiae* 5, 1969, p. 69) [LE 3747].

7. His attentis, statuitur ut novus Ordo lectionum Missae, a die 30 novembris 1969, iuxta ea quae Conferentiae Episcopales statuerint vigere incipiat. Iisdem proinde Conferentiis Episcopalibus, postquam editiones populares eiusdem Ordinis paraverint et ab hac Congregatione confirmationem forte necessariam acceperint, facultas fit opportuniorem diem definiendi, quo novus Ordo lectionum Missae adhiberi debeat aut possit.

E Civitate Vaticana, die 25 iulii 1969.—Benno Card. Gut, *Praef.* A. Bugnini, *a Secretis.*

* Prot. N. 838/69: Notit. 5 (1969) 238-239. Adn. Notit. 3 (1967) 9-14; G. Fontaine in EL 83 (1969) 438-451 et in Notit. 5 (1969) 256-282.

3775

1969 AUG 8.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 61 (1969) 553-555

Cardinalis Legatus Patriarchali Basilicae a S. Francisco in urbe Asisio assignatur

PAULUS PP. VI

Inclita toto terrarum orbe fama celebratur Patriarchalis Basilicae a S. Francisco in urbe Asisio, quae religione loci, ingenti molis amplitudine operibusque exquisita arte perfectis, cetera sacra monumenta, in honorem Legiferi Patris Asisinatis exstructa, facile antecellit. Cuius Basilicae praestantia atque dignitas non ex eo tantum petenda est, quod mortales S. Francisci exuvias tuetur ac servat, verum etiam quod Romani Pontifices saeculorum decursu hoc templum singulari cura atque sollicitudine semper prosecuti sunt, idemque immediatae Apostolicae Sedis iurisdictioni obnoxium voluerunt. Re enim vera Decessor Noster fel. rec. Gregorius IX anno MCCXXX statuit, ut *ecclesia ipsa nulli nisi Romano Pontifici esset subiecta, et (Franciscalis Ordinis) Caput haberetur et Mater, ac in ea per Fratres eiusdem Ordinis perpetuo serviretur* [1]. Quod / privilegium saeculis 554
insequentibus haud semel apostolica Romanorum Pontificum auctoritate aperte confirmatum est [2].

E quibus propensae voluntatis testimonils erga mirabile hoc templum a Decessoribus Nostris prolatis, memoratu digna sane est Apostolica Constitutio a verbis *Fidelis Dominus* incipiens, qua Benedictus XIV sacras has aedes ad Patriarchalis Basilicae et Pontificiae Cappellae honorem evexit, statuitque pariter ut Purpurati Patres, qui pro tempore Basilicarum XII Apostolorum et SS. Marcellini et Petri titulo decorarentur, simulque Generalis Auditor Causarum ad Curiam Camerae Apostolicae spectantium, eorumque successores, Protectores atque Summi Pontificis Delegati pro hac Basilica et adiecto Coenobio nominarentur.

Progressu temporis, cum duo Patres Cardinales, memoratarum Basilicarum titulo aucti, saepe officio Archiepiscopi fungerentur in sedibus, quae nimis dissitae essent, idemque propterea prohiberentur quominus munus sibi concreditum apud Asisinatem Basilicam expedite obire possent, Apostolicae huic Sedi visum est, ut in eorum locum duo e Romana Curia Cardinales substituerentur, qui, utpote a Sancta Sede Delegati, in eandem Basilicam ad normam Constitutionis a Benedicto XIV editae, suas curas impenderent.

Attamen, cum haec agendi norma recentioribus hisce temporibus intermissa sit, hinc haud paucae ortae sunt difficultates, ad quas removendas necessarium prorsus est, ut quae ad exercendam in Basilica S. Francisci iurisdictionem pontificiam pertineant, rite a Nobis definiantur.

Rebus igitur mature perpensis, Nos, exempla imitati Decessorum Nostrorum, qui sive dignitati et decori venerandi huius templi, sive spirituali bono piarum peregrinantium

[1] Const. Apost. *Is qui Ecclesiam*, d. 22 Aprilis a. 1230, sub plumbo data.
[2] Cfr. Const. Apost. *Fidelis Dominus*, d. 25 Martii a. 1754, sub plumbo data; Epistula *Seraphici Patriarchae* a PIO XII ad Rev.mum Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum Conventualium d. 25 Martii, a. 1954, data: *A. A. S.* 46 (1954), p. 318.

http://www.obrascatolicas.com

multitudinum sollicite semper prospexerunt, motu proprio decernimus ac statuimus quae sequuntur:

I. Cardinalis in Urbe commorans, a Nobis deligendus, tamquam Noster Legatus assignatur Patriarchali Basilicae
555 a / S. Francisco in urbe Asisio, qui nomine Nostro ordinariam et immediatam iurisdictionem exerceat.

II. Cardinali Legato conceditur ut iurisdictionem sibi datam demandare possit Custodi Sacri Coenobii Basilicae adiecti, qui proinde hac in re Vicarius posthac erit Cardinalis Legati, salvo et incolumi iure Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, qui quidem eadem potestate gaudebit, exercenda tamen per se vel per alium etiam stabiliter constitutum, absente Custode.

III. In Basilica vero et in Sacro Coenobio nec non in locis immediate adiacentibus iurisdictio exercenda praesertim complectitur facultatem verbi Dei praedicandi, assistendi matrimoniis et confessiones excipiendi, itemque curam de disciplina ecclesiastica secundum normas Apostolicae Sedis, peculiari modo quod attinet ad rem liturgicam et ad licentiam Missae celebrandae sacerdotibus advenis dandam.

IV. Patris Custodis Vicarii erit annuam relationem Cardinali Legato exhibere de concessarum facultatum usu, itemque matrimonia in Basilica celebrata significare tum Episcopo Asisinati, tum aliis locorum Ordinariis, quorum potestati nubentes sint obnoxii.

Quae autem hic statuta sunt, ea rata ac firma semper fore iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VIII mensis Augusti, anno MDCCCCLXIX, Pontificatus Nostri septimo.—PAULUS PP. VI.

3776

1969 AUG 10.-SC DOCTRINA FIDEI, NOTIFICATIO. PART.*

CONTUMAX DECLARATUR M. L'ABBÉ DE NANTES IN DOCTRINIS SUSTINENDIS CONTRA HIERARCHIAM ECCLESIAE

A la requête de M. l'abbé de Nantes, la S. Congrégation pour la Doctrine de la foi a examiné ses écrits et, après l'avoir entendu par deux fois, le 6 juillet 1968 et le 23 mai 1969, a jugé devoir lui demander de souscrire une formule de rétractation de ses erreurs et de ses graves accusations d'hérésie portés contre le Pape Paul VI et le Concile. Après les deux premiers refus opposés par l'abbé de Nantes à cette demande, la S. Congrégation pour la Doctrine de la foi a tenté une dernière fois, le 11 juillet 1969, de le convaincre de se soumettre à la décision officielle du dicastère romain compétent auque. il avait été le premier à faire appel.

A cette demande solennelle qui lui était adressée, l'abbé de Nantes a répondu, en date du 16 juillet 1969, par un refus catégorique. Il y récuse le droit de la S. Congrégation pour la Doctrine de la foi d'exiger de lui une soumission, et il confirme ses positions antérieures concernant le Concile, l'*aggiornamento* de l'Eglise, l'épiscopat de sa nation, les «hérésies» de Paul VI et l'appel adressé au clergé romain en vue de sa déposition canonique. La S. Congrégation pour la Doctrine de la foi ne peut que prendre acte de ce refus opposé à sa légitime autorité en constatant avec une extrême tristesse qu'en se révoltant de la sorte contre le Magistère et la hiérarchie catholique, M. l'abbé de Nantes disqualifie l'ensemble de ses écrits et de ses activités, par lesquels il prétend servir l'Eglise tout en donnant l'exemple de la révolte contre l'épiscopat de son pays et contre le Pontife romain lui-même.

Réunis en congrégation ordinaire, les cardinaux de la S. Congrégation pour la Doctrine de la foi ont donc décidé de rendre publique la présente notification, et le Saint-Père a daigné approuver cette décision.

Formule de rétractation demandée à M. l'abbé de Nantes par la S. Congrégation de la Foi et qu'il a refusé de signer

1. Je déclare me soumettre à tous les actes doctrinaux et disciplinaires de S. S. le Pape Paul VI et du Concile oecuménique Vatican II. J'adhère à tous les enseignements du Pape et du Concile selon que le requiert la nature de ces enseignements et compte tenu de l'intention du Pape et du Concile (cf. *Lumen gentium*, n° 25) [LE 3232].

2. Je rétracte les graves accusations que je n'ai pas craint de propager contre les actes du Souverain Pontife et du Concile. J'exprime mon sincère regret pour ces imputations. Mais je tiens spécialement à désavouer l'accusation d'hérésie portée contre le Pape Paul VI et la conclusion aberrante que j'en ai tirée sur l'opportunité de sa déposition par les cardinaux.

3. A mon évêque et à l'épiscopat de ma nation, je promets d'obéir selon les normes canoniques.

4. Je m'engage à parler et à écrire toujours avec respect des actes et des enseignements du Pape, du Concile et des évêques.

* Doc. Cath. 66 (1969) 794 et 796. Adn. Doc. Cath. 66 (1969) 794.

3777

1969 AUG 11.-SC RELIGIOSORUM, RESCRIPTUM. PART.*

NONNULLA EXPERIMENTA CONTRA IUS COMMUNE PERMITTUNTUR IN ORDINE FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM

PRECES—*Beatissime Pater*, Fratres Capitulares Ordinis Minorum Capuccinorum humillime a Sanctitate Vestra implorant, ut infrascriptae normae ad experimentum traduci possint:

1) Admittere ad postulatum, noviciatum et professionem, praeter Ministrum Generalem, in unaquaque Provincia solius Ministri Provincialis est, qui hanc facultatem Vicario provinciali, Custodi et Superiori regulari etiam habitualiter delegare potest.

Qui Superiores antequam candidatos ad noviciatum admittant, proprium Consilium aut tres vel quattuor fratres ab eodem Consilio nominatos consulant; ut autem ad primam et ad solemnem professionem admittere possint, consensu sui Consilii egent.

Si casus fert, consulantur etiam ii, qui in re competentiam specialem habent.

In extraordinariis rerum adiunctis, dummodo cum Ministro provinciali communicare nequeat, Superior Fraternitatis localis, in qua candidati vivunt, iisdem facultatibus pollet de quibus supra, servatis harum Constitutionum praescriptis.

2) Tempus initiationis in vitam nostram incipit a die quo quis, a Ministro provinciali admissus, Fraternitatem ingreditur. Ex eo die candidatus, sive quoad institutionem sive quoad vitam et laborem, ut membrum Fraternitatis habendus est. Documentum conficiatur de hoc ingressu.

Postulatus est prima periodus, in qua candidati formationem humanam complent, profundiorem sensum vitae christianae acquirunt atque gradatim introducuntur in vitam nostram fraternam.

Noviciatus, minimum per annum protractus, seu periodus profundioris reflexionis et intentioris exercitii vitae nostrae, fit tempore et modo a Definitorio provinciali determinando.

Specialis fratrum institutio, decursu temporis initiationis, ordinetur iuxta diversa munia ab eisdem exercenda et secundum peculiaria Provinciarum adiuncta et statuta.

Omnes initiationis periodi peragi debent in Fraternitatibus ad vitam nostram ducendam et ad institutionem impertiendam peculiariter idoneis, atque a Definitorio provinciali ad hunc finem designatis.

3) Professio solemnis emittitur tempore, quod a Ministro provinciali et ipso profitente determinatur, non autem ante sextum nec ultra decimum annum ab incepta initiationis periodo transactum.

Tempore tamen pro susceptione sacrorum Ordinum adveniente, Minister provincialis, de consensu Definitorii, potest periodum initiationis uno vel duobus annis imminuere.

Professio tamen solemnis nunquam fiat ante vigesimum tertium aetatis annum completum. Per eam candidatus definitive incorporatur Fraternitati cum omnibus iuribus et obligationibus, ad normam praesentium Constitutionum.

Expleto noviciatu, emittatur professio simplex, ad tempus a Ministro provinciali cum profitente determinandum, usque ad professionem solemnem renovanda.

Si autem candidatus iam in fine noviciatus polleat condicionibus supra indicatis, potest, de consensu Ministri provincialis eiusque Definitorii, professionem solemnem immediate emittere. Similiter determinetur tempus ad Ordinum susceptionem.

4) *a)* Vicario provinciali, Custodi et Superiori regulari, quibus ex mandato speciali facultas est iuxta 1.um admittendi ad postulatum, noviciatum et professionem, facultas est dimittendi postulantem vel novicium, quem ad vitam nostram ineptum iudicent; *b)* Ex gravi causa, quae dilationem non patiatur, eandem facultatem habent magister noviciorum et director postulantium, tamen cum consensu Consilii Fraternitatis. De qua re statim certior fiat Superior Maior; *c)* Ministri provincialis cum consensu

Definitorii est a votis temporariis dispensare fratrem, qui talem dispensationem petit et, gravi de causa, eum dimittere.

5) Fratres memores vestitum religiosum esse signum et consecrationis Deo factae et nostrae fraternitatis, eum deferant tum intra tum extra domum.

Vestitus noster iuxta Regulam et usum Ordinis, constat tunica cum caputio castanei coloris, cingulo et sandaliis, vel, iusta de causa, calceamentis.

Ubi iuxta diversa loca et tempora alius vestitus magis congruus fuerit, Superiores maiores cum suo Consilio vel Conferentiae Superiorum maiorum, prout eis iuxta Deum videbitur, aliter provideant, attentis normis ab auctoritate ecclesiastica datis.

6) Ecclesia non tantum Eucharistiam celebrando, sed etiam aliis modis, praesertim officium divinum persolvendo, se ipsam in carmine laudis et precatione intercessionis Christi consociat et nos ad idem faciendum invitat.

Itaque tota Fraternitas, Christi nomine, cotidie ad officium divinum in communi celebrandum, praesertim ad laudes et vesperas, congregetur.

Insuper suadetur ut idem faciant fratres ubicumque sint aut se invenerint; ac iuxta locorum adiuncta, officium cum fidelibus communiter celebretur.

Capitulum locale, approbante Superiore maiore, sic disponat horarium domus et laboris, ut cursus diei per laudem Dei consecretur, rite ratione habita etiam specialium adiunctorum personarum, temporum et culturarum.

Qui officium divinum in communi recitare nequeunt, memores sint se etiam in recitatione privata spiritualiter cum tota Ecclesia et praesertim cum fratribus coniungi; hac eadem profunda intentione orent illi fratres, qui privatim officium orationis dominicae dicunt iuxta Regulam.

7) Superiores maiores eligi non possunt nisi fratres sacerdotes solemniter professi qui studia rite expleverint.

Ad alia autem officia seu munera omnes fratres solemniter professi, post institutionis tempus peractum, promoveri possunt.

8) Superiores locales a Ministro provinciali eiusque Definitorio ne constituantur ad tempus ultra triennium; sed nominari poterunt ad secundum vel, in casu manifestae necessitatis, ad tertium triennium et quidem, si adsint iustae causae, etiam in eadem domo.

9) Superioris maioris est clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare, eam ad tempus auferre et ab ea in singulis casibus dispensare. Et Deus, etc.

RESCR.—Vigore facultatum a Summo Pontifice tributarum, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, attentis expositis, quae sequuntur decernere censuit:

Ad 1.*um:* pro gratia in omnibus iuxta preces;

Ad 2.*um et* 3.*um:* normae serventur Instructionis *Renovationis causam* [LE 3707];

Ad 4.*um:* a) et b) pro gratia item iuxta preces; c) pro gratia rursus iuxta preces quoad dimissionem professi a votis temporariis, monito Ministro Generali. Ad dispensationem vero quod spectat eiusdem professi, rescriptum *Cum admotae* [LE 3230] retineatur;

Ad 5.*um:* pro gratia eo tamen sensu, ut ubi loca et tempora id postulent, Superiores maiores cum suo Consilio et audita Conferentia Superiorum maiorum Ordinis, prout eis coram Deo videbitur, alium habitum simplicem et moderatum permittere possint, servatis insuper normis ab auctoritate ecclesiastica ad rem traditis;

Ad 6.*um:* normae custodiantur, quae in litteris sub die 31 elapsi m. Mali datis, Prot. n. S. R. 1506/69, continentur; [LE 3757].

Ad 7.*um:* pro gratia, ita tamen ut Fratres conversi sollemniter professi minime Superiores locales vel Magistri Novitiorum nominari possint ac insuper neque deliberationibus interesse queant neque suffragia ferre quoad negotia, quae clericalem naturam Ordinis attingunt vel ecclesiasticam iurisdictionem postulant;

Ad 8.*um:* pro gratia, quin idcirco consilia antea conferantur cum Ordinario loci;

Ad 9.*um:* dilata, eo quoad argumentum studio interea pertractatur.

In omnibus autem cetera serventur de iure servanda. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 11 Augusti 1969.—E. Heston, C. S. C., *Secretarius*. I. Cicconardi, *A. a studiis*.

* Capitulo Gen. O. F. M. Cap., Prot. N. 4734/68: AOFMCap 85 (1969) 240-243. Adn. AOFMCap 85 (1969) 240; ANASTASIUS AB UTRECHT in Laurentianum 11 (1970) 308-358.

3778

1969 AUG 15.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 61 (1969) 601-603

NOVAE NORMAE DE PASTORALI MIGRATORUM CURA STATUUNTUR

PAULUS PP. VI

Pastoralis migratorum cura semper ad se convertit maternas catholicae Ecclesiae sollicitudines, quae quidem, saeculorum decursu, numquam destitit omni ope eos iuvare, qui, sicut Christus in Aegypto exsul cum Nazarethana Familia, procul a patria migrare coacti sunt.

Quarum sollicitudinum Ecclesiae testimonium praeclarum exstat Constitutio Apostolica, cui index est *Exsul Familia* [1], a Decessore Nostro ven. rec. Pio XII, die 1 mensis Augusti, anno MCMLII edita, quae recentioribus hisce temporibus praecipuum Romanorum Pontificum documentum habendum est, ad huiusmodi quaestiones quod attinet.

Huius rei gravitas atque momentum minime effugit Patres Concilii Oecumenici Vaticani II, qui consilio permoti aptius atque efficacius ordinandi spiritualem migratorum curam, hanc quaestionem omni ex parte expenderunt, praesertim autem quod spectat ad eius religiosam rationem, utpote quae arcte / conectatur cum proprio Ecclesiae 602
fine, qui ad procurandam animorum salutem praecipue tendit.

Ac revera Concilium Oecumenicum, postquam peculiarem sollicitudinem commendavit pro fidelibus *qui ob vitae condicionem communi ordinaria cura pastorali non satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quam plurimi migrantes, exsules et profugi*, enixe hortatur Episcoporum Conferentias, praesertim nationales, ut *urgentioribus quaestionibus ad praedictos spectantibus sedulo studeant, et aptis instrumentis ac institutionibus spirituali eorum curae, concordi voluntate viribusque unitis consulant atque faveant* [2]. Idem Sacrosanctum Concilium praeterea haec alia hortamenta Episcopis adhibet: *Erga omnes sollicitos se praebeant cuiuscumque sunt aetatis, condicionis vel nationis, tum incolas, tum advenas et peregrinos* [3].

Facile intellegitur, pastoralem hanc curam efficaciter peragi non posse, nisi congrua habeatur ratio patrimonii spiritualis nec non animi culturae quae migratorum propria sunt; qua in re magnum habet momentum patria lingua, cuius ope migratores cogitata sua, suae mentis habitum, suamque religiosam exprimant vitam. Cavendum tamen est, uti patet, ne huiusmodi diversitates atque ad variarum nationum coetus accommodationes, etsi legitimae, in detrimentum vertant illius unitatis, ad quam omnes in Ecclesia advocantur, secundum S. Pauli monita: *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive Gentiles, sive servi sive liberi* [4]; *Omnes enim vos unum estis in Christo* [5].

Necessarium igitur erat ut Apostolica Sedes, has Concilii Oecumenici sollicitudines suas faciens, Episcopis et Conferentiis Episcopalibus opportunitatem praeberet aptius consulendi spirituali coetuum migratorum curae, qui quidem non solum ipsorum ministerio pastorali concrediti sunt sicut ceteri fideles, sed etiam, propter singularem eorum vitae statum, sedulitatem postulant, quae suis necessitatibus respondeat. / 603

Ex altera vero parte, valde immutatae condiciones, in quibus migrationes hodie fieri contingunt, effecerunt, ut magis in dies necessitas urgeat recognoscendi normas, quae ab hac Apostolica Sede iam de hac re impertitae sunt, easdemque ad nova temporum adiuncta accommodandi, scilicet opus est, ut in novam melioremque rationem redigatur ordinatio atque structura, quibus innititur opus consulendi spirituali migratorum curae, ita quidem, ut ad ipsum opus multiplices iam habitae experientiae et consociata omnium opera utiliter adhibeantur. Quam ad rem Episcopi, pro variis temporum locorumque adiunctis, uti poterunt nonnullis peculiaribus apostolatus formis, quas rerum usus iam comprobaverit. Quoniam vero latissimus pro migratoribus apostolatus campus recta omnium aestimatione actuosaque virium omnium coniunctione indiget, necessarium omnino est ut, praeter sacerdotes, qui in huiusmodi ministerium data opera incumbunt, etiam religiosi ac laici homines in hoc opus consociatis nisibus adlaborent.

[1] *A. A. S.* XLIV (1952), pp. 649 ss. [LE 2304].
[2] Decr. *Christus Dominus*, n. 18 [LE 3332]. [3] *Ibid.*, n. 16. [4] *1 Cor.* 12, 13-14. [5] *Gal.* 3, 28.

http://www.obrascatolicas.com

Itaque, omnibus mature perpensis, postquam attento animo vota consideravimus sive variarum Conferentiarum Episcopalium sive Membrorum Sacrae Congregationis pro Episcopis, motu proprio atque Nostra Apostolica auctoritate statuimus, ut normae pastorales de spirituali migratorum cura, quae Apostolica Constitutione *Exsul Familia* continentur, opportune recognoscantur a Sacra Congregatione pro Episcopis, cui propterea munus demandamus easdem normas per peculiarem Instructionem promulgandi.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, in festo Assumptionis B. M. V., die XV mensis Augusti, anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri septimo.—PAULUS PP. VI.

Adn. S. M. TOMASI in Jurist 31 (1971) 332-341; A. PEROTTI in ME 95 (1970) 46-80; H. M. O'LEARY in Australasian Catholic Record 48 (1971) 127-151.

3779

1969 AUG 15.-SC REL., INSTR. AAS 61 (1969) 674-690

INSTRUCTIO DE VITA CONTEMPLATIVA ET DE MONIALIUM CLAUSURA

«Venite seorsum in desertum locum» *(Mc.* 6, 31). Multi quidem huiusmodi audierunt invitationem et secuti sunt Christum, in solitudinem abeuntes, ut Patrem ibi adorarent.

Quo agebantur Spiritus instinctu [1], ad instituta ordinata ducti sunt uni contemplationi dedita, in quibus monasteria monialium praeclarum obtinent locum.

Vigiles maternasque curas Ecclesia semper ei adhibuit, quae «illustrior portio gregis Christi» a S. Cypriano est appellata [2], eo praesertim quod eiusdem a saeculi negotiis seiunctionem, pluribus de clausura editis praescriptionibus, est tutata [3]. Concilium quoque Vaticanum II eodem animum intendit [4]; cuius opus persequi huic Instructioni est propositum, normas definiendo, quibus clansura monialium contemplationi prorsus addictarum in posterum regatur, quibusdam clausurae primariis rationibus antea expensis.

I

Recessus a mundo ad impensiorem in solitudine orationis vitam agendam nihil aliud est quam modus quidam peculiaris vivendi et exprimendi paschale Christi mysterium, quod mors est propter resurrectionem. /

675 Quod quidem mysterium in Sacra Scriptura exhibetur ut transitus seu exodus; transitus scilicet eventus historiae Israelis potior est effectus, qui fundamentum est fidei eiusdem [5] vitaeque coniunctioris cum Deo [6], quemque Ecclesia praefigurationem quandam christianae salutis esse profitetur [7]. Neminem profecto latet, quantum sacra Liturgia et Patrum traditio —ut iam Apostoli ipsique Evangelistae fecerant— biblicis Exodi argumentis usae sint in mysterio christiano intellegendo et enuntiando [8]. Iam in exordio historiae Populi Dei, Abraham invitari perhibetur, ut egrediatur de terra sua et de cognatione sua (cfr. *Gen.* 12, 1), atque Apostolus docet eandem invitationem fuisse initium longi itineris mystici ad patriam, quae non est terrestris [9]. / 676

Quod in Antiquo Testamento hoc modo erat praefiguratum, id in Novo Testamento est reapse factum. A Patre exiens et in mundum veniens (cfr. *Io.* 16, 28) ad populum erigendum, «qui ambulabat in tenebris» *(Is.* 9, 2; cfr. *Mt,* 4, 16), Verbum Dei eripuit nos de hac potestate tenebrarum (cfr. *Col.* 1, 13), id est a peccato, et per mortem suam (cfr. *Io.* 13, 1; 16, 28 et *Hebr.* 9, 11-12; 10, 19-20) nos traxit in motum reditus ad Patrem, qui «nos in Christo conresuscitavit et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu» *(Eph.* 2, 6; cfr. *Col.* 2, 12-13; 3, 1), qua in re paschale Christi et Ecclesiae mysterium vere proprieque consistit.

Huiusmodi autem Christi mors veram solitudinis rationem postulat, quemadmodum una cum ipso Apostolo [10] nonnulli Ecclesiae Patres vel Doctores persuasum sibi habuerunt. [11] Hanc enim significationem iidem quibusdam Christi vitae factis tribuerunt, cum eum contemplabantur in solitudinem vel in desertum se recipientem ad pugnandum cum «principe huius mundi» (cfr. *Mt.* 4, 1; *Io.* 12, 31; 14, 30) [12], praecipue vero ad orandum Patrem suum, cuius voluntati se plane subiciebat [13]. Hoc modo solitudinem Passionis suae praesignificavit [14], quam veluti novam Exodum Evangelistae nobis proponunt [15].

Pro Christifidelibus igitur in desertum abire idem est ac sese altius cum Christi Passione coniungere et ratione quadam peculiari paschale / mysterium ac Domini transi- 677
tum ex hoc mundo ad patriam caelestem participare. Hac quippe de causa monasteria fuerunt constituta, quae in ipso christiani mysterii sinu sunt posita.

Fidelis quidem ad sequendum Christum in eius Evangelii salutis praedicatione pariter vocatur, debetque ad terrestris civitatis aedificationem simul conferre, ut quasi fermentum sit, quo haec in Dei familiam transformetur [16]; quo sensu Christifidelis in mundo manere dicitur (cfr. *Io.* 17, 15). Eiusmodi tamen munere totum Ecclesiae mysterium non profertur: Ecclesia enim, quae in servitium Dei et hominum est constituta [17], eadem etiam, ac quidem po-

«Universa enim quae ex Aegypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Ecclesiae quae erat futura ex gentibus» (*Adv. haer.*, 4, 30. - *Sources chrét.* 100, p. 784).

[5] Iuxta Novum Testamentum: A) Christus ad effectum deducit novam exodum: *Mt.* 2, 15; 4, 4 (cfr. *Ex.* 16); 4, 7 (cfr. *Ex.* 17); 4, 10 (cfr. *Deut,* 32, 48-53); 5, 21-22 ss.; 11, 10 (cfr. *Mal.* 3, 1-2 et *Ex.* 23, 20); 26, 28 (cfr. *Mc.* 10, 38; *Ex.* 24, 8; *Hebr.* 9, 18-28). - *Lc.* 9, 31; 12, 50 (*Mc.* 10, 38; cfr. *1 Cor.* 10, 2). - *Io.* 1, 17; 3, 14; 6, 31-33, 49-50, 58; 7, 37-39 (cfr. *Ex.* 17, 1-7); 19, 36 B) Vita christiana quatenus nova exodus: *1 Cor.* 10, 1-11; *2 Cor.* 3, 6-18; *Hebr.* 4, 1-9; 8, 1-13; 9, 13, 18-24; *1 Pt.* 1, 16; 2, 9; *Apoc.* 1, 6; 2, 17; 15, 3; 21, 2-3 (cfr. *Os.* 2, 16-25; *Ex.* 25, 8). Pro testimoniis Patrum et Liturgiae cfr. R. Le Deaut et J. Lecuyer, *Exode,* in Dict. de spirit. 4, 1973-1995.

[6] *Hebr.* 11, 13-16: «iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim haec dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est coelestem».

[7] *Hebr.* 13, 12-14: «Iesus ... extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, impeoperium ipsius portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus».

[8] «Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?» (*Mt.* 27, 46). «Vere Crux Christi dicitur eremus, quia a pancis habitatur, et verus eremita Christus Deus a quo crux baiulatur» (Auctor saec. XIII ineuntis, in *Arch. d'hist. doct. et litt. du Moyen Age* 31 [1964] 41).

[9] Cfr. Origenes, *In Matth.* 12, 8-9, *GCS* 10, 200.

[10] Cfr. *Mt.* 14, 23 (*Mc.* 6, 46); *Mc.* 1, 35; *Lc.* 5, 16; 6, 12; 9, 18. 28 (*Mt.* 17, 1); 11, 1; praesertim *Lc.* 22, 41-44: «Et ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis; et positis genibus, orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat... Et factus in agonia, prolixius orabat». - Oratio Mysis in monte, seiuncti a pugna quae in planitie fiebat (*Ex.* 17, 8-13), est, iuxta Patres, imago Christi in Cruce, extra portas Iersualem. Cfr. *Epist. Barnabae* 12, 2-4 (Hemmer 74); Justinus, *Dial. cum Tryph.* 90, 4-5; 91, 3; 97, 1; 111, 1-2; 112, 2; Irenaeus, *Demonstrat.* 46.

[11] Cfr. Hilarius: «Quod vespere solus est, solitudinem suam in tempore passionis ostendit», *In Matth.* 14, 23, *ML* 9, 1001.

[12] Cfr. supra ad n. 8.

[13] Conc. Vat. II, Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 40 [LE 3366]: «Ecclesia ... tamquam fermentum et veluti anima societatis humanae in Christo renovandae et in familiam Dei transformandae exsistit» (cfr. et n. 3).

[14] In servitium hominum in suis terrestribus muneribus: Conc. Vat. II, Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 3 et 40-45; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 12 [LE 3364]: «Nullam aliam auctoritatem sibi vindicat nisi ut, Deo adiuvante, caritate et fideli servitio hominibus ministret». - Sed praesertim in servitium salutis aeternae: Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 48 [LE 3232]: «Christus ... Corpus suum quod est Ecclesia ut universale salutis sacramentum constituit». Cfr. n. 5.

tissimum, est redemptorum omnium coadunatio, eorum videlicet, qui per Baptismum aliaque Sacramenta iam ex hoc mundo ad Patrem transierunt [18]. «Actione fervens» est quidem, simul tamen etiam «contemplationi vacans», ea ratione, ut «quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem» [19]. Licet ergo atque oportet quosdam Christifideles hanc contemplativam Ecclesiae notam peculiariter vivendo exprimere in solitudinem reapse se recipientes, utpote eiusmodi gratia a Spiritu Sancto donatos [20], ut «in assidua prece et alacri paenitentia soli Deo vacent» *(Perfectae caritatis*, n. 7) [21]. /

678 Ceterum perspectum habeatur quendam a mundo recessum quandamque contemplationem inveniri necesse esse in qualibet christianae vitae forma, quemadmodum Concilium Vaticanum II, quod attinet ad presbyteros et religiosos apostolicis operibus deditos, asseruit [22]. Re quidem vera etiam extra monasteria non desunt, qui, Spiritus Sancti gratia operante, ad contemplationem evehantur, sed hoc de quolibet Christifideli dici potest eadem ratione, qua cuivis Christi discipulo (cfr. *Lc.* 14, 25-27 et 33) aliqua a rebus huius mundi seiunctio necessaria est, quamvis eandem formam in desertum secedendi non sequatur. Monachi tamen et moniales in claustra se recipiendo perfectius magisque typice elementum primarium cuiusvis vitae christianae ad usum deducunt: «Reliquum est, ut ... et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; praeterit enim
679 figura huius mundi» *(1 Cor.* 7, 29, 31) [23]. /

II

Ad ea, quae in paschali Christi mysterio, prout ab Ecclesia participatur, innituntur, argumentum addatur oportet momenti recollectionis et quietis ad occursum cum Deo in oratione tutiorem faciliioremque reddendum [24]. Vitae ratio hominum contemplationi prorsus deditorum, cum eo contendat, ut cuncta removeantur, quae animum aliquomodo possint dividere, facultatem tribuere nititur attingendi plenitudinem personae, unitatis nota insignis, se Deo, quem inquirit, melius dicandi [25], perfectius Deo vacandi.

Illa vero Dei inquisitio, ex qua omnibus quae possidet homo renuntiare debet (cf. *Luc.* 14, 33), divinarum Scripturarum lectione et meditatione (cfr. *Perfectae caritatis*, n. 6) quam maxime exercetur. Ideoque orationem comitari debet Sacrae Scripturae lectio «ut fiat colloquium inter Deum et hominem; nam «illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina legimus oracula'» (cfr. Const. *Dei Verbum*, n. 25; Ambrosius, *De officiis ministrorum*, I, 20, 88: *ML* 16, 50).

Studio vero Sacrae Scripturae, quae est «veluti speculum... in quo Ecclesia in terris peregrinans contemplatur Deum, a quo omnia accipit» *(Dei Verbum*, n. 7), unusquisque «ex dilectione Dei, inardescit ad eius pulchritudinem conspiciendam» (S. Thom. Aqu., II, II, Q. 180, art. 1, in corpore). / 680

Ita dilectio et contemplatio sibi mutuo opitulantur. «Amor quippe Dei ipse intellectus eius est: qui non nisi amatus intelligitur, nec nisi intellectus amatur, et utique tantum intelligitur quantum amatur, tantumque amatur quantum intelligitur» (Guillelmus Abbas S. Theodorici, *Expositio in Cant.*, c. I: *ML* 180, 499, C).

Sic in silentio et solitudine «viris strenuis tam redire in se licet quam libet et habitare secum, virtutumque germina instanter excolere atque de paradisi feliciter fructibus vesci. Hic oculus ille conquiritur, cuius sereno intuitu vulneratur sponsus amore, quo mundo et puro conspicitur Deus. Hic otium celebratur negotiosum et in quieta pausatur actione. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam, pacem videlicet quam mundus ignorat et gaudium in Spiritu Sancto... Haec est pars illa optima quam Maria elegit, quae non auferetur» [26].

III

Non tamen monachi et moniales, eo quod a ceteris hominibus seiuncti sunt, quasi seclusi et abscissi esse a mundo et Ecclesia sunt putandi; quibus, contra, «profundiore modo in visceribus Christi» [27] praesentes adsunt, quandoquidem omnes unum in Christo sumus (cfr. 1 *Cor.* 10, 17; *Io.* 17, 20-22) [28]. / 681

Praetermisso munere, a maioribus recepto, monasteriorum, quod ad civilem et socialem pertinet cultum, firmissimis testimoniis constat, quanto amore homines uni contemplationi dediti anxietates et dolores omnium hominum suis in cordibus gerant.

Ceterum desertum vel mons seductus fuerunt loca, in, quibus Deus hominibus abscondita revelavit (cfr. *Gn.* 32; 25-31; *Ex.* 3; 24, 1-8; 34, 5-9; 1 *Rg.* 19, 8-13; *Lc.* 2, 7-9-

que no ocupasen mucho los sentidos (para darnos ejemplo), sino que levantasen el alma, como eran los montes que se levantaban de la tierra» (*Subida* III, 39, 2; cf. *Cántico* B, 35, 1).

[15] Cfr. Paulus VI, All. d. 24 oct. 1964: «San Benedetto ritorni per aiutarci a ricuperare la vita personale, di cui oggi abbiamo brama e affanno, e che lo sviluppo della vita moderna, a cui si deve il desiderio esasperato dell'esser noi stessi, soffoca mentre lo risveglia, delude mentre lo fa cosciente ... L'eccitazione, il frastuono, la febbrilità, l'esteriorità, la moltitudine minacciano l'interiorità dell'uomo; gli manca il silenzio con la sua genuina parola interiore, gli manca l'ordine, gli manca la preghiera, gli manca la pace, gli manca se stesso» (*A. A. S.* 56 [1964], p. 987).

[16] Bruno, *Ad Radulphum* 6 (*Sources chrét.* 88, pp. 70-72).

[17] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 46. - Cfr. Evagrius: «Monachus est qui ab omnibus est seiunctus et cum omnibus coniunctus» (*De oratione* 124, text. gall. ap. I. Hausherr, *Les leçons d'un contemplatif*, p. 158); Petrus Damianus: «Licet remoti procul ab Ecclesia videamur per solitudinem corporum, in ea tamen praesentissimi semper assistimus per unitatis inviolabile sacramentum» (*Opusc. XI, L. qui appellatur Dominus vobiscum*, 10, *ML* 145, 239). Teresa de Jesús: «Oh hermanas mías en Christo! ayudadme a suplicar esto al Señor, que para esto os juntó aquí [orar por la paz de las naciones y las necesidades de la Iglesia]! éste es vuestro llamamiento; éstos han de ser vuestros negocios, éstos han de ser vuestros deseos; aquí vuestras lágrimas; éstas vuestras peticiones...» *Camino* 1, 5).

[18] Cfr. Petrus Damianus: «Si ergo credentes in Christo unum sunt, ubicumque videatur esse per corporalem speciem membrum, ibi etiam per sacramenti mysterium totum est corpus ... Si ergo omnes unum Christi corpus sumus, et licet per corporalem speciem videamur abiungi, spiritu tamen ab invicem separari non possumus, qui in eo manemus» (*Opusc. XI, L. qui appellatur Dominus vobiscum*, 6, *ML* 145, 236-238); Paulus Pp. VI: «Non siete separate dalla grande comunione della famiglia di Cristo, siete specializzate; e la vostra specialità è ogni, non meno di ieri, provvida e edificante per tutta la Chiesa, anzi per tutta la società» (All. ad sacrarum virginum Benedictinarum Antistitas, 28-X-1966, *A. A. S.* 58 [1966], pp. 1159-1160).

http://www.obrascatolicas.com

Mt. 17, 1-8). Loca scilicet sunt, ubi caelum et terra quasi inter se occurrunt, ubi, per Christi praesentiam, mundus e terra arida iterum efficitur paradisus (cfr. *Mc.* 1, 13) [29]. Quomodo ergo ab hominum finibus secludantur, si ipsi suam assequuntur plenitudinem?

Quodsi ergo homines contemplativi quasi in corde sunt mundi, multo magis in corde sunt Ecclesiae [30]. Eorum precatio, praesertim Sacrificii Christi in Eucharistia participatio et Officii divini celebratio, muneris est praecellentissimi exsecutio illius orantium communitatis, quae est Ecclesia, Dei nempe glorificatio. Precatio illa cultus est, quo Patri per Filium in Spiritu Sancto redditur «eximium sacrificium laudis» [31]; quo quidem ii, qui huic se dedunt, inducuntur in mysterium ineffabilis illius colloquii, quod Christus Dominus continenter habet cum Patre caelesti et in sinu Patris infinitam dilectionem suam ei profert. Est denique precatio, quo, quasi ad culmen, universa / actio 682
Ecclesiae tendit [32]. Sic intimam Ecclesiae vitam manifestantes contemplativi ad illius praesentiae plenitudinem requiruntur [33].

Praeterea eiusdem Ecclesiae gradum vitae spiritualis adaugent, cum totum Corpus Mysticum fervore caritatis suae vivificent, omne genus incepta apostolica excitando quae nihil sunt sine caritate (cfr. 1 *Cor.* 13, 1-3). «In corde Ecclesiae, matris meae, ego Amor ero»: ita exclamavit illa, quae quamquam numquam monasterii sui saepta est transgressa, tamen a Pio Pp. XI Missionum omnium fuit renuntiata Patrona [34]. Nonne Deus per caritatem suam, quae oblatione Filii, usque ad mortem in Cruce ducta, manifestata est, homines a peccatis liberavit? Cum quis ergo in hoc summi amoris Dei et hominum paschale mysterium (cfr. *Io.* 13, 1; 15, 13) penetrat, salutiferum opus Christi Passionis, omnis apostolatus principium, necessario participat [35].

Religiosi denique in una versantes contemplatione per orationem suam missionale opus Ecclesiae adiuvant, «cum sit Deus qui rogatus mittit operarios in messem suam, animos non-christianorum ad audiendum Evangelium aperit 683
et verbum salutis in eorum cordibus fecundat» [36]. / In solitudine, ubi orationi vacant, iidem fratrum suorum nequaquam obliviscuntur. Si a crebro eorum commercio se amoverunt, hoc non fecerunt ad quietem, sui commodi causa, exquirendam, sed ad illorum labores, cruciatus, spes universaliore modo participanda [37].

IV

Tantum igitur est vitae contemplativae mysterium, cuius praeclarus in oeconomia salutis locus ex iis, quae supra dicta sunt, elucet, quodque titulo omni ex parte peculiari apud moniales in claustris degentes viget. Hae enim feminae, natura sua, mysterium Ecclesiae, «Sponsae Immaculatae Agni Immaculati» [38], significantius repraesentant, atque, sedentes secus pedes Domini ad audiendum verbum illius (cfr. *Lc.* 10, 39) in silentio et recessu, quae sursum sunt sapiunt / et quaerunt, ubi vita earum est abscondita 684
cum Christo in Deo, donec cum Sponso suo appareant in gloria [39]. Mulieris est verbum excipere potius quam ad extremos terrae fines perferre, quamvis etiam ad hoc possit, felici cum exitu, vocari; illius videlicet est verbum intra se pernoscere et fructuosum reddere ratione quadam vivida, dilucida ipsique propria. Plenam etiam maturitatem adepta, mulier magis persentit id quo alius indiget eiusque necessitates experitur; apertius Ecclesiae erga Sponsum suum fidelitatem [40] exprimit ac simul altiore quodam praedita est sensu fecunditatis vitae contemplativae. Hac de causa Ecclesia —ut eius testatur Liturgia [41]— peculiari quadam ratione virginem christianam semper respexit. Divinam aemulationem circa eam significans [42], eadem Ecclesia ipsius a mundi seiunctionem monasteriorumque clausuram maiore cum sollicitudine est tutata [43].

Fieri non potest quin hic de Beata MariaVirgine commemoretur, quae Verbum Dei in semetipsa suscepit, «fide plena, et Christum prius mente quam ventre» concipiens [44], hortus conclusus, fons signatus, porta clausa (cfr. *Cant.* 4, 12; *Ez.* 44, 1-2), «in fide et caritate typus et exemplar spectantissimum» Ecclesiae exstat [45]. Virgo sanctissima praeclarum vitae contemplativae est exemplum, iureque e venerabili quadam traditione, sive in Oriente sive in Occidente, ad ipsam haec verba Evangelii in sacra Liturgia accommodantur: «Maria optimam partem elegit» (*Lc.* 10, 38-42) [46]. / 685

[29] Cfr. *Is.* 11, 6-9; contra *Gen.* 9, 2.—Quoad claustrum-paradisum, cf. Hieronymus: «Habeto cellulam pro paradiso, varia Scripturarum poma decerpe» (*Ep.* 125 *ad Rusticum* 7, *ML* 22, 1075; *CSEL* 56, 125); Anselmus, *Ep.* 3 102, *ML* 159, 140; Petrus Damianus, *Ep.* 6, 3, *ML* 144, 374; Willelmus Malmesburiensis, *De gestis Pont. Anglor.* 4, *ML* 179, 1612-1613; Bernardus, *Sermo de Assr.* 42, 4, *ML* 183, 663; Guillelmus Abbas S. Theodorici, *De natura et dignitate amoris* 25, *ML* 184, 396; Petrus Cellensis, *Ep.* 75, *ML* 202, 521. Cfr. J. Leclerq, *La vie parfaite*, Turnhout 1948; G. M. Colombás, *Paraíso y vida angélica*, Montserrat 1958.

[30] Cfr. Paulus VI: «Vogliamo che queste isole di nascondimento, di penitenza e di meditazione sappiano ... che esse non sono ne dimenticate, né staccate dalla comunione della Chiesa di Dio, che anzi ne costituiscono il cuore, ne alimentano la ricchezza spirituale, ne sublimano la preghiera, ne sostengono la carità, ne condividono le sofferenze, le fatiche, l'apostolato, le speranze, ne accrescono i meriti» (All. d. 2-2-1966, *Insegnamenti di Paolo VI*, VI [1966], p. 56).

[31] Conc. Vat. II, Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 7. Juan de la Cruz: «Es más precioso delante de El y del alma un poquito de este amor puro y más provecho hace a la Iglesia... que todas esas obras juntas. Que por eso María Magdalena... se escondió en el desierto 30 años para entregarse de veras a este amor ... por lo mucho que aprovecha e importa a la Iglesia un poquito de este amor ... Al fin, para este fin de amor fuimos criados» (*Cántico* B, 28, 2-3).

[32] Cfr. Conc. Vat. II, Constitutio de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 10: «Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera contendunt»; cfr. et Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 76; Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 2 [LE 3346].

[33] Cfr. Conc. Vat. II, Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 18: «Cum enim vita contemplativa ad plenitudinem praesentiae Ecclesiae pertineat, ubique instauretur». Cfr. Ioannes XXIII: «La vie contemplative ... Elle constitue une des structures fondamentales de la Sainte Eglise, elle a été présente à toutes les phases de son histoire bimillénaire» (All. ad Cistere. strict. obs. 20-X-1960, *A. A. S.* 52 [1960], p. 896).

[34] «La Charité me donna la clef de ma vocation. Je compris que si l'Eglise avait un corps, composé de différents membres, le plus nécessaire, le plus noble de tous ne lui manquait pas, je compris que l'Eglise avait un Coeur et ce Coeur était brûlant d'Amour. Je compris que l'Amour seul faisait agir les membres de l'Eglise, que si l'Amour venait à s'éteindre, les Apôtres n'annonceraient plus l'Evangile, les Martyrs refuseraient de verser leur sang ... Ont j'ai trouvé ma place dans l'Eglise ... dans le Coeur de l'Eglise, ma Mère, Je serai l'Amour» (*Manuscrits autobiographiques*, ms B, Lisieux 1957, p. 229).

[35] Cfr. Ioannes XXIII: «Apostolatus enim, qui vere proprieque dicitur, in eo positus est, ut quis salutiferum opus Christi participet, quod fieri nequit nisi precandi sequae devovendi studio; siquidem Salvator praecipue peccis ad Patrem fundendo sesuque immolando genus humanum noxiis vinctum et oppressum redemit. Unde fit, ut qui intimam hanc rationem salvifici muneris Christi sequi conetur, etiamsi externa abstineat actione, praecellenti tamen ratione apostolatum exercet» (Ep. *Causa praeclara*, 16-VII-1962, *A. A. S.* 54 [1962], p. 568).

[36] Conc. Vat. II, Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 40. Cfr. Const. *Umbratilem* (*A. A. S.* 16 [1924], p. 389), et Decr. S. R. C. *super lutis* pro canonic. b. Teresiae Margaritae Redi, 18-II-1934: «... supremo

cordis martyrio anima vere cum Christo confixa cruci, sibi ceterisque uberiores redemptionis fructus acquirit. Porro hae sunt purissimae atque altissimae in Ecclesia animae, quae patiendo, amando atque orando, tacito apostolatu omnibus prae primis prosunt» (*A. A. S.* 26 [1934], p. 106).

[37] Cfr. Paulus VI: «Questa reclusione materiale, esteriore, sociale, vi separa dalla Chiesa? Io vengo a dirvi: guardate che la Chiesa pensa a voi, non siete dimenticate, e quindi la separazione che sarebbe la più grave (quella spirituale) non esiste. Perché? perché siete oggetto di una particolare attenzione, d'un ricordo, vogliamo dire di più? La Chiesa guarda voi, che vi siete dete a questo genere di vita per essere a continuo colloquio col Signore, per essere idonee a capire di più la sua voce, a esprimere questa nostra povera voce umana con maggior purezza e con maggior intensità: avete fatto di questo rapporto fra cielo e terra l'unico programma della vostra vita. Voi contemplative vi siete dedicate a questo assorbimento di Dio sopra la vostra anima. Ebbene, la Chiesa vede in voi l'espressione la più alta di se stessa: voi siete, in una certa maniera, al vertice» (All. ad moniales Camaldulenses Aventini, 23-II-1966, in *Vita monastica*, n. 85, p. 68); «Non solo un posto vi è concesso nella Chiesa cattolica, ma una funzione, come dice il Concilio; non siete separate dalla grande comunione della famiglia di Cristo, siete specializzate ...» (All. ad virginum Benedictinarum Antistitas, 28-X-1966, *A. A. S.* 58 [1966], pp. 1159-1160). Et Concilium Vat. II aite asseruit: «Nec quisquam aestimet religiosos consecratione sua aut ab hominibus alienos aut inutiles in civitate terrestri fieri. Nam etsi quandoque coaetaneis suis non directe adsistunt, profundiore tamen modo eos in visceribus Christi praesentes habent atque cum eis spiritualiter cooperantur, ut aedificatio terrenae civitatis semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur, ne forte in vanum laboraverint qui aedificant eam» (Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 46). Teresa de Jesús: «Persuade a las Hermanas a que se ocupen siempre en suplicar a Dios favorezca a los que trabajan por la Iglesia» (*Camino*, titulo del c. 3). «Si en esto podemos algo con Dios, estando encerradas, peleamos por El ... por esto que he dicho, pensad que no hacéis ni cumplís el fin para que aquí os juntó el Señor» (ibid., nn. 5.10).

[38] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 6. [39] *Ibid.*

[40] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 6: «Ecclesia ... quam (Christus) sibi foedere indissolubili sociavit ... et quam mundatam sibi voluit coniunctam et in dilectione ac fidelitate subditam».

[41] Liturgia occidentalis solum sanctis feminis imagines nuptiales accommodat et applicat, earum commostrans sanctitatem veluti effusionem earum nuptiarum spiritualium quas cum suo Sponso et Domino inierunt. E contra numquam pro illis — ut pro viris facit — argumentis utitur novi hominis significantibus. Item, inde a saec. IV, feminarum religiosa professio caere-monia habetur specialis, ab ea quae a monachis peragitur distincta: *velatio virginalis*, erim, quae translata esse putanda est a *relatione* coniugali puellarum, quae ad nuptias transibant, formam praebet cuiusdam matrimonii-desponsi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo».

[42] Cfr. locos n. 3 allatos. [43] Cfr. Augustinus, *Serm.* 215, 4, *ML* 38, 1074.

[44] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 53.

[45] Huiusmodi pericopa evangelica ut textus evangelii pro quibusdam

V

In hoc vitae contemplativae mysterio etiam aliud extollendum occurrit, scilicet momentum signi ac testimonii, quo contemplativi, a Deo orationi specialiter deputati, quovis «ministerio verbi» [47] non privantur, licet de directae praedicationis ministerio non agatur.

In hominum consortione, quae nunc est et quae tam facile Deum respuit et negat, virorum et mulierum vita divinis contemplandis rebus dedita eius exsistentiam et praesentiam aperte profitetur, quandoquidem eadem necessitudinem illam amicalem cum Deo requirit, quae «testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei» (*Rom.* 8, 16). Qui ergo ita vivunt, illos confirmare possunt, qui fide temptantur quique per errorem in discrimen queunt adducere quamlibet facultatem homini oblatam colloquium cum Deo ineffabili habendi [48].

Quo mirabili cum Deo colloquio, in silentio et solitudine, viri et mulieres, contemplationi et exercitationi caritatis ceterarumque christianarum virtutum prorsus dediti, mortem Domini annuntiant, donec veniat. Hanc quidem etiam eo magis annuntiant, quod tota eorum vita, propter inquisitionem Dei solam prorsus ac totam, nihil aliud est quam iter ad caelestem Ierusalem et anticipatio Ecclesiae eschatologicae in possidendo et contemplando Deo defixae. Attamen non solum metam attingendam, id est vitam venturi saeculi, homines contemplativi mundo praedicant, sed etiam viam, quae eo ducit, demonstrant. Si spiritus beatitudinum, qui sequelam Christi vivificat, quamlibet vitae christianae formam debet animare [49], contemplativorum vita testatur hoc ad usum deduci posse iam in hac terrestri vita. Quod quidem testimonium etiam vehementius hominis nostrae aetatis afficiet, quod testimonium collectivum, seu potius sociale, erit. Non enim homines, qui nunc sunt, testimonium trahit singulare, sed testimonium alicuius communitatis, a vita, quae communiter agitur, profectum, immo testimonium alicuius societatis constitutae, quae continuitate et vigore suo vim principiorum, quibus innititur, comprobat. Huiusmodi sane est testimonium com-
686 munitatis contemplativae, / quam Paulus Pp. VI in Monte Casino adumbravit, de «societate parva et perfecti exempli» locutus, «in qua amor, obedientia, innocentia, libertas a rebus creatis et ars iis recte utendi vigent, ubi spiritus praeponderat, ut paucis dicamus, ubi pax et Evangelium dominantur» [50].

VI

Facile tamen intellegitur certam ac definitam vitae claustralis obligationem, qua quis se devinciat, non oriri licere et inveniri quodam fervore, cito transeunte, sed provenire debere e firma et stabili maturitate, qua quis socialibus quibusdam bonis, quamvis maximi habeantur et fiant, renuntiare valeat, ut plena libertate spirituali eligat vitae formam, ex qua Christo tantum et rebus, quae sursum sunt, in vitae usu adhaereat. Hac de causa diuturno diligentique studio probandae sunt vocationes, quae monasteriis monialium offeruntur, ad ea recte discernenda, quibus moveantur, ut opportune illae arceantur, quae, fortasse inscie, rationibus non ita supernaturalibus atque claris ducantur, quae plenam progressionem spiritualem et humanam possint praepedire [51]. Cautiones utiles, quae singulorum Institutorum iure constitutae sunt, non solum ante postulantium in monasterium ingressum erunt perpendendae, sed etiam, antequam sodales votis perpetuis obstringantur, considerandae.

Quae in hac Instructione sunt exposita, ad cuncta Instituta pertinent, quae contemplationi omni ex parte sunt dedita. Quaelibet tamen familia religiosa notam sibi pro-

sollemnitatibus B. Mariae Virginis adhibetur inde a saec. VI, v. g. pro festo Dormitionis vel Assumptionis, sive in Oriente, sive in Occidente (cfr. B. Capelle, *La fête de l'Assomption dans l'histoire liturgique*, in *Ephemer. theol. Lovan.* 3 [1926], pp. 33-45).

[47] Cfr. *Act.* 6, 2.4: «Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis... Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus».

[48] Cfr. Message des moines contemplatifs primaes Episcoporum Synodo, *L'Osservatore Romano*, 12-X-1967.

[49] Cfr. Conc. Vat. II. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 72.

[50] «Una piccola società ideale, dove finalmente regna l'amore, l'obbedienza, l'innocenza, la libertà dalle cose e l'arte di bene usarle, la prevalenza dello spirito, la pace, in una parola, il Vangelo» (*A. A. S.* 56 [1964], p. 987).

[51] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 46: «Omnes tandem perspectum habeant, consiliorum evangelicorum professionem, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae indubie magni aestimanda veniunt, tamen personae humanae vero profectui non obstare, sed natura sua ei summopere prodesse». Cfr. et Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 12.

priam suamque indolem habet, saepe a Fundatore praefinitas, quae fideliter erunt servandae. Neque negatur novas vitae contemplativae formas Spiritus Sancti instinctu in Ecclesia posse oriri.

Quo quidem legitime ea agnoscuntur, quibus Instituta, quasi mira quadam varietate, inter se differunt, varietate videlicet, quae praecipue ex momento pendet, quod cuiusvis unius orationi tribuitur aut precationi liturgicae, quod vitae communiter agendae datur vel vitae eremi/ticae ele- 687
mentis, quae compagi monastici Instituti facilius inseruntur. Hoc sine dubio vim habet etiam ad rationem, qua singula Instituta materialem a mundo per clausuram seiunctionem intellegunt atque efficiunt.

VII

Dum igitur Concilii Oecumenici Vaticani II confirmantur praescripta de clausura servanda et accommodanda, quippe quae vitae contemplativae sit probatissimum subsidium, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus has normas, a Paulo Pp. VI die 12 mensis Iulii 1969 probatas, pro monasteriis monialium contemplationi prorsus addictarum edere curae habuit.

NORMAE DE CLAUSURA PAPALI MONIALIUM

«Clausura papalis monasteriorum consideranda est tanquam institutum asceticum quod cum monialium peculiari vocatione singulariter cohaeret, quippe quae signum, protectio et peculiaris forma exstet earum secessus a mundo» (Litt. Ap. m. p. dat. *Ecclesiae sanctae*, II, n. 30). [LE 3457].

1. Clausura, quae monialibus vitae unice contemplativae reservatur (*Perfectae caritatis*, n. 16), ideo papalis dicitur quia normae, quibus regitur, apostolica auctoritate sanciri debent, licet agatur de normis iure particulari statutis vel statuendis, quibus propria Institutorum indoles apte exprimitur.

2. Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam moniales inhabitant, cum hortis et viridariis accessui monialium reservatis.

3. Saepta monasterii legi clausurae obnoxia ita constituantur ut materialem separationem efficiant (Litt. Ap. m. p. dat. *Ecclesiae sanctae*, II, n. 31), quae scilicet ingressus et egressus impediat (v. g. muro, sive alio efficaci modo, veluti tabulis ligneis, ferreo reti, densa firmaque saepe). Ingressus vero et egressus fiant per portas quae clavibus obserantur.

4. Modus huius efficacis separationis, praesertim quoad chorum et collocutorium, definiatur in Constitutionibus et in codicibus additiciis, attenta diversitate sive traditionum singulorum Institutorum, / sive temporum locorumque 688
condicionum (v. g. cratibus, cancellis, stabili mensa, etc.); ad normam vero articuli 1, praedictus separationis modus praeviae approbationi S. Congregationis pro Religiosis et Institutis saecularibus proponatur.

5. Vi legis clausurae moniales, novitiae et postulantes intra monasterii saepta clausura circumscripta vivere debent, neque ex iis egredi licet, exceptis casibus de quibus iure cautum est (cfr. art. 7).

6. Item lex clausurae vetat ne intra saepta monasterii clausurae obnoxia, ullus cuiusvis condicionis, sexus et aetatis ingrediatur, exceptis casibus de quibus iure cautum est (cfr. art. 8 et 9).

7. Praeter indulta particularia Sanctae Sedis, egressus e clausura iis, de quibus in art. 5, permittitur:

a) in casu gravissimi et imminentis periculi;

b) ex licentia Antistitae cum consensu saltem habituali Ordinarii loci et, si habeatur, Superioris regularis: 1. ad medicos adeundos vel salutem curandam dummodo fiat in proprio commorationis loco vel in vicinia; 2. ad comitandam, si vera necessitas id postulet, monialem infirmam; 3. ad opus manuale faciendum vel necessariam vigilantiam exercendam in locis extra clausuram sed intra saepta monasterii sitis; 4. ad iura civilia exercenda; 5. ad actus administrationis faciendos, qui aliter fieri non possint.

Praeter casus saluti consulendi, si absentia a clausura ultra hebdomadam protrahi debeat, Antistita praevium consensum Ordinarii loci et, si habeatur, Superioris regularis obtinere debet.

http://www.obrascatolicas.com

c) Extra casus sub littera *b)* descriptos, Antistita licentiam Ordinarii loci et, si habeatur, Superioris regularis petere debet, quae nonnisi vere gravi de causa necnon ad tempus vere necessarium concedi potest;

d) Egressus omnes ad normam *a)*, *b)* et *c)* huius articuli concessi protrahi non possunt ultra tres menses sine licentia Sanctae Sedis.

8. Praeter indulta particularia Sanctae Sedis, ingressus in clausuram permittitur:

a) S. R. E. Cardinalibus, qui aliquot comites sibi assumere possunt; Nuntiis et Delegatis Apostolicis in locis
689 propriae iurisdictionis; /

b) iis, qui supremum actu tenent populorum principatum, eorumque uxoribus cum comitatu;

c) Ordinario loci et Superiori regulari, iusta de causa;

d) Visitatoribus canonicis in actu visitationis, dumtaxat inspectionis causa, quos tamen socius comitari debet;

e) Sacerdoti, una cum ministris, ad sacramenta infirmis administranda, vel ad funera exsequenda. Ingressus permittitur etiam sacerdoti ad assistendum eis quae diuturno vel gravi morbo laborant;

f) item sacerdoti, una cum ministris, ad processiones liturgicas celebrandas, si requiratur ab Antistita;

g) ex licentia Antistitae, sub vigilantia Ordinarii loci et si habeatur, Superioris regularis, medicis ceterisque, quorum opera vel industria necessaria est ad providendum utilitatibus monasterii;

h) sororibus externo servitio monasterii addictis, iuxta propria statuta.

9. Ius particulare ad normam art. 1 a Sancta Sede probatum, potest iuxta spiritum et indolem singulorum Institutorum sive severiores normas clausurae statuere sive de aliis casibus legitimi ingressus et egressus sancire, quibus monasteriorum necessitatibus vel monialium bono prospiciatur.

10. Usus radiophonii et televisionis, in monasteriis monialium vitae unice contemplativae nonnisi in peculiaribus rerum adiunctis indolem religiosam habentibus permitti potest.

11. Oportet ut diaria, commentarii periodici et cetera subsidia communicationis neque numero nimia sint, neque indistincte admittantur (cfr. *Inter mirifica*, n. 4). Etenim per illa subsidia spiritus huius mundi etiam optimas communitates pervadere et perturbare potest.

12. Sessiones seu coetus cuiuscumque generis, quae cum vita claustrali vix, vel ne vix quidem, componi possunt, prudenter vitentur. Si tamen praesentes rerum conditiones id suadere videantur, tunc cum debita licentia, poterit quandoque permitti monialibus ut illis coetibus intersint, qui vere vitam claustralem fovent, dummodo ne huiusmodi egressus e claustro nimis crebro fieri contingat. Meminerint Superiores puritatem et fervorem vitae claustralis e stricta observantia legum clausurae multum pen-
690 dere. Ideo exitus e saeptis monasterii exceptio maneat. /

13. Lex clausurae obligationem gravem conscientiae secumfert, sive pro monialibus sive pro extraneis.

14. In visitatione canonica Visitator materialem clausuram inspicere debet; Antistita vero debet de normarum clausurae observantia eidem rationem reddere necnon librum ubi fideliter egressus et ingressus adnotantur, inspectioni subicere.

15. Ecclesia, cum vitam contemplativam claustralem magni faciat, valde laudat moniales quae, in modo aptandi clausuram huic vitae contemplativae magis consentaneo, secessum a mundo sanctissime servant (cfr. *Perfectae caritatis*, n. 7); eos vero qui ius et officium habent invigilandi custodiae clausurae, Ordinarium scilicet loci et, si habeatur, Superiorem regularem, enixe adhortatur, ut omni sollicitudine eam tueantur et Antistitam, ad quam proxime pertinet huius clausurae custodia, pro suo munere efficaciter adiurvent.

16. Poenae in clausuram monialium violantes statutae usque ad novi Codicis Iuris Canonici promulgationem vigore carent.

17. Modus procedendi in renovatione, per Litteras Apostolicas *Ecclesiae sanctae* motu proprio datas statutus, II, nn. 9, 10, 11, fideliter servetur. Ad mentem vero n. 6 earundem Litterarum, experimenta contra praescripta praesentium normarum, quae ius commune constituunt, induci nequeunt nisi obtenta praevia Sanctae Sedis licentia.

Ea vero monasteria, quae in aptanda clausura papali iam quasdam innovationes ad effectum deduxerunt, obligatione tenentur eas proponendi iudicio Sacrae Congregationis pro Religiosis et Institutis saecularibus intra sex menses a die editionis praesentis Instructionis.

Datum Romae, die 15 mensis Augusti 1969, in festo B. M. V. in caelum assumptae.—H. Card. Antoniutti, *Praef.* Eduardus Heston, C. S. C., *a Secr.*

Adn. ANASTASIUS AB UTRECHT in Laurentianum 11 (1970) 308-358; C. BROVETTO in Vita rel. 5 (1969) 445-451; M. CABREROS in Vida rel. 28 (1970) 403-413; 29 (1970) 18-24; A. DE B. et L. R. in Vie consacrée 41 (1969) 340-363; G. DELLA CROCE in Vita rel. 5 (1969) 497-505; C. GORRICHO in Vida rel. 28 (1970) 30-41; B. PENNINGTON in Vie consacrée 43 (1971) 213-228 et Studia canonica 5 (1971) 245-257.

3780

1969 AUG 15.-SC CULTUS DIVINI, DECRETUM. PART.*

Novus Ordo exsequiarum approbatur

I—DECRETUM APPROBATIONIS

Ritibus exsequiarum consuevit pia Mater Ecclesia non solum defunctos Deo commendare, sed et filiorum suorum spem erigere fidemque suam testari in futuram cum Christo baptizatorum resurrectionem.

Quapropter Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum II in Constitutione de sacra Liturgia mandavit ritus exsequiarum ita esse recognoscendos, ut paschalem mortis christianae indolem manifestius exprimerent, et ut ritus sepeliendi parvulos etiam propria Missa donarentur (artt. 81-82).

Huiusmodi ritus Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia apparavit et, diversis in regionibus, opportunis experimentationibus subiecit. Summus autem Pontifex Paulus VI, Auctoritate Sua Apostolica, eosdem ritus tandem approbavit et evulgari iussit, ab omnibus qui Rituali Romano utuntur in posterum adhibendos.

Sacra vero haec Congregatio pro Cultu Divino, de mandato eiusdem Summi Pontificis, Ordinem Exsequiarum promulgat, statuens ut a die 1 Iunii 1970 vigere incipiat.

Statuitur insuper ut, usque ad diem 1 mensis Iunii proximi anni, si in exsequiis celebrandis lingua latina adhibetur, aut hic Ordo aut ritus qui in Rituali Romano habentur, usurpari ad arbitrium possint; ab eo autem die tantum hic novus Ordo Exsequiarum adhibeatur.

Singulis autem Conferentiis Episcoporum, postquam popularem interpretationem paraverint, et ab hac Sacra Congregatione confirmationem eiusdem acceperint, facultas fit alium diem ante 1 Iunii 1970, pro opportunitate, statuendi, quo novus Ordo Exsequiarum vigere incipiat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus S. Congregationis pro Cultu Divino, die 15 Augusti 1969, in sollemnitate Assumptionis B. Mariae Virginis.—Benno Card. Gut, *Praef.* A. Bugnini, *a Secr.*

II—NORMAE GENERALES ORDINIS EXSEQUIARUM

Praenotanda

1. Paschale Christi mysterium in filorum suorum exsequiis fideuter celebrat Ecclesia, ut illi, qui Christi mortui et suscitati per Baptismum concorporales facti sunt, cum ipso per mortem transeant ad vitam, in anima quidem purificandi et cum sanctis et electis in caelum assumendi, in corpore vero exspectantes beatam spem adventus Christi et resurrectionem mortuorum.

Ideo sacrificium eucharisticum Paschatis Christi pro dfunectis offert Ecclesia, precesque atque suffragia pro illis effundit ut, inter se communicantibus omnibus Christi membris, quae aliis impetrent spiritualem opem, aliis offerant spei solacium.

2. In fratrum suorum exsequiis celebrandis spem vitae aeternae christiani utique affirmare satagant, ita tamen ut mentem modumque agendi hominum suae aetatis suaeque regionis circa defunctos nec ignorare nec neglegere videantur. Sive ergo de familiarum traditionibus agitur, sive de locorum consuetudinibus, sive de societatibus ad funera curanda constitutis, quidquid bonum invenerint, libenter probent, quidquid vero Evangelio contradicere videatur, ita transformare nitantur, ut, quae exsequiae pro christianis celebrentur, et fidem paschalem ostendant et evangelicum spiritum vere demonstrent.

3. Remota sane vanae pompae ostensione, fidelium defunctorum corpora, quae Spiritus Sancti templum exstiterunt, decet honorari; quare praestat, potioribus saltem momentis

inter mortem et sepulturam, fidem in vitam aeternam affirmari et suffragiorum preces fundi.

Potiore autem momenta, iuxta locorum consuetudines, haec numerari possunt: vigilia in domo defuncti, corporis depositio in feretro et ipsius translatio ad sepulcrum, praemissa tum propinquorum tum, si fieri potest, totius etiam communitatis adunatione ad audiendam in liturgia verbi consolationem spei, ad sacrificium eucharisticum offerendum et ad defunctum ultima valedictione consalutandum.

4. Ut omnium regionum condiciones perspectae quodammodo habeantur, Ordo exsequiarum pro adultis hic propositus iuxta tres typos distinguitur, quorum *a)* primus typus tres stationes praevidet, nempe in domo defuncti, in ecclesia et in coemeterio; *b)* secundus typus duas tantum stationes considerat, idest in sacello coemeterii et ad sepulcrum; *c)* tertius typus unicam stationem habet, et quidem in ipsa domo defuncti.

5. Primus typus exsequiarum idem prorsus est ac qui antea habebatur in Rituali Romano. Typus ille de more, saltem ruri, tres stationes complectitur, scilicet in domo defuncti, in ecclesia et in coemeterio, cum duabus processionibus intermediis. Processiones tamen, praesertim in magnis civitatibus, vel haud frequenter sunt in usu vel variis ex rationibus minus conveniunt; ex alia parte, propter angustum clericorum numerum et coemeteriorum longinquitatem ab ecclesiis, stationes in domo et in coemeterio sacerdotes interdum peragere nequeunt. His consideratis, suadendum est fideilibus ut, deficiente sacerdote vel diacono, ipsi orationes et psalmos consuetos dicant; quod si fieri non possit, stationes in domo defuncti et in coemeterio omittantur.

6. Iuxta hunc primum typum, statio in ecclesia complectitur de more celebrationem Missae exsequialis, quae prohibetur tantummodo in Triduo sacro, in sollemnitatibus et in dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae. Si vero, rationibus pastoralibus suadentibus, exsequiae in ecclesia celebrentur sine Missa (quae tamen alia die, quantum fieri potest, opportune celebranda erit), liturgia verbi omnino praescribitur, ita ut statio in ecclesia semper complectatur hanc liturgiam verbi, cum vel sine sacrificio eucharistico, atque ritum qui olim vocabatur «absolutio» defuncti et in posterum «ultima commendatio et valedictio» appellabitur.

7. Secundus typus exsequiarum duas tantum complectitur stationes, et quidem in coemeterio, in sacello nempe coemeteriali, et apud sepulcrum. Non praevidetur in hoc typo exsequiarum celebratio eucharistica, quae tamen locum habebit, absente cadavere, ante vel post ipsas exsequias.

8. Ritus exsequialis iuxta typum tertium, in domo defuncti celebrandus, qui fortasse alicubi omnino inutilis censebitur, necessarius tamen videtur in nonnullis regionibus. De rebus singulis, diversis adiunctis prae oculis habitis, consulto non agitur. Attamen convenire visum est ut quaedam saltem indicationes proponerentur, ita ut et in hoc casu haberi possent elementa communia cum ceteris typis, v. gr. in liturgia verbi et in ritu ultimae commendationis seu valedictionis. Ceterum, Conferentiae Episcopales poterunt providere.

9. Quando Ritualia particularia iuxta novum Rituale Romanum praeparabuntur, Conferentiae Episcopalis erit sive tres typos exsequiarum retinere, sive ordinem mutare, sive unum typum alterumve omittere. Nam fieri potest ut in aliqua natione unus typus, e. gr. typus primus cum tribus stationibus, sit exclusive in usu et qua talis, ceteris exclusis, retinendus; in alia vero omnes tres sint necessarii. Ideo Conferentia Episcopalis, attentis necessitatibus particularibus, opportune providebit.

10. Post Missam exsequialem ritus ultimae commendationis et valedictionis defuncti habetur.

Quo tamen ritu non quaedam defuncti intelligitur purificatio —quae quidem sacrificio eucharistico potius efficitur— sed extrema exhibetur valedictio, qua communitas christiana membrum suum consalutat, antequam corpus efferatur vel sepeliatur. Etsi enim quaedam semper habetur in morte separatio, tamen christiani, qui tamquam membra Christi unum sunt in Christo, nec ipsa morte umquam separari possunt. [1]

Huiusmodi ritum invitatio sacerdotis introducat atque declaret; sequantur deinde quaedam momenta silentii, gestus aspersionis et incensationis, atque cantus valedictionis, quem, et idoneo textu compositum et apta melodia ornatum, non solum praestat ab omnibus cantari, sed totius ritus omnes sentiant esse fastigium.

Etiam aspersio, qua recolitur inscriptio per Baptismum in vitam aeternam, et incensatio, qua honoratur corpus defuncti, templum scilicet Spiritus Sancti, ut gestus valedictionis haberi possunt.

Ritus ultimae commendationis et valedictionis haberi nequit nisi in ipsa tantum actione exsequiali seu praesente cadavere.

11. In quavis pro defunctis celebratione, tum exsequiali tum etiam communi, magnum in ritu tribuitur momentum lectionibus verbi Dei. Ipsae enim mysterium paschale proclamant, spem afferunt iterum in Dei regnum simul conveniendi, pietatem edocent erga defunctos et ad christianae vitae testimonium passim exhortantur.

12. Cum in officiis pro defunctis exhibendis Ecclesia, ad dolorem exprimendum et ad fiduciam efficaciter fovendam, ad orationem psalmorum potissimum recurrat, sedulo curent

[1] Cf. Simeon Thessalonic., *De ordine sepulturae*: P. G. 155, 685 B.

pastores ut apta catechesi communitates suas manuducant ad quosdam saltem psalmos, inter eos qui pro liturgia exsequiali proponuntur, clarius altiusque intellegendos. In ceteris autem cantibus, quorum usus ratione pastorali frequenter in ritu indicatur, tum «suavis et vivus sacrae Scripturae affectus» [2] tum Liturgiae afflatus apprime curentur.

13. Etiam in orationibus communitas christiana fidem suam profitetur, atque pro defunctis adultis pie intercedit, ut beatitudinem apud Deum consequantur, ad quam parvuli defuncti, per Baptismum filii adoptionis effecti, iam pervenisse creduntur. Pro horum vero infantium parentibus, sicut et pro omnium defunctorum propinquis, preces effunduntur, ut in dolore suo fidei consolationem accipiant.

14. Ubi, sive ex lege particulari, sive ex fundatione, sive etiam ex consuetudine, Officium defunctorum, tum in exsequiis tum etiam extra exsequias dici solebat, hoc Officium servari potest, digne quidem et pie celebrandum. Attentis autem vitae hodiernae et rei pastoralis condicionibus, loco Officii defunctorum, vigilia seu celebratio verbi Dei (nn. 27-29) haberi potest.

15. Iis qui elegerint proprii cadaveris cremationem, ritus exsequiarum christianarum concedendi sunt, nisi constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianae vitae adversis, iuxta ea quae statuta sunt per Instructionem Sacrae Congregationis S. Officii, diei 8 maii 1963, *de cadaverum crematione*, nn. 2-3. [3]

Exsequiae celebrentur iuxta typum qui in regione adhibetur, ita tamen ut non lateat Ecclesiam anteponere consuetudinem sepeliendi corpora, sicut Dominus ipse voluit sepeliri, et vitato periculo scandali vel admirationis ex parte fidelium.

Ritus qui fiunt ad sacellum vel ad sepulcrum in hoc casu peragi possunt in ipsa aede crematorii; immo, deficiente alio loco apto, et in ipsa aula crematorii, vitato prudenti periculo scandali vel indifferentismi religiosi.

De officiis et ministeriis circa defunctos

16. In exsequiis celebrandis suum cuique munus atque officium meminerint esse concreditum omnes qui ad populum Dei pertinent: parentes nempe vel propinqui, funeribus curandis addicti, communitas ipsa christiana, sacerdos demum, qui, fidei educator et consolationis minister, actioni liturgicae praeest et Eucharistiam celebrat.

17. Meminerint etiam omnes, praesertim vero sacerdotes, cum in liturgia exsequiali defunctos Deo commendant, suum insuper esse officium ut spem astantium erigant, fidemque foveant in mysterium paschale et in resurrectionem mortuorum, ita tamen ut, pium affectum Matris Ecclesiae et fidei consolationem afferendo, credentes quidem allevent, maerentes tamen non offendant.

18. In praeparanda ordinandaque celebratione exsequiarum, sacerdotes non solum uniuscuiusque defuncti personam eiusque mortis adiuncta, sed domesticorum quoque dolorem eorumque christianae vitae necessitates sollicita humanitate considerent. Peculiarem insuper rationem habeant eorum qui occasione exsequiarum liturgicis celebrationibus assistunt vel Evangelium audiunt, sive sunt acatholici sive catholici qui Eucharistiam vel numquam vel vix unquam participant, vel etiam fidem amisisse videntur: pro omnibus enim sacerdotes ministri sunt Evangelii Christi.

19. Exsequiae, sola Missa excepta, peragi possunt a diacono. Necessitate pastorali id exigente, Conferentia Episcopalis, de licentia Apostolicae Sedis, etiam laicum deputare potest.

Deficiente vero sacerdote vel diacono, suadendum est ut in exsequiis primi typi stationes in domo defuncti et in coemeterio, atque in genere vigilia pro defuncto a laicis peragantur.

20. In celebratione exsequiarum, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caeremoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio. [4]

De aptationibus Conferentiarum Episcopalium cura parandis

21. Conferentiis Episcopalibus competit, vi Constitutionis de sacra Liturgia (art. 63b), in Ritualibus particularibus parare titulum, qui huic titulo Ritualis Romani respondeat, singularum tamen regionum necessitatibus accommodatum, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.

Qua in aptatione, Conferentiarum Episcopalium erit: 1) Aptationes definire, intra limites in hoc titulo statutos. 2) Sedulo et prudenter considerare quid ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune admitti possit, ideoque alias aptationes, quae utiles vel necessariae existimentur, Apostolicae Sedi proponere, de ipsius consensu introducendas. 3) Propria autem Ritualium particularium iam exstantium elementa, si quae habeantur, retinere, dummodo cum Constitutione de sacra Liturgia et necessitatibus hodiernis componi possint, vel ea aptare. 4) Versiones textuum parare, ita ut ingenio variarum linguarum culturarumque vere sint accommodatae, additis, quotiescumque opportunum fuerit,

[2] Conc. Vati. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 24 [LE 3142].
[3] Cf. *A. A. S.* 56 (1964) 822-823 [LE 3130].
[4] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 32 [LE 3141].

http://www.obrascatolicas.com

melodiis cantui aptis. 5) Praenotanda, quae in Rituali Romano habentur, aptare atque complere, ita ut ministri significationem rituum plene intellegant et effectu compleant. 6) In editionibus librorum liturgicorum cura Conferentiarum Episcopalium parandis, materiam ordinare modo qui ad usum pastoralem aptissimus videatur ita, tamen, ut de materia, quae in hac editione typica continetur, nihil omittatur.

Si quae vero rubricas vel textus adicere opportunum videatur, congruo signo vel charactere typographico distinguantur a rubricis et textibus Ritualis Romani.

22. In parandis Ritualibus particularibus de exsequiis, Conferentiarum Episcopalium erit: 1) Ritum ordinare iuxta unum vel plures typos, prout indicatum est supra, n. 9. 2) Pro formulis in ipso ritu principali propositis, alias, si opportunum visum fuerit, substituere ex iis quae in capite VI habentur. 3) Quoties Rituale Romanum plures exhibet formulas ad libitum eligendas, alias etiam formulas eiusdem generis adicere (ad normam n. 21, 6). 4) Iudicare an laici deputandi sint ad celebrandas exsequias (cf. supra, n. 19). 5) Sicubi ratio pastoralis id suadeat, statuere ut aspersio et incensatio omitti possint, vel alio ritu suppleri. 6) Colorem illum liturgicum pro exsequiis statuere, qui aptus sit ingenio populorum, quique et dolorem humanum non offendat et spem christianam ostendat mysterio paschali illuminatam.

De munere sacerdotis in praeparanda ordinandaque celebratione

23. Sacerdos, variis diversisque consideratis adiunctis, votis etiam familiae et communitatis auditis, facultatibus in ritu concessis libenter utatur.

24. Ritus pro quolibet typo propositus ita describitur ut cum simplicitate peragi possit; magna tamen textuum copia pro opportunitate praebetur. Ita, ex. gr.: 1) Omnes textus in genere cum aliis commutari possunt, ipsa communitate vel familia cooperante, ad maiorem veritatem habendam, iuxta cuiusque celebrationis adiuncta. 2) Quaedam elementa non obligatorie determinantur, sed ad libitum addi possunt pro opportunitate, ut v. gr. oratio pro dolentibus in domo detuneti. 3) Iuxta traditionem liturgicam, magna datur electionis libertas in textibus ad processiones propositis. 4) Quoties psalmus qui ratione liturgica indicatur vel suadetur aliquam difficultatem pastoralem praebere potest, alius additur ad libitum, loco praecedentis assumendus. Immo in psalmis ipsis unus alterve versus qui sub aspectu pastorali minus aptus videatur, omitti potest. 5) Textus orationum semper numero singulari proponitur, pro uno nempe defuncto: proinde singulis in casibus, sive quoad genus sive quoad numerum, textus ipse erit aptandus. Ita, ex. gr. verba *famulus tuus* fient, pro opportunitate, *famula tua* vel *famuli tui* vel *famulae tuae*, etc. 6) In orationibus, lineae quae intra parenthesim continentur, omitti possunt.

25. Apta eaque digna exsequiarum celebratio, sicut et totum sacerdotis ministerium erga defunctos, considerationem organicam mysterii christiani et pastoralis officii supponit.

Inter alia, sacerdotis est: 1) Aegrotis et moribundis adesse, sicut in proprio titulo Ritualis Romani indicatur. 2) Catechesim tradere de significatione mortis christianae. 3) Defuncti familiam blande reficere, in doloris anxietate fovere et, quantum potest, benigne adiuvare atque cum illa celebrationem aptam exsequiarum parare, adhibitis facultatibus in ipso ritu propositis atque concessis. 4) Liturgiam denique defunctorum cum tota vita liturgica paroeciali et cum ministerio pastorali apte componere.

* Prot. N. 725/69. Ordo exsequiarum. Typis Poliglottis Vaticanis 1969, p. 5-14. Ads. C. BRAGA in EL 84 (1970) 160-169; L. BRANDOLINI in EL 84 (1970) 129-148; P. OY in Not. 2 (1966) 353-383 et in La Maison-Dieu n. 101 (1970) 15-32; S. MAZZARELLO in Not. 5 (1969) 431-435; G. OURY in L'ami du clergé 80 (1970) 337-341; 82 (1972) 169-172; A. PISTOIA in EL 84 (1970) 149-159; V. RAFFA in ME 95 (1970) 32-35; A. TURCK in La maison-Dieu n. 101 (1970) 113-118; Not. 3 (1967) 195-164.

3781

1969 AUG 22.-SC EPISC., INSTR. AAS 61 (1969) 614-643

Instructio de pastorali migratorum cura

Sacra Congregatio pro Episcopis, ex consilio ducta, ut Sacerdotum Antistibus et animarum Pastoribus agendi rationes describerentur, quae cum normis pontificiis, Constitutionibus et Decretis Concilii Oecumenici Vaticani II, necnon migrationum huius temporis necessitatibus aptius consenirent, Constitutionem Apostolicam Exsul Familia[1] iisdem accommodandam esse censuit.

Ideo, post collata iterum iterumque consilia cum variis Conferentiis Episcopalibus, hanc Instructionem exaravit, quae a Patribus Sacrae Congregationis pro Episcopis, in coetu plenario diei 21 novembris 1968 habito, favorabili voto perpensa est.

Summus Pontifex Paulus Pp. VI, audito Cardinali Sacrae Congregationis pro Episcopis Praefecto, praesentem Instructionem Litteris Apostolicis Pastoralis migratorum cura die XV mensis augusti anni MCMLXIX motu proprio datis [LE 3778] probavit, et publici iuris fieri iussit, pariter statuens, ut normae eiusdem Instructionis die prima proximi mensis octobris vigere inciperent.

[1] *A. A. S.* 44 (1952), pp. 649 et ss. [LE 3304].

Cap. I—De principiis generalibus

1. *Novae migrationum formae.*—Nemo est, qui ignoret facultatem hominum in varias nationes se conferendi facilliorem atque frequentiorem nostris hisce temporibus, pluribus de causis, evasisse. Citus enim rerum oeconomicarum technicus progressus, mutuae civium et nationum necessitudines, interdependentiae, quas vocant, iugiter ampliores et frequentiores, effusum in civili consortione studium fovendi iuridicam et politicam humanae familiae unitatem, ingens, tandem, communicationis instrumentorum allatum in / praesens incrementum, haec omnia latiora reddiderunt 615
spatia et novas antiquis addiderunt rationes inceptis [2].

Ac sane non desunt, qui politicis vel oeconomicis compulsi adiunctis, exteras expetunt plagas: indesinenter tamen plures homines domum et patriam derelinquunt alibi commoraturi vel industriae acti incremento et urbanae vitae cupiditate moti: quibus omnibus oeconomica cooperatio inter nationes instaurata necnon facilior reddita facultas aliis in locis laborem quaerendi favent; addantur oportet feliciter consociata opera in scientiis et in technicis artibus apud gentes ad progressum praesertim intentas, et frequentiores effectae ipsius culturae mutuae rationes, late conditis internationalibus institutis et exteras Studiorum Universitates adeundi oblata facultate.

2. *Humanae familiae unitas.*—Ex hoc populorum motu nova exsurgit latiorque causa «conformationis» sive populorum omnium, sive orbis terrarum universi, in qua *Spiritus Dei, qui mirabili providentia temporum cursum dirigit et faciem terrae renovat* [3], facile conspicitur.

Migrationes etenim, quippe quae mutuam omnium cognitionem ac cooperationem foveant et promoveant, humanae familiae unitatem testantur excoluntque, et inter populos fraternitatis commercium, *in quo utraque pars dat simul et accipiet* [4], lucide confirmant.

3. *Problemata migrationibus inhaerentia.*—Quod si opportunae nunc prolatae agnoscuntur rationes migratoriis motibus faventes, non est tamen infitiandum multa simul adesse discrimina ac difficultates ipsa rei amplitudine persaepe aucta vel saltem nullo modo imminuta. Augentur quidem hodie frequentes sociales necessitudines, quin tamen congruentem personae maturitatem et rationes vere personales semper promoveant. Inde oriuntur difficultates et aerumnae multae, *quarum ipse homo simul causa est et victima* [5].

Recolantur praesertim animorum curae ob oeconomicas inaequalitates, conflictationes ex ingeniorum et traditionum diversitate procedentes, *omnis discriminandi modus in iuribus personae fundamentalibus, sive socialis sive culturalis, ob sexum, stirpem, colorem, socialem conditionem, linguam aut religionem* [6], quaeque historica praeiudicia respiciunt ac politicam vel ideologicam intolerantiam [7]. 616

4. *Influxus in religiosam vitam.*—Quae omnia dum universae societatis ac ipsius familiae structuram et humanam ipsam personam funditus attingunt, vitae quoque religiosae haud leve detrimentum afferre solent: iis enim in adiunctis versantes ob ineptam fortasse fidei «interiorizationem», quam vocant, christifideles, experientia teste, periculo subliciuntur vitae christianae praxim relaxandi et gradatim relinquendi; amitti contingit hactenus excultae fidei magnum thesaurum: quod vero eo facilius evenire consuescit, quo magis humanum et culturale patrimonium, quocum religiosa migratorum fides arcte consociari solet, in discrimen advocatur. Ac propterea Sancta Mater Ecclesia, ad hoc constituta, *ut... omnes homines salutaris Redemptionis participes efficiat* [8], etiam *cum genere humano eiusque historia se re vera intime coniunctam experitur* [9], peculiarem iugiter sollicitudinem gerit erga filios, qui ista vel illa de causa, domum relinquunt aliasque expetunt regiones, ac superno accepto mandato fideliter perfungens, non solum religionis solacia migratoribus omnibus praebere enititur, sed etiam alacriter contendit, ut humanae personae iura vitaeque etiam spiritualis fundamenta sanciantur ac serventur [10].

[1] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 4, 5, 6, 25, 26 [LE 3356]; Litt. Encycl. *Pacem in terris: A. A. S.* 55 (1963), p. 291 [LE 3110].
[2] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 26. 3346). [3] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, III, n. 14 [LE n. 8. [4] *Ibid.*, n. 29. [5] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 4; Litt. Encycl. *Populorum progressio: A. A. S.* 59 (1967), p. 349, n. 76 [LE 3546].
[6] Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, Cap. I, n. 2.
[7] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 1.
[8] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 3

5. *De observantia iurium fundamentalium humanae personae.*—Porro homo *et quidem unus ac totus, cum corpore et anima* [11] pastoralis sollicitudinis Ecclesiae est finis proprius. Cum vero temporum necessitatibus animorum cura accommodetur oporteat, peropportunum videtur summa ac fundamentalia humanae personae iura iterum iterumque recolere sive ut supremi populorum Moderatores eadem agnoscant et agnita tutentur, sive ut in civium et communitatis officia migratores cuncti se sciant insertos
617 et adimplenda munera diligenter considerent. /

6. *Ius patriae fruendae.*—Ex sociali hominis natura consequitur, ut alicuius Reipublicae ac Patriae homo sit civis, cui praeterquam stirpis et sanguinis iure, vinculis pariter spiritualibus ac culturalibus devincitur [12].

Summa autem ac fundamentalia hominum iura tum profecto violantur, cum sive singuli homines sive ethnici coetus, quoniam vel stirpe dissimiles vel religione dispares vel alia de causa, sua domo patriaque privantur.

7. *Ius migrandi.*—Nativum asseritur hominis ius materialibus ac spiritualibus bonis utendi, quibus *propriam perfectionem plenius atque expeditius consequatur* [13]. Ubi vero civitas, quae rerum inopia et magna civium frequentia laboret, nequeat incolis talium bonorum usum suppeditare, aut condiciones ponat humanam dignitatem laedentes, migrandi iure homo perfruitur et novam domum in exteris terris seligendi vitaeque condiciones homine dignas quaerendi [14].

Neque tantum singulis personis, sed familiis universis hoc plenum pertinet ius. Ac propterea *in migrationibus ordinandis convictus domesticus omnino in tuto ponatur* [15], ratione habita earundem familiarum necessitatum quoad habitationem praesertim, puerorum educationem, laboris condicionem, socialem securitatem et tributa [16].

Publicae Auctoritates ius humanae personae immerito negent si vel emigrationi vel immigrationi obstent aut impedimenta adducant [17], praeterquam si gravi boni communis ratione ex veritate considerata id requiratur [18].

8. *De servitio boni communis.*—Etsi iure migrandi instructi, tenentur *cives meminisse suum esse ius et officium*
618 *ad verum propriae communitatis progressum pro sua /possibilitate conferre. Praesertim in regionibus oeconomice minus progressis, ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt, bonum commune graviter in discrimen vocant* [19] qui, si praecipue mentis viribus polleant et facultatibus sint praediti, migrandi cupiditate et tentatione alliciantur: ipsi enim *communitatem suam subsidiis sive materialibus sive spiritualibus privant, quibus illa eget* [20]. Huiusmodi boni communis promotionem in regionibus minus progressis considerare ne omittant regiones technice evolutae: hac de re praeparationem et restitutionem in patriam foveant artificum et iuvenum studiis incumbentium postquam peritiam in sua quisque disciplina sunt adepti et congruo diplomate forte sint ornati.

9. *De officio auctoritatis publicae opportunitatem operis parandi.*—Tali civium officio congruenter, civitatum Moderatores studeant oportet, ut in propriis regionibus fontes laboris creentur [21]. *In huiusmodi causis peropportune fieri censemus ut, quoad possit, res operam, non autem opera rem quaerat* [22]; migrationes exinde non coactionem, at liberam humanae personae electionem consequentur.

10. *De officiis erga communitatem excipientem.*—*Quicumque alium populum aditurus est, magni aestimet eius patrimonium et linguas et mores* [23]: ideoque excipienti communitati libenter semetipsos accommodent migratores et sermonem ediscere festinent ita ut, si longior producatur vel definitiva evadat commoratio, in novam societatem facilius inseri valeant: quod tamen valide et efficaciter fiet, si quacumque coactione vel impedimento seclusis, sponte ac gradatim evenerit.

Magno animi affectu sunt hac in re prosequendi, qui ob ideologica discidia vel politicas partes patrium locum coacti sunt relinquere, ac extorres cuncti domo depulsi alioque deportati: hi novae, cui adiunguntur, societati neque facile neque sollicite ex ipsis rerum adiunctis aptari et conformari assolent. / 619

11. *Ius nativi sermonis et patrimonii spiritualis servandi.*—Suum mentis habitum secum afferunt migratores, suum sermonem, suam culturam, suamque religionem: quae omnia spirituale quoddam sententiarum, traditionum ac culturae constituunt patrimonium extra patriam adhuc permansurum: ubique ergo permagni aestimetur.

Non ultimas in re sibi vindicat considerationis partes patrius migratorum sermo, cuius ope mentis habitum, cogitationum et culturae formas vitaeque spiritualis ipsi proferunt rationem [24].

Quae cum naturale sint medium et via ad hominis intima cognoscenda et aperienda, migratorum cura uberiores sane afferet fructus, si ab iis praestetur, qui haec omnia bene noverint, quique migratorum linguam, sensu pleniori, recte calleant: patet exinde ac confirmatur opportunitas curam migratorum exercendi per eiusdem sermonis sacerdotes et quidem per totum tempus, quod utilitas requirat [25].

12. *Religiosae curae rationes.*—Rationes, iuridicae formae ac utilitas temporum, quibus migratorum curae consulatur oportet, in omnibus et singulis casibus apprime considerentur et ad rerum adiuncta accommodentur.

Quae inter adiuncta nonnulla placet recensere, nempe migrationis diuturnitatem, accommodationis processum (primae vel sequentium generationis), civilis cultus differentias (sermonis ac ritus), ipsius migrationis modum, prout scilicet vel periodica vel stabilis, vel ad tempus, vel parvo aut magno peregrinante coetu peracta, vel geographice conglobata, vel disposita sit; quamobrem neminem effugere potest, quae sit praecipua ratio servitii animis ab Ecclesia praestandi: ut veris nempe migratorum necessitatibus congrua iugiter evadat et accommodata perseveret.

13. *De «pluralismo», quem vocant, in novo mundo.*—Quae omnia ubi ab animarum Pastoribus diligenter animadvertantur et fideliter observentur, non modo suae condicionis pericula et damna facilius vitabunt migratores, sed suas conferendi partes in optata regni Dei dilatatione felix dabitur ac frequens occasio. Ex ipsa enim vitae consuetudine, 620
sive cum aliarum confessionum fidelibus, sive / cum non christianis, sive demum cum non credentibus necessitudines multae et adiuncta procedere solent; ac praeterea accidere potest, ut in eadem societate catholicae vel christianae professionis crebriores inserantur alterius religionis sectatores, opifices et iuvenes litterarum vel inventorum studio dediti, dum ex alia parte, vi mutuae cooperationis inter nationes, *crescit in dies eorum (catholicorum) numerus, qui arte periti sive a consociationibus vel generalibus vel mutuis, sive a quibusdam privatorum consiliis peregre mittuntur, ut terrarum illarum progressiones incitent* [26]. Fausta proinde dabitur Ecclesiae facultas —iuxta Concilii Vaticani Secundi mentem— tum christianorum unitatem promovendi [27], tum si agatur de non christianis et de non credentibus, efficiendi *ut testimonio vitae singulorum fidelium et totius communitatis signum sit Christum eis indicans* [28].

14. *Universi populi Dei missio.*—Implexa quaestionum ac problematum varietas, plures difficultates exstantes et locorum ac adiunctorum diversitas diuturnam sedulamque obtinent Episcoporum et Episcopalium Coetuum operam, et populi Dei fraternam requirunt erga migratores, sive intra, sive extra patriae fines commorantur, actuositatem. Minime sane dubitandum, quin omnes, qui humana cohonestantur dignitate, qui praecipue christiano ditantur nomine, *socia compositaque opera id magis magisque moliri velint, ut omnibus viae patefiant humanioris vitae, in qua unusquisque sicut frater a fratribus diligatur atque adiuvetur* [29].

15. *Notio pastoralis migratorum.*—Hodiernae migrationes valde celeres per terrarum orbem effectae variis elementis componuntur: eae enim tam ex operariis quam e conductorum moderatoribus, tam e iuvenibus studiis addictis quam e technicae artis peritis, tam e voluntariis generosis quam e profugis vel e patria depulsis constant. Licet huiusmodi hominum ordines haud parum inter se differant, ii tamen omnes in peculiaribus vitae condicionibus versantur, quae multum dissimiles sunt ab iis, quibus in patria assueverant, ita ut adiumento parochorum loci

et 63; Litt. Encycl. *Pacem in terris*, l. c., p. 301 [LE 3110]. [11] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 3. [12] Cfr. Litt. Encycl. *Pacem in terris*, l. c., p. 263.
[13] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 26.
[14] Cfr. Const. Apost. *Exsul Familia*, *A. A. S.* 44 (1952), Tit. I, p. 682; Litt. Encycl. *Pacem in terris*, l. c., pp. 263, 265; Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 65, 69.
[15] Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, Cap. III, n. 11.
[16] *Ibid.* [17] Cfr. *Discorsi e Radiomessaggi di Pio XII*, Ed. Vat., vol. VII, pp. 391-393; *A. A. S.* 38 (1946) p. 146 ss.
[18] Cfr. ibid., vol. IX, p. 317; Litt. Encycl. *Pacem in terris*, l. c., p. 285.
[19] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 65.
[20] *Ibid.* [21] *Ibid.*, n. 66. [22] Litt. Encycl. *Pacem in terris*, l. c., p. 285.
[23] Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 26 [LE 3364].

[24] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 29.
[25] Cfr. Const. Apost. *Exsul Familia*, l. c., Tit. II, Cap. I, n. 5. 1°; Cap. IV, nn. 33, 34, 39. [26] Litt. Encycl. *Populorum progressio*, l. c., p. 291, n. 72.
[27] Cfr. Decr. de oecumenismo *Unitatis redintegratio*, Cap. II, nn. 9, 10. [LE 3235]. [28] Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 20.
[29] Litt. Encycl. *Populorum progressio*, l. c., p. 297, n. 28 [LE 3546].

http://www.obrascatolicas.com

frui haud valeant: quapropter Ecclesia materna sollicitu-
621 dine contendit, ut ipsis opportunam / pastoralem curam adhibeat. Proinde sub hac ratione pastorali, de qua in praesens agitur, in migratorum numero omnes recensentur, qui quavis de causa extra patriam ant propriam ethnicam communitatem degunt et ob veras necessitates peculiari curatione indigent.

Ut huiusmodi curatio provehatur ac facilior reddatur, in capitibus, quae sequuntur, ipsae normae exhibentur.

Cap. II—De Sacra Congregatione pro Episcopis

16. § 1. Sacrae Congregationis pro Episcopis est ea omnia moderari, providere, inter se componere atque provehere, quae ad christifidelium latini ritus, quocumque migrantium, spiritualem adsistentiam pertinent, collatis tamen consiliis cum Sacra Congregatione pro Orientalibus Ecclesiis, vel cum Sacra Congregatione pro Gentium Evangelizatione, si de territoriis agatur alterutri subiectis, et firmis pariter locorum Ordinarii officiis atque auctoritate in iis, quae animorum curam spectant [30].

§ 2. Itemque Sacrae Congregationis pro Episcopis munus est, eadem promovere ad migratorum utilitatem ex orientalibus ritibus, initis pariter rationibus cum Sacra Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, quotiescumque fideles singulorum orientalium rituum loca petant, eidem Sacrae Congregationi non obnoxia, ubi aliquis proprii ritus sacerdos desit.

§ 3. Ad normas pariter Litterarum motu proprio datarum, a verbis *Ecclesiae Sanctae* incipientium, commemorata Congregatio, auditis Episcoporum Conferentiis, quarum intersit, aut si aliqua Episcopalis Conferentia id petierit, ad spiritualem curam praestandam quibusdam socialibus coetibus, numero frequentibus, *erigere potest Praelaturas, quae constant presbyteris cleri saecularis, peculiari formatione donatis, quaeque sunt sub regimine proprii Praelati et propriis gaudent statutis* [31].

§ 4. Cum vero Sacrae Congregationi pro Episcopis adnectantur Consilia et Secretariatus de Migratione, de Operibus Apostolatus Maris, Aëris et Nomadum, secundum
622 statuta Apostolicae Constitutionis *Regimini Ecclesiae universae* [32], munera, quae in paragrapho prima explicata sunt, in eandem Congregationem implenda recidunt, ad eorum utilitatem, qui ad memorata Opera Apostolatus Maris, Aëris et Nomadum pertinent [33].

§ 5. Eidem Sacrae Congregationi, ratione peculiaris finis, Religiosa Instituta subiciuntur, quae hac ratione condita sunt, ut migratoribus spiritualis cura adhiberetur; quam ob rem, legitimam potestatem in ea dumtaxat obtinet, quae sodales horum Institutorum, utpote migratorum Cappellanos seu Missionales, sive singulos sive simul sumptos, respiciunt, firmo tamen iure Sacrae Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus in ea, quae ad religiosam vitam observandam attinent.

§ 6. Concilii Vaticani Secundi menti obsecundans, Sacra Congregatio pro Episcopis curam impendet ut, una cum Secretariatibus ad Christianorum Unitatem fovendam, pro non christianis et pro non credentibus, iis communibus inceptis intersit, quae cuiusvis fidei migratorum coetui favorabilia videantur.

17. Ad ea omnia perficienda, quae migrationum intersunt, Sacra Congregatio pro Episcopis ad adiutricem operam adhibet Officium pro Migrationibus et Consilium Superius pro Migrationibus.

18. § 1. Officio pro Migrationibus, apud Sacram Congregationem pro Episcopis iam pridem condito, praeest Delegatus ad Opera pro Migrationibus, qui congruenti Officialium numero adiuvatur.

§ 2. Huius Officii est, iis studere in eaque incumbere, quae potissimum spirituale provehunt incrementum christifidelium migratorum, e quovis sermone, stirpe, natione atque —servatis servandis— ritu; Superiori Consilio pro Migrationibus adesse eiusque apparare coetus; mutuas necessitudines cum Episcoporum Commissionibus fovere; col-

[30] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 18 [LE 3332]. [31] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4 [LE 3457].
[32] Cfr. art. 52.
[33] Ipsa Const. Apost. *Regimini Ecclesiae universae* (art. 69, 1°) compe-tentiam tribuit quaestionum cum peregrinationibus relaxationis causa conflexarum (vulgo «turismo») S. Congregationi pro Clericis, quamvis huic etiam peregrino adsistentiam spiritualem praebere potest ipse Cappellanus seu Missionalis migratorum, si in territorio sibi assignato degat vel eodem transeat [LE 3588].

loquia inire et prosequi cum Sodalitatibus ex omnibus gentibus, quarum aliquomodo migratorum cura intersit, ceteraque omnia provehere incepta, quae utilia aptata videantur. / 623

19. Superius Consilium pro Migrationibus constat ex:

§ 1. Praeside, cuius munere fungitur Secretarius pro tempore Sacrae Congregationis pro Episcopis;

§ 2. Secretario, ad cuius officium eligitur Delegatus ad Opera pro Migrationibus, Apostolatus Maris, Aëris et Nomadum.

§ 3. Ad idem Consilium pertinent:

a) Praesides et Secretarii [34] Episcopalium Commissionum pro Migrationibus in singulis nationibus constituti vel, ubi desint, Episcopi Promotores nationales, Officiales Dicasteriorum Romanae Curiae, quorum aliquomodo migratorum cura interest, nempe Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Sacrarum Congregationum pro Ecclesiis Orientalibus, pro Clericis, pro Religiosis et Institutis Saecularibus, pro Institutione Catholica, pro Gentium Evangelizatione, Secretariatuum ad Unitatem Christianorum fovendam, pro non christianis et non credentibus, itemque Consilii de Laicis et Pontificiae Commissionis Studiorum «Iustitia et Pax», Delegati e Caritate Internationali, e Commissione Catholica Internationali pro Migrantibus, e Foederatione Superiorum Institutorum religiosorum virorum ac mulierum ac demum Superiores generales religiosarum Congregationum pro migratoribus;

b) alii periti ac bene meriti viri, sive ex ecclesiastico sive e laicorum ordine, a Sacra Congregatione pro Episcopis selecti ac nominati.

§ 4. Praeses, audito Secretario, aliquos viros e commemorato Consilio deligit, quorum nomina Sacrae Congregationi pro Episcopis probanda subicit, ut inde «Commissio studiorum» constituatur.

20. Consilium Superius pro Migrationibus, utpote Coetus eo spectans, ut consilia capiantur de agendis componendisque rebus, sibi proponit ut:

§ 1. colligat, perscribat atque perpendat omnium Episcopatuum vota, et ea pariter, quae per eorum delegatos, veluti eiusdem Superioris Consilii sodales, suggerentur atque proponantur;

§ 2. penitus perspiciat ea, quae ad migrationes utcumque pertinent iuxta Oecumenici Concilii Vaticani Secundi decreta, simulque istiusmodi hominum necessitates consideret, quae semper mutant atque volvuntur;

§ 3. vota ad Sacram Congregationem pro Episcopis transmittat, / quibus cognitis haec Episcoporum Conferen- 624
tiis normas proponere queat, quo opera migratoribus tuendis magis efficienter et accommode provehantur.

§ 4. Memoratum Consilium certis temporibus in plenarios coetus vel, ubi necessitas id postulaverit, in extraordinarios coetus convenit.

21. Studiorum Commissio haec curat:

§ 1. res maioris momenti vel instantioris necessitatis pertractare;

§ 2. opportuna consilia Sacrae Congregationi pro Episcopis ad hasce solvendas quaestiones proponere.

§ 3. Haec vero Commissio bis in anno in coetus congregatur.

Cap. III—De Episcoporum Conferentiis Nationalibus

Episcoporum Conferentiae, praesertim Nationales, urgentioribus quaestionibus ad praedictos (scilicet migratores, exsules et profugos etc.) spectantibus, sedulo studeant, et aptis instrumentis ac institutionibus spirituali eorum curae, concordi voluntate viribusque unitis consulant atque faveant, attentis in primis normis ab Apostolica Sede statutis vel statuendis, temporum, locorum et personarum condicionibus apte accommodatis [35].

Rogantur Episcoporum Conferentiae ut, attento magno hodie migrantium et peregrinantium numero, omnia quae ad studium et moderationem eorumdem curae spiritualis spectant, committant sacerdoti ad hoc delegato, aut speciali Commissioni ad hoc constituitae [36].

[34] Huiusmodi Secretarii munere Directoris nationalis plerumque simul fungntur.
[35] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, Cap. II, n. 18. [36] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, n. 9.

Cum necessitates pastorales magis magisque requirant ut quaedam pastoralia munia concorditer regantur et promoveantur, expedit ut in servitium omnium vel plurium dioecesium alicuius determinatae regionis aut nationis nonnulla constituantur officia, quae etiam Episcopis committi possunt [37].

Ad Conferentias Episcopales pariter pertinet opera instituere et promovere quibus illi qui laboris et studii causa ex terris missionum immigrant, fraterne excipiantur et congruenti pastorali cura adiuventur. Per eos enim populi longinqui vicini quodammodo fiunt et communitatibus antiquitus christianis optima occasio offertur cum nationibus, quae Evangelium nondum audierunt, colloquendi et eis in proprio officio amoris et adiumenti genuinum Christi vultum ostendendi [38].
625

Ut immigrantes ex terris missionum debite excipiantur et congruenti pastorali cura ab Episcopis nationum antiquitus christianarum adiuventur, necessaria est cooperatio cum Episcopis missionalibus [39].

22. § 1. In nationibus, ubi numero frequentiores migratores habentur, Episcoporum Conferentiae propriam Episcopalem Commissionem migrationibus curandis constituant. Haec suum habebit Secretarium, qui Nationalis Directoris munere plerumque perfungatur [40], idemque propterea in Superius Consilium pro Migrationibus poterit cooptari.

§ 2. Valde convenit, ut in hanc Commissionem etiam sacerdotes, Religiosi utriusque sexus Sodales —et illi praesertim, de quibus in art. 53, § 1 agetur— pariterque laici viri, quaestionum de migratione periti, cooptentur.

§ 3. In aliis vero nationibus, ubi minor est migratorum numerus, Episcoporum Conferentiae quendam saltem Promotorem Episcopum, ad illorum spiritualem curam provehendam designent.

23. Ad ea perficienda, quae ab Apostolica Sede vel a Sacrosancti Concilii Decretis in hac rerum provincia statuta sunt, Episcoporum Conferentiae Nationales, per se ipsae, vel per Nationalem Directorem, vel per aliam Institutionem, cordi habeant:

§ 1. praecipuis migrationum quaestionibus studere, et, attentis praesertim gentium locorumque adiunctis, accommoda pastoralia inire consilia, quibus migratorum animi ad novam vitae condicionem subeundam parentur, fidemque sive in singulis suae patriae regionibus sive in nationibus, quas petunt, rite excipiantur [41]. Impensam quoque operam coetibus hominum non christianorum provehendis navent, qui omnibus saepe vel animi vel corporis adiumentis destituti videntur;

§ 2. sacerdotes deligere atque ad peculiare hoc ministerium instruere et Episcoporum Conferentiis aliarum nationum, quarum interest, vel earum Institutionibus commendare, ut ab ipsis, ad normam art. 36, § 2 veluti migratorum Cappellani vel Missionales accipiantur;

§ 3. si res ferat, Collegium sacerdotum migrantionibus
626 destinan/dorum instituere, aut saltem quaedam eligere Instituta, sacrorum Seminariorum ope collata, si quae adsint, ad sacerdotii candidatos e peculiari sermone formandos; quibus in institutionibus sacerdotes, sive antequam ad exteras nationes proficiscuntur sive cum in iis iam deversantur, peropportunas scholas statis temporibus rite frequentent et insuper, si res id suaserit, novas apostolatus rationes cognoscere et condicionum ad oeconomicam socialemque vitam et ad civilem cultum spectantium notitias sibi comparare contendant;

§ 4. Religiosos utriusque sexus sodales pariterque laicos fideles exstimulare ad huiusmodi incepta participanda, iisdemque sapienter uti, ut ordinata ratione pastorali, huic causae spirituale atque sociale adiumentum quam maximum afferant [42];

§ 5. conventus certis temporibus, collatis consiliis cum Sacra Congregatione pro Episcopis, per nationes, immo per continentes terras promovere, eo spectantes, ut pastoralis migratorum cura apte efficienterque componatur et ad unam veluti rationem ubique reducatur, donec ipsa peculiaribus cuiusque gentis rerum adiunctis accommodetur;

§ 6. opportuna promovere colloquia cum Sodalitatibus vel ex omnibus gentibus vel singularum nationum, cum Rerum Publicarum Institutis et Consociationibus, quo ap-

[37] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, Cap. III, n. 42. [38] Decr. de activ mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, Cap. IV. n. 38. [39] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, III, n. 23. [40] Cfr. nota 34.
[41] Cfr. Litt. Encycl. *Populorum progressio*, l. c., n. 69. [42] Cfr. Cap. VI et VII.

tiore modo migratorum iura, in re quoque sociali, foveantur, et eorum institutioni scite consulatur, praesertim in sua addiscenda arte, quae praesentis temporis necessitatibus sit quam maxime consentanea [43].

§ 7. generalem actorum summam ad Sacram Congregationem pro Episcopis quotannis mittere, additis etiam nuntiis ad rationaria / conficienda utilibus, si quae collecta 627
sint, quo difficultates, consilia et etiam optata plenius cognoscantur iisque facilius respondeatur.

24. § 1. Migrationes omne genus atque coetus omnes hominum, qui nostro hoc tempore cum frequentioribus per terrarum orbem itineribus aliquo modo conectuntur, ut ii sunt nautarum, aëronavigantium, nomadum, non modo novas pastorales praebent difficultates, sed etiam inusitatas secum ferunt rationes, ad spiritualem vitam, ad psychologiam, ad rem nummariam atque ad aptam rerum temperationem pertinentes, praesertim cum agitur de exsulibus, de domo profugis, vel de migratoribus, qui regiones relinquunt nimia incolarum frequentia laborantes et de meliore statu progressioneque adipiscendis adhuc annitentes.

§ 2. Ad auxilia eo consilio comparanda, ut graves hae quaestiones, prout vires sinant, aptius solvantur, admodum convenit, ut Episcoporum Conferentiae locorumque Ordinarii aliquem «Diem migratoris» quotannis indicant [44].

§ 3. Cuius diei celebratio ad haec praecipue intendit: ut scilicet Populi Dei filii, pro sua quisque condicione, divinum considerantes aeternae salutis consilium, propria officia penitus noverint, suasque partes impleant, ipsis agendas in migrationis rebus fovendis; tum ut omnes christifideles, precibus ad Deum fusis, superna implorent auxilia ad aptas vocationes impetrandas; deinde ut alacer sacerdotum apostolatus roboretur, ac denique christiana migratorum fides secura maneat et viva incrementa suscipiat.

§ 4. Quod vero ad indolis animique difficultates spectat, quas psychologicas vocant, communis labor et opera a christianis hominibus requiritur, ut cunctae praeiudicatae opiniones atque separationes, e nationis, stirpis religionisve diversitate manantes, collatis viribus, superentur, apertiores melioresque necessitudines atque veram inter populos fraterni animi coniunctionem instaurando [45].

§ 5. Cum Cappellanorum seu Missionalium, socialium adiutorum omniumque Institutionum migratoribus favendis innumera providaque incepta, novas easdemque haud leves difficultates Episcoporum Conferentiis singulisque locorum Ordinariis afferant —nempe ad rem nummariam atque ad aptam rerum ordinationem pertinentes— «Dies / 628
migratoris» eo quoque spectat, ut christifideles partes sedulo considerent, quibus tenentur subsidia comparare ad migratorum fratrum necessitates sublevandas. Quam ob rem Episcoporum Conferentiae datam huius celebrandi diei facultatem nancisci possunt ad fidelium studium hac de re magis magisque excitandum, atque ad eos exstimulandos, ut liberalem stipem pro necessariis operibus dent.

§ 6. «Dies migratoris» tempore et ratione celebretur, prout locorum adiuncta et civilis societatis postulata suaserint.

Cap. IV—De locorum Ordinariis

Peculiaris sollicitudo habeatur fidelium, qui ob vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quam plurimi migrantes, exsules et profugi, maritimi sicut aëronavigantes, nomades aliique id genus. Aptae methodi pastorales promoveantur ad vitam spiritualem fovendam eorum, qui relaxationis causa ad tempus alias regiones petunt [46].

Item, in similibus circumstantiis, diversi sermonis fidelibus provideatur sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem

[43] Quod attinet ad migratorum technicam et socialem curam neminem profecto latet S. P. Pium XII v. m. *Commissionem Catholicam Internationalem pro Emigratione* in Genevensi civitate constituisse, *cuius est ubique exstantium consociationum vel profugis hominibus coepta consilia et opera fovere, confirmare atque componere* (Motu proprio *Exsul Familia*, l. c., Tit. I, p. 676).
Impensa ergo Internationalis istius Commissionis opera uti possunt Episcopales Conferentiae non modo in quaestionibus inter Nationes forte exsistentibus, sed etiam in rebus cuiusque Nationis, eo proposito, ut nationalium ordinationum, migrationem respicientium, coepta et labores perficiantur.
Episcoporum Conferentiis adesse quoque potest Sodalitas, quam vocant *Caritas Internationalis*, in quam variae nationiales sectiones confluunt ut migratoribus praesto sint in rebus praesertim temporalibus.
[44] Cfr. Const. Apost. *Exsul Familia*, Tit. II, art. 49.
[45] Cfr. Litt. Encycl. *Populorum progressio*, l. c., 287-289, nn. 62-64.
[46] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 18.

http://www.obrascatolicas.com

sermonis, sive per Vicarium Episcopalem, sermonem bene callentem et etiam, si casus ferat, charactere episcopali ornatum, sive denique alia opportuniore ratione [47].

Vicarii Episcopales in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus seu coetus personarum, iuxta Episcopi dioecesani nominationem, potestate ordinaria vicaria gaudent, quam ius commune Vicario Generali tribuit [48].

Quod igitur attinet ad varias, quas diuturnus usus probavit, formas ac rationes spiritualis migratorum institutionis congruenter accurandae, locorum Ordinarii haec, quae sequuntur, prae oculis habeant.

A) *Ordinarii locorum, unde fit discessus:*

25. Si necessarium vel saltem opportunum videtur, in dioecesana Curia peculiare Officium pro migratoribus con-
629 stituatur recteque ordi/netur, quod et eorum quaestiones vel negotia pertractet, et alia etiam coepta, sive ante sive post eorum discessum, provehat.

26. Ordinarii parochos commoneant de gravi, quo tenentur, officio eam christifidelibus omnibus religiosam institutionem tradendi, qua facilius, si quando casus ferat, difficultatibus et periculis discedendi occurrant, novasque necessitudines cum aliis hominibus inire valeant, sive aliam in sua patria sedem petunt, sive ad exteram perveniunt nationem, ubi incolae diversam vel mixtam religionem profitentur. Ita enim fit, ut migratores, si quando vel ad certum tempus vel perpetuo domum repetant, pro explorato habeant parochum semper sibi tamquam patrem esse adfuturum.

27. Locorum Ordinarii sacerdotes sive dioecesanos sive religiosos, qui difficiliori huiusmodi ministerio idonei paresque sint, agnoscendos et conquirendos curent, eosdemque Episcopalibus Conferentiis rogantibus libenter committant.

28. Unusquisque Ordinarius cum Episcopali Conferentia Nationali vel cum eius Institutis necessitudinis habere rationes ne omittat, ut inde auxilia suae dioecesi expetat ipseque vicissim aliis dioecesibus afferat ad ea exsequenda, quae ab eodem Episcoporum coetu de pastorali migratorum cura statuta sunt.

B) *Ordinarii locorum, quo fit migratio:*

29. Si res necessaria videtur, etiam in dioecesibus, quo migratio fit, peculiare Officium pro migratoribus exstet apud Curiam Episcopalem constitutum, cui regendo Vicarius Episcopalis [49] aliusve sacerdos idoneus praeficiatur.

30. § 1. Omnes christifideles, sive clerici sive laici, sive religiosi sive religiosae, recte moneantur, ut benevolo animo migratores excipiant iisque in magnis necessitatibus, quae vel ab initio obveniunt, opitulari studeant.

§ 2. Ceteris etiam christianis benigne libenterque succurrant, qui plena cum catholica Ecclesia communione non fruuntur, quique sacris ministris suae Ecclesiae vel communitatis carent; neque vero opem auxiliumque hominibus
630 non christianis, si qui adveniunt, denegent, / iis servatis normis, ad sacrorum communicationem quod attinet, quae tum Decreto Oecumenici Concilii Vaticani Secundi *Unitatis Redintegratio*, tum *Directorio Oecumenico* editae sunt.

§ 3. Spiritualis cura omnium christifidelium, atque adeo migratorum, in parociae finibus degentium, in parochos potissimum recidit, qui expleti mandati rationem Deo sunt aliquando reddituri; tantum igitur onus cum Cappellano seu Missionali, si adest, sociare et communicare velint.

31. § 1. Collatis consiliis cum Episcopali Conferentia Nationali vel cum eius Institutis, operi migrationis praeponsitis, sacerdotes conquirantur, qui eiusdem sermonis vel nationis ac migratores sunt.

§ 2. Si vero peculiaria rerum adiuncta, veluti horum sacerdotum impar numerus, aliter suadent, Ordinarii opera aliorum sacerdotum, qui migratorum sermonis sunt peritti, utantur atque pro viribus contendant, ut novi sui filii quaevis discrimina et pericula in christiana vita profitenda effugere possint.

§ 3. Quodsi consulendum est spirituali curae migratorum, quibus diversus in sacris est ritus, servatis eorum Hierarchiae iuribus, ratio etiam habeatur Decretorum ad eosdem spectantium [50].

[47] *Ibid.*, n. 23. [48] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14, § 2.
[49] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14, § 2.
[50] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 23; cfr. Decr. de Eccl. Orient. Cath. *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 4, 12 et ss.

§ 4. Item, si necesse est, spiritualis habeatur cura christianorum, qui plena communione cum catholica Ecclesia carent, collatis etiam consiliis cum eorum Praepositis vel ministris secundum legitimarum Congregationum Apostolicae Sedis praescripta.

32. Ne recusent locorum Ordinarii, iuxta Concilii Vaticani Secundi normas [51], quin in sacram liturgiam usum sermonis, migratorum proprii, pro quavis eorum natione, admittant.

33. In pastorali cura migratorum agenda, hae, quae sequuntur, rationes ac viae, accommodandae sane ad locorum adiuncta seu circumstantias, ad consuetudines et necessitates eorundem fidelium, plane experientia et usu comprobantur:

§ 1. Ubi magnus est numerus migratorum, eodem utentium ser/mone, qui illic vel stabiles incolunt vel continuo 631
mutantur, opportuna potest esse paroeciae personalis erectio, ab Ordinario loci apte praefinienda [52].

§ 2. Etiam missio cum cura animarum, cuius fines sunt recte circumscribendi, ab Episcopo erigi poterit [53] iis praesertim locis, ubi nondum migratores stabiliter incolunt; huiusmodi missio ad peculiares hominum coetus pertinet, qui per cuiusvis temporis spatium, quavis de causa, ibidem commorantur.

§ 3. Pro rerum opportunitate missio cum cura animarum, intra unius paroeciae pluriumve etiam paroeciarum fines erecta, alicui paroeciae territoriali annecti potest, praesertim cum haec ab eiusdem religiosae Congregationis sodalibus, qui spiritualem migratorum curam agunt, regatur.

§ 4. Quoties neque paroeciae personalis neque missionis cum cura animarum, sive sui iuris sive alicui paroeciae annexae, erectio opportuna esse videtur, tum spirituali migratorum curae consulatur per Cappellanum seu Missionalem eiusdem sermonis, territorio ad ministerium exercendum praefinito.

§ 5. Ubi sat amplus adest migratorum numerus, ut eorum curae spirituali consulatur, Cappellanus seu Missionalis tamquam Vicarius cooperator unius paroeciae pluriumve paroeciarum constitui poterit.

§ 6. Denique pro novis Institutis, nostra hac aetate ad plures nationes pertinentibus, ne earum sodales, diversis sermonibus utentes, spirituali cura careant, sacerdotes eligantur, qui et eosdem sermones noscant et in eorum fidelium bonum ministerium obeant.

34. § 1. Unicuique migratorum Cappellano seu Missionali aliqua ecclesia aut cappella vel publicum vel semipublicum oratorium, quatenus fieri possit, ad sacrum ministerium perfungendum attribuatur. / 632

§ 2. Sin aliter, loci Ordinarius eas normas edat, quibus eidem migratorum Cappellano seu Missionali in alia ecclesia, paroeciali non excepta [54], sacrum munus libere cumulateque explere liceat.

§ 3. Opportunum praeterea videtur exstructas apparari domus, quas tamquam suas migratores adire possint, ut ibi sui ingenii bona ac dotes excolant, merita quiete ac relaxatione fruantur, salutaria subsidia reperiant.

Cap. V—De migratorum Cappellanis seu Missionalibus horumque delegatis

Diversi sermonis fidelibus provideatur sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem sermonis, sive per Vicarium Episcopalem sermonem bene callentem et etiam, si casus ferat, charactere episcopali ornatum, sive denique alia opportuniore ratione [55].

A. A. S. 57 (1965), p. 76 ss. [LE 3233]; *Ad totam Ecclesiam* (Directorium Oecumenicum), *A. A. S.* 59 (1967), pp. 574-592 [LE 3558].
[51] Cfr. Constitutio de S. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 38 [LE 3141]; Instructio de cultu mysterii eucharistici, *Eucharisticum mysterium*, n. 19 [LE 3562].
[52] Cfr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 32; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, n. 21, § 3, ubi haec leguntur: *Paroecias erigere aut supprimere vel eas quoquo modo innovare Episcopus dioecesanus propria auctoritate, audito Consilio Presbyterali, potest, ita tamen ut, si sint conventiones inter Apostolicam Sedem et Gubernium civile vel iura aliis personis physocis vel moralibus quaesita, cum iisdem a competenti Auctoritate res apte componantur.*
[53] Hoc vides in Declaratione a Sacra Congregatione Consistoriali die 21 novembris 1966 edita: *Episcopus dioecesanus propria auctoritate in sua dioecesi erigere potest non solum paroeciam personalem, sed etiam missionem cum cura animarum pro christifidelibus diversi sermonis seu nationis, ea tamen ratione, ut fines eiusdem missionis certo appleque statuantur atque cura animarum fidelium migratorum Missionario migrantium eiusdem sermonis committatur.* [54] Const. Apost. *Exsul Familia*, Tit. II, art. 37.
[55] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 23, § 3;

A) *Cappellani seu Missionales*

35. Qui sacerdotes ab ecclesiastica auctoritate mandatum agendi spiritualem curam migratorum, suo utentium sermone, legitime acceperunt, ii migratorum Cappellani seu Missionales appellantur.

36. § 1. Sacerdotes spiritualem de migratoribus curam suscipere cupientes antea debitam ab Ordinariis suis facultatem consequantur; postea vero suae Episcopali Conferentiae vel Institutis, operi migrationis praepositis, ad nutum praesto sint.

§ 2. Excepto quod peculiaria adiuncta suadeant, ut nominationis Rescriptum a Sacra Congregatione pro Episcopis conficiatur, Conferentiae Episcopalis nationis, unde sacerdotes discedunt, est eos certo designationis documento munire atque Conferentiae illius nationis, quo ipsi se conferunt, praesentare. Quae altera Conferentia Cappellanos seu Missionales admissos locorum Ordinariis concredit, qui eosdem spirituali migratorum curae praeficit.

§ 3. Quod vero ad religiosos sodales attinet, qui huiusmodi migratorum curae inserviunt, peculiares normae
633 Cap. VI traduntur. /

§ 4. Spiritualis migratorum cura, quantum fieri potest, sacerdoti committatur, qui per congruum temporis spatium sit rite institutus atque virtute, doctrina, sermonum peritia aliisque animi dotibus tanto muneri par esse videatur [56].

37. § 1. Cappellanus seu Missionalis migratorum suae dioecesi incardinatus manet, quam ideo repetere ei licebit, accedente Moderatorum, quorum interest, iudicio et consensu. Hanc redeundi facultatem adeptus, Cappellanus omnibus iuribus gaudet, quae haberet, si in dioecesi sacro ministerio addictus fuisset [57].

§ 2. Cappellanus seu Missionalis migratorum durante munere, tum in sacro ministerio exercendo, tum in disciplina servanda, Ordinarii loci iurisdictioni est obnoxius.

§ 3. Quod ad temporalium bonorum administrationem attinet, Cappellani seu Missionales migratorum, antecedente Nationalis Directoris assensu, obligatione tenentur sibi comparandae Ordinarii loci licentiae ad quodvis oeconomicum inceptum exsequendum, cuius fidelem rationem anno exeunte reddent.

38. Cappellanus seu Missionalis, cui paroecia personalis collata est [58], paroeciali fruitur potestate una cum omnibus facultatibus et oneribus, quae ad normam iuris communis parochis propria sunt. Idem praeterea, quamvis territoriali iurisdictione careat, facultatem habet Confirmationis Sacramentum administrandi subditis, in articulo mortis constitutis [59].

39. § 1. Cappellanus seu Missionalis, cui missio cum cura animarum concredita est [60], propria fruitur potestate atque, congrua congruis referendo, parocho aequiparatur.

§ 2. Huiusmodi potestas est personalis, in personas nempe migratorum eiusdem sermonis, atque intra fines missionis tantummodo exercenda.

§ 3. Eadem vero cum parochi loci potestate aequo iure cumulata est [61]. Quapropter quivis migrator libera fruitur
634 facultate adeundi in / Sacramentorum celebratione, Matrimonio non excepto, aut Cappellanum seu Missionalem sui sermonis, aut Parochum loci [62].

§ 4. Denique, praeter ea omnia, quae iure communi parochis tribuuntur, alia etiam iura aliaque onera ad Cappellanum seu Missionalem migratorum spectant.

Quod ad iura attinet, haec sunt recensenda:
a) potestas administrandi subditis, idest fidelibus eiusdem sermonis, in articulo mortis constitutis, Confirmationis Sacramentum ad normam Decreti *Spiritus Sancti munera* [LE 1881];
b) potestas valide assistendi matrimoniis nupturientium, quorum alteruter eodem sermone utatur, intra fines commissi territorii, servatis ceteris de iure servandis, etiam in praescripto C. I. C. circa liceitatem [63] et in normis ad investigationes super statu nupturientium peragendas [64].

Quod ad onera attinet, haec sunt recensenda:
a) eadem officia in exercendo sacro ministerio pro fide-

cfr. huius Istructionis n. 24. [56] Cfr. Const. Apost. *Exsul Familia*, Tit. II, art. 54. [57] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 3, § 4. [58] Cfr. huius Instructionis art. 33, § 1. [59] Ex Audientia S. P., diei 30 aprilis 1968.
[60] Cfr. Const. Apost. *Exsul Familia*, Tit. II, art. 34, 35. [61] Cfr. Const. Apost. *Exsul Familia*, Tit. II, art. 36. [62] *Ibid.*, art. 39. [63] *C. I. C.*, can. 1097.
[64] Cf. Instructio S. C. de disciplina Sacramentorum, *A. A. S.* 33 (1941),

libus eius sermonis, quae cuiusque Parochi ad normam C. I. C. propia sunt [65];
b) praesertim obligatio: 1) residendi in assignato territorio ad normam sacrorum canonum [66]; 2) conficiendi secundum normas Codicis Iuris Canonici libros paroeciales, quorum authenticum exemplar in fine cuiuslibet anni ad Parochum loci transmittet [67];
c) non tenetur vero obligatione Missae pro populo ad normam iuris communis celebrandae [68].

§ 5. Sacerdotes ut adiutores assignati Cappellano vel Missionali, cui concredita est missio cum cura animarum, officium et facultates, quae Vicarii cooperatoris Parochi sunt propria, congrua congruis referendo, obtinent.

40. § 1. Ordinarius loci, ubi missionem cum cura animarum non possit constituere, Cappellano seu Missionali
opportunas concedat / facultates, ut migratores eiusdem 635
sermonis, atque in certo quodam degentes territorio [69], sacri ministerii auxiliis valeant frui [70].

§ 2. In huiusmodi rerum adiunctis Episcopi curent, ut iura et munera Cappellani seu Missionalis migratorum accurate definiantur et cum Parochorum loci officio componantur.

41. Cappellano seu Missionali migratorum in una vel in pluribus paroeciis Vicarii cooperatoris munere legitime fungenti [71], ut exoptati uberes fructus e ministerio ipsis migratoribus obveniant, congrua concedantur et temporis spatia et auxilia.

42. Cappellani seu Missionales migratorum, quemcumque obtinent condicionem iuridicam et quodcumque adiutorium loci Ordinarii mandato migratoribus praebent, dioecesi, in qua sacrum ministerium obeunt, animo et opere adhaerere nitantur seseque accommodare contendant; donec ibi commorantur, loci Ordinarium tamquam in proprii Ordinarii loco habeant et colant [72]; pastorales normas dioecesanas sedulo observent; sacerdotibus in dioecesi degentibus, ac maxime Parochis, fraterna concordia consociati, animarum saluti incumbant; dioecesanos coetus adeant; collationes de re morali ac liturgia assidue frequentent. Huiusmodi animorum operumque consensio migratoribus quoque praeclarum aptationis et cooperationis praebeat exemplum.

43. § 1. Cappellanos seu Missionales migratorum summa caritate prosequantur Ordinarii locorum et Parochi, eosque arduum sane exercentes ministerium, quod animabus sibi creditis prosit, libenter adiuvent; curent vero, ut in eorum commodum eae condiciones concedantur, quibus ceteri dioecesis sacerdotes fruuntur, eademque iis tribuantur iura et cautiones ad rem oeconomicam quod attinet.

§ 2. Aequum est quosdam e Cappellanis seu Missionalibus migratorum etiam Consilii Presbyteralis participes esse.

§ 3. Expedit privilegia et facultates, quae Ordinarii locorum secun/dum Litteras Apostolicas *Pastorale munus* [73] 636
[LE 3139] suae quisque dioecesis sacerdotibus concedere possunt, etiam Cappellanis seu Missionalibus migratorum, si rerum adiuncta id suadeant, pariter impertiri.

§ 4. Cappellanis seu Missionalibus permittitur per unum mensem intra annum a missione abesse, dummodo, per sacerdotem ab Ordinario loci approbatum, animarum necessitatibus consulatur.

B) *Delegati pro Cappellanis seu Missionalibus*

44. § 1. In nationibus, in quibus plures sunt Cappellani seu Missionales migratorum eiusdem sermonis, optandum est, ut unus Delegatus pro Cappellanis seu Missionalibus constituatur.

pp. 297-307. [65] *C. I. C.*, cann. 467-469. [66] *C. I. C.*, can. 463, § 1. [67] *C. I. C.*, can. 470; Const. Apost. *Exsul Familia*, Tit. II, art. 35, § 2. [68] *C. I. C.*, can. 466. [69] Cfr. huius Instructionis n. 33, § 4.
[70] Hoc in casu, ad errores dubiaque quod attinet circa matrimoniorum delegationem, prae oculis omnino teneatur praescriptum *C. I. C.*, can. 1096, iuxta quod parochus et loci Ordinarius generales delegationes ad matrimonia concedere nequeunt, sed tantum ad determinatum matrimonium delegare possunt. [71] Cfr. n. 33, § 5.
[72] Decr. S. C. Concilii *Cum plures locorum Ordinarii*, *A. A. S.* 19 (1927), p. 99 [LE 743].
[73] Cfr. *A. A. S.* 56 (1964), pp. 6-12. Pro migratis a Sancta Sede concessae sunt facultates quarum vi per integrum anni tempus ipsis possunt praecepto paschalis communionis satisfacere et, datis conditionibus generalibus per novas normas de Indulgentiis statutis (sacramentalis confessio, communio eucharistica et oratio ad mentem Summi Pontificis), Indulgentiam plenariam die festo titulari et die 2 augusti vel aliis duobus diebus ab Ordinario statuendis consequi possunt, si Oratorium seu Cappellam missionis — cum vel sine cura animarum — pie visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis orationem dominicam et fidei symbolum recitaverint.

http://www.obrascatolicas.com

§ 2. Delegatus pro Cappellanis seu Missionalibus eligitur, collatis cum Conferentiis Episcopalibus, quarum interest, consiliis, a Conferentia nationis, in qua Delegatus ipse ministerio fungatur.

45. Delegatus pro Cappellanis seu Missionalibus, vi muneris, nulla iurisdictionis potestate, sive territoriali sive personali pollet.

46. Delegati pro Cappellanis seu Missionalibus migratorum, Ordinariis locorum, ad quos pertinet, consultis, est:

1) Rationes inire cum Episcopis nationis vel dicionis, ubi Cappellani seu Missionales migratorum stabili modo commorantur, et cum aliis, quos vi muneris adeat oportet, circa ea omnia, quae bonum spirituale migratorum suae nationis seu sermonis respiciant.

2) Cappellanos seu Missionales, salvo Ordinariorum et Superiorum religiosorum iure, moderari [74].

47. § 1. Debet igitur Delegatus curare:

a) ut Cappellani seu Missionales vitam ducant ad normam sacrorum canonum suisque officiis diligenter satisfaciant;

b) ut decor et nitor ecclesiarum vel cappellarum vel
637 oratoriorum / et sacrae supellectilis, maxime in custodia Sanctissimi Sacramenti et in Missae celebratione, accurate serventur;

c) ut iidem decreta a Conferentiis Episcopalibus vel ab Ordinariis loci lata rite exsequantur;

d) ut sacrae functiones secundum praescripta legum liturgicarum ac Decreta Sacrae Congregationis pro Cultu Divino peragantur; bona ecclesiastica diligenter administrentur adnexaque iis onera, in primis Missarum, rite impleantur; recte conscribantur et asserventur libri paroeciales, de quibus ad n. 39, § 4, *b* 2) agitur.

§ 2. De iis omnibus ut certior reddatur, Delegatus debet missiones crebro invisere.

§ 3. Delegati etiam est Cappellanum seu Missionalem aegrotum visitare atque operam conferre ne spiritualibus et materialibus auxiliis et, si de vita decesserit, honesto funere careat; atque curare ne, eo aegrotante aut decedente, libri, documenta aliaque ad missionem pertinentia, depereant vel asportentur.

§ 4. Munera in §§ 1-3 recensita cum potestate competentis Auctoritatis loci cumulantur.

48. Delegatus, concordi Auctoritatis competentis consilio, Cappellanos seu Missionales, congruis oblatis occasionibus, convocare poterit, ut una simul, praesertim spiritualibus exercitiis vacare ac de aptioribus ministerii rationibus ineundis inter se colloqui queant. Quaevis tamen optata et consilia, antequam ad effectum deducantur, eidem Auctoritati significentur, ut rite probentur.

49. Expedit ut quoties de nominatione, translatione aut amotione Cappellanorum seu Missionalium ac de novarum missionum erectione agatur, Delegati consulantur [75].

50. Conferentiae Episcopales loci et ipsi Episcopi, pro suae dioecesis territorio, ampliores facultates Delegato poterunt conferre, prouti rerum adiuncta vel necessitates postulare videantur.

51. Delegatus semel saltem in anno Conferentiae Episcopali tam loci quam suae nationis per Directorem Nationalem rationem reddat de apostolatu pro migratoribus, de
638 progressionibus et de impedimentis referens. /

Cap. VI—Religiosi ac Religiosae

Praesertim, attentis urgentibus animarum necessitatibus atque cleri dioecesani penuria, Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant, inspecta tamen propria cuiusque Instituti indole; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus, Superiores pro viribus faveant [76].

52. Cum Institutis vitae communis sodales persaepe praesto sint e diversis nationibus et dissitis apostolatus sedibus provenientes, qui itemque dissimili formatione instructi sunt, cumque propterea sacerdotibus vel cooperatoribus peculiari aptaque institutione praeditis frui possint, ut eos huc vel illuc facilius transferant, pastorali migratorum curae maximum possunt afferre adiumentum.

[74] Cfr. Const. Apost. *Exsul Familia*, Tit. II, art. 19-23.
[75] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 19, § 2.
[76] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 35.

53. § 1. Magni sane momenti hac in re censendum est opus ab Institutis praestitum, quae, evangelicis devincta consiliis, apostolatum pro migratoribus ut finem proprium et peculiarem persequuntur, veluti Congregatio Missionariorum a Sancto Carolo, qui Scalabriniani nuncupantur, Societas Christi pro migratoribus Poloniae, Pia Societas Sancti Pauli pro migrantibus Melitensibus [77].

§ 2. Cetera autem Instituta, licet apostolatum pro migratoribus ut finem proprium sibi non proponant, tamen id genus fidelibus peropportune ac laudabiliter spirituales curas adhibebunt, iis peculiari ratione vacando operibus, quae cuiusque naturae et fini aptius conveniant.

§ 3. Si migratorum curam Ordinarius loci cuidam Instituto committere velit, servatis ceteris de iure servandis, ineatur oportet conventio scripta inter ipsum et Instituti Moderatorem [78], tractata re simul cum Episcopali Conferentia vel cum Institutis episcopalibus, quae in natione, unde discessus fit, apostolicam migratorum curam promovent.

§ 4. Licet de Institutis agatur, quae migratorum curam ut peculiarem finem sibi proponunt, tamen opera cuncta et incepta in migra/torum commodum Ordinarii loci auctori- 639
tati et moderationi obnoxia sunt, firmo iure Superiorum religiosorum invigilandi sodalium vitae atque etiam, cumulative cum Ordinario loci, munerum ipsis commissorum adimpletioni [79].

§ 5. Quodsi munus pastoralis migratorum curae viro cuidam religioso committitur, semper praevius habeatur consensus Superioris praeviaeque fiant scripto conventiones, eadem scilicet ratione, congruis congrua referendo, qua de sacerdotibus dioecesanis statutum est in art. 36.

54. § 1. Multimoda beneficentiae opera et caritatis plurimae actiones cum apostolatu inter migratores saepe conectuntur: valde quidem commendandum hac in re magnique aestimandum est adiutorium a religiosis mulierum Institutis allatum, ab iis praesertim, quae eiusmodi ministerium ut peculiarem finem sibi proponunt. Quo autem uberior colligatur fructuum messis, nec spiritualis cura talibus Institutis, plene eorum iure servato et ratione habita indolis, nec par materialium subsidiorum copia ullo modo desit.

§ 2. Optandum est, ut in religiosis mulierum Institutis peculiaris hic apostolatus amplius in dies cognoscatur et promoveatur.

55. § 1. Ad Concilii Vaticani Secundi mentem indeficiens cooperatio et fraterna concordia, Episcopis et religiosis Superioribus faventibus, inter religiosa virorum et mulierum Instituta, clerum ac dioecesanas et interdioecesanas pias laicorum consociationes promoveantur et foveantur [80].

§ 2. Ad apostolatum inter migratores ceterosque christifideles exercendum quod attinet, religiosi omnes normis Ordinarii loci obtemperare debent [81].

§ 3. Si quid, in hoc apostolatu, domus ac religiosae communitatis ordinem directe vel indirecte respiciat, rationes inter religiosos et Ordinarios loci ceteraque Instituta operi migrationis praeposita per competentes Superiores ineantur [82]. /

610

Cap. VII—De laicorum participatione

Laicos autem oportet ordinis temporalis instaurationem tamquam proprium munus assumere et in eo, lumine Evangelii ac mente Ecclesiae ductos et caritate christiana actos, directo et modo definito agere; qua cives cum civibus, specifica peritia et propria responsabilitate cooperari; ubique et in omnibus iustitiam regni Dei quaerere [83].

Inter signa nostri temporis speciali notatu dignus est crebrescens ille et ineluctabilis sensus solidarietatis omnium populorum, quem sollicite promovere et in sincerum et verum fraternitatis affectum convertere apostolatus laicorum munus

[77] Quod ad migratorum curam spectat meminisse placet etiam Instituta religiosa huic finem prosequentia praestare posse, quae requiruntur ad erectionem Praelaturae pro variis coetibus socialibus, de quibus in Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4.
[78] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 35; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, nn. 30, 31. [79] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 29, § 2. [80] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 35; Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 23; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 28. [81] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, nn. 33-35; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, nn. 25, 26. [82] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 35, 5-6; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, nn. 24, 30-36, 39. [83] Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 7.

est. Insuper laici conscii esse debent campi internationalis et quaestionum ac solutionum, sive doctrinalium sive practicarum, quae in illo oriuntur, praesertim quoad gentes ad progressum nitentes [84].

56. Haud exigua pars quaestionum, ex populorum mobilitate proficiscens, sine laicorum cooperatione solvi nequit. Ecclesia igitur, dum pastoralibus migratorum necessitatibus occurrere studet, universum populum Dei, ac praesertim fideles laicos ad apostolatum propensos, enixe adhortatur, ut suscepti a se officii partes implentes impigro animo allaborent ad universum mundum renovandum et ad ea, quae veritas, iustitia, caritas postulant, efficienda [85].

57. Migrationes, sive homines considerantur, qui patriam deserunt, sive qui alienigenas in patriam recipiunt, novam vivendi cum ignotis antea civibus rationem inducunt; iam inde munus laicorum exordium sumit: uti fratres accepti, migratores non *mera productionis instrumenta* [86], sed humana dignitate praediti agnoscantur et amplioris novae humanae consortionis aedificatores.

Cum praeterea aliae cum migratoribus coniungantur quaestiones, de habitatione nempe, de opere, de sociali securitate, et eae, quae e generis, linguae, humani cultus diversitate oriuntur, laici curent, ut eae secundum caritatis et simul iustitiae et aequitatis rationes solvan/tur, ne, 641
progredientibus cum populorum mobilitate oeconomicis rebus, *vita hominum singulorum eorumque familiarum incerta et precaria fiat* [87]. Laicorum est insuper operam dare, ut haec iura, praesertim quod familiae attinet unitatem [88], etiam in civili legislatione sarta tecta serventur, et quodvis discrimen in hac re sedulo vitetur [89].

58. Nec minus necessaria ad migratorum evangelizationem fovendam est laicorum opera adiutrix: Cappellanis seu Missionalibus opitulentur, ut eorum commercia cum longinquis vel dispersis migratoribus faciliora reddantur, liturgiam actuose participent, ita ut cultus divinus alliciat animos; oblata autem occasione verbum Dei cum variis coetibus ethnicis, secundum modum laicis proprium, communicare ne neglegant. Quod etiam magis urget, ubi ob longinquam vel dispersam commorationem aut ob cleri suae nationis vel loci penuriam, migratores quavis carent cura religiosa; quo in casu eos sedulo quaerere studeant, comiter recipere, solari et ad ecclesiam localem adducere [90].

Apostolicum hoc munus peculiari modo ad eos pertinet laicos, qui in migrationibus, in officiis vel in locis, ubi opus faciunt, coniunctissime vivunt cum non catholicis, cum non christianis vel cum non credentibus; iuvenibus vero, qui studiorum Universitates frequentant, potiores sollicitudinis partes serventur. Aptiora enim adiuncta rerum iis offeruntur, quae Cappellanum seu Missionalem migratorum saepe fugiunt: vitam scilicet vere catholicam agentes et ipsum profitentes apostolicum spiritum, *qua cives cum civibus, specifica peritia et propria responsabilitate* [91] id quod fratribus in sacerdotio deest [92], efficaciter possunt supplere.

59. Laici, qui gravioribus officiis publicis funguntur, conscii beneficiorum, quae diversa migratorum ingenii cultura afferantur, operam dent, ut Respublicae earumque Moderatores ea omnia agnoscant et sedulo promoveant, quae ad mutuam operam et una simul existendi rationem inter ethnicos coetus requiruntur.

642 Laici vero, quo maiorem vim habent ad communem cogitandi ac / sentiendi modum, curent ut talis eaque communis conscientia hominum formetur, quae ad hunc finem assequendum postulatur.

60. Ubi migratores frequentiores numero sunt, facultate praesertim donentur participandi consilia pastoralia dioecesana vel paroecialia, ita ut localis Ecclesiae compagi reapse inserantur.

61. Eadem profecto ratione atque etiam magis quam singuli homines, consociationes catholicae impensam curam migratoribus adhibeant, qui habitatione, opere, institutione et rebus ad vitam necessariis indigent. Potissimum animadvertatur, quantum referat migratoribus opportunitatem praebere, praesertim collata ope cum Institutis, quae iam habeantur, artis formationem perficiendi vel novam consequendi peritiam. Catholicae consociationes adiutricem

[84] Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 14. [85] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 26. [86] *Ibid.*, n. 66. [87] *Ibid.* [88] Cfr. Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 11. [89] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 66. [90] Cfr. Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, nn. 10, 17. [91] *Ibid.*, n. 7. [92] Cfr. *ibid.*, n. 10.

operam navent Officiis pro migratoribus in Curia dioecesana vel in paroeciis constitutis.

Migratores omnes invitentur, ut alicui coetui vel consociationi apostolatus laicorum nomen dent, cooperantibus in re illis, qui alicuius consociationis sodales in patria fuerunt.

Quamvis autem migratores proprias consociationes habere liceat, tamen quibusdam earum sodalibus opportunitas praebeatur nomen dandi consociationibus (vel opificum collegiis) illius regionis: inter varios ethnicos coetus hoc modo veluti pons efficitur utrasque partes coniungens. Verumtamen non solum singulorum migratorum participatio est promovenda in locorum consociationibus, sed opportunum etiam videtur, ut cooperatio coetuum foveatur, qui laicorum apostolatum, in regionibus sive originis sive migrationis, provehunt.

Hisce expositis —recognitionem disciplinae migrationes sacerdotum ad exteras transmarinas regiones [93] eorumque incardinationem in harum regionum dioecesibus respicientis [94], necnon munerum Cappellanorum navigantium eorumque Moderatorum [95] et status Pontificii Collegii Sacerdotum pro Italis ad externa migrantibus [96] peculiaribus / 643
reservantes Instructionibus— bona firmaque spe adducimur fore, ut spiritualis migratorum adsistentia satius per praesentem Instructionem ordinata et temporis adiunctis accommodata, uberiora in dies, Deo largiente, animabus afferat commoda et inter homines, unius Patris filios dilectissimos, ubique concordiae et fraternitatis sensus feliciter promoveat.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 22 Augusti 1969.—Carolus Card. Confalonieri, *Praef.* Ernestus Civardi, Archiep. tit. Serdicen., *a Secretis*. Iosephus Zágon, *Delegatus ad Opera pro Migrationibus*.

[93] Cfr. Const. Apost. *Exsul Familia*, Tit. II, Cap. I, art. 3. [94] *Ibid.* [95] *Ibid.*, art. 5, 8. [96] *Ibid.*, Cap. VI.

Adn. H. M. O'LERY in **Australasian Catholic Record** 48 (1971) 127-151; P. PEROTTI in **ME** 95 (1970) 46-60; S. M. TOMASI in **Jurist** 31 (1971) 332-341; **Doc. Cath.** 67 (1970) 71.

3782

1969 AUG .. -SC CULTUS DIVINI, RESPONSUM. PART.*

Responsa ad proposita dubia: 1—Ad institutionem generalem Missalis Romani. 2—Ad Ordinem Missae. 3—Ad Calendarium. 4—Ad diversa

I—Ad Institutionem Generalem Missalis Romani

1. *Quandonam quaedam praefatio habenda est «propria»?* Resp.: Difficultas venit praesertim ex possibilitate adhibendi precem eucharisticam IV, quae praefationem fixam habet, et ideo statutum est ea uti non licere quando Missa propria praefatione ditatur (n. 322 *d*). Cum autem praeter festa, tempora quoque habeantur, et quidem sat longa, in quibus dicitur praefatio de tempore, quaestio exsurgit quo sensu intelligenda sit praefatio «propria».

Praefatio consideratur «propria» stricto sensu, in Missis quae celebrantur *in ipso die festo* vel in eius *octava*. In Proprio de tempore adhibetur praefatio illi respondens sed haec non considerantur stricte propria, et eo durante adhiberi possunt prex eucharistica IV et prex eucharistica II cum sua praefatione.

In Missis autem votivis seligi potest aut praefatio Missae respondens aut praefatio propria alicuius precis eucharisticae.

2. *In feriis temporis Nativitatis et Paschae possunt dici Missae ad diversa vel votivae?* Resp.: N. 316 Institutionis generalis Missalis Romani loquitur tantum de feriis temporis «per annum» minime vero de feriis temporis Nativitatis et Paschae.

Ex eadem autem *Institutione*, collata cum *Normis de Anno liturgico et de Calendario* haec interpretatio erui potest:

1) Missae ad diversa vel votivae prohibentur in sollemnitatibus, in dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae, in feriis IV Cinerum et Hebdomadae Sanctae «quae omnibus aliis celebrationibus praeferuntur» (Cf. *Normae de Anno liturgico et de Calendario*, n. 16) [LE 3728].

2) In dominicis, praeter eas quae supra recensitae sunt, in festis, in feriis temporis Adventus a die 17 ad diem 24 decembris et Quadragesimae, hae Missae dici possunt, «occurrente aliqua graviore necessitate, de mandato vel licentia Ordinarii loci» (Cf. *Inst. gen.*, n. 332) [LE 3735].

3) In feriis temporis Adventus, usque ad diem 16 decembris inclusive, tempore Nativitatis, a die 2 Ianuarii ad sabbatum post Epiphaniam, tempore paschali, a feria II post octavam Paschae ad sabbatum ante Pentecostem et in memoriis obligatoriis, «in Missis cum populo si qua vera necessitas id postulet», potest dici Missa huic necessitati respondens, «de iudicio rectoris ecclesiae vel ipsius sacerdotis celebrantis» (Cf. *Inst. gen.*, n. 333). Necessitas intellegenda est ratione pastorali, v. gr., si frequens populus occurrit pro aliqua celebratione, uti, aliquibus in locis, prima feria VI mensis.

http://www.obrascatolicas.com

Extra hos casus Missae ad diversa vel votivae non permittuntur. Nam Officium de feria, his temporibus quadam praeeminentia gaudet, ut mysterium salutis debito modo recolatur super cetera alia festa vel commemorationes (Cf. *Const. de sacra Liturgia*, n. 108). Hoc valet praesertim pro quinquaginta diebus a dominica Resurrectionis ad Pentecosten, quae celebrantur «sicut unus dies festus, immo magna dominica» (Cf. *Normae de Anno liturgico et de Calendario*, n. 22) [LE 3728].

4) Tempore «per annum», quando fit officium de feria vel occurrat memoria ad libitum, licet celebrare quamlibet Missam ad diversa vel votivam.

5) Eadem ratione ordinandae sunt Missae defunctorum, scilicet: *a)* Missa exsequialis dici potest omnibus diebus, exceptis Triduo sacro, dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae, atque sollemnitatibus. *b)* Missa defunctorum post acceptum nuntium mortis, in ultima sepultura defuncti, vel in primo anniversario die, ut in n. 3 et 4 (Cf. *Inst. gen.* n. 337). *c)* Missae cotidianae in feriis temporis per annum et quando occurrat memoria ad libitum, ut in n. 4.

II—Ad Ordinem Missae

3. *Quando nullus fidelis habetur qui acclamationem post consecrationem peragere valeat, debetne sacerdos dicere «Mysterium fidei»?* Resp.: *Negative.* Verba *Mysterium fidei*, quae e contextu verborum Domini deducta sunt et post consecrationem posita, «ad fidelium acclamationem veluti aditum aperiunt» (Cf. Const. *Missale Romanum*) [LE 3735]. Quando autem peculiaribus in adiunctis nemo respondere valet, sacerdos illa verba omittit, sicut fit in Missa quae, ex gravi necessitate, celebratur sine ullo ministro, in qua salutationes et benedictio in fine Missae omittuntur (*Inst. gen.*, n. 211).

Idem valet pro concelebratione sacerdotum in qua nullus fidelis praesens est.

4. *In precibus eucharisticis II et III, peculiaris formula pro defuncto quando adhiberi potest?* Resp.: Dubium ortum est quia rubrica tertiae precis eucharisticae sic sonabat: «Quando haec prex in *Missis defunctorum* adhibetur, dicitur...» (Cf. *Preces eucharisticae et praefationes*, Typis Polyglottis Vaticanis 1967, p. 35). Quae rubrica clarior facta est in novo Ordine Missae (n. 322 b), et dicitur simpliciter: «Quando Missa *pro aliquo defuncto* celebratur». Ergo peculiaris embolismus pro defunctis adhiberi potest in quacumque Missa, quae pro aliquo defuncto celebratur vel in qua de eo peculiaris memoria fit. Finis legis est faciliorem reddere exsecutionem n. 316 Institutionis generalis de «moderate» sumendis Missis defunctorum.

III—Ad Calendarium

5. *Utrum celebrandae sint I Vesperae festorum Sanctae Familiae et Baptismatis Domini?* Resp.: *Affirmative* (cf. *Normae de Anno lit. et de Cal.* n. 13). Nam, uti apparet ex tabula praecedentiae (*ibid.*, n. 59, 6), Dominicae temporis Nativitatis aequantur dominicis per annum, et festa Domini quae in eis occurrunt, I Vesperas habent.

6. *Quae Missa celebranda est dominica II post Nativitatem?* Resp.: Missa quam dabit Missale Romanum instauratum; secus Missa quae in hodierno Missali habetur pro dominica post Nativitatem.

7. *Abolita Vigilia Ascensionis, quaenam sunt Missa et officium huius diei?* Resp.: Missa dicitur de dominica praecedenti et Officium, pro anno 1970, ut in Breviario, scilicet de Vigilia.

III.—Comité «Paix et communauté internationale».

Il s'agit d'approfondir, de faire mieux connaître et d'appliquer l'enseignement de l'Evangile sur la paix. Là encore, pour animer l'Eglise dans son rôle d' «éducatrice à la paix», la coopération des Conférences épiscopales est instamment souhaitée, par exemple pour leur participation à la Journée mondiale de la paix, chaque année en janvier, et sa mise en pratique tout au long de l'année. Sont incluses aussi les questions du racisme, des minorités et des droits de l'homme, du totalitarisme et du nationalisme, de l'objection de conscience, de la théorie dite de la «guerre juste» et du désarmement dans notre ère d'armes nucléaires et de missiles, etc.

Ainsi, les étapes vers l'organisation juridico-politique de la communauté mondiale, envisagée par *Pacem in terris* (par. 142-145) [LE 3110], doivent être amorcées et appuyées par l'Eglise à tous les niveaux.

4. La *collaboration oecuménique* est nécessaire avec toutes les Eglises et communautés chrétiennes, avec les autres religions et avec les hommes de bonne volonté, afin de chercher des solutions aux problèmes pressants de la justice, de la paix et du développement dans le monde. La visite du Saint-Père à Genève souligne l'importance de cette collaboration et la facilite.

Ensemble avec le Conseil oecuménique des Eglises, la Commission pontificale Justice et Paix a formé le Comité sur la Société, le développement et la paix (SODEPAX), dans le but de promouvoir cette collaboration parmi les Eglises chrétiennes — et avec d'autres religions et idéologies — su service du monde. Le Secrétariat mixte de SODEPAX a ses bureaux à Genève, au Centre oecuménique.

5. Dès le début de son existence, la Commission pontificale a sollicité des Conférences épiscopales la création de *Commissions nationales* (ou *régionales*) Justice et Paix, selon des formules très souples et suivant les situations locales. Elles doivent être, à partir des Conférences épiscopales, les signes et les instruments de l'engagement de toute l'Eglise locale, du Peuple de Dieu dans son ensemble — hiérarchie, clergé, religieux et religieuses et, particulièrement, laïcat, — au service du développement, de la justice et de la paix. Dans la situation actuelle où la jeunesse, à travers le monde entier, se montre si sensible aux problèmes de justice internationale et de paix, et de plus en plus cherche à participer à ce monde en développement, il s'impose évidemment de l'associer pleinement à ce travail dans les Commissions nationales et régionales.

Ces initiatives des Conférences épiscopales semblent particulièrement nécessaires pour le Comité promotion humaine, puisqu'il s'adresse directement à la vie pastorale des diocèses et des paroisses et au travail des organisations des laïcs, pour faire de toute l'Eglise locale une communauté de service évangélique *«ad extra Ecclesiam»*. Pendant sa visite en Afrique, le Saint-Père a souligné cet aspect de l'évangélisation et de l'apostolat dans le monde d'aujourd'hui.

A ce jour, les Conférences épiscopales ont créé ou autorisé une quarantaine de ces Commissions nationales, et désigné des correspondants dans une vingtaine d'autres pays.

6. La Commission pontificale Justice et Paix coopère aussi avec les Conférences épiscopales pour organiser des *rencontres régionales*, afin de permettre à plusieurs Commissions nationales d'unir leurs talents et leurs ressources, pour mettre en train une action et une politique communes, qui soient ajustées aux projets de gouvernements et des agences des Nations Unies...

La Commission pontificale espère que les Conférences épiscopales pourront établir des *secrétariats régionaux*, pour donner suite concrète à ces initiatives et pour aider le peuple de Dieu à accomplir sa tâche au sein de chaque nation, ainsi qu'au niveau régional et continental.

7. Pour aider les Conférences épiscopales à ces différentes tâches, et conformément au mandat donné par le Saint-Père de «contribuer à l'approfondissement, particulièrement sous l'aspect doctrinal, pastoral et apostolique, des problèmes du développement et de la paix» (*Motu Proprio*, du 6 janvier 1967) la Commission entreprend une série d'études...

8. Pour aider à harmoniser l'activité des divers organismes et centres internationaux catholiques qui travaillent dans le domaine de la charité, de l'assistance, de la promotion de la justice sociale entre les peuples, pour éviter la dispersion ou le double emploi de l'aide, et pour arriver à une meilleure coopération dans l'apostolat social de l'Eglise, la Commission pontificale — à la demande de la Secrétairerie d'Etat — convoque une *Table ronde* formée par *Caritas internationalis*, CIUSE (Coopération internationale pour le développement socio-économique, organisme fédératif des grandes collectes de fonds, type Misereor, Vastenactie, etc., dépendant des Conférences épiscopales), les Unions de supérieurs généraux des ordres religieux, hommes et femmes, et particulièrement des Instituts missionnaires, les Organisations internationales catholiques, les Sociétés pour la propagation de la foi, etc.

Les Secrétariats régionaux souhaités ci-dessus (par. 6) seraient un canal pour faciliter l'indispensable participation des «Eglises locales» des régions en voie de développement dans ce long processus commencé pour aller vers une stratégie de l'aide au développement. Ces Secrétariats pourraient devenir eux-mêmes centres de telles Tables rondes, pour l'harmonisation de l'aide (financière, matérielle ou en personnes), et pour le planning de l'apostolat social au niveau régional et national.

Au niveau qui est le sien, la Commission pontificale tiendra une troisième consultation de la Table ronde, à Rome, du 29 au 31 octobre prochain.

9. Dans tout ce vaste programme, retracé ci-dessus, le plus important doit toujours rester le rôle effectif et l'engagement convaincu du peuple de Dieu tout entier. La Commission pontificale est très consciente que les initiatives locales prises par les diocèses, les paroisses et les groupes de laïcs, doivent être animées et soutenues par les Conférences épiscopales; autrement, les magnifiques paroles sur «l'Eglise dans le monde d'aujourd'hui» restent dans la stratosphère, sans racines dans la vie réelle.

C'est pourquoi nous nous réjouissons de voir les présidents des Conférences épiscopales, réunis ici pour le Synode, témoigner leur intérêt au travail encore bien jeune de la Commission Justice et Paix, qui attend vos suggestions et votre coopération.

Selon l'esprit de *Gaudium et spes*, notre tâche commune est de servir tous les citoyens du monde, spécialement les innombrables familles pauvres et les groupes opprimés, qui attendent le pain quotidien — et souvent le travail pour le gagner, — qui ont soif de dignité humaine et de l'espérance de la parole et de l'amour du Christ vivant aujourd'hui dans son Eglise. 22 octobre 1969, Cité du Vatican.—Cardinal Maurice Roy.

* Ad Praesides Conferentiarum episcopalium: **Doc. Cath.** 66 (1969) 1110-1112. **Adn. Doc. Cath.** 66 (1969) 1112-1117.

3791

1969 OCT 22.-SYNODUS EPISCOPORUM, DECLAR. PART.*

Relatio doctrinalis circa collegialitatem episcoporum in Ecclesia

Introductio

De momento et actualitate argumenti

Elapso Oecumenico Concilio Vaticano II principium collegialitatis fortasse theologorum attentionem, immo et christifidelium oculos ad se magis convertit quam aliae quaestiones, quia haec «collegialis unio etiam in mutuis relationibus singulorum Episcoporum cum particularibus Ecclesiis Ecclesiaque universali apparet»[1].

Actualitas et momentum huius argumenti magis magisque in dies elucescunt. Maior enim in dies «corresponsabilitas» suscitatur tum apud pastores locales tum apud totam christifidelium multitudinem circa operosam participationem in mutuo expendendis et solvendis gravioribus quaestionibus, quae hodie Ecclesiae vitam magnopere agitant. Agitur de quadam vera quasi hereditate Concilii Vaticani II, quam in exercenda sua auctoritate tum Supremus Ecclesiae Pastor tum Episcopi maxime prae oculis habere debent, ut omnium membrorum Ecclesiae vera virium conspiratio in bonum commune stabiliatur. Quodsi hanc mutuam relationem Episcoporum cum Romano Pontifice cum ceteris Episcopis novis postulatis nostri temporis respondere volumus, opportunum videtur, ut novae etiam aperiantur viae, quibus sollicitudo Episcoporum de universa Ecclesia eorumque affectus collegialis ad concretam applicationem perducantur. Ipsum Concilium Vaticanum II huius hodierni postulati vere conscium institutionem Sy-

[1] Cfr. Const. *Lumen gentium*, III, 23: *A. A. S.* 57, 1965, 27 [LE 3232].

http://www.obrascatolicas.com

nodi Episcoporum suasit [2] atque institutionem Episcoporum Conferentiarum maxime promovit [3], exoptans ut unitas membrorum Collegii Episcoporum cum Romano Pontifice, Collegii Capite, in exercenda sollicitudine pastorali Ecclesiae efficacior redderetur.

Praeclara etiam exempla maioris in dies Episcoporum participationis curae pastoralis universalis Ecclesiae in lucem iam edidit etiam novissima Curiae Romanae renovatio eiusque in dies magis collegialis modus operandi cum Episcopis dispersis per orbem et cum variis Commissionibus episcopalibus nationalibus necnon ipsa institutio Episcoporum Synodi, de cuius adiutrice opera in bonum Ecclesiae universae ex experientia primi Generalis Coetus celebrati iam constat.

Signa proinde temporum perscrutans Romanus Pontifex hoc tam magni momenti argumentum communi disceptationi in hoc Coetu Extraordinario Synodi Episcoporum congregatae praestituit, de quo tempestive ipsae etiam Episcoporum Conferentiae suam mentem iam manifestarunt [4]. Ductu igitur doctrinae ecclesiologicae Concilii Vaticani II de hac operosa unione collegiali, qua omnes Episcopi cum Collegii Capite et inter se coniunguntur, in hac Synodo Episcoporum «ad confirmanda arctiusque astringenda fidei, caritatis sollertiaeque pastoralis vincula» [5] est disceptandum.

Quoniam hoc argumentum, quod Summus Pontifex in Synodi convocatione pertractandum statuit et ab unaquaque Episcoporum Conferentia studiose iam fuit perspectum, finem potius practicum-pastoralem habet ac de eo potissimum inter Sodales agetur, brevem quandam introductionem doctrinalem praemitti oportet.

I—De christifidelium communione

1. *De Ecclesia ut communione.*—Concilium Vaticanum II sibi proposuit, ut veritatem circa Ecclesiam Christi magis magisque exploraret eamque accuratiore enuntiatione exprimeret. Talis enim est intima natura Ecclesiae, qualem Christus condidit et Apostoli aedificare coeperunt, mysterium scilicet seu arcana res, quae Dei praesentia penitus perfunditur, quaeque novas semper altioresque sui ipsius explorationes admittit [6]. Haec quidem novae de Ecclesia explorationes, quas Concilium Vaticanum II peregit, eam esse «in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis» [7] primum affirmant, atque hac via ecclesiologiam sic dictam communionis altius inquirere ac aptius promovere conatae sunt. Notio enim communionis conscientiam Ecclesiae necnon doctrinam ecclesiologicam per primum millenium pervasit atque in traditione Ecclesiarum Orientalium ad nostrum usque tempus maxime fecunda exstitit. Cum igitur Concilium Vaticanum II suam de Ecclesiae mysterio doctrinam super hanc notionem communionis fundet, perennem cogitationem in traditione christiana reviviscere fecit, cuius tamen intima res interna et socialis ab utroque Concilio Vaticano accuratius descripta est.

Ecclesia qua communio uti totum quid organicum et vivens, quemadmodum «de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata» [8], apparet. Huius enim Populi Dei unitas est sacrum mysterium, quod in ipso Dei Unius et Trini mysterio fundatur atque in Eo suum «supremum exemplar et principium» habet [9]. Ecclesia itaque orta est e consilio aeterno et universali salutis Patris, qui per Filium suum incarnatum, in Spiritu Sancto, opus redemptionis ad effectum perduxit, quod nunc in Ecclesia perenne redditur usque ad consummationem eschatologicam, ut Deus sit omnia in omnibus (cfr. 1 *Cor.* 15, 28).

Ecclesia igitur ut communio et in communione exsistens testimonium Dei Unius et Trini praebet, ac «sacramentum visibile huius salutiferae unitatis» [10]. Ad Ecclesiam proinde spectat hanc fidelium unionem, quam ipsi in Christo Domino coram Deo constituunt, repraesentare et promovere.

Haec communio fidelium unitatem organicam et viventem constituit, quae omnibus illis elementis internis (uti donis Spiritus Sancti, virtutibus fidei, spei et caritatis) et externis (uti fidei professione, sacramentis et ministerio hierarchico) constat, a quibus indivisibiliter unitis Populus Dei aedificatur atque animatur. Quorum bonorum possessio christifideles in vera et dynamica communione ecclesiastica coniungit atque Ecclesiam Dei Patris in Christo Domino efficit, in qua «cuncti... per orbem sparsi fideles cum ceteris in Spiritu Sancto communicant» [11].

Concilium Vaticanum II unitati indissolubili utriusque elementi constitutivi Ecclesiae merito insistit, quae non mere mutuo iuxtaponuntur, sed aliquod unum et totum efformant. Elementa igitur externa internis non mere extrinsecus superadduntur, sed in illis extra ponuntur ac manifestantur ita ut, externis communionis elementis deficientibus, haec socialiter inter homines actuari non possit. Unum itaque et alterum elementum simul sumptum —et quidem utrumque tamquam essentialiter constitutivum— hanc unitatem vitae communionis formant, ita ut externa Ecclesiae elementa uti signum sacramentale habeantur, quibus elementa interna, tamquam res significata, exprimuntur atque operantur. Cum igitur haec communio fidelium utroque simul humano et divino elemento coalescat cumque eius vitae unitatem utrumque efforment, iure affirmatur Ecclesiam esse sacramentum seu instrumentum internae hominum unionis cum Deo totiusque generis humani unitatis [12].

2. *De christifidelium communione in sua totalitate.*—Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium* ipsum mysterium Ecclesiae plenius enodans, huius communionis totalitatem, sive Pastorum sive fidelium, in Populo Dei inesse intelligit. In hoc novo Populo Dei, qui etiam Christi Ecclesia nuncupatur, «quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cfr. *Act.* 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis unionis visibilis et socialis instruxit» [13], Christus ministerium hierarchicum posuit, ut omnes «qui de Populo Dei sunt, ideoque vera dignitate christiana gaudent, ad eundem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perveniant» [14]. Cum tamen Constitutio de Ecclesia considerationem universi Populi Dei praeponat ministerii hierarchici considerationi, eo ipso illa elementa communia omnibus christifidelibus, Supremo Pastori scilicet, Episcopis ac ceteris ministris et laicis in lumine collocat, quae nempe sunt «unus Dominus, una fides, unum baptisma (*Eph.* 4, 5), communis filiorum gratia, communis ad perfectionem vocatio, una salus, una spes indivisaque caritas» [15], quae cunctos fideles Dei filios atque fratres in Christo et in Spiritu Sancto constituunt. Haec quidem prior consideratio totalitatis christifidelium communionis a Concilio Vaticano II merito illustrata, nonnullas consecutiones ordinis practico-pastoralis sive in concipiendis mutuis relationibus inter cunctam communitatem et ministros sacros, sive in concreto exercitio auctoritatis in Ecclesia habendo secum fert. Si enim ministri, ratione ordinis, fideles praecedunt, quos ad fidem et ad vitam supernaturalem verbi et sacramentorum ministerio generant, ipse unus populus, ad quem tum fideles tum Pastores pertinent, in Dei salutis consilio prioritatem finis servat.

Integra proinde huius Populi Dei membrorum diversitate manente ratione officii, Pastores tamen, vi sacerdotii ministerialis seu hierarchici, qua membra etiam huius communionis ecclesiasticae atque intra ipsam communionem in bonum fratrum suorum munere suo funguntur, quibus instrumenta salutis praebent, verbum Christi annuntiantes atque gratiam Christi, celebratione praesertim Cenae eucharisticae aliorumque sacramentorum, cum fidelibus communicantes. Si ministerium hierarchicum in tam arcta coniunctione cum omnibus christifidelibus hoc modo intelligitur, inde nonnullae applicationes ad concretum potestatis sacrae exercitium in bonum Populi Dei trahi possunt. Etenim clarius patet communis vocatio et obligatio omnium membrorum Populi Dei ad activam et consociatam operam praestandi aedificationi ipsius Ecclesiae et exercitio suae universalis missionis in mundo.

Distinctio ergo, quae, Christi voluntate, inter huius communionis sacros ministros et fideles viget, hanc veram aequalitatem quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem circa aedificationem Corporis Christi non destruit [16]. Immo ministri sacri et fideles in hoc Populo Dei multiplici ac mutua necessitudine devinciuntur, cum Pastorum sit sibi invicem et ceteris fidelibus ministrare, Christifidelium autem sociam operam Pastoribus praestare [17].

Deductis proinde ex hac consideratione totalitatis communionis Christifidelium omnibus consecutionibus, quae deducendae fuerunt quoad naturam et exercitium auctoritatis in Ecclesia, clarius exprimitur eius indoles servitii erga Populum Dei, cum Pastores a Christo per Apostolos mandatum acceperint praedicandi Evangelium omnibus gentibus, «ut homines universi, per fidem, per baptismum et adimpletionem mandatorum salutem consequantur» [18].

Par igitur erit iudicium, quod in totalitatem huius communionis Christifidelium hierarchice ordinatae veram aequalitatem regeneratorum in Christo et missionem propriam Pastoribus a Christo concreditam includat. Hac enim ratione, simul omnium Christifidelium operosae partes, quae in ipsos recidunt ad aedificationem communionis ecclesiasticae, satis confirmantur, simul structura hierarchica Ecclesiae, quam ipse Conditor voluit, servatur.

II—De Episcoporum Communione

1. *De sacri ministerii summa in Episcopatu.*—Ipse Dominus Ecclesiae potestatem sacram tradidit, qua non omnia membra communitatis pollent, sed illi tantum qui ad Populum Dei pascendum semperque augendum a Christo Domino vocati et positi sunt in sacro ministerio. Inter varia tamen sacra ministeria, «quae ad bonum totius Corporis tendunt» [19], «praecipuum locum tenet munus illorum qui, in episcopatum constituti, per successionem ab initio decurrentem, apostolici seminis traduces habent» [20]. Sacri ministerii summa plenitudo sacerdotii hierarchici in episcopatu invenitur. Munus proinde episcopale summa participatione in sacerdotio Christi Domini, nempe in officio ac munere eius sanctificandi, docendi ac regendi constituitur.

Episcopis ergo competit hoc sacrum ministerium in tota eius plenitudine exercere.

2. *De Episcoporum Collegio Apostolorum Collegio succedente.*—Christus Dominus ut suum munus per Ecclesiam in mundo perenniter continuaret, Apostolis unum Collegium cum Petro ut Capite constituentibus concredidit, qui Novum Dei Populum Evangelii Christi proclamatione atque sacramentorum ministerio pascerent.

Haec Apostolorum coniunctio collegialis cum Petro Capite, in communione Episcoporum cum Romano Pontifice tamquam eorum Capite nunc in Ecclesia continuatur, quippe qui ut Petri successor «unitatis, tum Episcoporum tum fidelium multitudinis, perpetuum ac visibile principium et fundamentum» sit [21].

Episcopi ergo cum Romano Pontifice atque inter se pari ratione coniunguntur, qua Apostoli cum Petro unum Collegium constituebant [22]. Inde etiam deducitur Romanum Pontificem tum Episcoporum tum fidelium multitudinis perpetuum ac visibile principium et fundamentum esse, Episcopos autem singulos visibile etiam principium unitatis in suis Ecclesiis particularibus esse [23].

3. *De Episcoporum communione.*—Episcopi itaque, cum Capite successore Petri veram communionem constituunt, quae supra fundamentum sacramentale exstruitur, quatenus per legitimam consecrationem episcopalem semper nova membra in hoc collegium Episcoporum alleguntur. In consecratione enim episcopali Episcopi illam specificam participationem unius Christi sacerdotii tamquam donum Spiritus Sancti collatam recipiunt qua Christo Domino particulari modo ac per Ipsum inter se uniuntur atque Domino ita consecrati et configurati Eius muneris Gregem Dominicum pascendi participes fiunt. Haec proinde Episcoporum sacramentalis communio, cum in se interna sit, fundamentum permanens cuiusvis Episcoporum operis constituitur atque ipsa Episcoporum arctam coniunctionem cum Supremo Ecclesiae Pastore atque inter se continuo fovet.

Episcopus ergo legitime ordinatus, cum participationem in Christi potestate sacramentaliter collata recipit, eo ipso ad repraesentandum Dominum Magistrum et Sacerdotem in Ecclesia seu ad Gregem Domini pascendum ontologice sua ipsius natura informatur. Ut tamen talis potestas in Episcopo consecrato concrete et ad actum expedita constituatur, cum ipse eam ut membrum communionis episcopalis habeat eamque exercere debeat, quadam approbatione sociali auctoritatis hierarchicae indiget ac proinde debita coordinatione cum potestate Capitis et aliorum Episcoporum in actumdeducitur.

4. *De communione hierarchica.*—Episcopi ergo in hanc communionem modo praedicto inserti, etsi Ecclesias particulares sibi commissas ut vicarii et legati Christi pascunt [24], tamen sua munera sanctificandi, docendi et regendi in consecratione collata ex eorum ipsa natura nonnisi in hierarchica communione cum Collegii Capite et membris exercere possunt [25].

Ecclesiae proinde particulares concreditae sunt Episcopis pascendae, quatenus ipsi membra sunt huius Collegii episcopalis et qua membra eiusdem seu in debita communione cum Capite et ceteris membris Dominum in eis repraesentant et unitatem in eis promovent, etsi unusquisque tamquam vicarius Christi ac proinde nomine et potestate Christi suam Ecclesiam regit.

Haec proinde hierarchica communio, quae in se tamquam elementum constitutivum Christi Ecclesiae inde ab Apostolis in ea exsistit, in decursu tamen saeculorum diversimode in Ecclesia efficiebatur. Salvo enim principio huius hierarchicae communionis in Ecclesia, necessitudines mutuae inter munus primatiale Summi Pontificis et munus aliorum Episcoporum in suo exercitio concreto tum respectu Ecclesiae universalis tum respectu Ecclesiarum particularium labentibus saeculis magnas subierunt mutationes. Oportet igitur ut data occasione exercitatio concreta huius communionis hierarchicae pro determinata aetate historica communi Pastorum examini subiciatur. Sic «integre manente potestate Primatus in omnes sive Pastores sive fideles» [26] apta distinctio stabiliatur inter elementa essentialia et alia historice superaddita, ut illa notio authentice evangelica purificetur, quae, peculiaribus adiunctis nostri temporis melius respondens, ad concretam applicationem perducatur. Haud tamen facile est opus tam in ordine doctrinali quam in ordine disciplinae sacramentorum et regiminis pastoralis praedictae communionis hierarchicae mutabilia ab immutabilibus discernere, cum periculum illa nimis extendendi vel haec nimis restringendi ex utraque parte aequo reale sit. Inde opportunitas ac utilitas huius Synodi in Coetum Extraordinarium congregatae, in qua de argumento tanti momenti in vita Ecclesiae disceptabitur.

III—De collegiali episcoporum opere

1. *De peculiari munere Collegii et sui Capitis.*—Christus Dominus Ecclesiam suam et Petro et ceteris Apostolis diversimode sed indissolubiliter unitis pascendam concredidit. In hac mutua relatione Petri et ceterorum Apostolorum, utraque pars suum proprium munus implendum habet.

Tum Supremo Pastori tum Episcopis cunctis munus visibiliter firmandi Ecclesiae unitatem competit, sed modo cuique proprio vi peculiaris missionis, ab ipso Domino ipsis concreditae. Cum haec unitas, cuius Principium ipse Spiritus Sanctus est [27], agnoscitur, alia etiam elementa constitutiva a Domino, tamquam dona Spiritus hierarchica et charismatica, iam ab Apostolis secumfert, qualia sunt Sacrae Scripturae, authentica revelationis et fidei christianae documenta, oeconomia sacramentorum, totum ministerium ecclesiasticum et gratiae speciales, quas Spiritus inter omnis ordinis fideles ad renovationem et ampliorem aedificationem Ecclesiae distribuit. Officium muneris primatialis et episcopalis tamquam fundamentum unitatis in hoc ordine ministerii sacri exercetur.

Quod eo aptius fiet, quo arctior erit etiam coniunctio Summi Pontificis cum Episcopis, suis Fratribus, in exercitio proprii muneris, id est quo magis et alacrius totus catholici orbis Episcopatus pastoralem sollicitudinem pro universali Ecclesia participabit.

2. *De natura et exercitio potestatis supremae Ecclesiae.*—Cum Episcopi «omnes simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentent in vinculo pacis, amoris et unitatis» [28], iis incumbit missionem unius et universalis Ecclesiae unitatem et diversitatem simul includentem, ita recte efficere, ut vitetur ne una tantum excolatur, altera exclusa. Quinimmo neque unitas ita est reapse fovenda, ut legitima diversitas grave detrimentum patiatur; neque talis diversitas propugnetur ac exerceatur, qua unitas Ecclesiae periclitetur.

Aptior itaque modus exercendi supremam potestatem in Ecclesia, quo eius unitas ac diversitas penitius actuentur et exprimantur, erit exercitium huius potestatis per Supremum Pastorem una cum Collegio Episcoporum —in quo tamen Supremus Pastor suum munus Vicarii Christi et Pastoris Ecclesiae universalis integrum servat— quia tali in casu communio sacramentalis Episcoporum inter se et cum Romano Pontifice in hoc Collegio episcopali hierarchice constituto etiam sub eius aspectu visibili luculentius demonstratur.

---

[1] Cfr. Decret. *Christus Dominus*, I, 5: *A. A. S.* 58, 1966, 675 [LE 3332]
[2] *Ibidem*, III, 37-38: *ibidem*, 692-694.
[3] Cfr. *Ordo Synodi Episcoporum celebrandae recognitus et auctus*, IV, art 22 ; § 2 [LE 3762].
[4] Cfr. Alloc. Pauli VI habita ad Em.mos Purpuratos Patres et Exc.mos Praesules e Synodo Episcoporum, primo coacto coetui operam navantes, die 30 sept. 1967: *A. A. S.*, 59, 1967, 969.
[5] Cfr. Alloc. Pauli VI altera Concilii Oecumenici Vaticani II inchoata periodo, die 29 sept. 1963: *A. A. S.*, 55, 1963, 848 [LE 3130].
[6] Const. *Lumen gentium*, I, 1: *A. A. S.*, 57, 1965, 5 [LE 3232].
[7] Const. *Lumen gentium*, I, 4; S. *Iren.*, Haer. III, 24, 1: *P. G.* 7, 966 B; *Harvey*, 2, 131: ed. Sagnard, Sources Chr., p. 398.
[8] Decret. *Unitatis redintegratio*, I, 2: *A. A. S.*, 57, 1965, 5 [LE 3235].
[9] Const. *Lumen gentium*, II, 9: *A. A. S.*, 57, 1965, 14 [LE 3232].

[10] Const. *Lumen gentium*, II, 13: *A. A. S.*, 57, 1965, 17. [11] Cfr. Const. *Lumen gentium*, I, 1: *A. A. S.*, 57, 1965, 5. [12] Const. *Lumen gentium*, III, 9: *A. A. S.*, 57, 1965, 14. [13] Const. *Lumen gentium*, III, 18: *A. A. S.*, 57, 1965, 21-22. [14] Const. *Lumen gentium*, III, 18: *A. A. S.*, 57, 1965; *Lumen gentium*, IV, 32: *A. A. S.*, 57, 1965, 38. [15] Cfr. Const. *Lumen gentium*, IV, 32: *A. A. S.*, 57 1965, 38. [16] Cfr. Const. *Lumen gentium*, IV, 32: *A. A. S.*, 57, 1965, 38.

[17] Cfr. Const. *Lumen gentium*, III, 24: *A. A. S.*, 57, 1965, 29. [18] Const. *Lumen gentium*, III, 18: *A. A. S.*, 57, 1965, 21. [19] Const. *Lumen gentium*, III, 23: *A. A. S.*, 57, 1965, 27. [20] Cfr. Const. *Lumen gentium*, III, 23: *A. A. S.*, 57, 1965, 27. [21] Cfr. Const. *Lumen gentium*, III, 27: *A. A. S.*, 57, 1965, 24-27.

[22] Cfr. Const. *Lumen gentium*, III, 21, 22: *A. A. S.*, 57,1965, 24-27. [23] Const. *Lumen gentium*, III, 22: *A. A. S.*, 57, 1965, 26. [24] Cfr. Decret. *Unitatis redintegratio*, I, 2: *A. A. S.*, 57, 1965, 14. [25] Const. *Lumen gentium*, III, 23: *A. A. S.*, 57, 1965, 27.

http://www.obrascatolicas.com

Sed Romanus Pontifex hanc supremam in Ecclesiam potestatem, vi muneris sui, possidet eamque semper libere exercere valet [29]. Ad eius proinde iudicium spectat praefinire modum, quo «secundum necessitates Ecclesiae, decursu temporum variantes» atque «intuitu boni Ecclesiae» [30], hanc sollicitudinem pastoralem in actum deduci conveniat, scilicet sive modo personali sive modo collegiali.

Ex hac itaque doctrina false deducitur Romanum Pontificem seorsum operantem atque ipsum solum illos actus exclusive proprios exercentem —quales sunt Episcopos ad actionem collegialem vocare vel eorum coniunctam actionem approbare [31]—, eo ipso ab Episcoporum Collegio dissociatum et seiunctum agere, veluti si distinctio inter haec duo subiecta auctoritatis supremae in Ecclesia mutua et adaequata esse posset. Munus profecto primatiale ex ipsa Conditoris voluntate ad bonum totius Ecclesiae, scilicet Pastorum et fidelium, ordinatur atque adeo non ab extrinseco, sed Summus Pontifex intra ipsam Christi Ecclesiam suum ministerium Capitis Episcoporum et christifidelium semper exercet, ita tamen ut Ipse Ecclesiam universalem non nomine et potestate aliorum Episcoporum, sed nomine et potestate Christi pascat, neque tamquam delegatus vel vicarius Episcoporum Collegii, sed directe et immediate Christi Vicarius constitutus sit.

Ex altera vero parte, si Supremus Ecclesiae Pastor suam potestatem «omni tempore ad placitum» [32] seu «semper libere exercere» [33] posse dicitur, id profecto significare nequit exercitium muneris primatialis normis mere subiectivis et arbitrariis dirigi. Eius enim ministerium primatiale obiectivis normis fidelitatis, quae ad Dei verbum revelatum, ad primariam Ecclesiae constitutionem Traditionemque ecclesiasticam pertinent, subicitur. Tales igitur normae obiectivae, attentis necessitatibus totius Ecclesiae in et ex multis Ecclesiis particularibus exsistentis, quae quidem decursu temporis variant, ad maius bonum Ecclesiae sociatam catholici Episcopatus participationem in cura universalis Ecclesiae agenda definiunt. Aequa et iusta relatio inter Collegium et Caput suum huiusmodi proinde liberum exercitium muneris primatialis semper agnoscet, quod ultimo norma obiectiva verbi Domini et communis boni totius Populi Dei, in concretis rerum condicionibus assequendi, moderatur.

3. *De Episcoporum collegiali activitate in Ecclesia.*— Plures prorsus fuerunt modi, quibus Episcopi suam participationem in moderamine pastorali Ecclesiae universae una cum Romano Pontifice in actum deduxerunt. Ex una parte, totius orbis antistites, nunc singuli, nunc in Synodis congregati, praecipuas de fide et actione pastorali ortas quaestiones ad Apostolicam Sedem retulerunt. Haec solidalis Episcoporum cooperatio in sollicitudine pastorali Ecclesiae magnum influxum super exercitium muneris primatialis semper exercuit. Ex altera tamen parte Romani Pontifices, sive per Oecumenica Concilia, aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, sive per Synodos particulares, sive tandem aliis adhibitis auxiliis Ecclesiarum Pastorum opera adiutrici usi sunt ad Dei Verbum scriptum vel traditum authentice interpretandum et ad efficaciores opportunioresque reperiendos modos exsequendi curam pastoralem erga universam Ecclesiam.

Clarum est etiam diversos dari modos unionis collegialis Episcoporum cum Supremo Ecclesiae Pastore ac Collegii Capite. Datur imprimis illa actio stricte collegialis totius Corporis Episcoporum, quae in Concilio Oecumenico exercetur, quod a Petri successore et Collegii Capite qua tali saltem confirmetur vel recipiatur, admissa profecto eius praerogativa ad haec Concilia convocanda et moderanda [34] seu actionem collegialem provocandam, dirigendam et approbandam [35].

Quod attinet ad exercitium huius actionis etiam stricte collegialis Episcoporum per orbem dispersorum, consensus et actio Capitis intra ambitum sat amplum libertatis moventur, scilicet, ab ipsa Collegii invitatione, ut actum collegialiter ponat, ad meram approbationem vel liberam receptionem actionis unitae Episcoporum in orbe degentium, ita tamen ut sive ad primas partes in actione collegiali ponendas, sive ad actionem coadunatam Episcoporum approbandam vel recipiendam quod spectat, nulli humanae auctoritati Collegii Caput sit subditum.

Quaestio, tamen, exercitio huius praedictae actionis vere collegialis nullatenus exhauritur. Exercitium actionis affectus collegialis multo latius quam activitas stricte collegialis patet [36].

Episcoporum Synodi institutio novam aliam viam activitatis collegialis Episcoporum pro tota Ecclesia in exercitio eorum sollicitudinis pastoralis erga Christi Gregem apparuit, quia hoc modo vincula communionis inter Supremum Ecclesiae Pastorem et Episcopos per mutuam cooperationem et coordinationem curae pastoralis arctius astringuntur atque luculentius demonstrantur. A die 15 mensis Septembris anni 1965 per Litt. Apost. Motu Proprio datas *Apostolica sollicitudo* Synodus Episcoporum ut institutum stabile et natura sua perpetuum in Ecclesia exsistit, vi cuius via ad activitatem quandam collegialem Episcoporum panditur, quae maxime accedit ad actionem collegialem sensu stricto.

Repraesentatio enim episcopalis Collegii in Episcoporum Synodo —praesertim in Coetum Generalem congregata— vera esse videtur. Revera de hoc Episcoporum Coetu ex Episcopis totius orbis catholici coacto agens, memoratum «Motu Proprio» affirmat eumdem «partes agere totius Catholici Episcopatus».

Praeterea ad «Synodum Episcoporum suapte natura munus pertinet edocendi et consilia dandi» [37], immo «poterit etiam potestate deliberativa gaudere, ubi haec ei collata fuerit a Romano Pontifice, cuius erit in hoc casu decisiones Synodi ratas habere» [38]. Hanc etiam normam confirmans atque Episcopis primo coacto Coetui operam navantibus suam fiduciam manifestans, Paulus VI hunc tanti momenti aspectum structurae Synodi Episcoporum ulterius enodavit: «Quare, Venerabiles Fratres, si officium a vobis in hac Synodo Episcoporum explendum suapte natura est consultivum, illud tamen magnum pondus et momentum habet, sive apud Nos, qui ad hanc consultationem vos advocavimus, quippe in quibusdam casibus suffragiis vestris vim deliberativam tribuemus, sive etiam apud Ecclesiam universam, quae vos agnoscit magistros, testes et pastores populi Dei in gravissimis et peculiaribus adiunctis celsissimi vestri ministerii» [39].

Si talis est structura per Litt. Apost. *Apostolica sollicitudo* Synodo Episcoporum data, haec tamen permittit, ut «successu temporis, perfectiorem usque formam assequi poterit» [40].

Episcopi praeterea secundum varias regionum et temporum condiciones in quosdam etiam coetus inter se coaluerunt, cuius generis sunt Synodi Patriarchales, Concilia regionalia et provincialia hodieque Episcoporum Conferentiae a Concilio Vaticano II summopere commendatae ac fere in omnibus terrarum orbis nationibus iure iam institutae. De activitate collegiali harum Conferentiarum episcopalium deque earum coniunctione cum Sede Apostolica et inter se sequentes *Relationes* in hoc nostro conventu agent.

Haec ergo Concilii Vaticani II fundamentalis doctrina in nostra *Relatione* enodata de communione omnium christifidelium et de unione Episcoporum cum et sub Supremo Ecclesiae Pastore seu de sic dicta communione hierarchica, necnon doctrina de aequo et harmonico exercitio muneris primatialis et episcopalis qua principio unitatis et diversitatis in Ecclesia, ad hunc tantum scopum spectat, ut scilicet fundamentum doctrinale praemittat, in quo innixa nostra coniuncta et aperta disceptatio de argumento huius Synodi aptius procedat.

[29] Cfr. Const. *Lumen gentium*, III, 23: *A. A. S.*, 57, 1965, 27-29. [30] Motu Proprio *Apostolica sollicitudo*, II: *A. A. S.*, 57, 1965, 776 [LE 331*]. [31] *Ibidem*. [32] Alloc. Pauli VI Emmis Purpuratis Patribus et Exc.mis Praesulibus e Synodo Episcoporum, primo coacto coetui operam navantibus, die 30-9-1967: *A. A. S.*, 59, 1967, 971. [33] Motu Proprio *Apostolica sollicitudo*, Procem.: *A. A. S.*, 57, 1965, 776.

* **Relatio de parte doctrinali**, Typis Poliglottis Vaticanis 1969. Haec relatio lecta fuit die 13 Oct. 1969 coram Synodo extraordinaria Episcoporum et ab eadem Synodo die 22 Oct. 1969 probata. Adn. G. CAPRILE, *Il Sinodo dei Vescovi 1969*, Roma 1970, p. 69-155.

3792

1969 OCT 24.-SC RELIGIOSORUM, RESCRIPTUM. PART.*

CONSILIUM CUI COMPETIT VOTUM DELIBERATIVUM IN ADMISSIONE AD PROFESSIONEM SOLLEMNEM DETERMINATUR EX COMMORATIONE CANDIDATI IN CONVENTU PROPRIAE PROVINCIAE

PRECES—*Beatissime Pater*, Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum, nomine Capituli Generalis Specialis, humillime a Sanctitate Vestra implorat ut, ob causas allatas, in admissione ad professionem sollemnem:

1) votum non favorabile Capituli et Consilii conventus decisivum sit seu deliberativum, quando frater in conventu

propriae Provinciae per annum immediate praecedentem commoratus est;

2) quando vero frater extra Provinciam commoratus est, votum requiratur decisivum seu deliberativum Consilii Provinciae affiliationis. Et Deus, etc.

RESCR.—Vigore facultatum a Summo Pontifice tributarum, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, attentis expositis, pro gratia annuit iuxta preces, servatis in reliquo de iure servandis. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 24 Octobris 1969.—E. HESTON, C.S.C., *Secr.* I. Cicconardi, *adiut. a studiis*.

* Procuratori Gen. O. P., Prot. N. 12585/69: AOP 39 (1969-70) 282.

3793

1969 OCT 25.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 61 (1969) 723-726

Allocutio die 25 *Oct.* 1969 *habita in Basilica Liberiana, cum coetus haberentur extraordinariae Episcoporum Synodi:*

DE RELATIONIBUS INTER MARIAM ET ECCLESIAM

Venerati Fratelli e figli tutti carissimi in Cristo, Nessuno di noi, certamente, si stupirà di questa nostra «statio», durante il Sinodo Straordinario dei Vescovi, alla Basilica di Santa Maria Maggiore, a questo storico e venerato Santuario della pietà mariana, tanto caro alla Chiesa di Roma; e ciascuno di noi sentirà piuttosto rinascere dentro di sé uno spontaneo bisogno di effondere in pienezza la propria devozione alla Madonna, in un momento nel quale la nostra riflessione sulla nostra vocazione all'appartenenza al Corpo mistico di Cristo, che è la Chiesa, c'invita alla memoria e alla venerazione di Colei che fu del Corpo fisico del Figlio di Dio, fattosi Figlio dell'uomo, la beatissima Madre [1].

Può avvenire talora che anche noi rivestiti del sacerdozio di Cristo, assorbiti nell'intento di giustificare il culto dovuto a Maria, nella controversia e nell'apologia verso coloro che ne impugnano la legittimità, o ne attenuano le ragioni, siamo solleciti di addurre i titoli biblici, teologici, tradizionali, affettivi, con i quali si configura la devozione alla Vergine, e lasciamo qualche poco languire l'espressione vissuta e filiale della nostra pietà verso di lei, trovando forse oggi meno facile di un tempo la conversazione pia e cordiale con Maria, che per essere Madre di Cristo secondo la carne è pure spiritualmente Madre nostra, Madre della Chiesa. Ma ecco che noi, radunati nel Sinodo, o attratti interno alla sua celebrazione e ai temi che lo rendono di comune interesse, abbiamo sentito nei nostri animi un impulso felice, che ora ci guida a concludere l'assemblea sinodale vicino a Maria, sotto lo sguardo materno di lei.

Perciò, raggionando noi ancora sulla Chiesa, sulla sua essenza di comunione gerarchica, sul fatto e sul mistero della potestà generatrice conferita ad alcuni eletti e ministri del Popolo di Dio, abbiamo anche questa volta avvertito il rapporto che corre fra Maria e la Chiesa, e specialmente fra quelle membra della Chiesa, che nella Chiesa hanno le funzioni particolari di esprimere col ministero
724 della parola il Verbo / di Dio, di effondere per via sacramentale lo Spirito vivificante e santificante, di esercitare autorevolmente il servizio della guida pastorale dei fedeli nel pellegrinaggio temporale ed escatologico, cioè fra noi, Sacerdoti e Pastori, e Maria Santissima. A causa di questo rapporto siamo qui questa sera adunati.

Un rapporto di analogia: Maria è la Madre di Cristo, la Chiesa è la Madre dei cristiani; e quanto più questo aspetto della Chiesa si fa evidente, quanto più il mistero dell'Incarnazione dal suo momento epifanico, Betlemme, si riflette, nella sua estensione storica, in ogni Chiesa locale e in questa Chiesa Romana, specialmente in questa Basilica, chiamata «la Betlemme di Roma» [2], allora tanto più facile e tanto più doveroso diventa l'accostamento fra Maria e la Chiesa, il confronto, la parentela. Qui ricordiamo tutti un pensiero basilare della teologia e della devozione mariana, un pensiero antico, che il Concilio ci ha richiamato [3], quello di S. Ambrogio, che definisce Maria il «typus Ecclesiae» [4] e ancora: «figura Ecclesiae» [5], a cui S. Agostino fa eco: «Ipsa (Maria) figuram in se sanctae Ecclesiae demonstravit» [6]; perchè la generazione virginale di Gesù è misticamente riprodotta in quella materna e soprannaturale della Chiesa rispetto ai fedeli. Parallelismo questo che ancor più ci avvicina a Maria: tutta la pienezza di grazia che fece di Maria la *tota pulchra*, la santissima, l'immacolata, non ha qualche riscontro nella ricchezza di grazia, ch'è stata versata sopra di noi, quando la sacra ordinazione ci ha assimilati a Cristo nei carismi della santità e della potestà ministeriale? Sarà sempre bello se noi faremo di Maria il nostro specchio sacerdotale, *speculum iustitiae*...

La meditazione si prolunga senza fine, e dalla sfera mistica passa a quella morale. Maria è il modello della Chiesa [7]. Ella «racchiude in eminenza tute le grazie e le perfezioni» della Chiesa [8]; quelle che noi dovremmo e vorremmo avere. Maria è maestra. È maestra a noi, che abbiamo l'ufficio d'essere, con la dottrina e con l'esempio, maestri del Popolo di Dio. E che cosa c'insegna Maria? Oh! lo sappiamo: tutto il Vangelo. / 725

Ma a noi, specialmente? oggi?

Lo studio si fa preghiera. Maria! insegna a noi l'amore; Maria ottiene l'amore; Maria, che ha concepito Cristo per opera dello Spirito Santo, l'Amore-Dio vivente, presiede alla nascita della Chiesa nel giorno della Pentecoste, quando il medesimo Spirito Santo invade il gruppo dei discepoli, primi fra questi gli Apostoli, e vivifica nell'unità e nella carità il corpo mistico e storico dei cristiani, l'umanità redenta. Siamo qua venuti per implorare, mediante l'intercessione di Maria, la perenne continuazione dello stesso miracolo, ad attingere da lei, come da sorgente, un fiume nuovo di Spirito Santo. Perché abbiamo riscoperto la comunione ecclesiale, che al livello apostolico chiamiamo collegialità, cioè un'intercomunione di carità e di efficienza apostolica, che noi vogliamo in questa fatidica età del mondo e della Chiesa meglio onorare e rendere meglio operante nel sentimento e nell'azione, mediante l'amore; quell'Amore che diede a Maria la virtù di generare Cristo, e che imploriamo per noi affinché siamo capaci di compiere la nostra missione generatrice di Cristo nel mondo. E innanzi tutto per noi lo domandiamo questo Amore, che in noi discendendo grazia si chiama e da noi risalendo in un «fiat», che fa eco a quello di Maria, è la nostra oblazione, è quella carità che speriamo non mai si estingua negli anni della vita mortale affinché arda per sempre in quella immortale.

Maria, l'amore chiediamo, l'amore a Cristo, l'amore unico, l'amore sommo, l'amore totale, l'amore dono, l'amore sacrificio; insegna a noi, ciò che già conosciamo e già umilmente e fedelmente professiamo: ad essere immacolati, come Tu lo sei; ad essere casti, cioè fedeli a quel temendo e sublime impegno, ch'è il nostro sacro celibato; oggi, ch'è così discusso da molti e incompreso da alcuni. Sappiamo che cos'è: è, ancor più che uno stato, un atto continuo, una fiamma sempre ardente; è virtù sovrumana, e perciò bisognosa di soprannaturale sostegno. Tu, o Maria, sempre Vergine, facci ora comprendere non solo la paradossale essenza di questo stato, proprio del Sacerdozio latino, e per l'ordine episcopale e lo stato religioso anche delle Chiese d'Oriente, ma il valore: l'eroicità, la bellezza, la letizia, la forza: la forza e l'onore d'un ministero senza riserva, tutto teso alla dedizione e all'immolazione nel servizio degli uomini; la crocifissione della carne [9], l'assoluta milizia del regno di Dio; Maria, aiutaci a capire di nuovo 726
questo misteriosa / chiamata all'indivisibile sequela di Cristo [10]. Aiutaci ad amore così.

E la preghiera continua. Abbiamo notato come le pagine del Concilio, a Te dedicate, o *Virgo fidelis*, riconoscono in Te una prima virtù; la prima virtù, che a Dio ci unisce, la fede. Chi penetra nel profondo della diagnosi dei bisogni di quest'ora tempestosa nella società, e per riflesso nella Chiesa di Dio, vede che ciò che più occorre alla Chiesa per essere in comunione con Cristo, e quindi con Dio e con gli uomini, prima d'ogni altra cosa è la fede, la fede soprannaturale, la fede semplice, piena e forte, la fede sincera, attinta alla sua fonte verace, la Parola di Dio, e al suo canale indefettibile, il magistero istituito e garantito da Cristo, la fede viva. O Tu, «beata che hai creduto» [11], confortaci col tuo esempio, ottienici questo carisma. Come saremmo seguaci di Cristo, se il dubbio, se la negazione mortificasse la nostra certezza? [12]. Come potremmo essere testimoni, come apostoli, se la verità della fede si oscurasse nei nostri spiriti?

E poi, o Maria, chiederemo al tuo esempio e alla tua intercessione la speranza. *Spes nostra, salve!* Anche di speranza abbiamo bisogno, e quanta! Tu sei, Maria, come conclude il Concilio la sua grande lezione sulla Chiesa di Dio [13] immagine e inizio della Chiesa, la quale dovrà avere il suo compimento nell'età futura, così sulla terra, risplendi ora innanzi al Popolo di Dio quale segno di certa speranza e di consolazione, o *Mater Ecclesiae!*

[1] Cfr. S. Agostino, *PL* 40, 399. [2] Grisar. [3] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium* n. 63 [LE 323*]. [4] *PL* 15, 1555. [5] *PL* 16, 326. [6] *PL* 40, 661.

[7] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 53. [8] Oliet. [9] *Gal.* 5, 24. [10] Cfr. *Mt.* 19, 12. [11] *Lc.* 1, 45. [12] Cfr. *Io.* 6, 67. [13] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 68.

http://www.obrascatolicas.com

3794

1969 OCT 27.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 61 (1969) 726-730

Allocutio die 27 Oct. 1969 habita Emis Patribus Cardinalibus et Exemis Praesulibus e Synodo episcoporum, laboribus iam ad finem vergentibus:

DE SYNODI CELEBRATIONE SINGULIS BIENNIS DEQUE SECRETARIAE SYNODI AMPLIORE EFFICIENTIA DONANDA

Honorati Fratres, Synodum hanc extraordinariam iamiamque absolventes, pauca Nos, conclusionis causa, vobismet significare decet.

Gratias imprimis agimus vobis, quod ipsi interfuistis: haud enim parum Ecclesiae universali prodest, quod hunc tales viri, ut vos estis, congressi sunt, maximis nempe onerati et gravissimis muneribus curationis pastoralis; quodque
727 ipsi adeo intenta ac seria cura in conventus / huius negotia una simul incubuistis. Praeter vero gratiarum actionem, laeti fatemur tantopere Nos esse delectatos assiduitate cotidiana vestra, mentis animique studio, opera atque diligentia alacriter tributa huius Synodi ponderosis et frugiferis disceptationibus.

Persuasum insuper habemus unam certe remunerationem huius frequentiae vestrae, veluti fratrum esse hisce diebus inter vos colloquium, atque mutuam experimentorum, difficultatum, expectationumque fraternarum communicationem; nec dubitamus quin magnum ceperit incrementum caritas ecclesialis, cum iterum omnes simus experti quam esset «bonum et iucundum habitare fratres in unum» [1].

«In limine expeditionis», ut ita dicamus, efferre quoque debemus naturam omnino peculiarem huius extraordinariae Synodi: etenim idcirco extraordinaria nuncupatur, quod praevlis destinata est expediendis quaestionibus de futura regiminis ecclesiastici exsecutione, rationibus videlicet canonicis constituendis quae ex duobus recentis Concilii Vaticani Secundi institutis exstiterunt, collegialitate episcoporum, ab eo tam distincte enuntiata, atque Conferentiis Episcoporum variis in gentibus et locis ab eo studiosius commendatis. Haec autem indoles peculiaris proinde definitum propositum huius Synodi extraordinariae suapte natura demonstrat alias quoque generales Synodos posthac congregari oportere, quibus alia argumenta summi momenti, quae vitam tangant ipsam Ecclesiae, pervestigentur atque pertractentur.

Ad rem quod attinet, significandum vobis censemus, Nostram fore sedulam curam —quam quidem rem gratam potius quam manifestum officium putamus— ut maxima habeatur ratio «manifestationum sententiarum», hoc est suffragiorum, quae vos, Venerabiles Fratres, hodie mane tulistis et Praesidentiae Synodi tradidistis. Si autem pars horum suffragiorum «iuxta modum» lata erit, id postulabit a Nobis diligentem considerationem, cuius conclusio Nobis mature perpendenda erit coram Christo, in intimo conscientiae Nostrae sacrario, prout munus requirit Nobis concreditum Pastoris Supremi Ecclesiae Sanctae Dei: deinde Nostra de hac re sententia vobiscum quam primum communicabitur.

Attamen iam nunc Nobis videtur vos certiores fieri posse de Nostro proposito congruenti cum vestris votis, quod
728 attinet ad convocationem Synodorum Episcopalium certis temporibus faciendam, modis ac formis iure statutis, nempe coetuum generalium vel extraordinariorum, non / exclusa etiam convocatione Synodorum specialium, si id opportunum videbitur. Placet etiam Nobis consilium vestrum, amplissimis huius coetus suffragiis comprobatum, eo spectans, ut inde ab hoc anno celebratio Synodorum Episcopalium ordinarie fiat singulis biennlis, nisi rerum adiuncta aliud suaserint.

Pariter iam nunc vobis significare possumus Nostrum esse propositum, ut Secretaria Synodi ampliore efficientia donetur. Hanc ad rem maxima habebitur ratio votorum a vobis prolatorum, quod attinet ad auxiliatricem operam —quam Nos profecto utilem arbitramur— legitimis formis opportune statuendam et a Sacris Pastoribus praestandam, qui Episcopatus in toto terrarum orbe diffusi personam gerant; per ipsos etiam argumenta significari poterunt, quorum tractatio in Synodo necessaria visa erit.

Hinc vobis pateat fiducia, quam Nos in hoc instituto collocamus, quod quidem a doctrina et spiritu Concilii Oecumenici recens celebrato suam originem duxit; hoc autem institutum non eo spectat ut potestatum aemulationem gignat vel difficultates paret efficaci atque recte ordinato Ecclesiae regimini; spectat vero ut in rem deducatur mutua Romani Pontificis et Episcoporum propensio ad fovendam arctiorem communionem et sociam operam apte ordinandam.

Haec omnia, quod ad Nos spectat, efficienda Nobis proponimus, maxima sane et humanissima observantia prosequendo munera atque graves partes, in Nostros in episcopatu Fratres recidentia, sive cum singuli cogitantur, sive cum in legitimos canonicos coetus congregati sunt; neque tamen, id agentes —ut clare patet— illa vicissim munera Nostra atque graves easque proprias in Nos recidentes partes in animo habemus Nobis abiudicare; quae munera partesque sive illud Primatus carisma ab ipso Christo in suam Ecclesiam Petro concreditum, cuius humillimi sed veri sumus successores, sive officium, potius quam ius, eiusdem Primatus fideliter exercendi Nobis iniungunt. Etenim Summus Pontifex in universa Ecclesia veluti cordi assimulandus est, cuius munus eo spectat, ut caritas, a corde proficiscens et in cor ipsum rediens, sicuti per venas diffundatur; Ipse pariter aliquod viarum compitum dicendus est caritatis, quae omnes complectitur omnesque diligit: Petrum, enim, ut Sanctus Ambrosius scribit, Christus «elevandus in caelum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat» [2].

Itemque animo promptissimo sumus ad omnia legitima optata, quae / patefiant, ut locorum Ecclesiis pleniorem 729
in modum concedantur ac probentur propriae notae peculiaresque necessitates et postulata, bene apteque in rem deducto principio illo «subsidiarietatis», uti aiunt: quod sane principium postulat procul dubio ut cogitatione et re penitus usque intellegatur atque illustretur, Nosque idem in sua praecipua significatione prorsus admittimus. Attamen haudquaquam fieri potest, ut hoc principium cum quadam illius «pluralismi» postulatione confundatur, qui Fidem, morum legem et primarias Sacramentorum, necnon liturgiae et canonicae disciplinae formas laedat, eo potissimum spectantes ut necessaria unitas in universa Ecclesia servetur.

Nunc autem, iam ad finem vergentibus his diebus, quos precationi studioque omnes simul dicavimus, Nobis est cordi —neque dubitamus quin vestrum quoque omnium animum interpretemur— maxima cum reverentia omnes Episcopos, per terrarum orbem adlaborantes, et universam Ecclesiam consalutare; qua in re praecipue recogitamus sacrum clerum, cuius opera summi pretii aestimanda est ad totius christiani populi utilitatem, immo indeclinabilis momenti, ut prorsus asseveramus, censenda —ubi sedulo flagrans, ubi fidelis, ubi ordine composita fuerit— tum ad difficultates evincendas, in quas Ecclesia in hoc mundo nunc incurrit, tum ad Christi regnum in praesenti aetate confirmandum atque prolatandum. Sciant profecto dilectissimi sacerdotes nostri, se a nobis ex imo pectore intellegi, amari, fulciri, benedictione donari; sciant nos secura cum spe eorum validam adiutricem operam in christianae salutis ministerio exspectare.

Neque silentio praeterire volumus religiosorum sodalium sacrarumque virginum Familias, itemque universos alumnos, qui se praeparant ad vitam suam Dei et Ecclesiae servitio devovendam, nec non quotquot e catholicorum laicorum ordine testes et apostolos causae Christi se gerunt. At in primis sodales quoque utriusque sexus missionales hic memorare cupimus; atque, hac temporis occasione, qua corda nostra in caritate dilatantur, Christianos Fratres, adhuc a nobis seiunctos, omittere nolumus, continenter orantes atque ominantes, ut dies tandem, neque sero, illucescat, quo perfecta etiam cum illis communio in unicae Christi Ecclesiae fide caritateque instauretur.

Ad alios quoque hominum coetus nunc cogitatio Nostra convolat: ad eos, scilicet, qui in variis humani laboris campis operam praestant, ad iuvenes, ad pauperes, ad aegros: hisce omnibus, ad quos Nostrum Evangelii ministerium pertinere exoptamus, Nos ex hac Synodo amanter salutem dicimus beneque precamur. Placet etiam vota proferre Nostra / pro mundi pace Nostraque confirmare proposita eam 730
tutandi ac promovendi in iustitia et concordi incremento communis prosperitatis.

Ita sermonis Nostri sit exitus, in nomine Domini!

Sed antea volumus gratias publice etiam referre istius extraordinariae Synodi sive bene meritissimis Praesidibus, qui tam multum contulerunt ad labores ordine recteque dirigendos, sive diligenti seduloque Secretario eiusque coadiutoribus; neque, ut aequum est, aliquod saltem laudis verbum iis omnibus deesse patimur, qui diurnariis scriptoribus praesto fuerunt, et, ut ita dicamus, aliquem effecerunt pontem, per quem notitiae inter hos reconditos coetus et publicam hominum opinionem pertransierunt; quorum propterea laude admodum digna opera fuit.

Dum etiam atque etiam vos singulos universos, hic praesentes, gratulatione Nostra prosequimur, affluentia Dei munera precibus invocamus, ut bonum semen, hos dies abunde sparsum, largiter fecundetur; atque caelestis huius dignationis pignus, simulque Nostrae semper impensae amantisque voluntatis testem, Apostolicam Benedictionem vobis ac vestris cuiusque Nationibus impertimus.

[1] *Ps. 132, 1.*

[2] *Exp. sec. Luc.* X 175; *PL* 15, 1942.

3795

1969 OCT 27.-SYNODUS EPISCOPORUM, DECL. PART.*

RELATIO DE ARCTIORE CONIUNCTIONE INTER IPSAS EPISCOPORUM CONFERENTIAS

Venerabiles Patres Synodales, Nunc nobis explicite ac directe de arctiore coniunctione inter ipsas Episcopales Conferentias agendum est. Scopus huius nostrae relationis modestus est: omnes nos fatemur Conferentias Episcopales arctiore coniunctione nec non coordinatione indigere. Adsunt experientiae nostra attentione dignae, adsunt et suggestiones Secretariatui Synodi missae. Oportet ergo de utrisque vobis breviter referam.

Prius tamen consideranda est ratio coniunctionis inter ipsas nostras Conferentias. Bene scimus vitam Ecclesiae referri non posse simpliciter ad methodos hodiernas magnarum rerum moliendarum *(entreprises)*, neque ad immeditam efficaciam eiusdem operositatis, sive in campo religioso sive a fortiori in campo temporali. Recte labores nostri initium sumpserunt a theologica disceptatione circa collegialitatis fundamenta. In nostra quoque materia opus est ut prae oculis habeamus valores humanos ac religiosos qui frequenter nobis occurrunt.

I. *Communio Fidelium et Communio Episcoporum*

Schema disceptationum huius Synodi, lineamenta Constitutionis Dogmaticae *Lumen gentium* sequens, ad doctrinam circa collegialitatem pervenit post institutam considerationem de communione omnium fidelium. Collegialis communio Episcoporum ordinatur in servitium communionis fidelium quae ab illa gignitur, sustentatur, in tuto collocatur ac promovetur [1].

Ecclesiae particulares non sunt habendae quasi coetus ex quorum additione vel foederatione universalis Ecclesia constituatur. Neque habendae sunt veluti merae «partes» universalis Ecclesiae, ad instar cuiusdam administrativae divisionis, ut fieri contingit e. gr. in politica nationum ordinatione. Neque ergo sunt coetuum foederatio, neque partes tantummodo universalis unitatis. Quid ergo? Unaquaeque particularis Ecclesia, e contra, «est» Ecclesia Christi quatenus in determinato loco adest, mediis omnibus salutis certe instructa [2].

Singuli Episcopi suam Ecclesiam et omnes cum Episcopo Romano universalem Ecclesiam repraesentant, non quidem ad instar alicuius delegationis populi potestatis, sed prorsus quatenus pastores sunt. Et hoc ad Episcopos pertinet quia, per sacramentalem ordinationem, realem configurationem cum Christo, qui Caput est Corporis Ecclesiae, acceperunt.

Haec nostrorum populorum repraesentatio fundamentum est propter quod eorum sortium participes efficimur. Quod sane ad praxim deducendum erit conditiones concretas assumendo, easque interpretando vel exprimendo.

Episcopus, ex una parte, suum evangelizandi, liturgiam celebrandi nec non populum ducendi munus utiliter exercere nequit nisi assumendo et adaequate exprimendo concretam et multiplicem realitatem suae communitatis, quam ipse participat. Altera ex parte ipse princeps remanet unitatis sponsor suae dioeceseos. Unitas tamen extruitur ex reali diversitate charismatum, pastoralium navitatum vel etiam temporalium optionum. Aliquid supprimere in alterius beneficium, aut differentias ignorare —nisi quantum rectus ordo boni communis expostulet— esset certe libramentum *(nivellement)* sumere pro unitate, populum authenticis divitiis destituere, quod sine dubio in detrimentum cederet totius communitatis christianae quae iure merito ab Episcopis testimonium expectat.

Episcopus sive in propria dioecesi sive in sua Episcopali Conferentia, haec in Conventibus regionalibus vel internationalibus, Romanus Pontifex vel, cum ipso, Episcoporum coetus, quoad universalem Ecclesiam, munere potiuntur huius discretionis, assumptionis et expressionis valorum nec non diversitatum Populi Dei [3]. Hoc tantum modo extruitur unitas in multiplicitate, ope libertatis et caritatis, quod sane minime excludit exercitium ministerii auctoritatis pastoralis, immo ei potius favet. Hoc valet, etiamsi frequenter hae divitiae et emolumenta videantur exaggerationibus, inaequalitatibus etiam violentis aut discrimina involuta vel etiam dissimulata.

Ex his considerationibus oriri debet persuasio de natura relationum inter Ecclesias particulares ipsas nec non inter Conferentias Episcopales: ad hunc scilicet finem ut eae relationes sint revera authenticae et proficuae Ecclesiae universali, neque mere occasionales esse, neque ad pulchram comitatem redigi possunt. Opus est ut communicationes inter Conferentias habeantur, mutuae visitationes fiant, adsint vincula coordinationis nec non incepta pro egentibus Ecclesiis. Sed mutua relatio profundior ac stabilior esse debet quam adiutorium in rebus adversis concessum vel receptum, aut quam epistolare commercium inter Episcopos: pervenire debemus ad verum concursum *(rencontre réelle)* Ecclesiarum particularium. Hic concursus in actum deducitur operositate omnium membrorum earum et quidem iuxta illorum membrorum munera ac conditionem, praecipue tamen ope Episcoporum, prout personam gerentes suarum Ecclesiarum sunt. Inde consequitur ut Concilium insistat actuosae participationi cleri, religiosorum et laicorum ad Ecclesiam particularem quod attinet, et quidem ope presbyterii [4], senatus seu consilii presbyterii [5] nec non consilii pastoralis dioecesani et paroecialis [6]. Nisi haec corresponsabilitas in particulari Ecclesia revera habeatur, conventus Episcoporum concursum suarum Ecclesiarum adaequate exprimere nequeunt.

Nemo melius quam Episcopus dioecesanus scit quam difficile sit haec optata ad praxim deducere. Frequenter «indifferentia» et «individualismus» cum aliorum tum etiam noster nos praepediunt. Videtur elapsorum saeculorum «liberalismi individualistici» contagio non tantum in nationum vitam oeconomicam sed etiam in vitam nostram religiosam fortiter irrepsisse. Tamen non omnino defuit communitarius sensus in sinu particularium Ecclesiarum, et hodie pluribus in locis valde augetur.

Corollarium quod manat ex supra dictis patet: in plano ampliori relationum inter Conferentias pari modo multiplicitas in unitate consideranda est. Accurate quidem rationem habere debemus differentiarum circa expressiones sociales ac religiosas nostrarum Ecclesiarum, sive agatur de dioecesibus, sive de Episcopalibus Conferenttis. Etenim adiuncta, indoles nec non cogitandi modus valde inter se differunt, ideoque etiam paedagogica applicatio Concilii diversis conditionibus aptanda est.

Haec tamen diversitas, in quantum ad unitatem ordinata est, exigit ut contactus ac mutua cognitio augeantur atque in rebus maioris momenti Conferentiae, praecipue vicinlores vel quae similia problemata aggrediuntur, collatis consiliis agant, ut plures earum notaverunt. Nisi hoc fiat, prae oculis habitis tum mira celeritate notitiarum, tum instrumentorum communicationis non aequa sed partium studiosa ratione, timendum est ne incepta pastoralia alicuius Ecclesiae graviter alias perturbare possint, quod non est natura sua necessarium. Haec consideratio suum pondus habet quia Conferentia Episcopalis penes populum christianum talem auctoritatem pastoralem nec non doctrinalem habet ut nemini Episcoporum seorsim sumptorum, cuiuslibet auctoritatis sit vel opinionis, par agnoscatur.

II. *Collegialitas et totius generis humani unitas*

Quando in Constitutione dogmatica *Lumen gentium* universalis missio salvifica Ecclesiae iterum affirmatur, id conscie et explicite fit habita consideratione ineluctabilis propensionis mundi huius temporis versus unitatem, quod sane sensum «actualitatis» huic missioni tribuit [7]. Revera haec propensio culmen suum attingere nequit nisi in lumine oeconomiae salutis in Christo Iesu. Quapropter omnibus christianis onus incumbit maiorem religiosam unitatem fovendi in omnium hominum fraternitatis servitium. Omnino in rem cadunt verba a Summo Pontifice Paulo VI coram legatis Unitarum Nationum prolata: «Nous serions

[1] *Lumen gentium* 33 [LE 3232]. [2] *Christus Dominus* 11 [LE 3332].
[3] Concilium loquitur de Ecclesia locali in *Lumen gentium* 26 et *Sacrosanctum Concilium* 41 [LE 3141], et de Ecclesia particulari in *Lumen gentium* 23. Pro notione magis propria «Ecclesiae particularis» apud Orientales, cfr. *Orientalium Ecclesiarum* 2-4 [LE 3233]. Notio communitatis ecclesialis localis pastoraliter pluries consideratur sub voce «communitatis basis» Cfr. *Segunda Conferencia del Episcopado latinoamericano* (Medellín), II, Conclusiones, 3ª ed., Celam, Bogotá, 1969, p. 149.
[4] *Lumen gentium* 28; *Presbyterorum ordinis* 8 [LE 3365].
[5] *Christus Dominus* 17; *Presbyterorum ordinis* 7; *Ecclesiae Sanctae* I, 15-17 [LE 3457].
[6] *Christus Dominus* 17; *Ecclesiae Sanctae* I, 15-17; *Christus Dominus* 30; *Presbyterorum ordinis* 9.
[7] *Lumen gentium* 1.

http://www.obrascatolicas.com

tenté de dire que votre caractéristique reflète en quelque sorte dans l'ordre temporel ce que nostre Eglise catholique veut être dans l'ordre spirituel: unique et universelle» [8].

Haec aucta «interdependentia» magis in dies facit ut omnia magna hominum problemata quasi communia evadant, sive sub aspectu conflictionis, sive ad solutiones quaerendas quod attinet. Concilium ipsum hoc magnum signum passim commemorat [9].

Assueti hucusque eramus imagini uniuscuiusque Episcopi ordinarii, sub Romani Pontificis auctoritate constituti, et fere unice de propria dioecesi responsabilis. Omnes nos conscii sumus quam difficulter his novissimis annis necessitatem Episcoporum Conferentiarum accepérimus. Periculum nobis imminebat interventus in nostra propria locali competentia. Rerum tamen adiuncta nec non practica emolumenta huiusmodi institutorum nobis persuaserunt; multiplices enim ac permanentes mutuae relationes fidelium intra fines nationis luculenter commonstrarunt impossibile esse magnis problematibus pastoralibus nostrarum Ecclesiarum occurrere nisi consociatis viribus omnium fidelium eiusdem ditionis, sub ductu Pastorum.

Haec tamen persuasio nondum sufficienter attingit campum internationalem et totius mundi. Nondum plane intelligimus quam vim habeat ad nostram episcopalem navitatem factum aliunde evidens, id est accelerata progressio totius mundi versus unitatem. Zelus noster pastoralis adhuc nimis sistit in aedificatione nostrae dioecesis, considerata quasi missio omnino definita et exclusiva nobis a Deo mandata. Aliquid simile mutatis mutandis accidit parochis nec non religiosis familiis. Quae explicari poterant quando unusquisque pro rerum adiunctis vitam agebat segregem, vel etiam quod «individualismo» illo ducebatur.

Hae tamen agendi rationes si adhuc protraherentur, lumen Ecclesiae tamquam signum universalis unitatis obnubilare possent, et proprie quidem cum hoc signum necessarium agnoscitur. Testimonium nostrum apud fideles magnum pondus habet. Sumamus exemplum. Concilium, Ecclesiae Patres, Romani Pontifices et praesertim Paulus VI, qui edidit Encyclicas Litteras *Populorum progressio*, omnes christianos vocant ut faciant ingentes conatus ad iustitiam socialem in nostris nationibus stabiliendam, et ad internationalem iustitiam inter egentes et ditiores nationes inducendam. Catholici vero non raro indifferentes sese praebent. In campo internationali factum mirandum invenimus: fideles nempe ditiorum nationum generose adiuvant incepta ordinis religiosi Ecclesiarum sic dicti «tertii mundi», quia traditio pertinens ad cooperandum in opere missionario apud eos vivida remanet, simul tamen indifferentes immo hostiles sese praebent quod attinet ad consilia seu «programmata» suorum civilium moderatorum spectantia ad progressum ipsorum populorum «tertii mundi», sicut etiam quod attinet ad ipsa internationalia instituta progressionis a Romano Pontifice et a Concilio Oecumenico tantopere commendata. Quaerere possumus num haec et similia ab ipsis nostris agendi rationibus procedant, vel saltem nostro silentio fulciantur. Quam solliciti revera sumus omnium Ecclesiarum, nec non omnium mundi populorum?

Concilium tamen, nostris quidem suffragationibus, nos ad exercitium universale Episcopatus vocat. Effectus eteenim consecrationis episcopalis prorsus est incorporatio in Collegium [10]. Maius tamen pondus tributum prioritati collegialis muneris episcopalis et quidem vi sacramenti, nihil detrahit de iis quae supra dicta sunt de Episcopo tamquam principio unitatis in Ecclesia particulari. Natura ipsa vitae ecclesialis, quae concretionem expostulat in communitate ac loco determinatis, ratione praecipue Eucharistiae, hanc praesentiam collegii per Episcopum unitatem inducentem requirit. Concilium Vaticanum II docet nos quanti pretii sit significatio Ecclesiarum particularium «in quibus et ex quibus Ecclesia exsistit» [11].

Manifestum est aliquos Episcopos sese devovere ex integro posse suo muneri episcopali pro universali Ecclesia neque cuidam dioecesi specifice destinari. Sic quoque intelligere possumus quomodo nos Episcopos, licet simus cuidam particulari Ecclesiae addicti, non hac de causa ad istam tantum coarctari: munus enim accepimus quod natura sua ad bonum Ecclesiae universalis ordinatur. Sed ipsa nostra pro assignato grege navitas informari debet conditione membrorum collegii, qua induimur. Unde consequitur ut pastoralis activitas in dioecesi necessario respicere debeat totam Ecclesiam, et positive quidem. Communio hierarchica non tantum postulat communionem cum collegii capite, sed etiam cum ceteris membris eiusdem. Ad hoc munus rite implendum opus est ut habeamus verum affectum collegialitatis, conscientiam scilicet lucidam circa hoc quod Ecclesia particularis non nisi manca est et imperfecta, nisi vivam communionem cum aliis Ecclesiis particularibus ineat, sic ad vitam universalis Ecclesiae conferendo, quod praecipue in hodiernis adiunctis magnum momentum habet.

Nec dicta sufficiunt. Laborare debemus ut clerus ac laici ad eamdem persuasionem perveniant, nec mirentur si Episcopus hac de causa quandoque extra dioecesim in servitium magis universale Ecclesiae versatur, quippe qui et ipsi in eumdem servitium assumpti vel eius participes effecti sint. Concilium hanc persuasionem sacerdotibus inculcat nam «donum spirituale quod... in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis «usque ad ultimum terrae», nam quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae» [12]. Simili modo docet Concilium de toto Populo Dei [13] et specialiter de laicis [14].

III. *Orientationes Concilii: obligationes*

Immediate postquam Constitutio *Lumen gentium* munus circa unitatem, tum Romani Pontificis tum Episcoporum, sive ad universalem Ecclesiam quod attinet, sive ad particularem inculcavit, doctrinale fundamentum exponit responsabilitatis omnium Praesulum circa totam Ecclesiam:

«Singuli Episcopi qui particularibus Ecclesiis praeficiuntur, regimen suum pastorale super portionem Populi Dei sibi commissam, non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem exercent. Sed qua membra Collegii episcopalis et legitimi Apostolorum successores singuli ea sollicitudine pro universa Ecclesia ex Christi institutione et praecepto tenentur, quae, etiamsi per actum iurisdictionis non exerceatur, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum. Debent enim omnes Episcopi promovere et tueri unitatem fidei et disciplinam cunctae Ecclesiae communem, fideles edocere ad amorem totius Corporis mystici Christi, praesertim membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cfr. *Mt.* 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur. Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut portionem Ecclesiae universalis, ipsi efficaciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod est etiam corpus Ecclesiarum» [15].

Prima et ultima sententia obligationem Episcopi incul cant propriam dioecesim curandi: eius responsabilitates extra dioecesim eidem nocumentum afferre non debent. Haec ipsa tamen pastoralis cura ad totalem communionem tendere debet. Si bene suam dioecesim gubernat «ut portionem Ecclesiae universalis», bene, inquam, quia et eam in seipsa considerat et veluti partem magnae Ecclesiae, tunc valde proderit et ipsi et omnibus.

Iam vidimus superiorem numerum Constitutionis declarare Collegium, scilicet Episcoporum coetum cum Papa, «subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam» esse, atque addere omnes Episcopos «propria potestate in bonum fidelium suorum immo totius Ecclesiae» fungi. Suprema potestas qua in totam Ecclesiam Collegium pollet, exerceri nequit nisi in hierarchica communione cum Romano Pontifice, cuius est Concilium convocare nec non consociata incepta Episcoporum etiam dispersorum, ut veri actus collegialis evadant, approbare vel recipere.

Actuale iurisdictionis exercitium Episcopi locum habere nequit nisi ubi et quatenus ad hoc «canonicam missionem» acceperit, ut legitur in fine numeri vigesimi quarti. Attamen collegialis responsabilitas fundamentum praebet numero vigesimo tertio ad inculcandam uniuscuiusque Episcopi obligationem cooperandi cum Romano Pontifice aliisque in Episcopatu fratribus in communi officio annuntiandi evangelium ubique terrarum, atque subveniendi omnibus Ecclesiis, praecipue vicinioribus et egentioribus.

Haec fundamentalis declaratio, adhuc generalis, in aliis documentis conciliaribus iteratur atque singillatim explicatur. En quaedam exempla:

Circa Sacram Liturgiam: Episcopi eiusdem ditionis vel linguae, consociatis viribus S. Liturgiam promovere et ordinare debent [16].

Circa auxilium inter Ecclesias: Omnis generis adiutorium pro evangelizatione et apostolatu, etiam bonorum propriorum abnegatione nec non personali deditione in favorem missionum et regionum cleri penuria laborantium [17]. Fraterna cura Episcoporum qui persecutionem patiuntur [18]. Aptior cleri secundum necessitates distributio [19].

Circa Missiones: Episcopi, in bonum totius Ecclesiae consecrati, missionibus favere debent, sensum missionarium nec non vocationes excitando, sive seorsim sive in Conferentiis coadunati [20].

Circa oecumenismum: Actio oecumenica »... Episcopis ubique terrarum commendat, ut eadem promoveatur sollerter, et prudenter ab ipsis dirigatur» [21].

Circa pacem in mundo stabiliendam: «... totius populi Dei est, Episcopis verbo et exemplo praeeuntibus, miserias huius temporis pro viribus sublevare, idque, ut antiquus mos ferebat Ecclesiae, non ex superfluis tantum, sed etiam ex substantia» [22]. Ipsis speciali modo competit unitatis humanae promotio illustratione valoris rerum terrestrium illarumque recti usus ac fraternae distributionis [23].

His et aliis explicitis verbis addendae sunt ad clerum, ad religiosos, ad laicos nec non ad omnes bonae voluntatis homines exhortationes, quae, ut merito aestimatur, sunt a nobis Episcopis, qui Concilio interfuimus, sollerter transmissae et incessanter iteratae.

Supposita theologia Ecclesiae particularis nec non collegialis responsabilitatis erga universalem Ecclesiam, omnia haec nostra munera duplicem induunt aspectum: et particularem Ecclesiam in servitium totius Populi Dei informandi et cum ceteris Episcopis in eodem ministerio cooperandi.

IV. *Orientationes Concilii: suggestiones ad affectum collegialem exercendum*

Modus quo affectus collegialis inter particulares Ecclesias exerceri potest secundum temporum locorumque varia adiuncta, non parva diversitate est praeditus. Constitutio *Lumen gentium* institutum orientalium Patriarchatuum prae oculis habet, nec non Episcopales Conferentias, quae «hodie multiplicem atque fecundam opem conferre possunt, ut collegialis affectus ad concretam applicationem perducatur», valde commendat [24].

Decretum *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia*, cui accedunt Litterae *Ecclesiae Sanctae*, post Concilium motu proprio datae, aliqua emolumenta Conferentiarum Episcopalium iam experientia comprobata in memoriam revocant, lineamenta generalia pro earumdem constitutione praebent, nec non vim ac limites iuridicae earum potestatis saltem aliquo modo definiunt [25]. Nostra praesertim interest id quod dicitur de mutuis relationibus inter ipsas Conferentias. Concilium duas res breviter enuntiat: «Ubi peculiaria adiuncta id postulent, Episcopi plurium nationum, Apostolica Sede approbante, unam poterunt Conferentiam constituere. Foveantur insuper relationes inter Conferentias Episcopales diversarum nationum ad maius bonum promovendum ac tuendum» [26].

Litterae *Ecclesiae Sanctae* motu proprio datae, ad magis particulares res descendunt [27]. Omnis Episcopalis Conferentia varias nationes complectens indiget Apostolicae Sedis approbatione, cuius est etiam peculiares normas pro iis statuere. Si Conferentiae internationales actiones inire velint, oportet ut Apostolica Sedes praemoneatur. Forsitan quis hos limites aegre ferat. Si vero obiective considerentur, bene exprimunt theologicam communionis structuram, qua scilicet particulares Ecclesiae Romanam Sedem agnoscunt ut eam «in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus» [28]. Perspicue observatum fuit claram affirmationem pontificalis primatus in Concilio Vaticano I, pericula «separatismi» temporum anteactorum (veluti «gallicanismum», «iosephinismum», «febronianismum»), quorum memoria adhuc in mentibus Patrum Concilii haerebat, expulisse, et sic Ecclesiarum particularium novam aestimationem et vim possibiles reddidisse [29].

In schemate praeparatorio huius Synodi commendationes afferuntur quae in motu proprio *Ecclesiae Sanctae* continentur. En textus:

«Rationes inter Conferentias Episcopales praesertim finitimarum nationum opportunis et congruentibus modis haberi poterunt per earumdem Conferentiarum Secretariatus. Inter alia, haec praesertim spectare poterunt:

a) communicare praecipuas agendi rationes praesertim in re et actione pastorali;

b) transmittere scripta vel folia, quae decisiones Conferentiae referant vel acta seu documenta, quae ab Episcopis communi consilio edantur;

c) significare varia apostolatus incepta, a Conferentia Episcopali proposita vel commendata, quaeque utilia esse possint in casibus similibus;

d) proponere graviores quaestiones quae, hodiernis temporibus et in particularibus adiunctis, maximi momenti esse videantur;

e) indicare pericula vel errores in propria natione serpentia, quae in alios etiam populos irrepere possint, ita ut apta et opportuna subsidia adhibeantur ad illa praecavenda vel auferenda, vel coarctanda, et his similia» [30].

Decretum *Christus Dominus* mentionem quoque facit de opportunitate commitendi aliquibus Episcopis institutiones quasdam actionis pastoralis pro pluribus dioecesibus vel etiam pro tota natione. Hoc significare videtur Episcopos designari posse ad ea munera obeunda, quibus se ex parte vel etiam ex toto dant [31].

Ipsum pariter Decretum, posito fundamento quod numero vigesimo tertio Constitutionis *Lumen gentium* praebetur, de Synodo Episcoporum loquitur in qua «Episcopi e diversis orbis regionibus selecti... Supremo Ecclesiae Pastori validiorem adiutricem praestant operam in Consilio», quod «... utpote totius catholici Episcopatus partes agens, simul significat omnes Episcopos in hierarchica communione sollicitudinis universae Ecclesiae participes esse» [32].

V. *Experientiae circa relationes inter Episcopales Conferentias*

Novissimis temporibus, praesertim inde a Concilii celebratione, hae relationes auctae sunt nec non arctiores evaserunt. Earum natura non parva varietate exprimitur, quae scilicet ab occasionalibus contactibus, ad institutionem Consiliorum vel immo Foederationum Conferentiarum nationalium, et denique Internationalium Conferentiarum perducitur. Quae sequuntur, exempla quaedam exhibent harum experientiarum, non tamen audemus ea tamquam rem exhaurientia proponere. A Secretariatu Synodi elenchum expectamus ubi certe notitiae inveniantur circa iam conditas Conferentias nec non earum consociationis formas.

A) *Contactus occasionales inter Conferentias.*

1. Necessitas versiones ad usum liturgicum conficiendi occasionem praebuit ut Conferentiae eiusdem linguae Commissiones communes constituerent [33].

2. In quibusdam nationibus finitimis, e. gr. in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canadia, praxis inducta est conventus periodicos habendi aliquorum Episcoporum Conferentias repraesentantium, ad communia themata ponderanda.

3. Ubi problemata prorsus communia oriuntur, periodicae consultationes inter Commissiones analogas diversarum Conferentiarum habentur, ut fit e. gr. circa quaestiones de migrationibus penes Episcopales Conferentias Europae.

4. Adiutorium ecclesiale, sive destinatione personarum, sive pecuniaria sollicitudine, opportunitatem praebet conventuum utriusque partis, ut plerumque fit in casu Americae Latinae. Commissiones Episcoporum ex Europa frequenter ad programmata coordinanda convenerunt. Pontificia Commissio pro America Latina (CAL), anno 1958 instituta, inde ab anno 1964 Generale Consilium habet quo quotannis conveniunt Episcopi ex Europa, America Septentrionali nec non ex America Latina. Inde ab anno 1967 bis in anno Episcopi ex America Septentrionali et America Latina conveniunt. Hi omnes conventus, quorum primum et nativum munus promotio auxilii fuit, paulatim instrumenta communicationis experientiarum circa vitam, relationes nec non Ecclesiarum mutua officia evaserunt.

5. Notandi quoque sunt conatus Ecclesiarum particu-

[8] Cfr *Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum II, Constitutiones, Decreta, Declarationes*, Typis Polyglottis Vaticanis, 1966, p. 1021.
[9] Cfr Speciali modo *Gaudium et spes*: pro visione generali, n. 4, par. 2 et 4; et passim pro adspectibus particularibus, v. g., pro vinculo sociali, n. 25, par. 2; pro vinculo culturali, n. 54; etc. [LE 3366].
[10] Cfr *Lumen gentium* 22: «Membrum Corporis episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris». [11] *Lumen gentium* 23.

[12] *Presbyterorum ordinis* 10. [13] *Lumen gentium* 11, 3. [14] *Apostolicam actuositatem* 14 [LE 3346]. [15] *Lumen gentium* 23, 2.

[16] *Sacrosanctum Concilium* 22 et 39; *Inter Oecumenici* 23 [LE 3217].
[17] *Christus Dominus* 7. [18] *Christus Dominus* 7.
[19] *Presbyterorum ordinis* 10. [20] *Ad gentes* 38. [21] *Unitatis redintegratio* 4.
[22] *Gaudium et spes* 88 [LE 3366]. [23] *Christus Dominus* 12; cfr *Lumen gentium* 13. [24] *Lumen gentium* 23, 4; Cfr. *Christus Dominus* 11. [25] *Christus Dominus* 37-38; *Ecclesiae Sanctae*, I, 41-42 [LE 3457]. [26] *Christus Dominus* 38, 5. [27] *Ecclesiae Sanctae*, I, 41. [28] S. Augustinus, *Ep.* 43, 3, 7, C. S. E. L. 34, pp. 90, 91s. [29] Cfr *Lumen gentium* 13, 2. [30] *Ecclesiae Sanctae*, I, 41, 3. [31] *Christus Dominus* 38, 3; 42; 43. [32] Cfr *Inter Oecumenici* 40, c.

larium et nationalium ad sua incepta coordinanda in campo beneficentiae nec non socialis promotionis, e. gr. ope institutionum, e quarum genere sunt, *Caritas Internationalis* et *Cooperation Internationale pour le développement socio-economique*, in urbe Bruxellis recens condita, quae varias non parvi momenti institutiones catholicas pro «tertii mundi» progressione consociat.

6. Sive institutionum catholicarum internationalium multiplicitas, sive necessitas praesentiae christianorum in pluribus «organizationibus intergubernamentalibus» ac privatis, indolis internationalis, inter Episcopales Conferentias consultationes exigunt et contactus ad hoc ut communes fiant voluntatum operumque directiones, collatis consiliis cum Apostolica Sede eiusdemque legatis apud internationales coetus.

B) *Conferentiae Episcopales Internationales.*

Ad mentem Decreti *Christus Dominus* [34], Episcopi nonnullarum nationum finitimarum vel quorum conditiones similes sunt, Episcopales Conferentias omnibus communes constituerunt. Exempla exhibentur in elencho Praesidum Conferentiarum in hac Synodo praesentium.

C) *Aliae formae Conventuum internationalium: Consilium, Symposium, Foederatio.*

Omnino notanda est differentia quae inter Conferentias et Consilia plurium nationum intercedit.

Conferentia proprie dicta omnes territorii Episcopos saltem residentiales complectitur, nec non Commissiones statuit in servitium omnium nationum, qua in re non opus est ut in unaquaque natione eaedem instituantur. Pariter decisiones edere potest quibus dioeceses omnes adstringuntur, praevia approbatione S. Sedis, secundum actualem ordinationem Conferentiarum Episcopalium [35].

Consilium Episcopale internationale vero, tantummodo ex uno vel duobus Episcopis uniusciusque Conferentiae vices gerentibus constat, et est tantum organum servitii et coordinationis absque iuridica potestate super Conferentias quae eiusdem sunt membra, neque super dioeceses in illis Conferentiis collectas. Consilium, ipsius membrorum approbatione, qui sane vota suarum Conferentiarum exprimere debent, condere potest Commissiones vel Instituta in servitium omnium Conferentiarum in ipso coadunatarum; in unaquaque Conferentia Commissiones pro respectiva ratione remanere solent.

Consilium Episcopale Latinoamericanum (C. E. L. A. M. anno 1955 conditum, experimentum praebet magis notum in hac re. Ratione eius momenti, nam 23 Episcopales Conferentias complectitur, intra quarum limites tertia pars catholicorum totius orbis degunt, «appendicem» fusiorem huic relationi annexam invenire potestis. Est alia associatio Conferentiarum episcopalium (CEDAC), iam ante viginti quinque annos fundata, sex nationes isthmi Americae Centralis complectens. Hae autem Conferentiae omnes ad C. E. L. A. M. pertinent.

Variis in regionibus Conferentiae nationales ita consociatae sunt ut quiddam amplius quam Consilium constituere videantur, nec tamen proprie attingunt conditionem internationalis Conferentiae. Huiusmodi sunt Associatio Conferentiarum Episcopalium Africae Centralis et Cameruniae (Camerunia, Congus Brazzaville, Respublica Centralis Africana et Ciadus) nec non Conferentia internationalis Episcopatus Africae Occidentalis (complectens Litus Eburneum, Dahomeyam, Guineam, Voltam Superiorem, Mali, Mauritaniam, Nigeriam, Senegaliam ac Togo).

Duo symposia Episcoporum Europae, in Neerlandia et Helvetia habita annis respective 1967 et 1969, conventus fuerunt occasionales et «informales», omni Episcopo ex Europa patentes. Videtur evidens generale votum iter arripuisse, aliqua tamen organizatione inducta, prosequendi, simul vero utendi maxima prudentia in structuris «interconferentialibus» inducendis.

Cum hoc anno Summus Pontifex Ugandam viseret, primum symposium totius Africae habitum est, ubi mens contactum aliquem permanentem inter Conferentias illius Continentis statuendi a nonnullis, ut videtur, significata est.

[33] *Cfr Inter Oecumenici* 40, c. [34] *Christus Dominus* 38, 5. [35] *Christus Dominus* 38, 4.

* **Relatio de arctiore coniunctione inter ipsas Episcoporum Conferentias**, Typis Polyglottis Vaticanis 1969. Haec relatio lecta fuit die 22 Oct. 1969 in Synodo extraordinaria Episcoporum atque die 27 Oct. 1969 adprobata. Adn. G. CAPRILE, Il sinodo dei Vescovi 1969, Roma 1970, p. 231-279; P. HAUBTMANN in *An. Can.* 15 (1971) 317-385.

3796

1969 OCT 27.-SYNODUS EPISCOPORUM, DECL. PART.*

RELATIO DE ARCTIORE CONIUNCTIONE EPISCOPORUM CONFERENTIAS INTER ET SEDEM APOSTOLICAM

«Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum (*1 Petr.* 2, 25), ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur.» Ab his verbis incipit Constitutio dogmatica de Ecclesia, quam edidit Concilium Vaticanum I [1], eaque confirmat declaratio Constitutionis dogmaticae *Lumen gentium* Concilii Vaticani II [2]. In fide autem et caritate omnes Christifideles ut unum sint, imprimis in iisdem indesinenter unum sint oportet qui a Christo, ad populum suum pascendum semperque augendum, instituti sunt ministri, scilicet Apostoli, eorumque successores, Episcopi, quibus praeposuit Petrum, eiusque successorem, Summum Pontificem.

In schemate propter hunc Coetum Extraordinarium Synodi Episcoporum composito, principia praeprimis exponuntur theologica, ex doctrina Concilii Vaticani II praesertim deprompta, quibus inconcusse probantur tum necessaria inter Apostolicam Sedem et Episcopos sicuti et Episcoporum inter se in fide et communione unitas, tum summopere petita arctior inter eosdem in una, quam ad salutem hominum Christus eis concredidit, missione adimplenda coniunctio.

Principia, quae necessitudines Episcopos Episcoporumque Conferentias inter et Sanctam Sedem regunt, certa sunt; rationes vero quibus ad effectum adducenda sunt, haud raro aliqua incertitudine laborant et ansam quandoque praebent difficultatibus. Ut coniunctio Apostolicam Sedem inter et Episcoporum Conferentias efficacior obtineatur, structurae Ecclesiae etiam considerentur, atque ita ordinentur oportet, ut bono Ecclesiae universae Ecclesiarumque particularium aptius inservire valeant. Haec enim etiam de structuris disquisitio necessaria est ad hominum evangelizationem, ad missionem scilicet Ecclesiae, ad quam, uti ab aliquibus Episcoporum Conferentiis notatum est, ipsa hominum vita ipsique qui occurrunt eventus provocant.

Unica est Christi Ecclesia, eamque Salvator noster Petro ac ceteris Apostolis diffundendam et regendam commisit (*Mt.* 28, 18 ss.) et, post resurrectionem suam pascendam tradidit Petro (*Jo.* 21, 17), cui iniunxit ut fratres confirmaret (*Lc.* 22, 32) [3]. Supremae et plenae potestatis subiectum in eadem exsistit Collegium Episcoporum, sed una semper cum Capite suo, Romano Pontifice, quocum ex divina institutione coniungitur et sine quo ne cogitari quidem potest. Supremam et plenam in eadem potestatem, vi muneris sui, Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae pastoris, habet quoque Summus Pontifex, qui licet libere semper hanc suam potestatem exercere valeat, ut Collegii Episcoporum Caput, coniunctus semper exsistit cum hoc Collegio; huius quidem Collegii unitatis principium [4] est, atque inde divinae Ecclesiae constitutionis, ideoque et iurium, quae Episcopis et Christifidelibus sunt propria, sponsor est et defensor.

Unica autem Ecclesia *in Ecclesiis particularibus et ex iisdem exsistit*, ita ut etiam Corpus Ecclesiarum dici possit [5]; in iisdem enim inest, operatur et crescit una Ecclesia Christi [6]. Ideoque Summus Pontifex super omnes particulares Ecclesias ordinariae potestatis habet principatum [7]. Episcopi autem, quibus alicuius Ecclesiae particularis cura commissa est, eidem ut vicarii et legati Christi praesunt et, sub auctoritate Romani Pontificis, eam ut proprii, ordinarii et immediati eius pastores regunt [8]. Varii itaque Ecclesiarum particularium coetus, ab Ecclesiae primordiis constituti, Patriarchatus nempe, et provinciae ecclesiasticae, et, qui nuper inducti sunt, scilicet regiones ecclesiasticae [9], una ex parte propria disciplina propriisque usibus quibus gaudent, Populi Dei diversitatem in unitate demonstrant, altera autem ex parte, corpora cum sint Ecclesiarum in quibus inest Christi Ecclesia universa, unitatem in diversitate ostendant oportet.

His summis principiis, quae breviter in memoriam revo-

[1] Const. dogmatica I *De Ecclesia Christi*: Denz., n. 1821. [2] Const. dogmatica *Lumen gentium*, n. 18 [LE 3232]. [3] Cfr Const. dogmatica *Lumen gentium*, n. 8. [4] *Ibidem*, n. 23. [5] *Ibidem*. [6] Cfr Decretum *Christus Dominus*, n. 11 [LE 3332]. [7] Cfr Const. dogmatica *Lumen gentium*, n. 22; Decr. *Christus Dominus*, n. 2. [8] Cfr Const. dogmatica *Lumen gentium*, n. 22; Decr. *Christus Dominus*, n. 2. [9] Cfr Decr. *Christus Dominus*, n. 41.

care necesse visum est, nituntur relationes quae intercedant oportet auctoritatem quae in Ecclesia universa supremum exercet potestatis ministerium inter et Episcopos qui Ecclesiis particularibus praesunt ut pastores, et quidem sive Episcopi propriam suam potestatem episcopalem exerceant singuli in Ecclesia sibi commissa, sive eandem suam potestatem exerceant plures coniunctim necessitatibus quibusdam communibus diversarum Ecclesiarum particularium actionibus collectivis providentes, ut fieri contingit in Episcoporum Conferentiis [10].

Principia quidem certa sunt, rationes vero quibus ad effectum adducenda sunt haud raro incertae, ut ipsae quaestiones huic Synodo positae aperte demonstrant.

I. Inter vota e variis Episcoporum Conferentiis in ordine ad hunc Synodi Coetum oblata, non pauca exoptant ut, servata quidem responsabilitate immediata Episcopi in propria dioecesi, Episcoporum Conferentiis ampliores tribuantur vel relinquantur competentiae, ut aptius, secundum adiuncta, reddatur ministerium Populi Dei.

Principium dictum «subsidiaritatis» a Pio XI [11], quod extollitur ut necessarium ad praestantius et efficacius in quacumque societate auctoritatis exercitium, quodque pluries in Concilio Vaticano II expetitum atque in primo Coetu Generali Synodi Episcoporum iterum affirmatum est [12], revera requirit, ne, quae ab Episcopis peragi possint, ipsorum detrahantur potestati, et ut, quae ab Episcoporum Conferentiis perfici valeant, ipsarum agnoscatur esse competentiae. Ecclesiarum enim particularium pastores proprii sunt Episcopi. Potestate autem propria, qua gaudent ut debite prospiciant illius, cuius cura ipsis commissa est, Ecclesiae particularis bono, eam coniunctam semper sciunt cum aliis Ecclesiis particularibus atque in eadem exstare ipsam Ecclesiam universam sunt memores. Hac ratione, ipsius Ecclesiae particularis sibi commissae curae providentes, insimul sollicitudinis omnium Ecclesiarum atque Ecclesiae universae sunt participes. Principium itaque «subsidiaritatis» recte intellectum, ipsius Ecclesiae naturae ratione, principium «solidaritatis» secumfert. Dici igitur potest Episcoporum responsabilitatem in bono Ecclesiae tam universae quam Ecclesiarum particularium procurando, per recte applicatum principium «subsidiaritatis» magis ad effectum adduci.

Meminisse iuvat normam, quae a Concilio Vaticano II, in Decreto *Christus Dominus* enuntiata est, n. 8, sub littera a), quae vero in praxi ut valeat, non iam est confirmata: «Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quae ad exercitium eorum muneris pastoralis requiritur, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi». Episcopi igitur per se omnem potestatem possident, quam requirit exercitium eorum muneris pastoralis in dioecesibus ipsis concreditis, et, ut iterum rem dicamus, si plerumque potestatem suam episcopalem exercent singuli pro dioecesi sibi commissa, in certis tamen casibus hanc eandem potestatem suam exercent aliqui Episcopi coniunctim pro diversis simul Ecclesiis particularibus. Coniunctim ita suam potestatem propriam exercent in Synodis particularibus, in Episcoporum Conferentiis, in quibus nempe communi consilio illis diversarum Ecclesiarum particularium prospiciunt necessitatibus, quae aequalem pro iisdem Ecclesiis requirunt ordinationem. Talis necessitatis iudicium spectat etiam ad Supremam Ecclesiae Auctoritatem, cuius quidem generali moderamini subest episcopalis potestatis exercitium.

Munus profecto Supremi Pastoris Ecclesiae universae, qui in omnes Ecclesias particulares quoque ordinariae potestatis habet principatum, requirere potest ut, si necessitas vel evidens utilitas Ecclesiae id postulet, in regimine alicuius Ecclesiae particularis aut Ecclesiarum particularium alicuius regionis interveniat certasque causas ad se trahat. Dici autem si non potest ad talem interventum requiri extraordinaria adiuncta [13], nec dicendus videtur idem habituali ratione posse usu venire. Id enim imprimis inducit principii «subsidiaritatis» applicatio ut, fide facta inferioris communitatis auctoritati, ipsi in eiusdem regimine debita relinquatur autonomia.

Sane, ut magis in specie de Episcoporum Conferentiis loquamur, cavendum est ne si eisdem ampliores potestates agnoscantur, ad distractionem unitatis in Ecclesia id perducere possit. Ast, hac unitate omnino integra servata, non paucae competentiae, ad aptius reddendum servitium Populi Dei, tribui possent Episcoporum Conferentiis, quae quidem, secundum conditiones unicuique populo proprias, eiusdem populi necessitatibus providere valeant. Novi Codicis profecto erit in hac provincia praesertim certas tradere normas, quibus revera principium «subsidiaritatis» ad effectum deducatur. Attamen, cum compositio huius Codicis post certum annorum numerum tantum compleri possit, opportunum videri potest ut iam nunc sive Episcopis singulis sive, ubi aequalis pro universa regione suadeatur disciplina, Episcoporum Conferentiis agnoscatur competentia ad ordinandas causas, quae universam Ecclesiam directe non respiciunt nec ideo unam eandemque pro universa Ecclesia ordinationem requirunt. In memoriam hic vocari possunt quae Paulus Pp. VI in allocutione, secunde Concilii periodo ineunte, de unitatis redintegratione sermonem faciens, enuntiavit principia: «Ecclesiam Christi unam esse et unam esse debere; et arcanam hanc et aspectabilem unitatem in rem deduci non posse nisi una fide, nisi participatione eorundem sacramentorum, nisi apta cohaerentia unici ecclesiastici regiminis, quamvis admitti possint alibi alii sermones, sacri ritus et a maioribus accepti mores, locorum propriae praerogativae, investigationes de rebus spiritualibus, legitima instituta, actionis vitae normae, quas quis praeoptet» [14].

Unitas Ecclesiae Christi, unitas in fide et communione, omni ope tuta reddatur atque manifeste appareat oportet.

II. Ad hanc unitatem in fide et communione firmandam, multum valent rationes quoque quibus intimior inter Summum Pontificem et Episcopos Episcoporumque Conferentias coniunctio promoveri possit. Quae rationes, uti ipsae Episcoporum Conferentiae in votis Secretariae Synodi oblatis easdem exponunt, in altera parte Schematis ab eadem Secretaria propositi indicantur sub titulo: De aptioribus formis intimae necessitudinis et appositae cooperationis inter Episcoporum Conferentias et Romanum Pontificem. Necesse non est ut de omnibus et singulis earum iterum sermo fiat, sed in iis tantum immorari intendimus quae, hodiernis in adiunctis, maioris momenti esse apparent.

1. Imprimis multum arctiori Summum Pontificem inter et Episcoporum Conferentias coniunctioni prodesse videntur relationes personales ipsum Supremum Pastorem inter et Conferentias eorumve Praesides aut delegatos. Conventus, sine sollemnitate acti, «informales», quos hodie dicunt, in quibus una cum Summo Pontifice convenirent sive omnium Episcoporum Conferentiarum Praesides, sive, certis in adiunctis, omnes alicuius Conferentiae Episcopi, non possent quin coniunctionem Episcoporum cum Supremo Pastore, atque cum iis qui eidem in sua propria missione explenda directe adiutorio sunt, firmiorem redderent. Iisdem conventibus Supremus Pastor directe pleniorem cognitionem acquireret de statu Ecclesiarum particularium deque quaestionibus quibus anguntur earum praesules; qui insuper ab eodem Supremo Pastore consilia recipere valerent. Proponunt aliquae Episcoporum Conferentiae ut semel in anno Conferentiarum Praesides apud Summum Pontificem conveniant, aliae exoptant ut quandoque, veluti post generalem Episcoporum Conferentiae congregationem, singularum Conferentiarum aut diversarum simul Conferentiarum delegati apud Summum Pontificem convocentur. Neminem fugit, quantum laboris tales conventus Summo Pontifici inferant, sed neminem quoque latet conventus huiusmodi idoneos esse, qui uberrimos pro actione pastorali communi fructus afferant quique coniunctionem Episcoporum cum Supremo Pastore magnopere firment.

2. Eadem sollicitudine ductae, exoptant non paucae Episcoporum Conferentiae ut conventibus Synodi Episcoporum quantum id fieri possit intersit ipse Summus Pontifex, non necessario quidem ut in iisdem membra Synodi alloquatur nec ut causas dirimat, sed ut propria praesentia praesertim ligamen Ecclesiae universae Caput inter et Ecclesiarum particularium praesules affirmet atque confirmet. Exoptant pariter ut per stata intervalla Coetus Synodi celebrentur, et non desunt qui petunt ut singulis annis, alii ut alternis annis, habeantur. Merito, ut videtur, aestimant celebrationes Synodi, in quibus quaestiones tractandae ab ipsis Episcoporum Conferentiis quoque proponi possint, immo in quibus «varia» quaedam proponi possint problemata, multum coniunctioni favere inter Collegii Ca-

[10] Cfr Decr. *Christus Dominus*, n. 3. [11] Pius XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*: *A. A. S.* 23, 1931, 203 [LE 1027]. [12] Cfr Oratio a D. P. Card. Felici habita in primo Generali Coetu Synodi Episcoporum: Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo, *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*, Civitas Vaticana 1967, p. 22-23 [LE 3601]. [13] Cfr dicta Zinelli, in *Conc. Vat. I: Mansi*, t. 52, col. 1105.

[14] Summi Pontificis Pauli VI allocutio, secunda Ss. Concilii periodo ineunte, d. 29 sept. 1963, habita: Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum II, *Constitutiones, Decreta, Declarationes*, Civitas Vaticana 1966, p. 915. [LE 3130]

http://www.obrascatolicas.com

put et membra. Sane, celebratio Synodi Episcoporum proprie actus Collegii Episcoporum dici nequit, sed, cum una cum Petri successore congreget Episcopos qui a diversis Episcoporum Conferentiis deputantur, formam induit actionis in qua collegialis omnium Episcoporum affectus, de quo in Constitutione *Lumen gentium* [15], ad concretam deducitur applicationem.

3. Ut omnium Episcoporum sollicitudo de bono universae Christi Ecclesiae magis in dies ad effectum adducatur, utque communio inter Supremum Ecclesiae Pastorem et Episcopos in unitate fidei tutanda ecclesiasticaque disciplina tuenda sit arctior, necesse praesertim est ut prae aliis, de iis quae ad doctrinam fidei pertinent plena habeatur inter eos consensio, immo ut ipsa quidem dissensionis species vitetur. In votis ideo est multorum ut in causis maioris momenti tractandis, vera, quantum adiuncta id sinant, habeatur inter Supremum Pastorem et Episcopos cooperatio, ut nempe, priusquam de talibus causis edatur declaratio aut decretum, Summus Pontifex eorum sententiam exquirere dignetur, sive Episcoporum Conferentias de iis interrogando, sive eorundem delegatos in Synodo audiendo, sive allo modo eos ad cooperandum vocando. Sane, agnoscunt omnes atque profitentur plenam qua gaudet Supremus Pastor in iis causis dirimendis libertatem, sed humiliter aestimant collectivam omnium Episcoporum responsabilitatem, quam Concilium Vaticanum II pluries affirmavit, hac ratione plenius affirmari atque insimul obstringi. Hac insuper cooperatione perfectior haberi potest personarum ac rerum cognitio, ad quam obtinendam Episcopi diversarum regionum Supremo Pastori magno auxilio esse possunt. Denique participes cum fuerint documentorum praeparationis, aptiores sunt Episcopi ad eadem Christifidelibus suae Ecclesiae particularis declaranda.

4. Altera ex parte, eadem sollicitudine communionis pastoralis praediti, ipsi Episcopi, et in specie Episcoporum Conferentiae, quae, munus quidem suum docendi exercentes, de gravi aliqua quaestione, quae praesertim ad doctrinam pertinet, declarationem proferre intendant, praecipue quae eiusmodi sit, ut etiam extra proprium territorium vim exserat, coniuncti etiam cum Apostolica Sede sint atque ita agant, ut ad communem cum eadem deveniant mentem communeque propositum.

5. Efficacior coniunctio inter Sedem Apostolicam et Episcoporum Conferentias ulterius, ut in schemate declaratur, varia Romanae Curiae Dicasteria respicit. Dicasteria enim Romanae Curiae ad id vocantur ut Supremae Ecclesiae auctoritati auxilium praebeant, in specie ut quae a Summo Pontifice, sed etiam ut quae ab Episcoporum Collegio, declarata vel decreta sunt, ad effectum deducant, in bonum Ecclesiae universae atque singularum Ecclesiarum particularium.

Ipsa haec eorum natura, ipse item finis ad quem instituta sunt, expetere videntur ut frequentius in eorum congregationibus generalibus partem habeant aliqui Episcopi qui dioecesibus sunt praepositi, et quidem etiam aliqui ab ipsis Episcoporum Conferentiis deputati. Hoc quidem exoptant Episcoporum Conferentiae, minime id intendentes ut propriam augeant potestatem maioremque vindicent libertatem, sed de hoc solliciti ut aptiore modo conferre valeant ad bonum Ecclesiae universae, cuius et ipsi sponsores se sciunt [16].

Ad maius Ecclesiae bonum, veram cum Dicasteriis Romanae Curiae cooperationem magnopere expetunt, et magni aestimant incepta quibus S. Congregatio pro doctrina fidei, S. Congregatio pro clericis, S. Congregatio pro institutione Catholica, S. Congregatio pro gentium evangelizatione aliaeque, sicuti et Commissiones quaedam, hanc cooperationem fovere coeperunt.

In votis etiam est multarum Episcoporum Conferentiarum ut, ubi id fieri possit, a Conferentiis instituantur Commissiones quae, ad competentiam quod attinet, Dicasteriis Romanis respondeant, utque earundem Commissionum praesides vel delegati, ubi id expediat, ad cooperationem cum iisdem Dicasteriis vocentur. Insuper, ut patet, expedit omnino ut permutatio notitiarum inter Dicasteria et Episcoporum Conferentias, cum omni sinceritate, et in mutuam sibi praestandi operam spiritu, regularis atque expedita habeatur.

Non desunt qui aestiment apud S. Congregationem pro Episcopis instituendam esse specialem Commissionem specialeve Officium, compositum praesertim ex membris ab ipsis Conferentiis electis, cuius sit de coniunctione inter Sanctam Sedem et Episcoporum Conferentias curare, colligendo nempe omnes Conferentiarum declarationes, instructiones aliaque documenta, solutiones quoque proponendo variis quae ab iisdem poni possunt quaestionibus.

A non paucis item petitur ut normae edantur quibus partes determinentur quas habent Episcoporum Conferentiae proponendis presbyteris qui ad episcopatus officium in proprio territorio aptiores videantur. Exoptant ut ita, in bonum Ecclesiarum particularium sui territorii necnon Ecclesiae universae, directe cum Sede Apostolica cooperari possint, non tantum intermedilis Legatis Apostolicis, quorum quidem partes aliunde definitae sunt.

Quae vero a permultis instanter rogantur sunt haec quae sequuntur:

1) ut nulla de causis quae vitam internam dioecesium regionumve ecclesiasticarum respiciunt, decreta ferantur, nisi auditis illarum dioecesium regionumve delegatis, immo ut, si res tractanda maximi momenti sit, ipsa provinciae aut regionis ecclesiasticae Hierarchia invitetur ad colloquium Romae habendum;

2) ut declarationes, instructiones vel decreta, quaecumque sunt, quae a Dicasteriis Romanis eduntur, ante omnem communicationem quae publicis ephemeridibus fit, mittantur ad Episcoporum Conferentias, ita ut singuli Episcopi, ope Conferentiarum, ante omnes alios, certiores reddantur de illis decisionibus et habiles efficiantur qui quaestionibus de iisdem positis, re cognita et perspecta, respondeant.

Denique ad hanc quaestionem etiam spectat aptior, quae desideratur, ordinatio Commentarii *Acta Apostolicae Sedis* aut publicatio alius Commentarii officialis, quo quidem cum Episcopis per stata intervalla communicentur documenta Summi Pontificis et Dicasteriorum Romanorum, sed et acta maioris momenti quae a variis eduntur Episcoporum Conferentiis, ea saltem quae plurimum valere possunt in aliis regionibus, in quo tandem problemata quoque delineentur quibus diversae Ecclesiae particulares obstringuntur. Omnes enim Episcopi de variarum Ecclesiarum statu certiores fieri debent, quia omnes earundem una cum propriis earum pastoribus sunt sponsores.

Huius responsabilitatis omnes conscii sumus, et ideo convenimus in hunc Coetum Synodi, quia diligimus Christi Ecclesiam, et quam maxime conferre intendimus ad bonum Ecclesiae universae et particularium, in quibus exstat, Ecclesiarum, quae hodie non raro magnis difficultatibus urgentur. Sed difficultates quae nos premunt nimis nos terrere non debent, quia vitalem quoque motum probant Ecclesiae, quam aliunde novimus divino semper fuisse sustentam patrocinio, et cuius itinerum etiam hodie Spiritum Sanctum ducem scimus.

Venerabiles Patres, In hoc Coetu Synodi, ita proponente Supremo Pastore, quaestiones moventur quae ad structuram pertinent Ecclesiae, cooperationem nempe inter diversas Episcoporum Conferentias earumque cum Apostolica Sede coniunctionem. Aestimarunt quidem aliqui magis hodie urgere quaestiones quae ipsam respiciunt fidem, cuius integritati quibusdam doctrinis detrimenta inferri scimus. Quae tamen ad Ecclesiae structuram attinent quaestiones et ipsa moveri debent, cum Ecclesia, cui Dominus depositum fidei servandum concredidit dispensationemque subsidiorum salutarium commisit, his in terris sit societas constituta et ordinata, a Petri successore et Episcopis in eius communione gubernata [17]. Sane, quae structuram Ecclesiae respiciunt, momentum habent tantum quod attinet ad fidem servandam et diffundendam, et eo pertinent ut homines cuncti aptius in dies divinum noscent salutis nuntium ex eoque plenius reapse vivant.

Ad hanc Christi vitam in omnibus hominibus dilatandam plane sese impendere intendunt omnes qui in Eius Ecclesia ministeria persolvunt; qui igitur munere suo proprio fungi potestateque cum eodem cohaerente uti debent, in eadem fide profitenda unanimi, in caritate Christi semper uniti, atque in uno opere divino perficiendo sibi invicem fraterne inservientes et inter se coniuncti.

[15] Cfr Const. dogmatica *Lumen gentium*, n. 23. [16] Cfr Decretum *Christus Dominus*, n. 6.

[17] Cfr Const. dogmatica *Lumen gentium*, n. 8.

* Relatio de arctiore coniunctione Episcoporum Conferentias inter et Sedem Apostolicam, Typis Poliglottis Vaticanis 1969. Haec relatio lecta fuit die 17 Oct. 1969 in Synodo extraordinaria Episcoporum atque die 27 Oct. 1969 adprobata. Adn. G. CAPRILE, Il sinodo dei Vescovi 1969, Roma 1970, p. 183-225; P. HAUBTMANN in An. Can. 15 (1971) 317-365.

3797

1969 OCT .. -SC CULTUS, DECLARATIO. PART.*

DECLARATIO CIRCA TEXTUS LITURGICOS INTEGRE REFERENDOS ET VERTENDOS IN VERNACULIS INTERPRETATIONIBUS CONFICIENDIS

Plures liturgicae Commissiones, quibus popularis interpretatio textuum liturgicorum commissa est, ab hac Sacra Congregatione petierunt an textus rituum instauratorum, typice editi vel edendi, debeant integre referri vel possint breviari in popularibus interpretationibus conficiendis.

Responsio ad hanc quaestionem clare continetur, saltem pro ritibus Sacramentorum, in Constitutione de sacra Liturgia, n. 63b: «In... Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones, in Rituali Romano singulis ritibus praepositae, sive pastorales et rubricales, sive quae peculiare momentum sociale habent».

Idem valet pro aliis libris: editiones officiales, nempe ad usum sacerdotis vel competentis ministri omnia continere debent quae in textu typico latino habentur; ab hac lege eximuntur libelli vel tabellae ad usum fidelium destinatae.

Huius normae ratio praesertim in eo consistit quod auctae spirituales divitiae praesentis liturgicae instaurationis praecipue inveniuntur: 1) in instructionibus pastoralibus ritibus praemissis vel interiectis; 2) in textuum biblicorum vel formularum, vel orationum ingenti copia ad libitum proposita.

Si haec omittuntur frustratur tota liturgica renovatio, et brevi fieret reditus ad illum formalismum ritualem, cui Constitutio liturgica concilialris primo medere voluit.

Quaenam sunt, tunc, facultates Conferentiarum Episcopalium?

Plures iam indicantur in singulis locis. Modo generali dici potest laborem Conferentiarum esse:

1) servare et augere divitas biblicas et euchologicas propositas a ritibus instauratis. Addere possunt proinde formulas quasdam, forsan menti et ingenio proprii populi magis accommodatas. Et tunc nova formula peculiari signo distinctivo munienda est, ut clare appareat ipsam propriam esse Ritualis talis Nationis;

2) determinare ritus, qui a rubricis committuntur definiendis Conferentiis Episcopalibus;

3) attente et benevole perpendere an aliquis ritus minus congruat cum usibus et mente populi; vel in consuetudinibus vel traditionibus localibus aliquid adsit, quod opportune «in cultum divinum admitti possit», dummodo ne ligetur cum superstitionibus et erroribus paganis et cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat (Cf. Const. de S. Lit. nn. 37 et 40) [LE 3141].

* Ad Praesides Conferentiarum episcopalium: Notit. 5 (1969) 333-334.

3798

1969 OCT .. -SC CULTUS DIVINI, RESP. PART.*

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA: 1—AD INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI. 2—AD ORDINEM MISSAE. 3—AD CALENDARIUM. 4—AD DIVERSA

I. AD INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI

1. *Utrum adhuc maneat ritus «Asperges»?* RESP.: *Affirmative.* Est enim ritus qui die dominica utiliter in mentem revocat lavacrum baptismatis. Attamen res melius determinabitur in novo Missali, ita ut ritus *Asperges* organice componatur cum actu paenitentiali Missae.

2. *Utrum color ruber in dominica Passionis adhibeatur tantum in processione palmarum?* RESP.: *Negative.* Toto die liturgico dominicae Passionis seu in palmis, scilicet a primis ad secundas Vesperas, semper adhibetur color ruber, in Missa et in Officio. Hoc valet etiam pro feria VI in Passione Domini, in qua color est ruber sive pro Officio sive pro Actione liturgica.

3. *Utrum facultas concessa religiosis bis celebrandi aut concelebrandi quando cum proprio Ordinario concelebrant, valeat etiam pro eius delegato?* RESP.: *Affirmative.* Sicut concessum est pro presbyteris qui concelebrant cum Episcopo dioecesano vel eius delegato (cf. *Inst. gen.* n. 158*d*).

II. AD ORDINEM MISSAE

4. *Quaenam est formula benedictionis finalis Missae ab Episcopo adhibenda?* RESP.: Quamvis in novo Ordine Missae nihil dicatur de hac re, Episcopi populo benedicunt in fine Missae aut formula sollemniore quae invenietur in Missali Romano, aut formula usque nunc consueta, nempe: «Sit nomen Domini benedictum... Adiutorium nostrum... (quin se signent)... Benedicat vos...» cum triplici signo crucis.

5. *Suntne adhuc servandae peculiares formulae Canonis Romani pro Missa in Cena Domini?* RESP.: *Affirmative.* In novo Ordine Missae non inveniuntur quia habentur iam suo loco, scilicet in Missali Romano ad Missam in Cena Domini, feria V Hebdomadae Sanctae.

III. AD CALENDARIUM

6. *Utrum anniversarium Dedicationis ecclesiae et sollemnitas patroni aut tituli ecclesiae in dominicam transferri possint?* RESP.: *Affirmative*, si agitur de dominica per annum vel temporis Nativitatis et de anniversario Dedicationis ecclesiae *propriae* vel de patrono *principali loci* aut de titulo ecclesiae *propriae*, quae celebrantur tanquam sollemnitates. De his celebrationibus dici possunt omnes Missae, quae concurrente populo celebrantur (cf. «*Normae de Anno lit. et de Cal.*», n. 58) [LE 3728].

Negative. Si translatio facienda est in dominicas Adventus, Quadragesimae et paschae, vel in dominicas in quibus occurrat aliqua sollemnitas Domini, B. Mariae Virginis et Sanctorum in calendario generali inscripta, vel si agitur de anniversario dedicationis ecclesiae *Cathedralis*, de patrono regionis vel nationis, de patrono secundario.

7. *Utrum Missae votivae de Iesu Christo Summo et Aeterno Sacerdote, de Sanctissimo Corde Iesu et de Corde Immaculato B. M. V., celebrari possint respective prima feria V, VI, et primo sabbato mensis, etsi occurrat memoria obligatoria?* RESP.: Possunt celebrari ad normam n. 333 Institutionis generalis Missalis romani «si qua vera necessitas id postulet in celebratione cum populo». Vera necessitas indicatur prae oculis habendo sensibilitatem et devotionem fidelium.

8. *Utrum mutandi sint tituli qui aliquam difficultatem historicam praebent aut qui in Calendario generali amplius non habentur?* RESP.: *Negative.* Unaquaeque ecclesia suum titulum servat et festum proprii titularis celebrat, etsi amplius non consideratur in Calendario generali. Quando examen instituetur pro revisione Calendariorum propriorum, tunc forsan denuo quaestio moveri posset attentis non solum critica historica, sed etiam rationibus ordinis pastoralis et spiritualis fidelium.

9. *Utrum in sollemnitatibus quae tempore Adventus et Quadragesimae occurrunt facienda sit commemoratio feriae?* RESP.: *Negative.* Nulla fit commemoratio neque in Missa neque in Officio.

10. *Quid faciendum pro Rogationibus et Quatuor Temporibus?* RESP.: Standum est ad ordinationes Conferentiarum Episcopalium aut singulorum Episcoporum sive quoad tempus sive quoad modum. Diebus quibus antea habebantur rogationes vel quattuor tempora Missa et Officium fiunt de feria aut de sanctis. Episcopus autem vel Conferentia Episcopalis praecipere valent illis diebus peculiares celebrationes quae diversae esse possunt, v. gr. ruri vel in civitatibus, et quae varia themata attingere possunt, fructus terrae, pacem, unitatem Ecclesiae, propagationem fidei, etc. Hoc in casu dicitur Missa votiva apta.

11. *Utrum mane diei 24 decembris celebrari possit Missa de vigilia Nativitatis?* RESP.: *Negative.* Dicitur Missa de feria. Notio vigiliarum penitus mutatus est. Amplius non habentur vigiliae sicuti antea intelligebantur. Nunc vespere diei praecedentis quarumdam sollemnitatum dicitur Missa propria de vigilia, quae iam pertinet ad sollemnitatem: est ergo Missa festiva.

IV. AD DIVERSA

12. *In communitatibus monasticis potestne organaedus sacerdos qui Missam concelebrare cupit, stare ad organum pro liturgia verbi?* RESP.: *Affirmative.* Valde expedit ut Missa conventualis, quae magnum momentum habet in vita spirituali communitatis, congrua sollemnitate celebretur, cum plena participatione omnium sodalium, ab unoquoque secundum Ordinem receptum (cf. *Inst. gen.*, n. 76). Organaedus verum ministerium liturgicum exercet (ibid., n. 63), quod, in casu monaci presbyteri, culmen attingit in concelebratione. His attentis, quando cartibulum (*consolle*) organi est prope scamna chori, organaedus concelebrans potest stare ad organum usque ad orationem super oblata vel usque ad *Sanctus*, postea vero circa altare consistit usque ad communionem.

13. *Utrum ope radiophonica vel televisifica transmitti possit Missa momento vel die diverso quo celebrata est.* RESP.: Hae transmissiones per se fiunt, ut hi qui Missam participare non possunt, mente et animo uniantur cum celebratione quae eodem momento peragitur. Si ob difficultates omnino graves Missam per radiophonicum vel televisificum instrumentum auscultant vel contemplant monendi sunt de huiusmodi re.

* Notit. 5 (1969) 403-406.

3799

1969 NOV 4.-SC CLERI, LIT. CIRC. AAS 62 (1970) 123-134

LITTERAE CIRCULARES AD CONFERENTIARUM EPISCOPALIUM PRAESIDES DE PERMANENTI CLERI, MAXIME IUNIORIS, INSTITUTIONE ET FORMATIONE SECUNDUM PLACITA CONGREGATIONIS PLENARIAE DIE 18 OCTOBRIS ANNO 1968 HABITAE

1. Inter ea, quae ad Sacram Congregationem pro Clericis pertinent, Constitutione Apostolica *Regimini Ecclesiae universae* hoc statuitur: «Congregatio media et subsidia quaerit, proponit et urget quibus sacerdotes ad sanctitatem assequendam contendant; studia ne intermittant, adeo ut iidem praesertim in divina revelatione, scientia theologica,

http://www.obrascatolicas.com

artibus liturgicis necnon in humanis disciplinis magis magisque edocti, fructuosius exerceant sacerdotale ministerium; instituta pastoralia promovet; curat erigendas bibliothecas pro clero; instituendos ubique statis temporibus cursus, quos vocant, pro sacerdotibus, praesertim novensilibus, ut iidem pastorales cognitiones et methodum perficiant atque amplificent, experientias apostolicas mutuo communicent, activitates pastorales coordinent». [1].

2. Quod officium ut recte impleret, Sacra Congregatio pro Clericis necessarium esse duxit peculiari examine expendere quaestionem de permanenti clericorum, potissimum iuniorum, formatione, quo efficacius ad usum deducerentur statuta hac de re a Concilio Vaticano II edita [2].

Hunc in finem, ampla quaestionum series ad Conferentias Episcopales missa est, unde cognosci possent, modo quidem vivido ac definito, cum verae et germanae quaestiones, quae ex illa permanenti formatione in variis orbis terrarum partibus oriuntur, tum ea, quae hac in re expe-
124 riendo usque adhuc sunt comperta. /

Postquam omnia responsa mature considerata sunt atque perpensa, eorum summarium propositum est, ut de eo inquireret, Coetui plenario Sacrae Congregationis pro Clericis, die 18 mensis Octobris anno 1968 acto. Ea, quae eiusdem coetus Sodales concluserunt, per has litteras cum Conferentiis Episcoporum communicantur, ut Episcopi, sive singuli sive plures coniunctim, ad eiusmodi institutionem et formationem efficiendam ordinandamque iuventur.

Considerationes generales

3. Neminem sane latet totius *Ecclesiae renovationem*, quam Concilium Vaticanum II et exoptavit et promovit, magnam partem pendere e *sacerdotali ministerio* [3], atque adeo e formatione sacerdotibus tradita, ex eiusque continuitate ac perfectione post susceptam sacerdotalem ordinationem, maxime per priores vitae pastoralis annos. Ad potiores vero partes ministerii Episcoporum pertinet, ut haec formatio tuta reddatur et excolatur altius: «Cum sacerdotalis institutio, ob recentioris potissimum societatis rerum adiuncta, etiam studiorum in Seminariis curriculo absoluto prosequenda atque perficienda sit, Conferentiarum Episcoporum erit in singulis nationibus aptiora media adhibere, cuiusmodi sunt pastoralia Instituta cum paroeciis opportune selectis cooperantia, conventus statis temporibus cogendi et accommodatae exercitationes quarum ope iunior clerus sub aspectu spirituali, intellectuali et pastorali in sacerdotalem vitam atque apostolicam operositatem gradatim introducatur easque in dies magis renovare ac fovere valeat» [4].

4. Hi tres *aspectus sacerdotalis formationis* —*spiritualis*, *intellectualis*, *pastoralis*— intime, et apte convenienterque inter se componantur oportet: est enim omnino necessarium, ut recta vigeat congruentia inter fines, quos assequi permanenti formationi est propositum, inter doctrinam nempe theologicam, praxim pastoralem et vitam spiritualem, ac quidem arcta quadam coniunctione mutuaque cooperatione. Periculum modum excedendi in for-
125 matione spirituali, saltem his ipsis temporibus, minus frequens atque remotius esse videtur. / Haec vita spiritualis ceterorum duorum *aspectum* est veluti fundamentum habenda, cum pastoralis actio sit quasi eius fructus et scientia theologica merito dici possit eius criterium dirigens.

5. Sub respectu *intellectuali*, sacerdotum formatio, ordine rationeque composita, complecti debet non solum iteratam tractationem sed etiam confirmationem primariarum disciplinarum, quarum studio ipsi iam diu operam dederunt, praesertim quod ad eas doctrinae sacrae quaestiones attinet, quae maius momentum habent ad vitam spiritualem pastoralemque operositatem; considerentur quoque oportet doctrinae theologicae *progressio* ac *novae quaestiones pastorales*, maxime vero quatenus hae a vivo Ecclesiae Magisterio elucidatae sunt; demum curandum est, ut omnia, quae circa rem pastoralem experiendo sunt comperta, cum *solida doctrinae summa* conectantur.

Quapropter, inter studia sacram ordinationem subsequentia haec recensenda esse videntur: quae scilicet pertinent ad Sacram Scripturam, Ecclesiae Patres ac Doctores, traditionis documenta —in quibus peculiarem locum obtinent Decreta Magisterii Conciliorum ac Summorum Pontificum—, Liturgiam, probata theologorum opera, necnon practicas exercitationes de re pastorali, catechetica, homiletica ac paedagogica et quaestiones de doctrina sociali Ecclesiae. Prae oculis quidem habeantur oportet haec verba Decreti *Presbyterorum ordinis*: «Presbyteri ab Episcopo in sacro ritu ordinationis admonentur ut sint *maturi in scientia* et sit doctrina eorum *spiritualis medicina populo Dei*. Scientia autem ministri sacri sacra esse debet, quia e sacro fonte desumpta et ad sacrum finem directa» [5].

6. *Determinatio* autem *materiae* huius studii pro sacerdotum formatione non videtur esse remittenda singulorum arbitrio vel optatis. Hanc enim materiam non licet determinari placitis quibusdam hac aetate vigentibus neque schola quadam theologica. Semper quidem considerandum et attendendum est id, quod sacerdotes cupiunt, non ita tamen, ut eiusmodi optatum fiat ratio et norma materiae pro theologica formatione seligendae.

7. Expedit hic nonnullas exponere considerationes circa quasdam *difficultates*, quae *his temporibus* non raro contingunt, cum haec iunio/rum sacerdotum institutio ad usum 126
deducitur. Nostra enim aetate fere quoad omnia, etiam quoad fidei veritates, dubitationes exceptionesque proponuntur, unde etiam consequitur, ut apud multos sacerdotes personalis certitudo circa germanam doctrinam catholicam iam non habeatur, ita ut ipsa principia, quae vitam christianam et sacerdotalem regunt ac moderantur, in dubium vel saltem in controversiam vocentur.

Hic mentis habitus spiritui supernaturali nullatenus favet, qui omnino necessarius est ad sacerdotum vitam et ministerium, sed eos potius ad illam «saecularizationem», quae dicitur, inducit, quaeque non solum reapse invenitur, sed etiam interdum aperte intenditur. Si enim catholicae doctrinae veluti patrimonium, quod quisque certe ac personali ratione possidet, ita ut eius vitam et operationem efficaciter dirigat, amittitur, subsidia deficiunt, quorum ope resisti possit naturalismo et materialismo practico, quibus vita socialis nostra aetate in toto circuitu suo inficitur.

8. Iuniores sacerdotes non raro difficultates experiuntur in *fidei depositio integre retinendo*, quod a Iesu Christo est Ecclesiae traditum. Cuius rei multiplices causae sunt: etenim partim ex aucta voluntate oritur contra dicendi, adeo ut non dubitetur etiam ipsas traditas veritates fidei improbare, praesertim quod ad modum attinet eas enuntiandi; quae quidem ad improbandum propensio imprimis authentici Magisterii ecclesiastici dicta respicit, eo progrediens, ut oboedientia in discrimen vocetur; partim vero causa huius animorum turbationis ponenda etiam esse videtur in aucto momento disciplinarum empiricarum, quarum conclusiones theologi modo fidei non congruenti interdum interpretantur; quam interpretationem ne ipsi quidem harum disciplinarum cultores probant, saltem ii qui non imbuti sint ideologia aliqua religioni christianae infensa. Demum memoranda est rei socialis mutatio, quae magnam vim habet ad ea, quae ad socialem sacerdotis vitam spectant.

9. Vita vero *spiritualis* vividam *fidem personalem* postulat, ex qua illa oritur, in qua innititur, ex qua incrementa capit. Mutua est autem haec ratio: etenim vita spiritualis, quantum ad ipsam pertinet, fidem roborat Ideoque tutum efficit modum theologalem in studia incumbendi, cogitandi ac statuendi, quid sit agendum, atque ita facIliorem etiam reddit comprobationem doctrinae a Magisterio propositae, quod quidem est norma proxima laboris theologici. / 127

Supremo enim Ecclesiae Pastori et Episcopis cum Eo coniunctis ex divina institutione competit munus docendi ea, quae ad fidem spectant; quae potestas neque laicis neque presbyteris tribuitur. Ea igitur, quae a Magisterio proponuntur, sincere accipiantur oportet: quae omnia nisi accipiantur ac quidem sine ullis ambagibus vel exceptione, propter auxilium Spiritus Sancti Ecclesiae Magisterio promissum, *suppositis* quidem *supponendis*, «religiosum voluntatis et intellectus obsequium... praestandum est Romani

[1] Paulli VI, Const. Apost. *Regimini Ecclesiae universae*, n. 67, 1: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 908-909 [LE 3358].
[2] Cfr. Conc. Oec. Vat. II, Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 16: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 680-681 [LE 3332]; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 19: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1019-1020 [LE 3365]; Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 22: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 726-727 [LE 3334].
[3] Cfr. Conc. Oec. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 1: *A. A. S.* 58 (1966), p. 991; Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, Proœmium: *A. A. S.* 58 (1966), p. 713.
[4] Conc. Oec. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 22: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 726-727; cfr. etiam Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 19: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1019-1020; Paulli VI, Litt. Apost. motu proprio datae *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 7: *A. A. S.* 58 (1966), p. 761 [LE 3437].

[5] Conc. Oec. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 19: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1019-1020.

Pontificis authentico magisterio etiam cum non ex cathedra loquitur», immo vero supremi Magisterii «definitionibus fidei obsequio adhereridum» [6].

Ad confirmandam hanc vitam spiritualem et conscientiam sacerdotii, optandum est, ut Feria V Hebdomadae Sanctae mane quisque presbyter —sive Missae chrismatis intersit sive non intersit— renovet actum, quo se Christo devovit, quo officia sacerdotalia se exsecuturum, maxime sacrum caelibatum servaturum et oboedientiam Episcopo (aut Moderatori Religioso) praestiturum esse promisit, atque in animo suo celebret munus sacro Ordine sancitum, quo vocatus est ad servitium Ecclesiae.

10. Idcirco theologica institutio imprimis catholicam doctrinam ab Ecclesiae Magisterio propositam plene omnibusque partibus tutari atque explicare debet atque subtilius explanare, adiumentis subsidiisque adhibitis, quae disciplinae Bibliorum sacrorum, Ecclesiae Patrum necnon et «patrimonii philosophici perenniter validi» [7] importaverunt. Neque omitti licet catholicam doctrinam de ipsius Magisterii Ecclesiae auctoritate eodem modo tuenda. Haec omnia praestanda sunt ratione quoque habita difficultatum, quae circa sacram doctrinam e quaestionibus, hodie acriter motis, oriuntur ac quibus responsio vere christiana danda est.

11. Solida vita spiritualis atque recta scientia theologica excitant foventque impulsionem et operositatem *pastoralem*, fructuosam Sacramentorum administrationem, verbi Dei praedicationem vi persuadendi praeditam, et omnimo-
128 dam caritatem pastoralem, ad quod munus ex/sequendum sacerdotes ordinationem receperunt [8]: ita quidem, ut Dei caritas fundamentum semper sit caritatis erga proximum, et illi fidei doctrinam exponant omnino congruenter Ecclesiae Magisterio apteque distinguant sacerdotalem operam ab actione politica et sociali, quae ad laicos propria ratione pertinet [9]. Necessarius est habitus animi inducens ad vitam agendam pietate ac disciplina conformatam, cum sacerdotale ministerium, cuius sunt presbyteri participes, omnino postulet modum ac rationem vitae congruentem donis in sacramentali ordinatione susceptis et muneribus in vita pastorali cuique exercendis: «ut, aptis adhibitis mediis ab Ecclesia commendatis, ad illam semper maiorem sanctitatem nitantur, qua evadant in dies aptiora instrumenta in servitium totius Populi Dei» [10].

Beatus Paulus Apostolus praeterea hortatur: «Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis» [11].

Sacerdotes, si haec in ipsis inveniantur et vigeant, numquam obliviscentur, cur se olim Deo eiusque gregi devoverint in sacerdotio, neque periculum erit, ne ignorent, quid fidelibus praestare possint ad salutem procurandam neve pro caritate proximi substituatur merus humanismus naturalis.

12. Qua de causa Episcopus instanter curet oportet, ne docentes, quibus munus instituendi sacerdotes credatur, casu designentur. Ratio seligendi eiusmodi docentes sana mens ecclesiastica esse debet. Illud enim *sentire cum Ecclesia*, quod iterum iterumque excitari debet, postulat sane theologum Ecclesiae fidelem. In universum autem, ut vita sacerdotalis eiusque vis persuabilis foveantur, arctior coniunctio inter scientiam theologicam et spiritualitatem sa-
129 cerdotum propriam efficienda est. /

Itaque ii magistri ad hoc opus praestandum apti possunt haberi, qui propositas sibi quaestiones solvunt, non autem qui dubitationes ingerunt et augent. Nominis famæ, qua palam fruuntur, novitatis studium in quaestionibus proponendis et explanandis vel enuntiandi modus, qui animos quidem allicit, non tamen erudit neque iis persuadet, nequeunt esse rationes, ob quas designentur. Mos ille impugnandi traditiones, institutiones auctoritatemque Ecclesiae, non idoneum quemquam reddunt ad hoc munus exsequendum. Sed ut magister, qui discipulos instruat, sacerdos asciscatur, qui sincero animo cum Ecclesia sentit, ac de hac via neque in hanc neque in illam partem deflectit. Magistri sacerdotum, attento animo et corde sincero germana bona nostrae aetatis et ea, quae haec vere postulat, inspicientes, atque penitus inhaerentes, quoad vitam ac doctrinam, traditionibus Ecclesiae, mente et opere componere studeant ea, quae haec tempora nostra exigunt et in quae inclinant atque propendent, prout eadem sunt legitima, cum Ecclesiae traditione. «Facile cernitur quam opportunum ac prorsus necessarium sit optimos habere duces ac magistros, qui eis non tam doctrinae praeceptis, quam sacerdotalis ministerii exercitatione in exemplum praeluceant» [12].

13. Ut autem sacerdotum formatio ordine rationeque progrediatur, accurate est praeparanda ac disposite exsequenda. «Quam doctrinalem de re apostolica institutionem et formationem, ut usu et experientia firmetur, practica quoque, quae dicitur, per gradus sapienter progrediens prudenterque moderanda exercitatio comitetur oportet, quam peculiari deinde post adeptum sacerdotium tirocinio peritissimis viris sive doctrina sive consilio et exemplo moderantibus, exercendam et perficiendam esse volumus, et studiis sacris numquam intermissis, continuo solidandam» [13]. Cui necessitati optime occurri videtur, si Episcopus cuidam sacerdoti tamquam *Directori studiorum* vel parvo cuidam coetui, qui non e pluribus quam tribus sacerdotibus constet, sacerdotum institutionem consulto committat [14]. Propter
130 rei momen/tum valde expedit, ut Episcopus arctam habeat necessitudinem cum *Directore* vel *Directoribus* formationis sacerdotalis.

Foveatur, quatenus fieri potest, per speciales disciplinarum cursus congrua illorum sacerdotum praeparatio, qui permanenti ceterorum formationi atque institutioni erunt addicti.

Subsidia proponenda

14. Cura rerum gerendarum, ratione atque exsecutione, quoad sacerdotalem formationem, primo *spectat ad loci Ordinarium*, idque hinc quia presbyteri munera et sollicitudinem Episcoporum pro sua quisque parte in se recipiunt et cotidiano studio gerunt: si igitur Episcopus «integrum opus pastorale totius dioecesis promovere» studet, etiam continuae formationi sacerdotum prospiciat necesse est [15]; illinc vero, quia necessitates et possibilitates formationis sacerdotum tantopere differunt pro populorum ac regionum diversitate, ut seria formatio haberi possit solummodo, si condicionum uniuscuiusque loci ratio habeatur. Patet tamen interdum hanc quaestionem melius solvi posse intra fines latiores, ex. gr. Conferentiarum Episcopalium.

15. Quapropter, inter subsidia quae hoc in documento recensentur, quaeque sunt etiam fructus multarum rerum, quae experiendo variis in locis compertae sunt, ea Episcopi vel Conferentiae Episcopales seligant, pro proprio quidem cuiusque territorio, quae *secundum rerum adiuncta* ac possibilitates opportuniora videantur. Nec quidquam obstat quominus, communi consensu eorum quorum intersit, *incepta interdioecesana* constituantur, praesertim ubi cleri penuria id suadeat.

1. *Annus pastoralis*

16. In Litteris Apostolicis *Ecclesiae Sanctae*, die 6 mensis Augusti anno 1966 motu proprio datis ad exsequenda ea, quae in Decreto *Christus Dominus*, n. 16, et Decreto *Presbyterorum Ordinis*, nn. 19-21, statuta sunt, hoc decernitur: «Curent Episcopi aut singuli aut inter se coniuncti ut omnes Presbyteri, etiam si ministerio addicti sunt, seriem praelectionum pastoralium statim post ordinationem per annum / perficiant» [16]. Nonnullis in dioecesibus huic 131
pastorali anno usque adhuc per diaconatum plus minusve protractum provisum est.

Huic pastorali anno haec, quae sequuntur, sunt propo-

[6] Conc. Oec. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 25: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 29-31 [LE 3232].
[7] Conc. Lec. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 15: *A. A. S.* 58 (1966), p. 722; cfr. etiam Decl. *Dignitatis humanae*, n. 14: *A. A. S.* 58 (1966), p. 940 [LE 3363].
[8] Cfr. *Pont. Rom.*, De Ordinatione Presbyt.; Conc. Oec. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 33-36.
[9] Cfr. Conc. Oec. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 32: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 38-39; Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 7: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 833-844 [LE 3316]; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 6: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 999-1001; Const. Past. *Gaudium et spes*, nn. 43 et 76: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1061-1064 et 1099-1100 [LE 3366].
[10] Conc. Oec. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 12: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1009-1011. [11] 2 *Tim.* 1, 6-7.
[12] Pii XII, Litt. Apost. motu proprio datae *Quandoquidem*: *A. A. S.* 41 (1949), p. 166 [LE 2038].

[13] Pii XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae*: *A. A. S.* 48 (1956), p. 364 [LE 2579].
[14] Paulli VI, Litt. Apost. motu proprio datae *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 7: *A. A. S.* 58 (1966), p. 761: «Curent etiam Episcopi vel Conferentiae Episcopales, iuxta cuiusque territorii condiciones, ut eligantur unus vel plures Presbyteri probatae scientiae et virtutis, qui tamquam studiorum moderatores, promoveant et ordinent praelectiones pastorales ceteraque subsidia, quae necessaria existimantur ad fovendam formationem scientificam et pastoralem Presbyterorum proprii territorii» [LE 3437].
[15] Conc. Oec. Vat. II, Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 16: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 680-681. [16] I, n. 7: *A. A. S.* 58 (1966),

http://www.obrascatolicas.com

sita: *a)* facilior transitus a vita Seminarii ad exercitium ministerii pastoralis; *b)* accessus per gradus faciendus ad opera pastoralia ita ut cognitio hominum consortionis, in qua sacerdotes vivere et agere debeant, et ars exercendi varia ministeria atque communicandi cum variis personarum coetibus gradatim procedant, sine improvisis inceptis; *c)* absolutior maturitas humana et sacerdotalis, probante experientia pastorali.

Necessitas haec in omnium memoriam revocata iam fuit a Summo Pontifice Pio XII, fel. rec., in Adhortatione Apostolica *Menti Nostrae*, ubi suadebatur etiam, tamquam subsidium opportunissimum, communis vita iuniorum sacerdotum: «Vos adhortamur, Venerabiles Fratres, ut, quantum fieri potest, inexpertos adhuc sacerdotes in medias ne ingeratis operas, neve eos assignetis locis, vel ab urbe Dioecesis principe vel a celebrioribus eius oppidis remotis. In huiusmodi enim vitae statu si versarentur, segreges, imperiti, periculis oppositi, a magistris prudentibus inopes, incommoda procul dubio ipsi capere eorumque alacritas possent. Probatur quoque admodum Nobis, Venerabiles Fratres, hos novellos sacerdotes una cum loci curione maxime eiusque administris vivere; propterea quod facilius ita, senioribus praeeuntibus, ad sacra munera iidem poterunt informari, atque pietatis studio ardentius imbui... Quod in votum iam venerat Ecclesiae id Nos et nunc comprobamus et commendamus vehementer, iniri scilicet ab unius curiae vel a plurium vicinarum curiarum clero communis vitae consuetudinem» [17].

17. Annus pastoralis peragi potest sive in instituto aut domo ad hoc destinatis sive in paroeciis aliisve actionis pastoralis sedibus. Tempus ita componatur, ut sive doctrinae sive praxi pastorali debite prospiciatur.

In hoc anno pastorali introducendo sequentes prae ceteris *condiciones* serventur necesse est:

a) parochi et paroeciae, quo mittuntur diaconi vel iu-
132 niores sacerdotes inducendi in ministerium curae animarum, sedulo et accurate seligi debent;

b) quoad sacerdotum a presbyteratu suscepto recentium pastoralem operam, condiciones clare definitae statuantur quod ad laboris magnitudinem attinet; iunior enim sacerdos, cum considerandus non sit veluti cooperator, licet nondum plene exercitatus, ad eos sacerdotes mittendus est, qui vere parati sint tempus et laborem impendere in formationem iuvenis sodalis;

c) per annum pastoralem, sacerdotibus novensilibus sufficiens occasio danda est in conventibus cum aequalibus ea, quae experiendo cognoverunt, mutuo communicandi, complendi et, si casus ferat, corrigendi;

d) speciatim per annum pastoralem fovendum est alacre colloquium sacerdotum cum Episcopo, cum Vicario Generali vel Episcopali, etc.;

e) solummodo post expletum annum pastoralem sacerdotes novensiles in paroecia aliqua certam nominationem accipiant.

2. *Examina triennalia et paroecialia*

18. Normae canonis 130 Codicis Iuris Canonici de examinibus triennalibus, quae dicuntur, pergunt vigere. Remanet etiam examen paroeciale, quo candidatus suam idoneitatem ostendat, etsi abrogati sunt concursus praescripto Litterarum Apostolicarum *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 18, § 1.

Opportuna tamen accommodatio huiusmodi subsidiorum traditione receptorum, necnon examinum ordinatio, materiarum distributio ac quaestionum particularium determinatio fieri possunt ab Episcopo vel a Conferentia Episcopali.

Haec examina verti debent non solum in doctrina, verum etiam in praxi, neque quidquam obstat, quominus forma colloquii adhibeatur aut pensi alicuius peculiaris, quod fiat de materia definita sub ductu magistri periti.

3. *Cursus disciplinarum sacerdotibus destinati*

19. Decretum *Presbyterorum Ordinis* ante omnia postulat, ut sacerdotibus, paucos post annos ab eorum ordina-
133 tione, copia detur frequentandi «cursum, quo ipsis praebeatur occasio cum ad pleniorem / methodorum pastoralium et scientiae theologicae cognitionem acquirendam, tum ad vitam spiritualem roborandam et ad mutuo experientias apostolicas cum fratribus communicandas» [18]. Ex-

[16] *A. A. S.* 42 (1950), pp. 692-693 [LE 2151].
[17] Conc. Oec. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 19: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1019-1020.

pedit, ut initium huius cursus destinetur recessui spirituali per sufficiens tempus protrahendo.

Agitur ergo de cursu diverso ab anno pastorali, qui dicitur, et fortasse in hoc cursu speciatim opera dari potest, ut «iuvenes a sacerdotio recentes opportunis illis disciplinis ac rebus exerceantur, quibus iisdem opus sit ut novas etiam apostolatus formas, quas nostra induxerit aetas, expedite, apte alacriterque tractare valeant» [19].

Eiusmodi disciplinarum cursus per aliquot annos imponi ac praescribi possunt; libere tamen pateant etiam ceteris sacerdotibus.

4. *Sessiones studii causa agendae*

20. Expedit ut S. Theologiae Facultates universo clero offerant opportunas *sessiones studii* causa agendas (ex. gr. per hebdomadam in anno, vel semel in mense), quibus ipsis praebeatur utile complementum formationis theologicae. Cursus hebdomadales fieri possunt per seriem lectionum quae litteris mittendis accipiendisque peraguntur.

Post 10 et 25 a recepto sacerdotio annos imperari possunt huiusmodi *studiorum sessiones*.

5. *Sacerdotum conventus*

21. Conferentiae *decanales*, de quibus in can. 131 C.I.C. opportune ad hodiernas rationes accommodentur; foveantur sacerdotum sive eiusdem aetatis sive eiusdem regionis conventus ad mutuam fovendam caritatem, ad ea, quae experientia cognoverunt, inter se communicanda, ad differentias ex aetate ortas superandas.

6. *Institutio bibliothecarum*

22. Convenit ut, per *decanatus* vel saltem per regiones, bibliothecae instituantur, libris probatae doctrinae instructae, quibus sacerdotes indigere possunt ad confirmandam augendamque cognitionem rei theologicae, spiritualis ac pastoralis, ita ut ipsis libri facile et sine expensis praesto sint. /

134

7. *Feriae studiorum causa habitae*

23. Libenter vacationes concedantur sacerdotibus, qui eas desiderent ad sua studia theologica amplificanda.

8. *Aliae opportunitates formationis sacerdotum*

24. Singulis in dioecesibus vel in regione interdioecesana, prout unoquoque in casu fieri potest, *Institutum Pastorale*, sub ductu Commissionis opportune nominatae, condi potest, quod faciliorem etiam reddat progressum in cognitione theologiae pastoralis, per breves cursus, commentarios per intervalla editos, acroases aliaque id genus, quae universis sacerdotibus destinentur.

25. Expedit, ut foveatur —cum opportunis cautelis, quas singulis in casibus prudentia suggerat— libera formatio coetuum de re theologica, atque, generatim, provehantur institutiones, quae sacerdotibus adiutorium praebeant ad eorum vitam spiritualem, actionem pastoralem et formationem *intellectualem*: constat enim multis in locis uberes fructus percipi, quoad sacerdotum sanctitatem ac ministerium, ex eiusmodi institutionum alacritate.

Conclusio

26. Sacra haec Congregatio, Cleri servitio addicta, mutuas cum Conferentiis Episcopalibus et cum earundem particularibus Commissionibus pro Clero necessitudines quam maxime fovere intendit, sibi proponens notitias de inceptis atque rebus experientia cognitis colligere easdemque cum omnibus, quorum interest, communicare.

Pergrata itaque erit Episcopis atque Conferentiis Episcopalibus, si referre voluerint ea, quae experientia comperint, suggestiones ac propositiones, quibus dirigatur et in tuto collocetur permanens sacerdotum formatio, quae tanti momenti est pro universae Ecclesiae vita.

Confidit hoc Sacrum Dicasterium fore ut colloquium, his litteris de permanenti sacerdotum institutione atque formatione inchoatum, futuro tempore melius usque perficiatur ad communem, in sacerdotum servitio, utilitatem.

Datum Romae, die 4 mensis Novembris anno 1969 in festo S. Caroli Borromaei.—Ioannes Card. Wright, *Praefectus*. Petrus Palazzini, Archiep. tit. Caesarien. in Cappadocia, *a Secretis*.

[18] Pii XII, Litt. Apost. motu proprio datae *Quandoquidem*: *A. A. S.* 41 (1949), p. 165 [LE 2038].

Adn. Notit. 6 (1970) 88-89; E. F. REGATILLO in Sal terrae 60 (972) 218-223.

3800

1969 NOV 10.-SC CULTUS, NORMAE. PART.*

In editionibus Missalis Romani addatur Appendix cum Ordine Missae et nonnullis formulariis in lingua latina

Romae, die 10 *novembris* 1969

Excellentissime Domine, Cum nonnullae Conferentiae Episcopales, de novis editionibus Missalis Romani cum textu lingua vernacula exarato curantes, quaesierint num interpretationi populari textus latinus esset praeceptive addendus, Sacra haec Congregatio, re attente perpensa, ea quae sequuntur, approbante Summo Pontifice, statuit:

1. In editionibus Missalis Romani usui liturgico destinatis, quae textum popularem exhibent, textus latinus non erit necessario imprimendus.

2. Ad faciliorem autem reddendam celebrationem sacerdotibus qui linguam loci ignorant, loco aptiore (ex. gr. in Appendice) omnia Missalia cum textu populari *exhibeant oportet lingua latina*: *a)* Integrum Ordinem Missae cum nonnullis praefationibus et quattuor Precibus Eucharisticis; *b)* Quaedam formularia Missarum, quae iuxta diversitatem dierum aut temporum liturgicorum adhiberi valeant.

Textus hac ratione addendi in adnexo fasciculo continentur.

3. Curent tamen Episcopi ut in omnibus ecclesiis praesto sit exemplar Missalis Romani lingua latina; item ut in Sanctuariis facile haberi possit textus Missae propriae.

Hac autem occasione, placet etiam ea quae sequuntur Tecum, Eme Domine, communicare: *a)* Officina typographica Vaticana curat de apparanda editione typica latina Missalis Romani quae, praeter Ordinem Missae, exhibebit textus antiphonarum, orationum et praefationum pro universo cyclo anni liturgici. *b)* Item paratur editio Ordinis lectionum Missae, non tantum cum indicationibus biblicis, sed cum integro ipsarum textu latino.

Huiusmodi editiones praesto erunt proximis mensibus.

Dum haec, Eme Domine, Tecum communico, gratum mihi est me profiteri Tibi in Domino add.mum.—Benno Card. Gut, *Praef.* A. Bugnini, *a Secretis*.

* Ad Praesides Conferentiarum episcopalium, Prot. N. 1560/69: Notit. 5 (1969) 442-443.

3801

1969 NOV 11.-SIGNATURA APOST., DECISIO. PART.*

De remotione a paroecia, in qua, ad validam translationem parochi renuentis, normae Codicis hucusque vigentis servari debent

Facti Species.—Episcopus Dioecesis X, parochum Antonium, praeter adsertam malam rerum temporalium paroeciae administrationem, etiam propter praesumptam eiusdem mentis et corporis infirmitatem a paroecia removit et ad aliam transtulit.

Antonius vero, causas in Decreto remotionis adductas veras non esse iudicans ideoque se iniuste gravatum esse, ad S. Congregationem pro Clericis adversus Decretum suae remotionis recursum proposuit.

Haec S. Congregatio Decreto diei 18 Ianuarii 1967, decisionem Ordinarii ratam habuit confirmavitque simulque eidem consuluit, ut dictum parochum in quoddam sanatorium recipere curet.

Hanc S. Congregationis decisionem Ordinarius parocho notam fecit ipsique intimavit ut domum paroecialem statim desereret.

Cum vero parochus intimationi Ordinarii obtemperare recusaverit, Ordinarius parochum renuentem, opera etiam brachii saecularis adhibita, in carcerem detrudi iussit.

Rebus sic stantibus, Antonius contra decisionem S. Congregationis pro Clericis et Ordinarii Decretum remotionis, die 20 Septembris 1969 apud Sectionem Alteram S. T. Signaturae Apostolicae recursum interposuit.

In Iure—Ex n. 106 Constitutionis Apostolicae «*Regimini Ecclesiae Universae*» diei 15 augusti 1967 [LE 3588], et art. 96, n. 1 *Normarum Specialium Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae* [LE 3636], sat clare apparet delimitatio recursus apud Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae, apud quam admittitur recursus: *a)* non adversus quemcumque actum, sed solum contra actus provenientes ex exercitio potestatis administrativae ecclesiasticae; *b)* non contra quemcumque actum cuiusvis potestatis administrativae, sed adversus decisionem competentis Dicasterii, praevio recursu ad competens Dicasterium ob contentiones ortas ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae inferioris; *c)* quoties contendatur actum ipsum violasse legem aliquam.

In his casibus Signatura Apostolica videt non solum de admissione recursus, sed etiam de illegitimitate actus impugnati.

Hodierni conatus ad Seminaria renovanda, quibus Concilium Vaticanum II per decretum *De institutione sacerdotali* praecipuas et generaliores normas praestituit ut tuto procederent ac salutare pietatis, scientiae et pastoralis fervoris incrementum in candidatis ad sacerdotium producerent, ulteriores quasdam determinationes exigunt, ut peculiaribus singularum nationum necessitatibus quam optima ratione accommodentur atque illa catholici sacerdotii unitas et figura servetur, quam ipsa rei natura postulat et idem Concilium enixe inculcavit [1]. Hac igitur duplici necessitate prae oculis habita, Fundamentalis, quae hic proponitur, Ratio Institutionis sacerdotalis a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica et a Delegatis Conferentiarum Episcopalium communi nisu consilioque elaborata est, nec sine constanti sollicitudine sincerisque votis ut et genuinus Concilii Vaticani II spiritus et pastoralis finis fideliter in hoc documento significarentur atque, definitiore forma expressi, efficacius conferre possent ad educationis operam in Seminariis novis temporum necessitatibus aptandam.

veniant»), 67, 68 (ratio qua alumnorum institutio uberius perfici potest), 89 (lectio communis librorum ad sensum criticum acuendum), 90 (coordinator studiorum), 94, 95, 97, 98, 99 (exercitationum pastoralium obiecta, loca et tempora nonnisi ad modum exempli adducuntur).

[1] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, Prooem. [LE 3334]; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, nn. 1, 2, 7 et passim [LE 3365].

1. *Quo sensu Concilium Vaticanum II Seminarii institutionem confirmet.*—Suam de Seminariis experientiam, iam pluribus comprobatam saeculis, Ecclesia in Concilio Vaticano II ut validam retinendam decrevit, asserens *Seminaria necessaria esse* tamquam institutiones ad sacerdotes efformandos ordinatas et potioribus illis educationis elementis praeditas, quae coniunctim cum aliis ad integram futurorum presbyterorum formationem / possunt efficaciter con- 325
ferre [2]. Probatam vero hanc ad sacerdotium viam denuo confirmando, minime silentio praeterire voluit varias et multiplices necessitates, ex vetustate instrumentorum vel ex mutatis condicionibus decursu temporum exortas, admisitque, vel etiam praescripsit immutationes non paucas, quibus huius utilissimae institutionis vis et paedagogica efficacia augerentur.

Etsi diverso modo Concilium locutum est de Seminariis quae *Maiora* et de iis quae *Minora* dicuntur, quaedam tamen definivit quae de utrisque valent [3]. Antequam vero peculiaria utriusque problemata in medium proferantur, necesse est ut primum ea bene considerentur, quae omnibus infra dicendis quodammodo praesupponenda sunt: Seminarium, utpote iuvenum communitatem [4], primam vim aptitudinemque suam ad futuros sacerdotes formandos ex ipsis condicionibus moribusque loci derivare, in quo iuvenes vivere solent, cuius veluti aërem respirant, in quo definiendo et in melius immutando ipsi partem habent. Agitur de variis concurrentibus elementis, cum internis tum externis; de totius communitatis structura deque eius spiritu, qui meliora sive inhibere sive provehere potest, cuiusque influxus vario gradu in omnibus manifestatur [5].

Hac igitur in re, primum Moderatorum munus in hoc consistit, ut consociatam omnium operam ad spirituales has condiciones inducendas perficiendasque obtineant. Eiusmodi enim sint oportet, ut quicumque Seminarium ingreditur, necessaria in eo inveniat auxilia ad propriam vocationem excolendam atque integre exsequendam Dei voluntatem [6]. Neque ad finem hunc assequendum parvi aestimentur quae ad rerum materialium dispositionem pertinent: loci scilicet, aedium, supellectilis et ceterarum rerum sobria et digna compositio, cum iuvenum vita congruens.

2. *De condicione iuvenum nostrae aetatis circa educationem.*—Praeterea, in quavis sana Seminariorum renovatione, oportet omnino consideretur praesentis quoque tem- 326
poris adiuncta earumque peculiares / necessitates circa educationem [7]. Iuvenes enim, qui a divina Providentia ad munus sacerdotale inter nostrae aetatis homines exercendum vocantur, *peculiares animorum habitus referunt*, cum mente ingenioque hodiernorum hominum congruentes. Sic, percipitur in eis ardens sinceritatis desiderium et veritatis in variis animi sui manifestationibus; percipitur magna propensio ad omnia nova et insolita amplectenda; aestimatio mundi eiusque progressus technici et scientifici; voluntas inserendi se penitius in mundum ut ei serviat; sensus «solidarietatis» praesertim cum hominibus humilioris condicionis et oppressis; spiritus communitatis. Sed, praeter haec omnia, animadvertitur in eis etiam diffidentia erga omnia vetera antiquo usu recepta, mobilitas in consiliis capiendis, inconstantia in propositis ad effectum deducendis, defectus docilitatis ad verum progressum spiritualem pernecessariae, animus difficilis et censorius erga auctoritatem et varias institutiones societatis civilis et ecclesialis, etc. [8]. Omnes has peculiares qualitates educator in sua opera paedagogica non solum non neglegit, sed etiam intellegere studet et, quantum potest, cooperantibus ipsis futuris sacerdotibus, ad suum formationis finem vertere, semper tamen bene distinguens quae inter eas plus vel minus vel nullo modo conferant ad aptiorem conformationem sacerdotalem, immo eidem educationi officiant. Omnibus consideratis,

[2] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, nn. 4-6.

[3] Ibid., n. 3. [4] Accuratior Seminarii descriptio refertur in p. 342 [AAS 62 (1970) 342; infra LE col. 5713] nota 74.

[5] Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 685 [LE 2151]; Paulus VI, Alloc. *Non è senza*, habita occasione inaugurationis novarum aedium Pont. Collegii Longobardici Romae, 12 nov. 1965: *Insegnamenti di Paolo VI*, III, pp. 604-605, Typis Polyglottis Vaticanis 1965.

[6] Ioannes XXIII, Alloc. *E' grande*, I° Conventui Romae habito ex universa Italia vocationibus sacris fovendis, 21 apr. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 311.

[7] Cf. Conc. Vat. II, Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, Introd. [LE 3335]; Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, cap. II [LE 3366]; Paulus VI, Alloc. *Salutiamo con viva simpatia*, moderatoribus consociationis v. d. «Movimento Adulti Scouts Cattolici Italiani», 5 nov. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 538 ss.

[8] Cf. Paulus VI, Nuntius radiophon. *La ricorrenza*, occasione festi Nativitatis Domini, 22 dec. 1964: *Insegnamenti*, II, p. 761; Alloc. *Le parole*, ad sodales Confoederationis Universitariae Catholicae Italicae (FUCI), 6 dec. 1966: *Insegnamenti*, IV, p. 611; Alloc. *Noi sappiamo*, Christifidelibus coram admissis, 25 sept. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 927 ss.

http://www.obrascatolicas.com

ignorari non potest nonnullas difficultates, praesertim hisce postremis annis, exortas esse sive ex iuventute sive ex hodierna societate, quae in totam formationis operam vim suam exercent et ideo maiores nisus ab educatoribus postulant.

Duo autem in nostrae aetatis iuvenibus praesertim animadvertenda sunt: eos impensius sentire tum propriae personae dignitatem tum res hominesque huius mundi sive quoad eius indubia bona, sive etiam quoad eius peculiarem statum spiritualem, qui neglegentiam religionis magis in dies redolet[9]. Duo haec et alia etiam elementa in animis commixta, mentem quamdam veluti communem creant, quae
327 exigit ut in Seminariis, / praeter alia adhibita remedia, maior personae aestimatio habeatur, tollatur quidquid habet iniustificatae «conventionis» rationem, omnia ad veritatem et caritatem fiant, inter omnes dialogus veri nominis instituatur, rationes cum mundo, pro iusta rectae formationis necessitate, frequentiores foveantur, denique omnia, quae praecipiuntur et postulantur, veram qua nituntur rationem ostendant et liberis animis fiant[10].

Si haec exigunt ut quaedam formationis elementa antiquo usu recepta recognoscantur, paedagogicam etiam veri nominis operam requirunt, quae, in mutua fiducia et intellegentia innixa, rectam libertatis notionem habeat et sciat praesertim probe discernere educationis media et fines. Si enim circa media utilis dialogus et fructuosa inquisitio una cum alumnis institui potest, finis Seminarii et universae educationis iam ab initio est semper prae oculis bene retinendus tamquam omnium considerationum fundamentum[11], ad quod quaevis huiusmodi disputatio se referre debet. Quo clarius enim sublimis formationis finis iuvenibus proponetur, eo libentius illi aptiora media ad eum adipiscendum communi consilio quaerent, atque ducti proposito boni communis et voluntate Dei verum libertatis et auctoritatis sensum assequentur.

3. *De notione sacerdotii catholici tamquam fine sacerdotalis educationis proprio.*—Proprius sacerdotalis educationis finis nititur notione sacerdotii catholici, qualis oritur ex revelatione divina, constanti Ecclesiae traditione et magisterio illustrata. Haec doctrina, quae omnem Rationem Institutionis sacerdotalis informare debet, propriam vim et sensum ei infundendo, ex ipsis Concilii Vaticani II verbis erui potest:

Omnis sacerdotalis potestas et ministerium in Ecclesia Catholica originem suam trahit ab unico et aeterno sacerdotio Christi, qui a Patre sanctificatus et missus in mundum (cfr. *Io.* 10, 36), eiusdem sacerdotii sui apostolos imprimis et eorum successores, episcopos, participes fecit. De uno eodemque sacerdotio Christi varia Ecclesiae membra varia ratione participant: Simplicem quemdam huiusmodi participationis gradum constituit sacerdotium commune fidelium, qui, per baptismum et Spiritus Sancti unctionem
328 «consecrantur in donum spirituale et sacerdotium / sanctum, ut per omnia opera hominis christiani spirituales offerant hostias»[12]. Diverso modo quam fideles sacerdotium Christi participant Presbyteri, qui, «quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et vi sacramenti Ordinis ad imaginem Christi summi atque aeterni sacerdotis (cfr. *Hebr.* 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28) ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti»[13]. Hac ratione igitur presbyterorum *sacerdotium ministeriale* superat commune fidelium sacerdotium, cum per illud aliqui in corpore Ecclesiae Christo Capiti assimilentur atque promoveantur «ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in populum Dei, Corpus Christi et Templum Spiritus Sancti, hic in terris indesinenter aedificatur»[14].

«Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, licet essentia et non gradu tantum differant, ad invicem tamen ordinantur; unum enim et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant»[15].

Sacerdotio aucti, Presbyteri multiplices ineunt *relationes cum proprio Episcopo*, cum ceteris sacerdotibus et cum

[9] Cf. Conc. Vat. II, Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 15, 26, 41; Paulus VI, Alloc. *Salutiamo con riverenza*, cf. nota 7.
[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 31.
[11] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, passim.
[12] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 10 [LE 3132].
[13] *Ibid.*, n. 28.
[14] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 1.
[15] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 10.

populo Dei[16]. Etenim «presbyteri omnes, una cum Episcopis, unum idemque sacerdotium et ministerium Christi ita participant, ut ipsa unitas consecrationis missionisque requirat hierarchicam eorum communionem cum Ordine Episcoporum... Episcopi igitur... illos habent ut necessarios adiutores et consiliarios in ministerio et munere docendi, sanctificandi et pascendi plebem Dei»[17]. Ipsi cum suo Episcopo «unum presbyterium constituunt, diversis quidem officiis mancipatum. In singulis localibus fidelium congregationibus Episcopum, quocum fidenti et magno animo consociantur, quodammodo praesentem reddunt eiusque munera et sollicitudinem pro parte suscipiunt et cura quotidiana exercent»[18].

Vera haec in uno eodemque presbyterio dioecesano participatio in/tima et multiplicia ligamina constituit *inter* 329
ipsos quoque sacerdotes. «Presbyteri, per Ordinationem in Ordine presbyteratus constituti, omnes inter se intima fraternitate sacramentali nectuntur»[19], «quae sponte ac libenter sese manifestat in mutuo auxilio, tam spirituali quam materiali, tam pastorali quam personali, in conventibus et communione vitae, laboris et caritatis»[20], «ita ut manifestetur illa unitas qua Christus voluit suos in unum esse consummatos, ut agnoscat mundus Filium missum esse a Patre»[21].

Omnis tamen presbyter ex populo Dei sumitur ut pro eodem *populo* constituatur. Sed licet vi sacramenti Ordinis munus patris et magistri presbyteri exerceant, «tamen simul cum omnibus christifidelibus sunt discipuli Domini, Dei vocantis gratia Eius Regni participes facti. Cum omnibus enim in fonte baptismi regeneratis Presbyteri sunt fratres inter fratres, utpote membra unius eiusdemque Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus demandata est»[22]. Quapropter «fidelium, quos spiritualiter baptismate et doctrina genuerunt (cfr. 1 *Cor.* 4, 15; 1 *Pt.* 2, 23), curam tamquam patres in Christo agant. Forma facti gregis ex animo (cfr. 1 *Pt.* 5, 3), suae communitati locali ita praesint et inserviant, ut ista digne vocari possit illo nomine, quo unus et totus Populus Dei insignitur, Ecclesiae scilicet Dei (cfr. 1 *Cor.* 1, 2; 2 *Cor.* 1, 1). Memores sint se sua cotidiana conversatione et sollicitudine fidelibus et infidelibus, catholicis et non catholicis, *faciem ministerii vere sacerdotalis et pastoralis* exhibere, omnibusque testimonium veritatis et vitae reddere debere, et ut boni pastores illos quoque quaerere (cfr. *Lc.* 15, 4-7), qui baptizati quidem in Ecclesia catholica a praxi sacramentorum, vel immo a fide defecerunt»[23], ita ut per indefessam eorum operam «Ecclesia ut universale salutis sacramentum»[24] coram omnibus eluceat et signum fiat praesentiae Dei in mundo»[25]. «Vita et verbo, una cum religiosis atque suis fidelibus, demonstrent Ecclesiam sola sua praesentia, cum omnibus quae continet donis, inexhaustum fontem esse illarum virtutum, quibus mundus hodiernus maxime indiget»[26]. «Munus vero Pastoris non ad fidelium singillatim curam habendam coarc-/ 330
tatur, sed etiam ad genuinam communitatem christianam efformandam proprie extenditur»[27], quae genuino spiritu missionali et catholicae universalitatis imbuta esse debet.

Ministerium presbyterale, quale a Concilio Vaticano II exponitur, absolvitur praecipue in *ministerio verbi et opere sanctificationis*. «Cum enim nemo salvari possit, qui prius non crediderit, Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei omnibus evangelizandi»[28], mandatum exsequentes Domini: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* (*Mc.* 16, 16). Quod tunc explent, quando «sive... conversationem inter gentes habentes bonam, ad Deum glorificandum eas adducunt, sive, aperte praedicantes, mysterium Christi non credentibus annuntiant, sive catechesim christianam tradunt vel Ecclesiae doctrinam explanant, sive sui temporis quaestiones sub luce Christi tractare student»[29].

At ministerium verbi eo tendit, ut homines ad fidem et sacramentum salutis adducantur, culmenque suum attingit in Eucharistiae celebratione: «Suum vero munus sacrum (presbyteri) maxime exercent in eucharistico cultu vel synaxi, qua in persona Christi agentes Eiusque mysterium

de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 10.
[16] Quod quidem praesertim in spirituali et pastorali alumnorum formatione prae oculis habendum est (cf. cap. VIII et XVI).
[17] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 7.
[18] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28.
[19] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 8.
[20] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28.
[21] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 8.
[22] *Ibid.*, n. 9.
[23] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28.
[24] *Ibid.*, n. 48.
[25] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activ. mission. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Ad gentes divinitus*, n. 15 [LE 3364].
[26] Conc. Vat. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 43.
[27] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 6.
[28] Ibid., n. 4; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28.

proclamantes, vota fidelium sacrificio Capitis ipsorum conjungunt, et unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet Sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis (cfr. *Hebr.* 9, 11-28), in sacrificio Missae usque ad adventum Domini (cfr. 1 *Cor.* 11, 26) repraesentant et applicant. Pro fidelibus autem poenitentibus vel aegrotantibus ministerio reconciliationis et alleviationis summe funguntur, et necessitates ac preces fidelium ad Deum Patrem afferunt (cfr. *Hebr.* 5, 1-3)»[30]. Itaque munus praedicationis id habet proprium, ut munere sanctificationis compleatur, quo sacerdos, Christi personam gerens, in Ecclesia aedificanda cooperatur.

Populo autem Dei per evangelicam praedicationem atque sacramenta et praecipue per Eucharistiae celebrationem congregato *praeest Presbyter*. Talis ideo esse debet, qui ab omnibus pariter agnosci possit ut Christi Capitis vices gerens: nam «munus Christi Capitis et Pastoris pro sua parte auctoritate exercentes, Presbyteri, nomine Episcopi, familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam colligunt, et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt. Ad
331 hoc autem ministerium exercendum, sicut / ad cetera munera Presbyteri, confertur *potestas spiritualis*»[31]. Hac potestate sacerdotium ministeriale seu hierarchicum a sacerdotio communi fidelium non gradu tantum sed essentia differt[32]. Nam, etiamsi fideles aliquam partem habere possint et debeant in munere evangelico et pastorali[33], solus is qui sacrum presbyteratus ordinem accepit, ministerium sacramentale, et praecipue eucharisticum, a quo alia ministeria derivantur et ad quod tendunt, plene exercere potest. Ideoque *segregatus in evangelium Dei (Rom.* 1, 1), totam suam vitam Dei et hominum servitio devovere, animam immo suam pro ovibus ponere non dubitet[34].

4. *De sacerdotis actione et vita in praesentibus rerum adiunctis.*—*Munus sacerdotale*, quale ab Ecclesia essentialiter definitum est, exercetur hodie *in condicione rerum omnino nova*, quae ex novis hominum necessitatibus et ex natura civilis cultus hodierni manifestatur[35].

Necessitates hominum hodie determinantur potissimum sive a nobilitata persona humana, sive a progrediente immutatione sensus religiosi. Si non semper re et expresse, saltem virtualiter cuivis homini sua agnoscitur dignitas humana, ius progrediendi, manifestandi mentem suam libere, et partem habendi in suipsius et rerum progressu. Et prout plenior dominatio hominis in mundo instauratur, cum magnis mutationibus socialibus coniuncta, minus spatii conceditur antiquitus receptis formis vitae christianae. Dum enim, in hac generali rerum conversione, christiani quidam coetus formam vitae religiosae exhibent magis per-
332 sonalem, quae / manifestatur ex peculiari reverentia erga verbum Dei et Sacram Liturgiam et ex maturiore acquisita conscientia, magis etiam in dies eorum numerus percrebrescit, qui debitam cum Ecclesia consuetudinem partim vel omnino amittunt, et in naturalem quamdam religionem et ethicam propendent. Immo, saepius eo usque pervenitur ut atheismus —quondam potius philosophis reservatus— communior in dies evadat ac plurium mentes lente imbuat. Hi autem varii aspectus civilis cultus nostrae aetatis prae oculis constanter habendi sunt, cum ad eos respiciat oportet vita actioque sacerdotis eiusque ad munus suum praeparatio[36].

Iuvenes enim qui Seminarium hodie ingrediuntur, in huiusmodi civili consortio inserti sunt per varias communicationis socialis rationes, et in animis suis afficiuntur

Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 4.
[29] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28.
[30] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 6.
[31] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 10.
[32] *Ibid.*, nn. 11, 12.
[33] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 13.
[34] Nova haec rerum condicio in qua apostolica sacerdotis opera exercetur in Concilii Vat. II et recentioribus Summorum Pontificum documentis accuratius describitur, v. gr.: Conc. Vat. II, Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 apr. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), pp. 257 ss. [LE 3110]; Litt. Encycl. *Mater et Magistra*, 15 maii 1961: *A. A. S.* (1961), pp. 401 ss. [LE 2984]; Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam*, 6 aug. 1964: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 609 ss. [LE 3211]; Litt. Encycl. *Populorum progressio*, 26 mart. 1967: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 257 ss. [LE 3546]; Alloc. *Potrebbe bastare*, iis qui interfuerunt Conventui Romae habito de pastorali animarum cura hodiernis necessitatibus accommodanda, 9 sept. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 388-392; Alloc. *Benedicamus Domino*, ad Exc.mos Praesules ex Americae Latinae regionibus secundo Generali Coetui Medellii interfuturos, 24 aug. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 403 ss.; Alloc. *Questo annuale incontro*, ad Concionatores quadrages. et Parochos Romae, 17 febr. 1969: *L'Osservatore Romano*, 17-18 febr. 1969, p. 1; Alloc. *Il Sig. Cardinale*, ad Sacrum Collegium, 15 dec. 1969: *L'Osservatore Romano*, 15-16 dec. 1969, pp. 1 s.
[35] Conc. Vat. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 4-10; Paulus VI, Homilia *Hodie Concilium*, in IX Concilii Vat. II Sessione, 7 dec. 1965: *Insegnamenti*, III, pp. 720 ss [LE 3362].

quaestionibus, quae religionem et praesertim sacerdotalem actionem et vitam respiciunt. Saepe ad theologica studia accedunt sincera quidem voluntate serviendi Deo et hominibus in vita sacerdotali, quin tamen, ut olim mos erat, certa perspectaque habeant bona religionis, quorum praecones et administri aliquando fieri debent. Haec autem et graves quandoque in Seminario difficultates suscitant, et verum ac praecipuum obiectum educationis constituunt, ad quod moderatores peculiari sollicitudine attendant oportet. In sua formandi ratione conentur imprimis non tam subitaneo et radicali interventu varia huiusmodi obstacula removere, sed potius gradatim animos intentionesque purgare et praesertim uti prudenti iudicio ac moderatione, ut quidquid sani est in iis quae iuvenes appetunt, magis in dies progrediatur et roboretur, atque ita possit in posterum sacerdotalis eorum vita et opera fructus ferre uberiores.

Ad hoc autem auxilio esse poterit non solum eorum magnus alacerque animus et ardens studium subveniendi societati humanae, sed quandoque etiam ipsa ab iis superanda dubia et critica fidei perscrutatio, cum homines, ad quos sacerdotes mittentur, incerta et ambigua religione imbuti, magisterium sacerdotis haud inertes facilesque accipiant, nec sine praeiudicatis opinionibus credant teneantque doctrinam, quam eos sacerdos ex officio edocere contendit.

Iuvenes igitur ita educandi sunt, ut peculiaris haec condicio, quam hodie una cum tota Ecclesia experiuntur, nedum eos in periculum cadendi animis adducat, eos ad nova experienda auxilia novasque vias temp/tandas, spe fideque 333
in Deum erectos, extimulet, quibus cum nostrorum temporum hominibus facilius communicare valeant. Mundum enim «qualis hodie dilectioni et ministerio Pastorum Ecclesiae concreditur, sic Deus dilexit, ut Filium suum Unigenitum pro ipso daret (cfr. *Io.* 3, 16). Revera, mundus hic, multis quidem peccatis detentus sed non parvis etiam facultatibus praeditus, Ecclesiae lapides vivos (cfr. 1 *Pt.* 2, 5) praebet, qui coaedificantur in habitaculum Dei in Spiritu (cfr. *Eph.* 2, 22). Idem Spiritus Sanctus, dum Ecclesiam impellit ut ad mundum huius temporis adeundum novas vias aperiat, congruas quoque ministerii sacerdotalis accommodationes suggerit ac fovet»[37].

Haec nova sacerdotalis actionis et vitae accommodatio plurimorum animos nostra aetate inquietat et occupat et ubique varii generis quaestiones suscitat. Hinc quoque fit ut de sacerdote ipso, de eius natura, de proprio eius loco in sinu societatis, de eius vitae condicione et de eius aptiore praeparatione ad munus suum efficacius exercendum, multa ore et scripto agitata sunt atque proposita[38]. Haec Seminarium, uti patet, debebit numquam ignorare vel neglegere sed, contra, sollicite tueri ac servare quae sacerdotii certa et perennia bona sunt. Huius *Rationis Fundamentalis* erit haec acquisita bona in tuto collocare; cetera vero contingentia elementa necessitatibus locorum et temporum accommodanda curabunt Conferentiae Episcopales plena libertate.

I. Normae Generales[39]

1. Ratio Institutionis sacerdotalis a Conferentia Episcopali ad normam n. 1 Decreti *Optatam totius* statuta, a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica prius «ad experimentum» approbatur.

Quod si intra tempus experimenti aliqua urgens necessitas oriatur Rationem aliqua parte novis adiunctis accommodandi, huiusmodi mutationes non excluduntur, dummodo tempestive admoneatur Sancta Sedes.

Ante expletum experimenti tempus Ratio a Conferentia Episcopali ex acquisita experientia recognoscenda erit, Commissione Episcopali de / Seminariis[40] et viris peritis 334
adiuvantibus, atque novae approbationi eiusdem Sacrae Congregationis subicietur.

Eiusmodi recognitio et approbatio postea certis temporibus repetentur, prout singulis Conferentiis Episcopalibus necessarium vel utile visum fuerit.

[36] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 22.
[37] Paulus VI, cf. Alloc. *Questo annuale incontro*, l. c.; cf. Alloc. *Il Sig. Cardinale*, l. c., cf. nota 35.
[38] His normis generaliora quaedam capita Conferentiis Episcopalibus proponuntur, quibus proprias cuiusque Nationis Rationes Institutionis sacerdotalis conficiant.
[39] Vel a Commissione aut Secretariatu, cui Seminariorum cura concredita est. Quae Commissiones vel Secretariatus, sicuti etiam sic dictae Commissiones *technicae* peritorum, a Synodo Episcopali a. 1967 maxime commendatae sunt; earum autem compositio, munus atque competentia a Conferentia Episcopali accuratius determinanda sunt.

http://www.obrascatolicas.com

Solis Conferentiis Episcopalibus, non autem singulis Episcopis, ius et officium competit statuendi Rationem Institutionis sacerdotalis in propria natione vel regione et approbandi peculiaria experimenta, si quae opportune introducenda videantur.

2. Normae Rationis sic elaboratae servandae erunt in omnibus cleri dioecesani Seminariis sive regionalibus sive nationalibus; earum autem particulares accommodationes ab Episcopis competentibus determinandae erunt in Ordinationibus (règlement, regolamento, Lebensordnung, Rule of Life, reglamento) unicuique Seminario propriis.

His normis etiam Rationes Institutorum Religiosorum, congrua congruis referendo, accommodandae sunt [41].

Ubi Seminarii alumni studia philosophica et theologica apud Facultates vel alia Superiorum studiorum Instituta peragunt, quoad studia respiciendum erit ad ea quae in documento, cui titulus *Normae quaedam* [42], sub n. 33 a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica statuta sunt.

3. Ratio fundamentalem institutionem sacerdotalem complectitur, nempe humanam, spiritualem, intellectualem et pastoralem; quae partes apte componi debent, ut sacerdos Christi pro nostrorum temporum necessitatibus praeparetur.

4. Tota institutio sacerdotalis, ratione habita documentorum Sanctae Sedis quae formationem alumnorum respiciunt, informetur oportet im/primis spiritu et normis Concilii Vaticani II, prout elucent ex Decreto *Optatam totius* atque ex aliis Constitutionibus et Decretis, quae clericorum educationem attingunt [43].

335

II. De pastorali cura vocationum

5. Vocatio ad sacerdotium in ampliorem inseritur ambitum vocationis christianae, in sacramento baptismi radicatae, qua Populus Dei «a Christo in communionem vitae, caritatis et veritatis constitutus, ab Eo etiam ut instrumentum redemptionis omnium adsumitur et tamquam lux mundi et sal terrae (cfr. *Mt.* 5, 13.16) ad universum mundum emittitur» [44]. Haec vocatio, suscitata a Spiritu Sancto, «qui varia sua dona, secundum divitias suas atque ministeriorum necessitates ad utilitatem Ecclesiae dispertit (cfr. 1 Cor. 12, 1-11)» [45], ordinatur ad aedificationem Corporis Christi, in qua «diversitas viget membrorum et officiorum» [46].

6. Omnes vocationes tamquam manifestationes investigabilium divitiarum Christi (cfr. *Eph.* 3, 8) in Ecclesia magni aestimandae sunt, ideoque omni cura et sollicitudine excolendae ut maturescant et augeantur. Ad totam igitur christianam communitatem [47], sed peculiari modo «ad sacerdotes, qua in fide educatores, pertinet curare sive per se sive per alios, ut singuli fideles ad suam propriam vocationem secundum Evangelium excolendam, ad sinceram operosamque caritatem, et ad libertatem, qua Christus nos liberavit, in Spiritu Sancto adducentur» [48], ita ut suam
336 «maturitatem christianam consequantur» [49].

7. Inter multiplices vocationes a Spiritu Sancto in Populo Dei incessanter excitatas peculiare momentum habet vocatio ad statum perfectionis et praesertim ad sacerdotium, qua homo christianus ad Christi Sacerdotium hierarchicum participandum divinitus eligitur [50] «ad Ecclesiam verbo et gratia Dei pascendam» [51]. Haec vocatio in variis vitae humanae aetatibus varia ratione manifestatur: apud adolescentes, apud aetate provectiores, atque etiam, sicuti constans Ecclesiae experientia testatur, apud pueros, in quibus, ad instar cuiusdam «germinis», non raro sociata exhibetur cum singulari pietate, cum ardenti amore erga Deum et proximum, cum animi inclinatione ad apostolatum [52].

8. Magnis Christifidelium necessitatibus inspectis atque bene percepta voce Divini Salvatoris qui omnes invitat: *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (*Mt.* 9, 38; *Lc.* 10, 2), summopere oportet ut tota communitas christiana assidue ac fideliter curet religiosas et sacerdotales vocationes praesertim fovere. Ideoque in singulis dioecesibus, regionibus vel nationibus Opus Vocationum, secundum pontificia de re documenta, instituatur et augeatur, ut omnia quae pertinent ad pastoralem fovendarum vocationum actionem, nullis neglectis opportunis auxiliis, apta cohaerentique ratione ordinet atque pari prudentia et studio promoveat [53].

«Haec actuosa ad vocationes fovendas universi populi Dei conspiratio Divinae Providentiae actioni respondet, 337
quae hominibus ad Christi Sacerdotium hierarchicum participandum divinitus electis congruas dotes tribuit eosque sua gratia adiuvat, dum legitimis Ecclesiae ministris committit ut idoneitate agnita, candidatos qui tantum munus recta intentione et plena libertate petierint, comprobatos vocent et Sancti Spiritus sigillo Dei cultui et Ecclesiae servitio consecrent» [54].

Ad Opus provehendum et vocationes fovendas, Episcopi enixe curent uti consociata opera sacerdotum, religiosorum et laicorum, imprimis parentum et magistrorum [55], atque etiam Consociationum catholicarum, iuxta rationem generalis curae pastoralis organice coordinatae.

9. Omnia promovere oportet quae ad vocationes a Deo obtinendas requiruntur, imprimis precationes ab ipso Christo postulatas (cfr. *Mt.* 9, 39; *Lc.* 10, 2). Quod quidem fieri debet tam privatim quam in communi certis opportunis anni liturgici temporibus sollemnioribusque occasionibus ab auctoritate ecclesiastica definiendis. Finem hunc praecipue spectat *Dies mundialis pro vocationibus*, a Sancta Sede statutus et ubique terrarum ab Ecclesia quotannis celebrandus [56]. Omnia etiam promoveantur oportet quae animos excitare et aperire valent ad vocationem divinam discernen/dam et excipiendam. Quare exemplum sacerdo- 338

[41] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 11; Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 357 ss. [LE 2579]; Paulus VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), pp. 984 ss.; cf. Alloc. *Il grande rito*, quarto exacto saeculo post constituta a Concilio Trid. Seminaria, 4 nov. 1963: *Insegnamenti*, I, pp. 288-290; Alloc. *Il Nostro desiderio*, l. c., nota 44; Alloc. *Vous nous offrez*, ad «Iuvenes ministrantes» ex universa Europa, 30 mart. 1967: *Insegnamenti*, V, pp. 126-127.

[42] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 2; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 11; Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 24; Decr. de past. Episc. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 15; Decr. de activ. missione Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, nn. 16, 39; cf. etiam Pius XII, Motu proprio *Cum nobis*, «de Pont. Opere Vocationum Sacerdotalium apud S. Congregationem Seminariis et studiorum Universitatibus praepositam constituendo», 4 nov. 1941: *A. A. S.* 33 (1941), p. 479 [LE 1646]; cum adnexis *Statutis et Normis* ab eadem S. Congregatione promulgatis d. 8 sept. 1943 [LE 1768 et 1769]; Motu proprio *Cum supremae*, «de Pont. Opere primario religiosarum vocationum», 11 febr. 1955: *A. A. S.* 47 (1955), p. 266 [LE 2482]; cum adnexis *Statutis et Normis* a S. Congregatione de Religiosis promulgatis (*Ibid.* pp. 298-301) [LE 2483 et 2484].

[43] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 2; Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), p. 357; Paulus VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), pp. 984 ss.

[44] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 2; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 11; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 11; Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 24; Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 11; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 15; Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 52; Decr. de activ. missione Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 39; cf. etiam Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 683 [LE 2151]; Alloc. *Una parola*, ad sponsos novellos, 25 mart. 1942: *Discorsi e Radiomessaggi*, IV, pp. 11-17; Ioannes XXIII, Alloc. *E' grande*, I Conventui Romae habito ex universa Italia pro vocationibus fovendis, 21 apr. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), pp. 308-314; Alloc. *Quel spettacolo*, ad eos, qui primo Conventui internat. pro vocationibus eccl. interfuerunt, 26 mali 1962: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 451-453; Paulus VI, Litt. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), pp. 985 ss.; Nuntii Radiophon. habiti occasione celebrationis «*Dies mundialis pro vocationibus*», *Pregate il Padrone*, 11 apr. 1964: *Insegnamenti*, II, pp. 240-242; *Quest'anno*, 5 mart. 1967: *Insegnamenti*, V, pp. 699-702; *La quinta Giornata*, 19 apr. 1968: *Insegnamenti*, VI pp. 133-136; Nuntius scripto datus *La celebrazione*, 19 mart. 1969: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 330-333; S. Congr. Sem. et Stud. Univ., *La preminente*, Instructio de opera Actionis Catholicae vocationibus sacerd. fovendis, 1 oct. 1960 [LE 2937].

[45] Litt. D. Hamletti I. Card. Cicognani, Secr. Status, ad D. Iosephum Card. Pizzardo, Praef. S. Congr. Sem. et Stud. Univ., 23 ian. 1964.

tum, «verum gaudium paschale aperte manifestantium» [57], pastoralis iuventutis cura in dioecesibus bene ordinata, sacrae conciones et catechesis vocationem ipsam tractantes, praeparatio spiritualis, v. gr. per exercitia spiritualia; quae omnia tamquam prima ac praecipua ratio huius pastoralis operae habenda sunt.

Quae actio, servatis sanae psychologiae et paedagogiae legibus, ad variarum aetatum homines dirigi debet; at urget in praesens novus labor ad vocationes —quas plures in maturiore aetate manifestant (quandoque post exercitam aliquam professionem)— propriis institutis et rationibus inveniendas, excolendas, formandas [58].

10. Liberali animo vocationes foveantur non tantum pro sua cuiusque dioecesi et natione, sed etiam pro aliis dioecesibus et nationibus, ratione habita necessitatum universae Ecclesiae et divinae actionis, quae singulos ad diversa munera vocat, sive ad sacerdotium saeculare, sive ad laborem missionalem, sive ad instituta religiosa. Ad quem finem facilius assequendum Centra unica peroptanda sunt in singulis dioecesibus, quae veluti exprimant cooperationem et unitatem inter utrumque clerum, dioecesanum et religiosum, pro omnibus vocationibus [59].

III. De Seminariis Minoribus [60] et aliis institutis ad eundem finem erectis

11. Proprius Seminarii Minoris finis est adulescentes, qui vocationis germina exhibere videntur, adiuvare quo facilius vocationem suam dignoscant eique respondere va- 339
leant. In re tantae prudentiae et consilii, quae / perfici nequit nisi luce ductuque Spiritus Sancti, qui dona sua dividit prout vult (cfr. 1 *Cor.* 12, 11), manuducantur candidati a Moderatoribus, parentibus, communitate paroeciali et aliis ad quos pertinet, ut, divinae Providentiae intentionibus fideliter respondentes, baptismalem suam consecrationem plenius in dies vivant et impleant, apostolico spiritu progrediantur, atque ita paratiores evadant ad sublime sacrae vocationis donum in sua vera natura percipiendum et, si legitimae auctoritatis comprobatio accesserit, libero et laeto animo amplectendum [61].

Cum autem vocatio ad sacerdotium, quamvis donum supernaturale sit et omnino gratuitum, in naturae quoque dotibus necessario innitatur ita ut, si earum aliqua desit, vocationem adesse recte dubitandum sit, alumni accurate examinentur circa eorum familias, qualitates physicas, psychicas, morales et intellectuales, ut certa iudicii elementa de eorum idoneitate tempestive haberi possint [62].

12. Debitum momentum tribuatur oportet Seminario Minori in vite dioecesis, cui prudenter apertum sit et quasi membrum vitaliter insertum, ut non solum alacrem fidelium et cleri cooperationem alliciat, verum etiam —tamquam fulcrum pastoralis curae vocationum— beneficam efficacemque vim in iuventutem exerceat atque ad spiritualem eius progressum conferat. Ex hoc convenienti cum mundo externo contactu discant alumni potiora Ecclesiae et humanae vitae problemata pro sua in/genii facultate 340
cognoscere atque christiano spiritu interpretari, et sic vero ecclesiali et missionali spiritu magis in dies progredientur [63].

Congruens et necessaria etiam servetur alumnorum consuetudo cum propriis familiis et aetate aequalibus, qua indigent ad sanam evolutionem psychologicam, praesertim affectivam. Opportuno spirituali auxilio familiis praestito provideatur ut eaedem ad ecclesiasticarum vocationum curam efficacius in dies una cum Seminario adlaborare valeant [64].

13. In Seminario vitam ducant alumni quae eorum aetati et progressioni conveniat ac sanis psychologiae et paedagogiae normis sit aptata; sedulo autem vitentur omnia quae liberam electionem status quocumque modo minuere possint, ac semper prae oculis habeatur inter alumnos inveniri alios qui sacerdotium aperte spectent, alios qui illud tamquam possibile admittant, denique alios qui se haesitantes quidem dubiosque circa vocationem manifestent, sed bene dotibus instructi sunt nec spem omnem adimunt posse eos ad sacerdotium pervenire [65].

Haec omnia requirunt ut in Seminario Minore vigeat familiaris confidentia erga Superiores et fraterna inter alumnos amicitia, ita ut omnes in unam familiam coalescentes, satis facile possint naturam sibi propriam convenienter et apte atque iuxta divinae Providentiae dispositiones excolere [66].

14. Alumni in spirituali cuiusque conformatione apta moderatione adiuventur, ut omnes suas facultates physicas, morales, intellectuales et affectivas harmonice excolant et magis in dies sensu iustitiae, sinceritatis, amicitiae fraternae, veritatis, iustae libertatis et conscientiae officii im/buantur ita ut, omnibus elementis etiam naturalibus 341
debita cura excultis [67], ad Christum Redemptorem magno et puro animo sequendum eique in apostolica vita serviendum facilius disponi possint [68].

Praecipuum ac necessarium spiritualis huius conformationis elementum est vita liturgica, pleniore in dies conscientia participanda pro alumnorum progrediente aetate, et pariter alia pietatis exercitia sive cotidiana sive certis temporibus in singulorum Seminariorum Ordinationibus determinanda. Haec iuvenibus christianis conveniant eaque omnes laeto et volenti animo peragant [69].

15. Seminarium etiam in aliis suae vitae partibus propias normas habeat, quibus varia alumnorum officia et activitates per diem totumque annum apte disponantur [70].

16. Curriculum studiorum alumni perficiant quod in propria natione ad studia academica inchoanda requiritur; quantum vero studiorum ratio permittit, ea studia praeterea colant quae candidatis ad sacerdotium necessaria vel utilia sunt. Communiter vero curent civilem studiorum titulum consequi, ut pares sint aliis iuvenibus, ac libertate

[46] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 11; Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 2.

[47] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 2; cf. Documenta in nota 55 relata; quoad vocationes adultorum, cf. Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 684 [LE 2151].

[48] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 2; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, nn. 10, 11.

[49] De praeparatione ad Seminarium *Maius*, quod est institutio immediate ad sacerdotium ordinata et habita ut necessaria, Concilium Vaticanum II sententiam suam protulit, spectabatque institutionem hucusque communem, quae sub Seminarii Minoris nomine venit. Eam Concilium censuit esse quidem integre renovandam, sed nostris etiam temporibus permanere validam atque aptam ad vocationis germina excolenda. Ut autem Seminarium Minus huic magni momenti proposito in praesentibus rerum adiunctis melius respondeat illudque assequatur, paucae quidem sed aptissimae normae a Concilio editae sunt ut haec institutio suam propriam structuram habeat, suae naturae suoque fini consonam, nec figuram exhibeat alicuius Seminarii Maioris in minorem formam redacti, in quo neque studio neque verae libertati vocationum convenienter consuli possit.

Concilium vero dum illud commendat, non negat ut alias vias simul experiri aliquis possit, immo opportune experiatur ad sacerdotales vocationes fovendas, dummodo ipsa institutio Seminarii Minoris inde detrimentum non patiatur, et ipsae novae experientiae sint prudenter serieque ordinatae ad suum finem, nec meram abdicationem dissimulent. Ecclesia enim censet — sicuti ex eius doctrina, experientia usuque constat — iam inde a pueritia signa quaedam vocationis divinae discerni posse, quae sollertem et accommodatam curam requirunt.

[50] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 3; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 685; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 358 ss.; Alloc. *C'est une grande joie*, alumnis e Seminariis Minoribus Galliae peregrinationis causa Romae coadunatis, 5 sept. 1957: *A. A. S.* 49 (1957), pp. 845-849.

[51] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 6; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 684; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), p. 357; Paulus VI, Litt. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), pp. 990 ss. Cf. infra notas ad nn. 39-40.

[52] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 9; Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 25; Decr. de activ. missione Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 39; Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam*, 6 aug. 1964: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 627, 638; Alloc. *L'odierna udienza*, Christifidelibus coram admissis, 2 sept. 1964: *Insegnamenti*, II, pp. 517-519.

[53] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 3; Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 3; cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 685.

[54] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 1; Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 1: Pius XII, Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 1; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 687; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), p. 357; Paulus VI, Nuntius Radiophon. *La quinta giornata*, habita occasione V diei mundialis pro vocationibus, 19 apr. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 134-135.

[55] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 3; Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 1; cf. Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 359-360.

[56] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 8; Decr. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 13, 14, 17; cf. Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, nn. 2, 4; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), pp. 671, 689; Paulus VI, Alloc. *Il Concilio*, ad Episcopos Italiae, 6 dec. 1965: *Insegnamenti*, III, p. 710; S. Congr. de Sacr., Instructio *Postquam Pius*, ad Episcopatum de Communione quotidiana in Seminariis et aliis Institutis eccles., 8 dec. 1938 [LE 1458]; S. Congr. Rit., Instructio *Inter Oecumenici*, ad exsecutionem Constitutionis de Sacra Liturgia recte ordinandam, 26 sept. 1964, nn. 14, 15, 17, 18: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 880-881 [LE 3217]; Instructio *De cultu mysterii Eucharistici*, 25 mali 1967: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 539-573 [LE 3362].

[57] Ioannes XXIII, Alloc. *Questo incontro*, ad Moderatores spiritus Romae coadunatos, 9 sept. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), p. 676.

http://www.obrascatolicas.com

et facultate gaudeant alium statum vitae amplectendi, si ad sacerdotium vocati non inveniantur [71].

17. Haec studia perficiantur in scholis propriis Seminarii vel etiam, si Episcopi id melius iudicaverint pro pe-
342 culiaribus locorum adiunctis et / si ita prudenter fieri potest, apud externas catholicas scholas peragantur, aut etiam apud alias.

18. Eidem proposito inserviunt Instituta quoque in variis regionibus erecta, nempe Collegia, Scholae etc., in quibus simul cum aliis vocationis quoque sacerdotalis germina curantur et excoluntur. Similes pro his Institutis normae statuantur, quibus provideatur tum solidae institutioni christianae alumnorum, tum congruae institutioni ad altiora studia requisitae tum eorum apostolicae actuositati per varias consociationes aliaque subsidia [72].

19. Pro cuiusque nationis necessitatibus erigantur ac foveantur Instituta iis efformandis destinata, qui provectiore aetate ad sacerdotium vocantur. Hae autem peculiares institutionis sacerdotalis domus, auxilio Episcoporum regionis vel etiam nationis ita conformentur et instruantur ut sibi praestituto fini omnino respondeant [73].

Huiusmodi Instituta propriam pietatis, disciplinae atque studiorum Ordinationem habeant oportet, ut aetate maturiores, ratione habita praecedentis uniuscuiusque formationis, apta ratione paedagogica et didactica, eam qua indigent formationem spiritualem et scientificam accipiant, quae necessaria videatur ad studia ecclesiastica inchoanda.

Attentis locorum adiunctis, videndum etiam erit utrum alumni, post absoluta per congruum tempus studia media, aggregandi sint ordinariis Seminariorum curriculis, an peculiaribus addicendi sint scholis philosophicis et theologicis.

IV. De Seminariis Maioribus [74]

20. Seminarium Maius alumnos excipit qui, actis studiis quae media dicuntur, institutionem stricte sacerdotalem exoptant. Seminarium enim eo spectat, ut vocatio candidatorum clarius pleniusque excolatur atque, ad exemplum D. N. Iesu Christi, Magistri, Sacerdotis et Pastoris,
343 veri / animarum pastores formentur ac parentur ad ministerium docendi, sanctificandi et regendi populum Dei [75].

21. Seminarium Maius erigi et servari nequit nisi habeantur tum congruus alumnorum numerus, tum moderatores ad munus suum probe parati atque consociata fraterne opera coniuncti, tum etiam, ubi Institutum scholam philosophico-theologicam simul includit, professores numero et qualitate sufficientes, apta praeterea sedes, bibliotheca atque eis aliis subsidiis instructa, quae pro institutionis gradu et natura requiruntur [76].

Ubi vero hae condiciones in una dioecesi haberi nequeunt, necessaria est Seminarii interdioecesani (Regionalis, Centralis vel Nationalis) erectio et, pro locorum adiunctis, fraterna dioecesani et religiosi cleri cooperatio ut, coniunctis viribus opibusque atque servatis convenienter utriusque cleri iuribus et officiis, facilius constitui possint aptae ecclesiasticorum studiorum sedes, ab alumnis utriusque cleri

[71] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 3; cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 687; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 361-362.

[72] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 3; cf. n. 13. [73] *Ibid.*, n. 3.

[74] Seminarii Maioris necessitatem Concilium Vaticanum II affirmat (Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 4), ac plures normas praescribit ad hanc institutionem in variis suis partibus renovandam. Ut igitur apertae huic voluntati satisfiat et novis insurgentibus necessitatibus in institutione sacerdotali opportune occurratur, requiritur prorsus ut perspectum sit quid ad essentiam huius institutionis ex Ecclesiae sententia pertineat, quid non.

Ut veri nominis Seminarium habeatur, prout ex documentis et constanti Ecclesiae mente erui potest, haec prorsus requiruntur: communitas vero caritatis spiritu imbuta, ad hodierni mundi necessitates aperta atque ad modum corporis composita, in qua nempe auctoritas legitimi moderatoris ex animo et iuxta exemplum Christi efficaciter exerceatur et, omnibus iuvantibus, alumnorum maturitas humana et christiana vere foveatur; facultas inchoandae experientiae condicionis sacerdotalis per relationes tum fraternitatis tum dependentiae hierarchicae; illustratio doctrinae sacerdotii a moderatoribus facta ab ipso Episcopo delegatis, ac simul vitae sacerdotis et condicionum omnium quae in sacerdote requiruntur, quas alumni paulatim cognoscere et recipere debent, sive fidem doctrinamque spectant, sive vivendi rationem; opportunitas probandae vocationis sacerdotalis certisque signis et qualitatibus confirmandae, ut de idoneitate candidati ad sacerdotium possit certum iudicium Episcopo praeberi.

[75] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 4.

[76] Cf. *Ibid.*, nn. 5, 9.

frequentatae, qui suis in domibus spiritualem pastoralemque formationem accipiunt [77].

22. Cum Seminarii institutio et educatio eo spectet ut candidati, unius eiusdemque sacerdotii et ministerii Christi aliquando participes effecti, communionem hierarchicam cum proprio Episcopo ceterisque in sacerdotio fratribus ineant, unicum dioecesis Presbyterium componentes, valde expedit ut inter alumnos et proprios Episcopos atque dioecesanum clerum, iam ab annis Seminarii arcta vincula nectantur, in / mutua caritate et frequenti sermonis com- 344
mercio et omnis generis cooperatione innixa [78].

23. Ratione habita numeri alumnorum, ut propria cuiusque formatio magis promoveatur, coetus distincti utiliter constitui possunt in eodem aedificio vel in aedibus propinquis, ne assiduitas mutui commercii impediatur. Retinenda tamen est efficiens unitas regiminis, directionis spiritualis et scientificae institutionis [79].

Singuli coetus proprium sacerdotem moderatorem habeant, ad munus suum probe paratum, qui arctam constantemque coniunctionem servet cum Seminarii Rectore, cum alumnis proprii coetus et cum aliorum coetuum moderatoribus, ut per consociatam sic operam omnia promoveantur, quae ad meliorem alumnorum institutionem conducant.

24. Ad Seminarii vitam ordinandam perficiendamque, atque ad industriam conscientiamque officii in alumnis fovendam, curetur eorundem cooperatio cum Superioribus, quae progrediente alumnorum maturitate paulatim quoad extensionem et qualitatem augeatur, ita tamen ut in hac communi agendi ratione, diversa Superiorum alumnorumque responsabilitas clare definita et servata remaneat.

Quare, inter educatores et alumnos mutua fiducia omnibus modis foveatur ad verum et efficacem dialogum instaurandum, ita ut decisiones, quae ad Superiores iure spectant, post aequam boni communis inquisitionem habeantur (cfr. n. 49) [80].

25. In unoquoque Seminario disciplinae Ordinatio (*règlement, Lebensordnung, regolamento, Rule of Life, reglamento*) habeatur, ab Episcopo (vel, si de Seminario interdioecesano agatur, a coetu Episcoporum) approbata, qua indicentur potiora disciplinae capita quae ad alumnorum cotidianam vitam et totius Instituti ordinem spectant [81]. / 345

26. Quae sive in Seminarii Ordinatione sive in aliis deliberationibus statuta sunt, omnes magno et alacri animo servent, sibi persuasum habentes quantum hoc necessarium sit tum ad veram vitam communitatis habendam tum ad proprium cuiusque ingenium explicandum et roborandum. Ideo normae vitae communis vel privatae —iustum quoddam libertatis spatium servantes— non ex inertia et coactione subeundae sunt, sed sponte et alacriter, ex intima persuasione et caritate. Temporis autem decursu, prout nempe creverit alumnorum maturitas et officii conscientia, gradatim attenuandae sunt, ita ut ii sibimetipsis moderari pedetemptim addiscant [82].

V. De Moderatoribus

27. Secundum regionis consuetudinem in singulis Seminariis adsint qui de eorum moderatione spondeant, ut sunt Rector, Vice-Rector, Director vel Directores Spirituales, Praefectus studiorum, Moderator exercitationum pastoralium, Praefectus vitae communis Seminarii ordinandae, Oeconomus, Bibliothecarius; quorum singulorum munera, obligationes, iura atque iusta retributio clare definiantur.

In Seminariis modestioris condicionis, cum minore numero alumnorum, non requiritur stricte ut singulis his muneribus totidem homines tribuantur.

[77] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 7; cf. Pius XI, Epist. Apost. *Officiorum omnium*, 1 aug. 1922: *A. A. S.* 14 (1922), pp. 456-457 [LE 443]; Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*, 20 dec. 1935: *A. A. S.* 28 (1936), pp. 38-39 [LE 1302].

[78] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, n. 8; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 690.

[79] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 7.

[80] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 11; Paulus VI, Litt. Encycl. *Sacerdotalis caelibatus*, 24 iun. 1967: *A. A. S.* 59 (1967), p. 684, n. 68 [LE 3574]; Alloc. *Libenti fraternoque animo*, ad Delegatos Commissionum Episcopalium pro Seminariis Romae coadunatos ad Rationem Fundamentalem elaborandam, 27 mart. 1969: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 253-256. [81] Cf. p. 341 [AAS 62 (1970) 341; supra Col. 5712], nota 70.

[82] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 11; cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 686; Ioannes XXIII, Alloc. *Questo incontro*, ad Moderatores spiritus Romae coadunatos, 9 sept. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), p. 676; Paulus VI, Litt. Encycl. *Sacerdotalis caelibatus*, 24 iun. 1967: *A. A. S.* 59 (1967), p. 684, n. 67 [LE 3574].

28. Moderatores nominantur ab Episcopo —nisi Seminarii statuta aliud decernant— diligenti praehabita consultatione. Sint omnes de Seminarii progressu vere solliciti ac frequentem dialogum cum Episcopo et alumnis foveant ad maius commune bonum quaerendum atque ad paedagogicam suam operam magis in dies perficiendam [83].

29. Rector, qui praecipuum graviusque in Seminarii regimine onus suscipit, sit Moderatorum coordinator atque fraterna caritate arctam cum ipsis foveat cooperationem,
346 conscientiae foro semper religiose ser/vato, ut concordi opera alumnorum institutio promoveatur. Ad hoc quam maxime conferre potest Moderatorum vita communis. Saepe, v. gr. saltem semel in mense, conveniant ad communem actionem suam componendam, ad Seminarii difficultates et negotia expendenda et congruas inveniendas solutiones [84].

30. Maxima cura seligantur Moderatores, qui viri sint spiritu sacerdotali et apostolico imbuti, ad mutuam fraternamque cooperationem in communi educationis opera praestandam idonei, ad percipiendas necessitates communitatis ecclesialis et civilis alacres et aperti, pastorali experientia instructi in paroeciali ministerio vel in aliis, atque iuvenilium animorum perspicacia praestantes [85].

Cum Superiorum munus in Seminario sit ars omnium praecellentissima, quae extemporalem fortuitamque agendi rationem non patiatur, praeter naturales et supernaturales dotes necessario habere debent, pro cuiusque muneris natura, debitam praeparationem spiritualem, paedagogicam vel technicam, quam sibi acquisiverint praecipue in peculiaribus Institutis ad hunc finem sive in propria sive in aliis regionibus erectis vel erigendis [86].

31. Curandum quoque est ut Moderatorum praeparatio ex inductis cotidie innovationibus (*aggiornamento*) perficiatur, frequentando conventus vel cursus, qui institui solent ad spiritualium et paedagogicarum scientiarum pro-
347 gressus cognoscendos ac novas methodos novasque expe- / rientias addiscendas. Nec neglegantur varia experimenta et incepta, quibus Moderatores quaestiones —iuvenum praesertim— quae nunc agitantur, melius cognoscere atque ex luce fidei solvere possint [87].

VI. De Professoribus

32. Congruus habeatur numerus Professorum, ratione habita disciplinarum tradendarum, rationis docendi et numeri alumnorum; pro unoquoque Seminario, ubi institutio philosophico-theologica traditur, elenchus habeatur Professorum qui requiruntur in diversis curriculis et disciplinis.

33. Pro disciplinis sacris Professores sint communiter sacerdotes; omnes autem ex animo operam suam cum aliis fraterne consocient, et tales sint ut pro sua condicione, vel christianae vel sacerdotalis vitae exemplum alumnis praebeant. Nominantur ab Episcopo, nisi aliter cautum sit, vel si de Seminariis Regionalibus agitur, ab Episcopis qui eorundem Seminariorum curam habent, consulto tamen Rectore et collegio Professorum, qui idoneos candidatos proponere possunt [88].

[83] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 5; Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*, 20 dec. 1935: *A. A. S.* 28 (1936), p. 37; Paulus VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), p. 984.

[84] Cf. Ioannes XXIII, Alloc. *L'incontro odierno*, ad Seminariorum Rectores qui ex universa Italia interfuerunt Conventui de alumnis ad praesentis aetatis rationem instituendis, 29 iul. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 562; Alloc. *Questo incontro*, ad Moderatores spiritus Romae coadunatos, 9 sept. 1962: *A. A. S.* 54 (1962) p. 673.

[85] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 5; cf. Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 18; Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*, 20 dec. 1935: *A. A. S.* 28 (1936), p. 37; cf. Ioannes XXIII, Alloc. *E' grande*, ad eos qui Conventui interfuerunt Romae habito ex universa Italia pro vocationibus sacerdot. fovendis, 21 apr. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 311.

[86] Cf. *Quaesitum n. IV in Synodo Episcopali* a Card. Praefecto S. Congregationis pro Institutione Catholica propositum: «An praecipere oporteat, ut Educatores futuri Cleri specifica praeparatione polleant, acquisita per regularem frequentiam alicuius Instituti vel Scholae Superioris a Conferentia Episcopali erecta aut approbata, vel saltem per participationem aliquorum Cursuum apposite institutorum». In quaesitum istud Patres haec vota emiserunt: 120 placet, 8 non placet, 51 placet iuxta modum, 3 abstensiones. Cf. Ioannes XXIII, Alloc. *Questo incontro*, ad Moderatores spiritus Romae coadunatos, 9 sept. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), p. 674.

[87] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 16; Ioannes XXIII, Alloc. *L'incontro odierno*, ad Seminariorum Rectores qui ex universa Italia interfuerunt Conventui de alumnis ad praesentis aetatis rationem instituendis, 29 iul. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 560; Alloc. *La vostra vibrante*, ad Magistros catholicos Romae coadunatos, 22 sept. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 713-714; Paulus VI, Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, 6 aug. 1966: *A. A. S.* 58 (1966), p. 786; III, n. 3 [LE 3457].

[88] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 5;

34. Professores in sua quisque disciplina vere periti esse debent et convenientem disciplinarum affinium cognitionem habere [89]. Quare debitam praeparationem habuerint oportet et sint congruis gradibus academicis ornati: ad scientias sacras et philosophiam docendas saltem Licentiam vel aequivalentem qualificationem, ad ceteras vero disciplinas idoneas qualificationes academicas habere debent.

35. Dotibus quoque paedagogicis ornati sint oportet, ideoque curandum est ut idoneam praeparationem etiam in hac re habeant et instituantur methodis didacticis activis, quibus alumnos per cooperationem et dialogum aptius docere valeant [90]. / 348

36. Curent Professores propriam praeparationem scientificam constanter perficere (*aggiornare*) lectione periodicorum et novorum librorum, frequenti cum viris doctis commercio partemque habendo in conventibus scientificis [91].

37. Professores officia ne sibi sumant, quibus a suo munere rite implendo impediantur; ideo etiam aequa remuneratione donari debent, ut proprio gravi muneri totos se dedere possint. Laudabiliter tamen quaedam ministeria moderate exercebunt ut experientia pastorali iuventur in problematibus nostri temporis, praesertim iuventutis, plenius cognoscendis tradendisque suis disciplinis ad futuros animarum pastores aptius formandos.

38. In munere explendo vere educatores se reputent, et ideo prae oculis habeant normas de doctrina tradenda et de ratione docendi, quae infra indicantur; curent singulorum alumnorum institutionem et universam sacerdotalem formationem, ut illi in scientiis et in spirituali vita vere proficiant; frequenter, v. gr. saltem semel in mense, congregentur ad res scholasticas coniunctim examinandas, ut sedula concordique opera alumnorum institutionem formationemque promoveant.

Arctam assiduamque foveant cooperationem etiam cum Seminarii Moderatoribus, ut non solum ad scientificam, sed etiam ad integram sacerdotalem alumnorum formationem efficacius possint conferre. Denique, moderatores et professores unam constituant educatorum communitatem, ita ut una cum alumnis vere imaginem praebeant unius familiae, quae Domini votum expleat: «ut unum sint» (*Io.* 17, 11) [92].

VII. De Alumnis

39. Ad aptam alumnorum institutionem requiritur non tantum prudens eorum selectio, sed etiam singulorum iuvenum seria probatio inter studiorum decursum, consilio peritorum facienda ut de voluntate Dei / circa eorum voca- 349
tionem certo constet. In hac sincera voluntatis Dei inquisitione ipsorum candidatorum probandorum participatio libenter requiratur, ad eorum maius spirituale bonum citius et securius procurandum.

Qua in re considerandae sunt iuvenum dotes humanae et morales (v. gr. animi sinceritas, maturitas affectiva, urbanitas, promissis servata fides, assidua iustitiae cura, sensus amicitiae et iustae libertatis ac responsabilitatis, industrius animus, voluntas cooperandi cum aliis, etc.), spirituales (v. gr. amor erga Deum et proximum, studium fraternitatis et abnegationis, docilitas, probata castitas, sensus fidei et Ecclesiae, sollicitudo apostolica et missionalis), et intellectuales (v. gr. rectum et sanum iudicium, ingenium sufficiens ad studia ecclesiastica perficienda, recta sacerdotii notio eiusque condicionum, etc.), ut iudicari possit utrum apti necne sint ad ministerium sacerdotale.

Pariter a peritis medicis et aliis, qui scientiam psychologicam callent, generatim examinanda est eorum valetudo physica et psychica, consideratis quoque habitibus a familia forte hereditate transmissis [93].

Imprimis autem iuvandi sunt alumni ut serio et sincere

cf. Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 18. [89] Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), p. 362. [90] Cf. superius, nota 88. [91] Cf. Paulus VI, Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, 6 aug. 1966: *A. A. S.* 58 (1966), p. 786; III, n. 3.

[92] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 5; cf. Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 362-363; Ioannes XXIII, Alloc. *E' grande*, I Conventui Romae habito ex universa Italia pro vocationibus fovendis, 21 apr. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 311.

[93] S. Congr. S. Officii, Monitum *Cum compertum*, de falsis quibusdam opinionibus circa peccata contra VI praeceptum et de examinibus psychoanalyticis, 15 iul. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 571 [LE 2999]; S. Congr. pro Relig. et Inst. Saec., Instructio *Renovationis causam*, de accommodata renovatione institutionis ad vitam religiosam ducendam, 6 ian. 1969: *A. A. S.* 61 (1969), p. 113, n. 11 [LE 3707].

http://www.obrascatolicas.com

coram Deo recogitent an revera vocari se ad sacerdotium credere possint, et rationes, quibus ad illud contendunt, discernere valeant ut, si Deo placuerit, recta et libera voluntate ad officium sacerdotis accedant [94].

40. Certis temporibus una cum singulis alumnis, de quibus probatio fit, propria cuiusque condicio examinetur, ita ut qui a Rectore eiusque consiliariis non idonei inveniantur, ad alium vitae statum amplectendum benigne invitentur atque etiam adiuvertur in Ecclesiae et ipsius
350 alumni / bonum. Haec autem certa status vitae electio tempestive et quam primum obtinenda est, ne nimia et inutilis dilatio in candidati damnum vertatur [95].

41. Peculiare autem momentum tribuendum est scrutinii ante sacros Ordines suscipiendos praescriptis. Quare Rector, ex muneris sui conscientia accuratas notitias de singulis candidatis colligat per se et per alios qui eos bene noverint, imprimis ex parochis, sacerdotibus et selectis laicis (conscientiae foro semper religiose servato) easque Episcopo transmittat ut de candidatorum vocatione tuto iudicare possit. Si vero dubium perstet, tutior sententia sequenda est [96].

42. Ad meliorem alumnorum institutionem et maturiorem ad Ordines sacros praeparationem, Conferentiae Episcopales perpendant utrum opportunum sit in propria regione peculiaria experimenta seu probationes introducantur, sive pro omnibus alumnis, sive pro aliquibus singulis, iuxta proprii Ordinarii iudicium [97].

Inter varias probationes quae fieri possunt hae, exempli causa, proponuntur:

a) Ineunte curriculo philosophico-theologico, peculiare temporis spatium tribui potest perpendendis sacerdotalis vocationis excellentiae et naturae atque obligationibus cum ipsa connexis, ut accuratiore consideratione impensioreque oratione maturae deliberationi alumni initientur.

Haec initiatio, quae vario temporis spatio produci potest, generatim apte coniungitur cum introductione in mysterium Christi et historiam salutis, quae ineunte curriculo philosophico-theologico iuxta Concilium habenda est.

b) Inter curriculum philosophico-theologicum, interruptio haberi potest commorationis in Seminario, v. gr. per annum aut semestre, quo tempore alumnus interrumpit vel studia vitamque in Seminario, vel solummodo vitam
351 in Seminario, studia autem philosophico-theologica alibi / prosequitur. Inter huiusmodi interruptionem alumnus, ductus a perito sacerdote, pastorali ministerio auxilium praestat, homines quaestionesque et difficultates cognoscit in quibus erit ei operandum, atque propriam aptitudinem ad sacerdotalem vitam et ad ministerium experitur. Nec excluduntur experimenta vitae saecularis in opera manuali vel in militia ubi ea est obligatoria.

Vel etiam, post primum Seminarii Maioris annum, alumnis facultas detur ut aut secundum ineant, aut studiis profanis in Universitate vacent, aut studia cuiusdam peculiaris disciplinae extra Seminarium peragant; hoc modo, primis experientiis in Seminario expletis, candidato spatium verae libertatis interioris et exterioris offeretur ad suam propriam vocationem solidius diligentiusque excolendam.

c) Expleto curriculo philosophico-theologico, poterunt per unum vel plures annos officia diaconalia exercere ut, sub periti sacerdotis moderatione, plenior vocationis maturatio et confirmatio obtineatur, atque disciplinae pastorales, quas iuvenes in Seminario didicerunt, melius assimilentur et transitus ad ministerium sacerdotale convenientius faciliusque fiat.

[94] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 6; Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*, 20 dec. 1935: *A. A. S.* 28 (1936), p. 42; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 684; S. Congr. de Sacram., Litt. circulares *Magna equidem*, ad locorum Ordinarios, 27 dec. 1955, n. 10 [LE 2542]; pro religiosis cf. *Statuta Generalia* adnexa Constitutioni Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956, art. 33 [LE 2591]; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum*, 28 nov. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 842-843 [LE 2851]; Alloc. *Ad nobilissimam*, in secunda Synodi Romanae sessione habita, 26 ian. 1960: *A. A. S.* 52 (1960), pp. 224 ss.; Paulus VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), pp. 987 s.; Litt. Encycl. *Sacerdotalis caelibatus*, 24 iun. 1967: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 682 s. [LE 3374].

[95] S. Congr. de Sacram., Litt. circulares *Magna equidem*, ad locorum Ordinarios, 27 dec. 1955, nn. 4 ss. [LE 2542]. [96] Cf. *C. I. C.*, can. 994, 1006; Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*, 20 dec. 1935: *A. A. S.* 28 (1936), pp. 39 ss.

[97] Conf. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 12; Paulus VI, Litt. Encycl. *Sacerdotalis caelibatus*, 24 iun. 1967: *A. A. S.* 59 (1967), p. 685, n. 71; cf. S. Congr. pro Relig. et Inst. Saec., Instructio *Renovationis causam*, de accommodata renovatione institutionis ad vitam religiosam ducendam, 6 ian. 1969: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 109, 115 s.; nn. 3, 23, 24.

Experimentorum, de quibus sub *b)* et *c)*, congruae definiantur condiciones ad feliciorem exitum tutum reddendum.

43. Conferentia Episcopalis consideret quoque an, attentis condicionibus regionis, protrahenda sit aetas a iure communi pro sacris Ordinibus requisita [98].

VIII. De Institutione Spirituali [99]

44. Institutio spiritualis quae ad perfectionem caritatis ordinatur, eo praesertim tendere debet ut sacrorum alumnus non tantum vi sacrae ordinationis, sed ex intima totius vitae consortione, peculiari ratione alter / fiat Christus et, 352
Eius spiritu imbutus, in *mortis Dominicae mysterio* celebrando vere agnoscat quod agit, imitetur quod tractat, Eum sequatur qui *non venit ministrari sed ministrare* (cfr. *Mt.* 20, 28) [100].

45. Prae oculis constanter habito fine pastorali totius formationis sacerdotalis, spiritualis vita alumnorum, auxilio Directoris spiritus [101], in variis suis partibus ordinate evolvatur [102], ita ut simul cum iis virtutibus, quae inter homines pluris fiunt [103] iuvenes gratiam suam baptismalem ad perfectionem excolere studeant, clarius in dies certiusque sentiant peculiarem suam vocationem sacerdotalem et sic aptius se disponant ad virtutes habitusque presbyteralis vitae sibi acquirendos. / 353

46. Debitum pondus in spirituali formatione tribuendum est etiam communitati, in qua alumni inserti assuescant propriam voluntatem deponere et communi consilio et nisu quaerere maius proximi bonum, sic pro viribus conferentes ad propriam cuiusque et communem totius Seminarii vitam perficiendam, ad exemplum primaevae Ecclesiae, in qua multitudo credentium erat cor unum et anima una (cfr. *Act.* 4, 32). Per caritatem enim communitas fruitur praesentia Dei, plene legem observat, vinculum perfectionis assequitur et magnam exercet virtutem apostolicam [104].

47. Per vitam in Seminario communem candidati ad sacerdotium praeparentur, ut tandem aliquando Ordine sacro aucti, «sacramentali fraternitate», uniantur ampliori

[98] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 12; cf. S. Congr. pro Relig. et Inst. Saec., Instructio *Renovationis causam*, 6 ian. 1969: *A. A. S.* 61 (1969), p. 110, n. 6 (ad vota sollemnia quod attinet).

[99] Hoc capite traduntur aliqua lineamenta spiritualis vitae sacerdotalis, ab alumnis pedetemptim acquirendae. Sic autem perstringi possunt:

Spiritualis alumnorum vita praecipuam suam formam a Christo Sacerdote accipit, cui futuri sacerdotes per vocationem suam peculiari modo sociantur. Cum enim deboant eumdem idemque sacerdotium et ministerium Christi» (Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 7) participare, necesse est ut Ei non solum per sacram Ordinationem, sed toto prorsus animo configurentur, evangelicam vitae formam per conatus cotidianos paulatim assumendo. Peculiari modo se Christo devoveant Eumque sequantur ejoi virgo et pauper (cf. *Mt.* 8, 20; *Lc.* 9, 58) per obedientiam suam usque ad mortem Crucis (cf. *Phil.* 2, 8) homines redemit et sanctificavit» (Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 1).

In fide, spe et caritate magis in dies radicati, luci Spiritus Sancti suos aperiant animos atque studeant habitum orationis praesertim ex Liturgia et verbi Dei contemplatione acquirere et, assiduo sacramentorum usu vitam nutriendo, omnes virtutes harmonice excolere, ita ut digni «ministri Capitis» (Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 12) in mystico Christi Corpore fieri possint. Ita ad sensum Ecclesiae et futurum munus apostolicum edoceantur, ut valeant, sub Episcopi auctoritate et in spiritu servitii, modestam et fraternam cooperationem suam in Clero dioecesano praestare. Pastorali caritate moti addiscant mutationes humanae societatis prompto apertoque animo percipere, temporum signa interpretari et in voluntatis Dei lumine (cf. Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 14) interiorem suam vitam cum actione externa unire, ita ut per fidele apostolatus exercitium sancti fiant et quamvis his in terris vivant, semper tamen ostendant non esse ex hoc mundo (cf. Const. dogm., de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 41).

[100] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, nn. 4 & 8; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, nn. 4, 5, 6; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), pp. 660 ss.; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*, 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 545 ss.; Paulus VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), pp. 979 ss.

[101] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 8; cf. Ioannes XXIII, Epist. Apost. *Pater misericordiarum*, 22 aug. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 677; Alloc. *Questo incontro*, ad Magistros pietatis Romae coadunatos, 9 sept. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 673-674.

[102] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 8.

[103] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 11; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 3; Cf. Pius XII, Alloc. *Magis quam*, ad Ord. Carmel. Disc. sodales, 23 sept. 1951: *Discorsi e Radiomessaggi*, XIII, p. 256; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 358-360; Paulus VI, Alloc. *Il 12 dicembre*, habita occasione inaugurationis novae sedis Pont. Collegii P. Lat. Amer. Romae, 30 nov. 1963: *Insegnamenti*, I, p. 352; Litt. Encycl. *Sacerdotalis caelibatus*, 24 iun. 1967: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 683-684, nn. 65-67.

[104] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de accomm. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 15. [105] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 8.

communitati dioecesani Presbyterii «vinculo caritatis, orationis et omnimodae cooperationis... ad aedificationem Corporis Christi, quae praesertim nostris temporibus multiplicia officia necnon novas accommodationes requirit» [105]. Introducantur igitur alumni pedetemptim in veram dioecesis condicionem (cfr. supra n. 22), ut cleri fideliumque res et necessitates spirituales cognoscant et futurum munus pastorale maiore cum fructu explere possint [106].

48. Ecclesia ritus latini normam sibi statuit, venerando usu commendatam, eos tantum ad sacerdotium eligendi qui ex Dei gratia libere propter Regnum caelorum caelibatum amplecti velint [107]. Quae forma vitae in evangelica doctrina et genuina Ecclesiae traditione radicata, multimodam convenientiam cum sacerdotio habet. Missio enim sacerdotis integra dedicatur servitio novae humanitatis, quam Christus, victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat; est status quo presbyteri Christo «facilius indiviso corde adhaerent, liberius... servitio Dei et hominum se dedicant... et sic aptiores fiunt qui paternitatem in Christo latius accipiant...». Hoc igitur modo, statum nempe virginalem propter Regnum caelorum (*Mt.* 19, 12) eligentes, 354
«signum vivum efficiuntur illius mundi / futuri, per fidem et caritatem praesentis», «in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores» (cfr. *Lc.* 20, 35-36) [108].

Qui ideo ad sacerdotium se praeparant, caelibatum tamquam peculiare donum Dei agnoscant et acceptent; per vitam impense deditam orationi et unioni cum Christo atque sincerae caritati fraternae necessarias creent condiciones, quibus illum integre et laeto animo servare possint, constanter solliciti de sinceritate factae suipsius donationis [109].

Ut autem electio caelibatus vere libera sit, requiritur ut iuvenis evangelicam huius doni vim luce fidei perspicere possit, idemque bona status matrimonialis recte aestimet [110]. Plena etiam gaudeat libertate psychologica interna et externa, atque necessarium gradum maturitatis affectivae possideat, ita ut caelibatum tamquam suae personae completionem sentire atque vivere possit [111].

Ad hoc congrua educatio sexualis requiritur [112], quae in alumnis qui maturiorem adolescentiam iam assecuti sint, magis in formatione ad castum personarum amorem consistit quam in sollicitudine, aliquando molestissima, vitandi peccata; eos enim ad futurum pastoralis ministerii commercium praeparare debet. Quare gradatim, sana ac spirituali discretione invitentur iuvenes et adducantur, ut in coetibus ac diversis apostolatus et cooperationis socialis partibus amorem experiantur ac manifestent sincerum, humanum, fraternum, personalem atque immolatum in exemplum Christi, erga omnes ac singulos, praesertim vero pauperes, afflictos, aequales; hac ratione solitudinem cordis superabunt. Hunc amorem aperte ac fidenter manifestatum Magistris spiritus et Superioribus, cum iis in Domino dijudicare addiscant; devitent autem relationes singulares, praesertim solitarias et productas, cum personis alterius sexus, sed potius amorem omnibus apertum, ideoque vere castum, exercere studeant et tamquam donum a Deo impetrare assuescant.

Inspecta igitur peculiari huius doni natura, quod *desursum est, descendens a Patre luminum* (*Ic.* 1, 17), oportet
355 ut candidati ad sacerdotium au/xilio Dei nixi et propriis viribus non nimis confidentes, «mortificationem sensuumque custodiam adhibeant. Media quoque naturalia ne omittant, quae mentis et corporis sanitati favent. Ita fit ut falsis doctrinis, quae continentiam perfectam tamquam impossibilem vel humano profectui nocivam ostentant, non moveantur, et omnia quae castitatem in periculum adducunt, instinctu quodam spirituali, respuant» [113].

49. Arcta et amica necessitudo quam alumnus appetere debet cum persona et missione Christi, qui suum opus in humili obsequio erga voluntatem Patris confecit (cfr. *Io.* 4, 34), necessario requirit ut sacerdotii candidatus «voluntatem propriam per oboedientiam servitio Dei et fratrum» [114] sincera fide dedicare sciat. Maxime enim oportet ut is, qui una cum Christo crucifixo in Corpore Eius aedificando partem habere cupiat, crucem non solum acceptare discat, sed etiam amare atque libenti et pastorali animo omnia onera sibi assumat, quae ad apostolicam missionem agendam requiruntur.

Ad Moderatores igitur spectat iuvenes ad veram maturamque oboedientiam instituere, Christo confisos, qui oboedientiam a suis quidem quaesivit, sed prius sese exemplar eiusdem virtutis exhibuit, idemque gratia sua semetipsum in nobis oboedientiae principium fecit. Oportet proinde ut auctoritatem cum prudentia et respectu personarum exerceant. Iuvenes autem sociam suam operam hac in re profecto praestabunt, dummodo eis oboedientia in vera luce proponatur, ostendendo nempe quomodo oporteat ut omnes ad communis boni assecutionem concurrant et ut auctoritas ad hoc sit ordinata (cfr. n. 24).

Quam oboedientiam, plenam et sinceram, imprimis Summo Pontifici, Christi Vicario, humili obsequio et filiorum pietate praestare debent, atque proprio Episcopo eodem spiritu, ut per sacerdotium fiant eius fidi cooperatores, sociam cum aliis Presbyterii sacerdotibus operam magno ac liberali animo praestando [115]. / 356

50. Spiritum paupertatis, utpote quae tantopere hisce diebus ab Ecclesia expostulatur et ad opus apostolicum implendum est necessaria, non tantum verbis sed factis fovere discant, ita ut fide innixi Patris providentiae, aequo animo ad instar Apostoli *abundare et deficere* (*Phil.* 4, 12) sciant. Quamvis, aliter ac religiosi, plene abdicare se bonis materialibus non teneantur, studeant tamen ut homines spirituales veram libertatem et docilitatem filiorum Dei acquirere atque ad eam spiritualem moderationem pervenire, quae necessaria est ad rectam habitudinem ad mundum et bona terrestria invenienda [116]. Immo, exemplum Christi secuti, qui *egenus pro nobis factus est, cum esset dives* (*2 Cor.* 8, 9), peculiari modo commendatos sibi habeant pauperes et tenuiores [117] atque simplicitate et austeritate vitae testimonium paupertatis praebere valeant, iam a rebus superfluis liberaliter se abstinere assueti [118].

51. Formatio spiritualis totum hominem complecti debet (cfr. nn. 14, 45). Cum enim gratia naturam non tollat sed elevet, et nullus verus christianus esse possit, nisi virtutes possideat et exerceat homini congruentes et ab ipsa caritate requisitas, ut eas animet eisque utatur, futurus sacerdos exercere discat animi sinceritatem, assiduam iustitiae curam, in agendo urbanitatem, in promissis fidem, in colloquiis modestiam cum caritate coniunctam [119], spiritum
357 fraterni servitii, operositatis, facultatem coope/randi cum aliis, etc., ut ad illam harmonicam conciliationem inter bona humana et supernaturalia perveniat, quae necessaria est ad verum christianae vitae testimonium in hodierna societate exhibendum.

Cum autem sacerdos omnes homines evangelizare debeat,

[106] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 15.

[107] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, nn. 9, 11; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, nn. 7, 15; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 690; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*, 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 556-558; Paulus VI, Alloc. *A voi, che siete qui*, Christifidelibus coram admissis, 5 oct. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 863-866; Alloc. *Il Concilio*, Christifidelibus coram admissis, 9 oct. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 959-963; Alloc. *Libenti fraternoque*, ad Delegatos Commissionum Ep. pro Seminariis coadunatos Romae ad Rationem Fundamentalem elaborandam, 27 mart. 1969: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 253-256.

[108] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 17. [109] *Ibid.*, n. 6.

[110] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 9; cf. Ioannes XXIII Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia* 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 551-554; Paulus VI, Alloc. *Siamo particolarmente*, ad sacerdotes qui interfuerunt Conventui habito a Sodalitate v.d. «Federazione Associazioni del Clero Italiano», 30 ian. 1955: *Insegnamenti*, III, pp. 385-386; Alloc. *Benedicamus Domino*, ad Praesules ex America Lat. secundo generali Coetui Medellii interfuturos, 24 aug. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 411-412; Alloc. *Se reputiamo*, Christifidelibus coram admissis, 2 oct. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 943 ss.

[111] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 11; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 16; Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 1; cf. Pius XII, Alloc. *Magis quam*, ad Ordinis Carm. Disc. sodales, 23 sept. 1951: *Discorsi e Radiomessaggi*, XIII, p. 257; Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*, 25 mart. 1954: *A. A. S.* 46 (1954), pp. 184-186 [LE 2421].

[112] Conc. Vat. II, Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 12; cf. Ioannes XXIII, Litt. Enc. *Sacerdotii Nostri primordia*, 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 554-556; Alloc. *Questo incontro*, ad alumnos ex quibusdam Italicis Seminariis, 22 nov. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 904-905; Paulus VI, Litt. Encycl. *Sacerdotalis caelibatus*, 24 iun. 1967: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 684-685, n. 70 [supra col. 5712].

[113] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, nn. 7, 15; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 690; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*, 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 556-558; Paulus VI, Alloc. *A voi, che siete qui*, Christifidelibus coram admissis, 5 oct. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 863-866; Alloc. *Il Concilio*, Christifidelibus coram admissis, 9 oct. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 959-963; Alloc. *Libenti fraternoque*, ad Delegatos Commissionum Ep. pro Seminariis coadunatos Romae ad Rationem Fundamentalem elaborandam, 27 mart. 1969: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 253-256.

[114] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, nn. 9, 11; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, nn. 7, 15; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 690; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*, 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 556-558; Paulus VI, Alloc. *A voi, che siete qui*, Christifidelibus coram admissis, 5 oct. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 863-866; Alloc. *Il Concilio*, Christifidelibus coram admissis, 9 oct. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 959-963; Alloc. *Libenti fraternoque*, ad Delegatos Commissionum Ep. pro Seminariis coadunatos Romae ad Rationem Fundamentalem elaborandam, 27 mart. 1969: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 253-256.

[115] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 17. [116] *Ibid.*, n. 6.

[117] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 9; cf. Ioannes XXIII Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia* 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 551-554; Paulus VI, Alloc. *Siamo particolarmente*, ad sacerdotes qui interfuerunt Conventui habito a Sodalitate v.d. «Federazione Associazioni del Clero Italiano», 30 ian. 1955: *Insegnamenti*, III, pp. 385-386; Alloc. *Benedicamus Domino*, ad Praesules ex America Lat. secundo generali Coetui Medellii interfuturos, 24 aug. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 411-412; Alloc. *Se reputiamo*, Christifidelibus coram admissis, 2 oct. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 943 ss.

[118] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 11; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 16; Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 1; cf. Pius XII, Alloc. *Magis quam*, ad Ordinis Carm. Disc. sodales, 23 sept. 1951: *Discorsi e Radiomessaggi*, XIII, p. 257; Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*, 25 mart. 1954: *A. A. S.* 46 (1954), pp. 184-186 [LE 2421].

[119] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 12; cf. Pius XII, Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 1; cf. Pius XII, Alloc. *Sull'esempio*, praeparata occasione quinquagesimi anni a condito Seminario Rec. Apulico, oct. 1958: *Discorsi e Radiomessaggi*, XX, pp. 446-447; Paulus VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.*, 55 (1963), p. 991; cf. etiam notam 103, p. 352 [AAS 62 (1970) 352; supra col. 5718].

http://www.obrascatolicas.com

satagat sacerdotii candidatus facultatem suam profundius excolere ad congruas relationes cum hominibus varie condicionis ineundas. Discat praesertim artem alios alloquendi congruo modo, patienter audiendi atque cum eis communicandi magna cum reverentia erga omnis generis homines spiritu imbutos humilis caritatis, ut mysterium Christi in Ecclesia viventis aliis revelare possit [120].

52. Celebratio cotidiana Eucharistiae quae communione sacramentali, plena quidem libertate et digne suscepta, consummatur, centrum sit totius vitae Seminarii, eique alumni devote intersint. Alumni enim Sacrificium Missae, «totius vitae christianae fontem et culmen» [121], participantes, caritatem participant Christi, supernaturalem vim pro sua spirituali vita et apostolico labore ex hoc ditissimo fonte hauriendo.

Sacrificium igitur eucharisticum atque adeo tota Sacra Liturgia, ad mentem Const. *Sacrosanctum Concilium*, talem in Seminario locum obtineat, ut appareat vere esse «culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde eius virtus emanat» [122].

Procuretur etiam sana varietas in modo Sacram Liturgiam participandi, ita ut alumni non solum maiorem profectum spiritualem exinde percipiant, sed etiam inde a Seminarii annis ad futurum ministerium et apostolatum li-
358 turgicum practice praeparentur [123]. /

53. Formationi ad cultum Eucharisticum stricte iungatur formatio ad divinum Officium, quo sacerdotes «nomine Ecclesiae pro toto populo sibi commisso, immo pro universo mundo, Deum deprecentur» [124]. Modum igitur orandi Ecclesiae discant alumni per convenientem introductionem in Sacram Scripturam, Psalmos et alias preces S. Scriptura imbutas, per frequentem recitationem communem alicuius partis Officii (v. gr. *Laudum vel Horarum vespertinarum)*, ut Verbum Dei in Psalmis et in tota Liturgia loquens maiore intellegentia reverentiaque percipiant, simulque educentur ad obligationem Divini Officii in sacerdotali vita fideliter observandam [125].

Haec tamen institutio liturgica perfecta dici non poterit, si alumnis non detegat arctam connexionem inter Sacram Liturgiam et cotidianam laboris vitam, cum eius necessitatibus apostolatus et veri testimonii vivae fidei, per caritatem operantis [126].

54. Ad vitam sacerdotalem recte et fideliter gerendam, alumni pedetemptim acquirant oportet, pro sua quisque aetate et maturitate, firmam formam vitae, solidis virtutibus munitam, sine qua Christo et Ecclesiae vere et perseveranter adhaerere non valebunt.

Oportet enim ut sacerdos: *a)* «cum Patre per Filium Eius Iesum Christum in Spiritu Sancto familiari et assidua societate vivere» [127] discat; *b)* Christum invenire possit habitualiter in familiari communione orationis; *c)* verbum Dei in Scriptura Sacra didicerit amanter in fide prae manibus tenere et aliis dein tradere; *d)* Christum in Eucharistia sacramentaliter praesentem visitare et adorare cupiat
359 et gaudeat; / *e)* Virginem Mariam, Matrem Christi, in opere redemptionis peculiari modo sociam, secundum Ecclesiae sensum, ardenti amore prosequatur; *f)* libenter sacrae traditionis documenta et opera Patrum Sanctorumque exempla consulturus adeat; *g)* sciat seipsum, scilicet conscientiam suam eiusque rationes recto sinceroque animo scrutari et discernere.

Quae omnia tunc modo sacerdos servabit, si alumnus in Seminario piis exercitiis, venerando usu commendatis et Ordinatione Seminarii sanctis, fideliter incubuerit et eorum momentum et vim recte intellexerit. Quod si necessitas detur unum vel alterum horum exercitiorum novis exigentiis accommodandi, provideatur ut essentiales fines huic pio exercitio inhaerentes semper firmi in animo perstent, atque ut alio apto modo attingi queant [128].

55. Cum conversio animi quotidiana ad sequelam Christi et spiritum evangelicum prorsus requiratur, virtus poenitentiae futuris sacerdotibus inculcanda est etiam per poenitentiales actus communes sive ad propriam sui formationem sive aliorum educationem. Studium vitae crucifixae et cordis purificationem ex amore Christi constanter assequi contendant. Ad hoc igitur auxilium gratiae necessariae ferventer requirant, et imprimis ad Poenitentiae sacramentum, in quo cuiusque labor quodammodo consecratur, frequenter accedere assuescant; atque ideo unusquisque suum habeat directorem spiritualem, cui humiliter et confidenter conscientiam suam aperiat, ut in via Domini tutius dirigatur [129]. /
360

Moderator spiritus et Confessarius ab alumnis plena libertate sibi eligantur inter eos, qui ad hoc munus idonei ab Episcopo deputati sunt [130].

56. Ad sacerdotium nonnisi per gradus acceditur; quos gradus etiam significat institutio Ordinum minorum ad determinatas functiones ecclesiasticas disponentium, paedagogica spiritualique initiatione rite peracta. Spiritualis vero alumnorum institutio per gradus procedit atque opportunas accommodationes requirit pro singulorum aetate, experientia et ingenii facultate. Ad eam autem efficacius promovendam multum iuvant statuta quaedam tempora impensioris tirocinii, ut v. gr. occasione ingressus in Seminarium, initio curriculi theologici, vel occasione proximae ordinationis sacerdotalis, etc. Ut autem iuvenum labor in spirituali vita novos semper impulsus accipiat atque ratione ordinetur ad veram et maturam spiritualitatem sacerdotalem acquirendam ad sensum Ecclesiae, praeter singulorum conscientiae directionem, certis temporibus, pro cuiusque Seminarii Ordinationibus, tradatur alumnis instructio seu collatio spiritualis, ad res mentesque iuvenum nostrae aetatis accommodata; habeantur insuper recognitio vitae, periodica animorum recollectio et alia huiusmodi; singulis vero annis omnes per aliquot dies exercitiis spiritualibus vacent.

57. Iuxta exemplum et consilia Christi (cfr. *Mt.* 6, 6; 14, 13; *Mc.* 6, 30, 46), qui inter quotidianos labores libenter solitudinem quaerebat, ut animo intento orationi ad Patrem vacaret, fovere studeant alumni «vitam absconditam cum Christo in Deo (cfr. *Col.* 3, 3), unde profluit et urgetur proximi dilectio in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem» [131]. Solliciti proinde sint de silentio externo servando, quod requiritur ad animi silentium internum, ad cogitandum atque ad laborem et quietem totius communitatis [132].

58. Congruens cum hominibus commercium, inter quos Salvator caritate Patris missus (cfr. *Io.* 4, 9), suum redemptionis opus explevit, permittet ut alumnus educetur

[120] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 19; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, nn. 6, 9. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam*, 6 aug. 1964: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 640 ss. [LE 3211]; Alloc. *II Concilio*, Christifidelibus coram admissis, 9 oct. 1968: *Insegnamenti* VI, pp. 959 ss.

[121] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11.

[122] Conc. Vat. II, Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 10; cf. S. Congr. Rit., Instructio *De cultu mysterii Eucharistici*, 25 mali 1967: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 539-573 [LE 3562].

[123] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 8; Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 17, 18, 19; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 5; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 19; S. Congr. Rit., Instructio *Inter Oecumenici*, ad exsecutionem Constitutionis de S. Liturgia recte ordinandam, 26 sept. 1964: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 880-881; nn. 14, 15; cf. etiam Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*, 20 nov. 1947: *A. A. S.* 39 (1947), pp. 547 ss. [LE 1963]; Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), pp. 666 ss., 691 [LE 3151]; Joannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*, 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 561 ss.; Paulus VI, Alloc. *Vos ante*, ad eos qui interfuerunt Coetui v. d. «XIII Settimana Nazionale di Orientamento Pastorale» habito Romae, 6 sept. 1963: *Insegnamenti*, I, pp. 121-123; Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*, 3 sept. 1965: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 770 ss. [LE 3316].

[124] Conc. Vat. II, Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, n. 5.

[125] Conc. Vat. II, Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 17, 90; S. Congr. Rit., Instructio *Inter Oecumenici*, l. c., nn. 14-17; cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*, l. c., pp. 547 ss., 572 s.; Joannes XXIII, Adhort. Apost. *Sacrae Laudis*, 6 ian. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), p. 69; Alloc. *Flagrantissima voluntas*, ad alumnos Romae studiorum causa commorantes, 28 ian. 1960: *A. A. S.* 52 (1960), pp. 275 s.

[126] Conc. Vat. II, Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 10.

[127] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 8.

[128] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 8; Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 12, 13; Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 6.

Quoad potiora haec spiritualis vitae media, cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*, 1 aug. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), p. 560: «Iamvero hanc assiduam cum Deo coniunctionem efficiunt maxime ac tuentur variae sacerdotalis pietatis exercitia, quorum plura, quae gravioris sunt momenti Ecclesia sapientissimis normis praescripsit, uti sunt praesertim sacra cotidie habenda meditatio, piae ad divina Tabernacula salutationes, Marialis Rosarii recitatio, diligens sui ipsius recognitio (*C. I. C.*, can. 125). Ad horarias preces quod attinet, sacerdotes gravi officio erga Ecclesiam suscepto eas recitare tenentur (ibid., can. 135). Ex eo fortasse quod aliqua ex hisce normis neglecta est, saepe ratio est petenda, cur ecclesiastici viri ac tandem, pro dolor, terrenae huius vitae illecebris allecti, gravi in discrimine versentur, cum iam sint quovis spirituali praesidio destituti».

[129] Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*, 29 iun. 1943: *A. A. S.* 35 (1943), p. 235 [LE 1759]; Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 674; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*, l. c., pp. 574-575; Paulus VI, Const. Apost. *Paenitemini*, 17 nov. 1966: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 177 ss. [LE 3412].

[130] *C. I. C.*, can. 1358, 1361; Conc. Vat. II, Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 18.

[131] Conc. Vat. II, Decr. de accom. renov. vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 6.

[132] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 11; Paulus VI, Alloc. *Il grande rito*, habita quarto exacto saecuo post constituta a Conc. Trid. Seminaria, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), p. 1034 [LE 3134].

[133] Conc. Vat. II, Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 1-4.

[134] Conc. Vat. II, Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 11.

[135] *Ibid.*

[136] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 11; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 3; cf. Ioannes XXIII, Alloc. *Questo incontro*, ad Magistros pietatis Romae coadunatos, 9 sept. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 675-676; Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam*, 6 aug. 1964: *A. A. S.* 56 (1964). pp. 627, 638.

[137] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, nn. 13-17; Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 58, 62; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16; Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 786; III, n. 2. proprio *Ecclesiae Sanctae*, 6 aug. 1966: *A. A. S.* 58 (1966), p. 786; III, n. 2.

[138] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 14.

[139] *Ibid.* [140] *C. I. C.*, can. 1365; Paulus VI, Motu proprio *De Episcoporum*

361 ad recte discernenda signa temporum [133], ad / iudicium de eventibus ferendum ad lumen evangelii, ad rectam interpretationem variarum condicionum et necessitatum humanae vitae, quae vera «semina Verbi in se latentia» [134] continent, eaedemque postulant ut «luce evangelica collustrentur, liberentur et in Dei Salvatoris dominium reducantur» [135].

In hoc commercio cum mundo probe animadvertendum est, ut omnes huiusmodi experientiae ad pastoralem Seminarii finem ordinentur atque alumni ita spiritualiter praeparentur, ut futura actuositas non impedimento sit, sed potius auxilio ad propriam vitam spiritualem fovendam et roborandam [136].

IX. De Institutione doctrinali in genere

59. Finis institutionis doctrinalis est ut alumni, una cum cultura generali necessitatibus nostrorum temporum accommodata, acquirant amplam atque solidam doctrinam in scientiis sacris, ita ut, sua fide inde fundata et nutrita, evangelii doctrinam hominibus nostri temporis apte nuntiare atque in eorum culturam inserere valeant [137].

Haec doctrinalis institutio complectitur: *a)* complementum, quatenus opus sit —expleto curriculo de quo in n. 16— formationis in litteris et scientiis; *b)* formationem philosophicam; *c)* formationem theologicam.

60. Varia ratio qua haec studia coordinari possunt, ad
362 tria praecipua exempla reducitur: /

A) Periodis distinctis et successivis fiunt: studia in litteris et scientiis (quatenus opus sit) —studia philosophica— studia theologica.

B) Studia in litteris et scientiis peraguntur cum studiis philosophicis (cfr. *American College)*; dein fiunt studia theologica.

C) Post studia in litteris et scientiis, studia philosophica componuntur cum studiis theologicis ita ut philosophia simul cum theologia doceatur; attamen attendendum est ut philosophia tradatur distinctis disciplinis et propria methodo, nec philosophiae studium reducatur ad fragmentariam et dispersam problematum tractationem occasione quaestionum theologicarum.

Quae vero hic ad modum exempli adducuntur, alias rationes studia ordinandi non excludunt. In unaquaque Ratione Institutionis sacerdotalis indicentur modi a Conferentia Episcopali selecti et approbati, ratione habita adiunctorum regionum.

61. Quocumque modo studia ordinentur, haec sedulo notanda sunt:

a) semper initium fiat a cursu introductorio in mysterium Christi, de quo in numero sequenti agitur [138];

b) quod si philosophia et theologia distinctis temporum periodis doceantur, coordinatio procuranda est inter disciplinas philosophicas et theologicas, praesertim inter theologiam naturalem et tractatum dogmaticum de Deo, inter ethicam et theologiam moralem, inter historiam philosophiae, Ecclesiae, dogmatum, etc. [139];

c) temporis spatium consecratum studiis praecipue philosophicis saltem biennium aequet (vel, secundum systema studiorum apud aliquas nationes vigens, congruentem numerum sic dictarum *horarum semestralium)*; temporis spatium consecratum studiis theologicis saltem quadriennium comprehendat (vel congruentem numerum *horarum semestralium)*, ita ut complexive studia philosophica et theologica saltem sexennium complectantur (vel, secundum alios modos studia computandi, eam copiam materiae quae sexennio pertractari solet) [140].

62. Introductio in mysterium Christi et historiam salutis, quae initio cursus philosophici et theologici tradenda est, eo tendit ut alumni studiorum ecclesiasticorum sensum et ordinem et finem apostolicum percipere / possint, simul 363
vero iuventur ad propriam fidem fundandam atque ad vocationem sacerdotalem penitius intellegendam et prudentius amplectendam.

Duratio et programma cursus in unaquaque Ratione Institutionis sacerdotalis determinanda sunt, ratione habita experientiarum in propria Natione vel universa Ecclesia, atque curandum est ut bene cohaereat cum ceteris studiis theologicis et continuetur postea, praesertim per Sacrae Scripturae lectionem sub professorum ductu [141].

63. Magistri in suis disciplinis tradendis de interna totius doctrinae fidei unitate et harmonia iugiter solliciti esse debent (cfr. n. 90), salvificum eius aspectum in clariore luce ponendo. Sed ad hoc opus perficiendum, vertente studiorum curriculo vel, si ita Conferentiae episcopales melius iudicaverint, post aliquot annos experientiae pastoralis, opportune reservabitur congruum tempus, etiam aliquamdiu protractum, quo alumni, propria et apta methodo, integro disciplinarum cursu peracto, verbum Dei, ductu magistrorum et ope doctrinae acquisitae, melius percipere et veluti contemplari et experiri possint in simplici eius unitate, qua fidelibus ad salutem tradendum est, convergentibus in unamquamque partem luminibus omnium disciplinarum, quae hucusque separatim docebantur. Hoc summariae collectionis tempus quam maxime commendatur, ut notiones acquisitae nedum disiectae et veluti una ab altera avulsae remaneant, apte componantur ad spiritualem profectum fidelium et ipsorum sacerdotum, qui, percepta scientiae acquisitae utilitate, maiore amore erga disciplinas sacras exardescent.

Quod si Episcopi —vel singuli vel ex communi Conferentiae Episcopalis instituto— opportune decreverint exercitium Diaconatus post expletum studiorum curriculum per unum vel plures annos instaurare (cfr. n. 42 c.), huiusmodi omnium disciplinarum collectio, seu simplex et cohaerens disciplinarum compositio, utilius transferenda erit ad tempus quo Diaconi ad Seminarium revertentur ut se ad sacerdotium praeparent. Huius autem temporis spatium satis producendum erit, ut proxima ad sacerdotium praeparatio vere efficax habeatur.

64. In tota formatione doctrinali sedulo curanda est
364 eius accommodatio ad diversas culturas, ut alumni nutium Christi secundum formam / unicuique culturae propriam intellegere et exprimere valeant atque inde vitam christianam ingenio indolique cuiusque culturae aptare possint.

Quare professores philosophiae et theologiae ne omittant in suis praelectionibus doctrinam christianam cum intimis notionibus, quas populi secundum sacras sibi traditiones de Deo, de mundo, de homine efformaverunt, comparare et, in quantum fieri potest, his sapientiam philosophicam et intellectum fidei ditare [142].

X. De studiis litterarum et scientiarum

65. Antequam alumni ad studia proprie sacerdotalia accedant, oportet ut studiorum mediorum curriculum perfecerint (cfr. n. 16) prout in unaquaque natione requiritur ad studia academica inchoanda, et convenienter titulum civilem obtinuerint [143].

66. Si peracto studiorum curriculo, quaedam adhuc desint candidatis ad sacerdotium necessaria, v. gr. congrua linguae latinae cognitio ad mentem permanentis instanlinguae latinae cognitio ad mentem permanentis instantisque Ecclesiae voluntatis [144], ea supplenda sunt sive ante

muneribus, 15 maii 1966: *A. A. S.* 58 (1966), p. 470 [LE 3449]. [141] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 14; cf. Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 16; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16.

[142] Conc. Vat. II, Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, nn. 16, 19. 22; Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 44, 58, 62; Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, nn. 4, 5, 6 [LE 3235]; Decr. de Eccl. Orient. Cath. *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 4. [LE 3233]; cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Evangelii Praecones*, 2 iun. 1951: *A. A. S.* 43 (1951), pp. 521 ss. [LE 2218]; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum*, 28 nov. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 843 ss.; Paulus VI, Homil. *Hi amicti sunt*, habita occasione canonizationis Martyrum Ugandensium, 18 oct. 1964: *Insegnamenti*, II, pp. 588-589; Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, 6 aug. 1966: *A. A. S.* 58 (1966), p. 786, III, n. 2.

[143] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 13; cf. n. 3; Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), p. 687; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 361-362.

[144] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 13; Paulus VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*, 4 nov. 1963: *A. A. S.* 55 (1963), p. 993; Litt. Apost. *Studia Latinitatis*, 22 febr. 1964: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 225 ss. [LE 3168].

http://www.obrascatolicas.com

curriculum philosophicum sive cum studiis philosophicis, prout in n. 60 indicatum est. Harum autem disciplinarum index et programma in Ratione Institutionis sacerdotalis indicanda sunt.

67. Addiscant alumni etiam linguas quae, praeter nationalem, ratione habita programmatum civilium, necessariae vel utiles sint ad futurum ministerium pastorale. Ratio quoque sese exprimendi, hominibus aetatis / nostrae accommodata, tradatur, ut ars dicendi et scribendi atque penetrandi naturam quaestionum, quae ars sacerdoti est omnino necessaria. Conveniens quoque impertiatur alumnis institutio qua artem et musicam sacram ac profanam intellegere possint [145].

68. Cum in hodierno vitae cultu non tantum per libros et magistros, sed largius in dies per audiovisiva instrumenta informentur et moveantur homines, maxime oportet ut sacerdotes his instrumentis uti valeant, et quidem recte, non inertes ad ipsa se habentes sed ad iudicandum semper parati. Quod fieri nequit nisi ad hoc in Seminario, debita tamen servata prudentia et mensura, usu et doctrina per apta experimenta, atque a viris peritis educentur, ita ut, quoad huiusmodi instrumenta, possint et seipsos regere et fideles efformare, et etiam in apostolatu iis efficaciter uti [146].

69. Alumni inde a primis Seminarii annis, uberius vero aetate institutioneque progrediente, vitae socialis necessitatibus praesertim suae nationis ita initientur, ut ex variis in quas incumbunt disciplinis et ex rerum hominumque usu eventibusque cotidianis probe discant quaestiones controversiasque sociales cognoscere, earum naturam, mutuas relationes, difficultates et consectaria perpendere, atque solutiones in legis naturalis praeceptorumque evangelicorum lumine aeque iusteque perspicere [147]. /

XI. De studiis philosophiae et scientiarum affinium [148]

70. Studia philosophiae et scientiarum affinium quae —utcumque disciplinae per annos distribuantur (cf. n. 60)— integrum biennium aequare debent, eo tendunt ut iuvenum formationem humanam perficiant, sensum in eis acuendo intellectualis discretionis atque exquisitiorem cognitionem antiquae et recentis sapientiae suppeditando, qua familia humana saeculorum decursu ditata est. Ita simul tradantur ut alumnum / iuvent ad propriam fidem penitius penetrandam et vivendam, et pariter ut eum ad studia theologica praeparent, ad ministeria apostolica rite obeunda ita disponant, ut dialogus cum hominibus nostri temporis aptius institui possit [149].

71. Peculiaris momenti sit *philosophia systematica*, cum omnibus suis partibus, quae ad solidam et cohaerentem hominis, mundi et Dei cognitionem acquirendam perducit.

Haec philosophica institutio inniti debet patrimonio philosophico perenniter valido [150], cuius testes sunt maximi philosophi christiani, qui prima philosophica principia, perenni vi praedita utpote in ipsa natura fundata, tradiderunt.

Firmo hoc fundamento posito, ratio habenda est philosophicarum investigationum progredientis aetatis, praecipue earum quae in propria natione maiorem vim exercent, atque etiam progressus recentiorum scientiarum ita ut alumni, hodiernae aetatis indole recte percepta, ad colloquium cum hominibus accommodate praeparentur [151].

72. *Historia philosophiae* pari cura tradenda est, ut et maximorum problematum origo et progressio appareat, et alumni, ex diversis solutionibus decursu temporum propositis, vera discernere elementa, falsa detegere et refellere valeant [152].

73. *Scientiae affines* quoque tradantur, quales sunt scientiae naturales et mathematica quoad quaestiones cum philosophia connexas, debita tamen proportione servata, ita ut disciplinis principalibus utile complementum praebeant, et vitetur encyclopaedica et superficialis eruditio [153]. / 368

74. In omnium disciplinarum expositione ratio habenda est tum intrinseci momenti singularum quaestionum tum praesentis necessitatis ipsarum pro discipulorum et regionum adiunctis [154].

75. In Ratione Institutionis sacerdotalis (vel in eius Appendice) referatur conspectus omnium disciplinarum quae ad curriculum philosophicum pertinent, breviter indicando singularum disciplinarum programma, numerum annorum vel semestrium et horarum in hebdomada, quibus traduntur in scholis.

Si vero hoc ob varia rerum adiuncta (sicuti v. gr. in magnis latissimisque Nationibus accidere potest, ubi variorum systematum diversitas viget) vel summa difficultate fieri potest vel omnino non potest, indicentur saltem aliqua exempla programmatum, quae secura indicia in omnium utilitatem praestare possint.

XII. De studiis theologicis

76. Studia theologica, quae saltem integro quadriennio respondere debent [155], eo spectant ut alumni doctrinam ex Divina Revelatione in lumine fidei et sub ductu auctoritatis magisterii accurate haustam, penitius penetrent, in alimentum propriae vitae spiritualis convertant, atque in ministerio sacerdotali eam tueri et ad spiritualem fidelium utilitatem nuntiare et exponere valeant [156].

c) Munus philosophiae docendae *professores vere paratos* exigit. Nonnumquam enim accidit ut, cum peculiaris haec peritia in docendo desit, iuvenes nec disciplinas discant nec inter diversas sententias recte eligere sciant, et philosophicas sententias admodum cuiusdam iudi habeant.

d) Ut philosophica institutio efficax utilisque evadat, requiritur pariter ut studeat *ardam connexionem servare cum quaestionibus quae nostra aetate moventur*. Quapropter respiciat oportet v. gr. ad hodiernam ingravescentem propensionem ad atheismum et ad conatus disiungendi fidem a religione; vel ad posita principia philosophica quae veram interpretationem verbi Dei in discrimen adducunt, vel ad momentum quod psychologia, sociologia et scientiae humanae apud hodiernos homines habent.

[148] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 15; cf. Const. past. de Ecel. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 44, 59; Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 10; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16; cf. Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam*, 6 aug. 1964: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 637 ss.

[149] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*, 12 aug. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), pp. 571-575 [LE 2147]; Paulus VI, Alloc. *Nous sommes*, ad eos qui VI Conventui Internationali Thomistico interfuerunt, 10 sept. 1965: *Insegnamenti*, III, pp. 445 ss. [150] Cone. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 15; [151] *Ibid.*

[152] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 15; Const. past. de Ecel. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 44, 62; Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 mali 1956: *A. A. S.* 48 (1956), p. 362; Paulus VI, Alloc. *Siate i benvenuti*, ad eos qui XXXVI Conventui Italico Stomathologiae interfuerunt, 24 oct. 1963: *Insegnamenti*, I, pp. 256-257.

[153] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 15; cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum*, 28 nov. 1959: *A. A. S.* 51 (1959), pp. 843 s. [154] *C. I. C.*, can. 1366; cf. Paulus VI, Motu proprio *De Episcoporum muneribus*, 15 iun. 1966: *A. A. S.* 58 (1966), p. 470 [LE 3449]; cf. Pius XII, Litt. Encycl. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; pp. 567-569; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 mali 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 361-363; Paulus VI, Alloc. *Incensissimo desiderio*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 12 mart. 1964: *Insegnamenti*, II, pp. 178 ss.; Alloc. *Libentissimo sane*, ad eos qui interfuerunt Conventui Internat. de Theologia Concilii Vat. II Romae, 1 oct. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 443 ss.; Alloc. *Gratia Domini*, ad Commissionem Theologicam Internat., 6 oct. 1969: *L'Osservatore Romano*, 6-7 oct. 1969, p. 1.

[147] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 4, 5, 6, 10, 17; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 39; Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 16; Decr. de Ecel. Orient. Cath. *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 4, 6.

[148] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 17; Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 16; cf. Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 mali 1956: *A. A. S.* 48 (1956), p. 363.

[149] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 8 et passim; Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 2; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16; cf. Paulus VI, Alloc. *Salvete, Fratres*, secunda Conc. Vat. II periodo ineunte, 29 sept. 1963: *Insegnamenti*, I, pp. 172 ss. [LE 3130].

[150] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, nn. 14, 16; Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 16; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16; cf. Paulus VI, Alloc. *Nous sommes profondément*, ad Observatores Delegatos ad Conc. Vat. II, 17 oct. 1963: *Insegnamenti*, I, pp. 232, 235.

[151] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*, n. 24; cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893: *A. S. S.* 26 (1893-1894), p. 283.

[152] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*, n. 23; cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu*, 30 sept. 1943: *A. A. S.* 35 (1943), pp. 310 ss. [LE 1774]; cf. Pont. Comm. Biblica, *Instructio de S. Scriptura recte docenda*, 13 mai. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), pp. 502 s. [LE 2127]; Ioannes XXIII, Alloc. *La diciassettesima Settimana*, iis qui interfuturi erant decimo septimo Coetui ab Italica Sodalitate Sacris explanandis Litteris Romae habito, 24 sept. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 716-719; Paulus VI, Alloc. *Noi desideriamo esprimere*, iis qui interfuerunt undevicesimae Hebdomadae Biblicae exegetarum Italicorum, 23 sept. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 414 ss.; Alloc. *Nous remercions*, ad eos qui interfuerunt VI Conventui Internat. exegetarum Vet. Test., 19 apr. 1968: *Insegnamenti* VI, pp. 138 ss.

[153] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; cf. Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 2, 10, 14, 15, 16; Decr. de Ecel. Orient. Cath. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 4.

[154] Conc. Vat. II, Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 23; cf. S. C. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, ad exsecutionem Constitutionis de S. Liturgia recte ordinandam, 26 sept. 1964: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 879 s., nn. 11, 12; cf. Paulus VI, Alloc. *Facile concere*, ad XI sessionem plenariam Consilii ad exsequendam Const. de S. Liturgia, 14 oct. 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 535 ss.

[155] De humano civilique cultu cum christiana institutione componendo cf. Conc. Vat. II, Const. past. de Ecel. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 59, 62.

De arte et musica sacra: Conc. Vat. II, Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 115, 119; S. Congr. Rit., Instructio *Musicam sacram*, de musica in S. Liturgia, 5 mart. 1967: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 300 ss.; cf. n. 52 [LE 3541].

[156] Conc. Vat. II, Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, n. 16 [LE 4243]; Const. past. de Ecel. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 61; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 13; cf. Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 20; Paulus VI, Nuntius Radiophon. *Ci rivolgiamo*, occasione I diei mundialis pro rectoinstrumentorum communicationis socialis usu provehendo, 2 mali 1967: *Insegnamenti*, V, pp. 205-206.

[157] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 20; cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*, 23 sept. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), pp. 687, 696-697; Ioannes XXIII, Lit. Encycl. *Mater et Magistra*, 15 mali 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 453; Paulus VI, Alloc. *The visit of so many*, ad invenes catholicos Britannicos, 30 iul. 1963: *Insegnamenti*, I, p. 94.

[158] Praesentes rerum condiciones varia ratione postulant ut vera formatio philosophica habeatur. Etenim:

a) Sive ex fine studiorum philosophicorum, sive ex circumstantiis quae hodie accuratam formationem requirunt, satis apparet haec studia a fide quaerenda et communicanda non solum non esse aliena, sed imprimis ad hoc ipsum adiuvare. Relationem autem hanc in semper clariorem lucem ponere oportet sive in modo docendi, sive in *connciata opera inter professores* philosophiae et theologiae, sive in *ordinata distributione tractatuum* utriusque scientiae, ita ut per studia philosophica futuri sacerdotes nedum a veritate et amore Christi quasi per vim abstrahantur, in eis se proficere experiantur. Ipsum Concilium Vaticanum II variis in documentis, praesertim autem in Constitutione pastorali *Gaudium et spes*, luculenter demonstrat quomodo sanae philosophiae principia conferant ad vera bona christiana in hodierna vita sociali et culturali servanda, fruenda atque altius provehenda in totius humanitatis bonum (cf. nn. 23 ss., 53 ss.).

b) Praeter necessarium determinationem methodorum et disciplinarum tradendarum, *finis quoque ultimus* formationis philosophicae clare perciendus est atque, sicuti ex operis exitu probatur, iterum atque iterum considerandus. Ministros enim fidei acquirere oportet tum sensum eius quod est verum, qui permittat affirmationis solidítatem; sed praeterea discernendae veritatis, percipiendae et acceptandae a quocumque veniat. Pariter necessarium est ut pervere iudicium sibi ipsi acquirant, ita ut cotidianae vitae problemata et condiciones recte percipere et iudicare possint. Haec igitur assequenda sunt ut futuri sacerdotes magis idonei evadant ad docendum, ad efficacem dialogum fovendum, nec omni vento doctrinae iactentur cum gravi numeris sui detrimento. Inde sollicitudo Ecclesiae de aptis viis debita cum prudentia quaerendis experiendisque ad institutionem philosophicam in Seminariis effiaciorem reddendam.

[159] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; cf. Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 10; cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*, 12 aug. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), pp. 568-569; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 mali 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 362 s.; Ioannes XXIII, Alloc. *Gaudet Mater Ecclesia*, qua Conc. Vat. II sollemniter inchoatum est, 11 oct. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 791 ss. [LE 3083]; Paulus VI, Alloc. *Siamo particolarmente lieti*, ad eos qui interfuerunt Coetui de mysterio peccati originalis Romae, 11 iul. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 364 ss.; Alloc. *Incensissimo desiderio*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 12 mart. 1964: *Insegnamenti*, II, pp. 178 ss.

[160] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*, nn. 8, 9 [LE 3345].

[161] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*.

[162] Cf. Conc. Vat. II, Const. past. de Ecel. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 62; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 22.

[163] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Const. past. de Ecel. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 52, 62; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 22; cf. Pius XII, Alloc. *Animus Noster*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 17 oct. 1953: *A. A. S.* 45 (1953), p. 688; Paulus VI, Alloc. *Praesentia vestra*, ad Capitulum gen. Congr. Ss.mi Redemptoris, 22 sept. 1967: *Insegnamenti*, V, p. 444.

[164] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 19; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, nn. 5, 6; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 15.

[165] De speciali peritia pastorali in Cap. XVI fusius tractatur.

[166] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 20; cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*, 15 mali 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 453; Pius XII, Alloc. *Animus Noster*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae: *l. c.*, pp. 688 s.

[167] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, nn. 9, 16; Pius XII, Alloc. *Sollemnis conventus*, ad sacrorum alumnos studia Romae celebrantes, 24 iun. 1939: *A. A. S.* 31 (1939), p. 248; Alloc. *Animus Noster*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 17 oct. 1953: *A. A. S.* 45 (1953), p. 689.

77. Disciplinae theologicae variis attentis aspectibus (oecumenico, missionali, etc.) [157] ita tradantur, ut intima connexio inter eas vigens clare / appareat [158], mysterium Ecclesiae debita in luce ponatur [159], atque omnes —suo quaeque modo— harmonice in finem conspirent explicandi historiam salutis, quae in vita Ecclesiae et mundi vicissitudinibus perpetuo agitur [160]. 369

78. Universae Theologiae veluti anima est *Sacra Scriptura*, quae omnes disciplinas theologicas informare debet [161].

Quam ob rem debitum institutioni biblicae pondus tribuatur. Congrua introductione praemissa, alumni, auxiliaribus disciplinis suffulti, exegeseos methodis accurate initientur. Apte a professoribus edoceantur de potiorum problematum natura et solutione, atque efficaciter adiuventur ut *totius* Sacrae Scripturae conspectum acquirant, et principaliora historiae salutis capita penitus perspiciant. Contendant pariter professores theologicam divinae Revelationis synthesim sacrorum alumnis praebere ad spiritualem eorum vitam et futuram praedicationem solidis fundamentis muniendam [162]. / 370

79. *Sacra Liturgia* nunc inter principales disciplinas habenda est; neque ideo sub uno aspectu iuridico, sed praecipue theologico et historico atque etiam spirituali et pastorali in connexione cum aliis disciplinis tradatur, ut alumni agnoscant imprimis quomodo mysteria salutis in actionibus liturgicis praesentia sint et operentur. Praeterea, explanatis textibus ritibusque tam Orientis quam Occidentis, illustretur Sacra Liturgia ut praecipuus locus theologicus, quo Ecclesiae fides et vita spiritualis significatur [163].

Denique alumnis exponendae sunt normae de instauratione liturgica, quo melius intellegant accommodationes seu mutationes ab Ecclesia decretas; discernere quoque valeant et alias quae legitime optari possint, atque, inter graviores et difficiliores quaestiones hodie passim agitatas, distinguant partem Liturgiae immutabilem, utpote divinitus institutam, ab aliis partibus mutationi obnoxiis [164].

Theologia dogmatica integre et ordinate ita tradatur, ut ipsi textus biblici primum exponantur, dein ostendatur quid Patres Ecclesiae Orientis et Occidentis ad veritates revelatas transmittendas et enucleandas contulerint, quomodo progressa sit dogmatum historia, ac tandem ope speculationis, S. Thoma magistro, mysteria salutis plenius penetrare eorumque nexum perspicere alumni addiscant; eadem semper in actionibus liturgicis praesentia et operantia agnoscere doceantur; discant praeterea humanorum problematum solutiones ope Revelationis quaerere, aeternas veritates in mutabili rerum humanarum condicione insertas cernere easque cum hominibus accommodate communicare [165]. / 371

Nihil tamen impedit, quominus dogmatum expositio sic dicta *methodo regressiva* a definitionibus conciliaribus incipiatur, ascendendo per doctrinam Patrum ad Sacram Scripturam, quae hoc modo in luce vivae traditionis Ecclesiae legi atque intellegi possit [166].

Apposite et iam initio institutionis theologicae firma tradatur de fontibus theologicis doctrina [167]; nec omittatur, spiritu oecumenico et forma hodiernis circumstantiis accommodata, illa tradere quae sub nomine *Apologeticae* veniebant, et quae praeparationem ad fidem fideique fundationem rationalem et vitalem respiciunt, ratione habita etiam elementorum ordinis sociologici, quae in christianam vitam peculiari modo vim exercent [168].

Theologia moralis pariter S. Scripturae nutriatur, vocationem christianam fidelium in caritate fundatam illustret eorumque obligationes ratione scientifica exponat; curet humanorum problematum solutionem sub Revelationis luce invenire et aeternas veritates in varias rerum humanarum condiciones transferre. Studeat etiam conferre ad sensum virtutis et peccati in conscientiis hominum restaurandum, non omissis ad hoc sanae anthropologiae recentioribus inventis [169]. Haec doctrina moralis completur in *Theologia Spirituali*, quae, praeter alia, studium quoque complecti debet theologiae et spiritualitatis sacerdotii et vitae consecratae per sequelam consiliorum evangelicorum, ut homines pro suo quisque statu in via perfectionis dirigi possint [170].

Theologia pastoralis principia theologica illustret actionis, qua salvifica voluntas Dei in Ecclesia hodierna per varia ministeria et institutiones ad effectum deducatur [171]. / 372

Cum vero ad feliciorem muneris pastoralis exitum haud parum conferat solida in re sociali institutio, curandum est ut saltem certus ac sufficiens praelectionum numerus *Doctrinae sociali Ecclesiae* addiscendae tribuatur, ut edoceantur alumni qua ratione doctrina Evangelii et principiorum accommodanda sit ad vitam socialem [172].

Historia ecclesiastica originem et progressionem Ecclesiae tamquam Populi Dei tempore et spatio se expandentis illustret, historicos fontes scientifice expendendo. In materiae expositione attendatur oportet tum ad doctrinarum theologicarum progressum tum ad veram condicionem rei socialis, oeconomicae et politicae necnon ad sententias et doctrinas quae maximam vim exercuerunt, earum mutua dependentia, connexione et evolutione perspecta; tum denique ad mirum actionis divinae et humanae concursum, atque ad verum Ecclesiae et traditionis sensum [173] in alumnis fovendum. Debita attentio tribuatur oportet etiam historiae propriae regionis.

Ius canonicum doceatur ratione habita mysterii Ecclesiae, in Concilio Vaticano II penitus explorati. In princi-

[168] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; cf. Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 10; cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*, 12 aug. 1950: *A. A. S.* 42 (1950), pp. 568-569; Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 mali 1956: *A. A. S.* 48 (1956), pp. 362 s.; Ioannes XXIII, Alloc. *Gaudet Mater Ecclesia*, qua Conc. Vat. II sollemniter inchoatum est, 11 oct. 1962: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 791 ss. [LE 3083]; Paulus VI, Alloc. *Siamo particolarmente lieti*, ad eos qui interfuerunt Coetui de mysterio peccati originalis Romae, 11 iul. 1966: *Insegnamenti*, IV, pp. 364 ss.; Alloc. *Incensissimo desiderio*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 12 mart. 1964: *Insegnamenti*, II, pp. 178 ss.

[169] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*, nn. 8, 9 [LE 3345].

[170] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*.

[171] Cf. Conc. Vat. II, Const. past. de Ecel. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 62; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 22.

[172] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Const. past. de Ecel. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, nn. 52, 62; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 22; cf. Pius XII, Alloc. *Animus Noster*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 17 oct. 1953: *A. A. S.* 45 (1953), p. 688; Paulus VI, Alloc. *Praesentia vestra*, ad Capitulum gen. Congr. Ss.mi Redemptoris, 22 sept. 1967: *Insegnamenti*, V, p. 444.

[173] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 19; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, nn. 5, 6; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 15.

[174] De speciali peritia pastorali in Cap. XVI fusius tractatur.

[175] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 20; cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*, 15 mali 1961: *A. A. S.* 53 (1961), p. 453; Pius XII, Alloc. *Animus Noster*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae: *l. c.*, pp. 688 s.

[176] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, nn. 9, 16; Pius XII, Alloc. *Sollemnis conventus*, ad sacrorum alumnos studia Romae celebrantes, 24 iun. 1939: *A. A. S.* 31 (1939), p. 248; Alloc. *Animus Noster*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 17 oct. 1953: *A. A. S.* 45 (1953), p. 689.

http://www.obrascatolicas.com

piorum et legum expositione, praeter alia ostendatur quomodo universa ecclesiastica ordinatio et disciplina debeat cum salvifica voluntate Dei congruere, animarum salutem in omnibus quaerendo [174].

80. Determinentur quoque disciplinae auxiliares et cursus speciales, et quinam necessario vel libere eligendi sint. Alumnis pariter opportunitas detur linguas hebraicam et graeco-biblicam addiscendi [175], quibus textus primigenios
373 biblicos adire, intellegere et explicare possint. /

Curandum vero est ut, potius quam multiplicentur disciplinae, in disciplinis iam statutis novae quaestiones vel novi aspectus apta ratione inserantur [176].

Sic modus procuretur quo alumni manuducantur ad plenius cognoscendas Ecclesias et communitates ecclesiales a Sede Apostolica seiunctas ut unitatis redintegratio promoveatur [177], prae oculis habitis Decreto *De Oecumenismo* et *Directorio Oecumenico* a Sancta Sede edito [178]; pari modo providendum est quomodo alumni introducantur ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, ut quae bona et vera sunt in iis agnoscantur, errores refellantur, et plenum veritatis lumen cum non habentibus communicari possit [179].

Nec minor cura tribuenda est etiam quaestionibus hodierni atheismi variis sub aspectibus tractandis, ut futuri sacerdotes aptiores evadant ad gravia, quae exinde oriuntur, pastoralia munera facilius solvenda [180].

81. In Ratione Institutionis sacerdotalis (vel in eius Appendice) referatur conspectus omnium disciplinarum quae ad curriculum theologicum pertinent, breviter indicando singularum disciplinarum programma, numerum annorum vel semestrium necnon horarum in hebdomada, quibus unaquaeque in scholis traditur.

Si hoc vel valde difficile evadat vel fieri omnino non possit in maioribus Nationibus, territorio nimis extensis, ubi legitima varietas rationum studiorum viget a Conferentia Episcopali approbata, indicentur ad modum exempli saltem aliqua programmata, ad quaedam generaliora stu-
374 diorum capita determinanda. /

XIII. De studiis specialibus ad peculiaria munera praeparantibus

82. Hodiernus apostolatus magis in dies postulat ut, praeter generalem institutionem omnibus communem, de qua supra, aliqua specialis praeparatio habeatur, quae propria et accommodata sit pro varietate munerum, quae a singulis exercenda erunt [181].

83. In tuto autem posita solida formatione generali philosophico-theologica pro omnibus, huiusmodi praeparatio, duplex esse potest:

A) Altera quae ad pastoralem actionem perutilis sacerdotibus est et iam in Seminario, praesertim ultimo anno, sine peculiarium Institutorum frequentia acquiri potest; v. gr. praeparatio ad apostolatum exercendum cum aliquo hominum ordine (cum operariis, ruricolis, etc.).

B) Altera iis sacerdotibus necessaria qui destinati sunt ad ea munera exercenda, quae propriam praeparationem requirunt in specialibus Institutis; v. gr. praeparatio ad scientias sacras vel profanas docendas.

[174] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Pius XII, Alloc. *Animus Noster*, l. c., p. 688; Paulus VI, Alloc. *Singulari cum*, ad Pont. Commissionem Codici Iuris Can. recognoscendo, 20 nov. 1965; *Insegnamenti*, III, pp. 640 ss.; Alloc. *Saluere libenter*, ad eos qui interfuerunt II Conventui Internat. de Iure Canonico, 25 maii 1968: *Insegnamenti*, VI, pp. 205 ss. [LE 3659]. [175] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 13. [176] *Ibid.*, n. 17. [177] Conc. Vat. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 9; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16. [178] *A. A. S.* 59 (1967), pp. 574 ss. [LE 3558]; pars Seminariorum alumnos directe respiciens in eo est ut promulgetur [cf. infra LE 3847].

[179] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Decl. de Ecclesiae habitud. ad relig. non Christ. *Nostra aetate*, n. 2; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16.

[180] Conc. Vat. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 21; Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam*, 6 aug. 1964: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 650 ss.; Alloc. *Nous sommes*, ad eos qui VI Conventui Internationali Thomistico interfuerunt, 10 sept. 1965: *Insegnamenti*, III, pp. 445 ss.; Secretariatus pro non Credentibus, *Documentum de dialogo*, 28 aug. 1968: *A. A. S.* 60 (1968), pp. 692-704 [LE 3683].

[181] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, nn. 18, 19, 20; cf. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16; Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 25; Pius XII, Const. Apost. *Sedes sapientiae*, 31 maii 1956: *A. A. S.* 48 (1956), p. 364; Paulus VI, Alloc. *Voi avete*, ad eos qui interfuerunt Conventui v. d. «XIII Settimana Nazionale di Orientamento Pastorale», 6 sept. 1963: *Insegnamenti*, I, pp. 118-119.

84. Quoad *A)* curandum est ut ea inter sexennium philosophicum et theologicum fiat; quod ex. gr. hac ratione obtineri potest:

a) per speciales disciplinas quae, sive inter annum scholasticum (praesertim ultimis annis) sive inter ferias, modo ordinato et servata debita proportione cum disciplinis principalibus, proponantur apta et convenienti cohaesione cum formatione generali;

b) disponendo in primo quinquennio omnes, vel fere omnes disciplinas communes, et sexto anno copiam dando formationis specialis per peculiares cursus et disciplinas.

His et aliis rationibus, quae haberi poterunt, varii coetus alumnorum variam formationem specialem accipient secundum singulorum aptitudines et praesertim secundum peculiares dioecesis necessitates, de quibus Episcopus iu-
375 dicabit. /

In Ratione Institutionis sacerdotalis indicetur quid Conferentiae Episcopales pro singulis regionibus et Seminariorum possibilitatibus definierint.

85. Quoad *B)* oportet ut, absoluta generali formatione et facta quoque aliqua experientia pastorali, candidati ad altiora Instituta vel Facultates mittantur ubi haec peculiaris institutio, una cum congruentibus diplomatibus vel gradibus academicis, obtineri possit.

Ad hunc finem seligendi sunt qui indole, virtute et ingenio vere apti sint; et sedulo curandum est ut eorum institutio spiritualis et pastoralis, maxime si nondum sacerdotes sint, plene compleatur [182].

In singulis regionibus Conferentiae Episcopales de re opportunas normas statuant [183], et ubi Seminaria Maiora habentur cum studiis theologicis scientifica ratione ordinatis, videant utrum haberi possit affiliatio ad aliquam Facultatem theologicam ut, sub ipsius Facultatis ductu, plures alumni Seminarii primum gradum academicum in Theologia (Baccalaureatum) consequi valeant.

Considerato peculiari momento Collegiorum Romanorum [184], utpote quae magnam studiorum peculiarium copiam offerre possunt, arcta inter Conferentias Episcopales et haec sua cuiusque Collegia serventur vincula, ut eorum peculiare munus communi nisu promoveatur atque ad novas necessitates Nationum et universae Ecclesiae accommodetur.

XIV. De doctrina tradenda

86. Primum fundamentum et verus totius formationis sacerdotalis ambitus est divina Revelatio, cuius devoti fidique ministri alumni fieri debent. Ideoque tam professores quam alumni verbo Dei scripto et tradito fideliter inhaereant, illudque ament, assidue scrutentur atque spirituale alimentum sibi reddant [185]. Traditionis —quae cum Sacra Scriptura / unum verbi Dei sacrum depositum constituit Ecclesiae commissum [186]— vivum sensum imprimis ex SS. Patrum operibus hauriant, magni facientes doctrinam eorum aliorumque Doctorum, quorum laus est in Ecclesia [187]. Sanctum Thomam Aquinatem tamquam unum e maximis Ecclesiae magistris habeant, lidemque debitum momentum tribuant auctoribus recentioris aetatis [188].

[182] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 18; cf. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 16. [183] Valde optandum est ut ad peculiares normas, a singulis Conferentiis hac de re statuendas, Religiosi quoque accedant.

[184] Cf. Pius XII, Alloc. *Le centenaire*, ad Moderatores et alumnos Pont. Seminarii Gallici Romae, 16 apr. 1953: *A. A. S.* 45 (1953), pp. 287 s.; Paulus VI, Alloc. *Due fatti*, habita in Basilica Vaticana in S. Missa concelebrata cum Moderatoribus Romanorum Collegiorum, 6 iun. 1965: *Insegnamenti*, III, p. 330.

[185] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*, nn. 24-26; cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu*, 30 sept. 1943: *A. A. S.* 35 (1943), p. 321 [LE 1774].

[186] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*, n. 10.

[187] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei verbum*, nn. 8, 23; Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 17; cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu*, 30 sept. 1943: *A. A. S.* 35 (1943), p. 312.

[188] Conc. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, n. 16; Declar. de educatione christiana *Gravissimum educationis*, n. 10; Pius XII, Alloc. *Sollemnis conventus*, ad Collegiorum alumnos studia eccles. Romae celebrantes, 24 iun. 1939: *A. A. S.* 31 (1939), p. 247; Alloc. *Animus Noster*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 17 oct. 1953: *A. A. S.* 45 (1953), pp. 684 ss.; Ioannes XXIII, Alloc. *L'incontro odierno*, ad Seminariorum Rectores ex universa Italia, 29 iul. 1961: *A. A. S.* 53 (1961), pp. 564 s.; Paulus VI, Alloc. *Incomitissimo desiderio*, ad Senatum academicum et alumnos Pont. Univ. Gregorianae Romae, 12 mart. 1964: *Insegnamenti*, II, pp. 178 ss.; Alloc. *Nous sommes*, coram VI Congressu Thomistico Internationali, 10 sept. 1965: *Insegnamenti*, III, pp. 446 s.

87. Professores scientiarum ecclesiasticarum, honorificum quidem munus sed officii plenum in Ecclesia habentes, non proprio sed Ecclesiae nomine docent, a qua missionem acceperunt. Peculiarem igitur condicionem suam in Corpore Christi prae oculis habentes, Ecclesiae sensum semper manifestent docili obsequio erga ipsius magisterium ita ut ad aedificandos in fide tum alumnos tum omnes fideles conferre possint [189].

88. Professores de praesenti statu deque progressu doctrinae curam habeant; iusta libertate utantur inquirendi necnon mentem suam aperiendi, semper tamen, prout sinceri «cooperatores veritatis» [190], in novis quaestionibus ea prudentia gravitateque procedentes, quae a dignitate sui
377 muneris et ipsius veritatis revelatae postulatur. /

Spectatis diversis certitudinis theologicae gradibus, distincte doceant professores ea quae tamquam doctrina fidei et ea quae consensu doctorum probantur; quod quidem efficaciter fieri nequit nisi adhibito quodam fundamentali et valido textu. Doctrina certa imprimis in tuto posita, probabiles, novas et proprias explicationes modeste proponant [191].

89. Simul cum Ecclesiae doctrina magis recondite excolenda, curandum est ut alumni recte et moderate aperti sint ad modernam culturam. Magistri igitur hoc propositum spectantes, ad debitum aequilibrium atque sanum discretionis sensum sacerdotii candidatos formare contendant [192], ita ut in hodierna cultura dijudicanda et legendis auctoribus critice procedere discant, retinentes quae probanda sunt, quae vero improbanda reicientes. Ad hoc quam maxime conferre poterit communis cum Professoribus lectio ephemeridum et librorum, quam sequatur critica discussio.

XV. De ratione docendi [193]

90. Disciplinarum ratio statis temporibus recognoscatur, ut quaestiones obsoletae omittantur, quae autem pergunt vim exercere suam melius et fusius tractentur.

Novae disciplinae —ut iam dictum est (cfr. n. 80)— ne facile introducantur, sed potius novae quaestiones in disciplinas tradi solitas apto loco inserantur.

Professores sciant et velint unum corpus constituere: exoptata enim unitas in doctrina proponenda solum tunc obtinebitur, si simul aderit in ipsis magistris. De mutuis relationibus disciplinarum ac de earundem unitate solliciti sint, ita tamen ut non plures sed unam scientiam —nempe
378 fidei et Evangelii— iuvenes se discere experiantur [194]. /

Quod ut facilius obtineatur, adsit in Seminario qui integrae ordinationi studiorum moderetur.

91. Rationes quoque didacticae recognoscendae sunt; ad quod assequendum haec prae oculis habeantur:

a) In institutionalibus omnium disciplinarum cursibus certus praelectionum numerus, iuxta commune professorum consilium, habendus est ad praecipua doctrinae capita proponenda et enucleanda, ad normas generales pro privato alumnorum studio tradendas et bibliographiam apte indicandam.

b) Instituantur *seminaria* et exercitationes ad activam alumnorum participationem promovendam; professores vero qui exercitationibus moderari debent, conscii sint de gravitate huius muneris, quod non minore diligentia explendum est quam ipsae praelectiones.

c) Labor quoque in parvis coetibus factus praeside magistro foveatur, et pariter studium privatum moderantibus per frequentia colloquia professoribus, ut alumni etiam personalem laboris intellectualis methodum addiscant.

d) Denique, candidati ad sacerdotium aptis investigationibus initientur ad varia dioecesis pastoralia problemata scientifica methodo examinanda [195], ut, per commune eventuum factorumque studium theologicum, intimus nexus inter vitam ipsam pietatemque atque doctrinam ex praelectionibus haustam clarius appareat, et ad pleniorem alumnorum theologicam praeparationem conferat.

Ut autem omnibus his methodorum et personalis studii postulatis revera satisfieri possit, professores et numero sufficientes et ad munera sua rite parati sint oportet.

92. Instrumentum necessarium pro studiis tum professorum tum alumnorum est Bibliotheca, quae propterea in unoquoque Seminario, magna cura a bibliothecario idoneo et ad hoc parato est ordinanda, conservanda et, adiuvantibus quorum interest, continenter augenda per annuam pecuniae summam, quae ad hunc finem liberali animo statuenda est.

De usu bibliothecae edoceantur alumni secundum me-
379 thodologiam recentem. /

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 43 [LE 3232]; Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 1 [LE 3333]. [2] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 43. [3] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 43; Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 1. [4] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 45; Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 1. [5] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 45. [6] Cf. S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instructio *Renovationis causam*, 6 Ianuarii 1969, n. 13 [LE 3707]. [7] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, n. 17. [8] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 44; S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instructio *Renovationis causam*, 6 Ianuarii 1969, nn. 2, 7. [9] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 44. [10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra liturgia *Sacrosanctum*

http://www.obrascatolicas.com

ritus liturgicus pertinet. Tamen, apud nonnullas familias religiosas mos invaluit vota renovandi pietatis causa. Multis modis hoc peragi potest; verum haud commendanda est consuetudo intra Missam publice agendi quod privatae devotionis est. Si autem opportunum videtur vota publice renovare peculiaribus diebus anniversariis, exempli gratia XXV vel L anno religionis, adhiberi potest ritus renovationis votorum, aptatis aptandis.

8. Hi ritus, cum uti alia sit indoles, suam quisque celebrationem requirunt ideoque rituum coacervatio in eadem actione liturgica omnino vitanda est.

III. De Missa in ritu professionis religiosae adhibenda

9. Quoties professio religiosa, perpetua praesertim, intra Missam celebratur, convenienter dicitur una ex Missis ritualibus in die professionis religiosorum, quae sunt in Missali Romano aut in Propriis Missarum legitime probatis. Occurrente vero sollemnitate vel dominica temporis Adventus, Quadragesimae, Paschae dicitur Missa de die, servatis, pro opportunitate, formulis propriis in prece eucharistica et in benedictione finali.

10. Cum autem liturgia verbi celebrationi professionis aptata magnam vim habeat ad vitae religiosae naturam et munera illustranda, quando Missa «in die professionis religiosorum» prohibetur, unam lectionem sumere licet ex iis quae in peculiari lectionario recensentur; praeterquam in Triduo sacro, in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes et Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi vel in aliis sollemnitatibus de praecepto servandis.

11. Ad Missam ritualem «in die professionis religiosorum» celebrandam, sacrae vestes coloris albi adhibentur.

IV. De aptationibus quae singulis Institutis competunt

12. Normae ad initiationis ritum peragendum (nn. 1-13) obligatoriae non sunt, nisi contrarium aperte dicatur (ex. gr. de ritu semper extra Missam persolvendo, n. 2) aut res ad intimam ritus naturam pertinet (ex gr. norma ut ritus sit simplex atque expeditus, n. 3).

13. Ritibus professionis temporalis, professionis perpetuae, renovationis votorum uti debent omnes qui professionem religiosam intra Missam emittunt vel renovant, nisi iure particulari fruantur.[11]

14. Praestat tamen ut familiae religiosae ritum convenienter aptent, quo uniuscuiusque Instituti naturam et spiritum melius referat ac reddat. Ad hoc singulis Institutis facultas datur ritum aptandi, actis ab Apostolica Sede recognoscendis.

In professionis ritu aptando haec praesertim serventur: *a)* Ritus collocetur immediate post evangelium. *b)* Partium distributio minime perturbetur. Nihil vero obstat quominus quaedam partes omittantur vel aliae similis naturae in earum locum substituantur. *c)* Discrimen liturgicum inter professionem perpetuam et professionem temporalem vel renovatam accurate servetur, nullam alterius peculiarem partem in alteram inducendo. *d)* Ut suo loco dicitur, multae formulae ritus professionis commutari possunt, immo debent ut natura et spiritus Instituti ex illis emineat. Cum Rituale Romanum plures exhibet formulas ad libitum, Ritualia particularia possunt alias formulas eiusdem generis adicere.

15. Quoniam professio «coram sanctissimo Sacramento» ante ipsam Communionem cum recto liturgiae sensu minus congruit, hic ritus prohibetur quominus posthac a novis familiis religiosis assumatur. Institutis autem quae, iure particulari, eum adhibent suadetur ut eo uti desinant.

Item religiosi omnes qui particulari ritu utuntur, admonentur ut, sepositis iis quae principiis instauratae liturgiae aperte contradicunt, purioribus liturgiae formis adhaereant easque sectentur. Hac ratione sobrietas illa obtinebitur necnon dignitas et maior unitas hac in re tantopere commendatae.[12]

[*Sequitur ritus liturgicus*].

III—Ritus promissionis religiosorum

Normae Generales

1. Quibusdam Religionibus opportunum videtur novitios, exacto novitiatus canonici anno, vota temporaria non emittere, sed sive per aliquot annos sive usque ad tempus professionis perpetuae, Instituto tantum devinciri peculiari promissione vel aliis ligaminibus temporariis.[1]

2. Quamquam promissio aut alia temporaria ligamina, sua ipsorum natura, a votis religiosis differunt, tamen ad tria consilia evangelica referuntur et quodammodo professionem praeparant.[2] Quare valde praestat ut haec fiant ferventi comitante oratione; immo pia Mater Ecclesia sinere non dubitat promissionem emitti in congrua actione liturgica veluti in celebratione verbi Dei vel divini Officii, Laudum et Vesperarum praesertim, aut, si adiuncta expostulant, in ipso Sacrificio eucharistico.

3. In disponendo promissionis ritu, maxima adhibeatur cura, ut eius peculiaris indoles servetur neque ei inserantur quae professionis religiosae sunt. Itaque in formulis componendis, in lectionibus deligendis, in signis liturgicis statuendis vitentur ea quae vi iuris aut ex antiquo more ad professionis religiosae ritum pertinent.

4. Promissionis emissio actus est communitati praesertim servatus; nam promissio eo in primis spectat ut candidatus diutius vitam religiosam experiatur et Instituto probetur. Ideoque ritus congrua sobrietate est persolvendus.

[*Sequitur ritus liturgicus*].

IV—Exemplar Formulae Professionis

Unicuique familiae religiosae est facultas componendi formulam professionis a S. Congregatione de Religiosis et Institutis saecularibus probandam. Ad utilitatem vero Institutorum religiosorum, hoc exemplar proponitur.

I. Qui vota profitetur: *Ego N. N. ad Dei honórem, firma voluntáte impúlsus intímius Ei me consecrándi Christámque prǽsius tóta vita sequéndi, coram frátribus adstántibus, in mánibus tuis N. N.* perpétuam** castitátem, paupertátem, obœdiéntiam vóveo secúndum (Régulam et) Constitutiónes N. *** et huic famíliae me toto corde trado, ut Sancti Spíritus grátia, beáta Maria Vírgine adiuvánte, in Dei Ecclesiǽque servítio perfectam pérsequar caritátem.*

II. Qui vota recipit, apto ritus loco (cf. Pars I, n. 70, p. 33; Pars II, n. 77, p. 76), dicere potest: *Et ego potestáte mihi tradita, nómine Ecclésiae, vota a vobis (te) in N. *** emíssa, súscipio, vosque (teque) Deo instánter commendo, ut oblatiónem vestram (tuam), Sacrifício eucharístico adsociátam, perficere valeátis (váleas).*

* Dicitur nomen et manus Superioris, qui professionem recipit.
** Vel dicatur tempus ad quod professio extenditur.
*** Dicitur nomen familiae religiosae.

Adn. I. M. CALASUIG in Notit. 6 (1970) 118-120; J. E. ENOUT in LE 78 (1962) 3-38; PrM 59 (1970) 65-70.

3827

1970 FEB 2.-SC CULTUS DIVINI, RESCRIPTUM. PART.*

Facultas datur transferendi sollemnitatem Omnium Sanctorum et Commemorationem defunctorum ob aptationem liturgicam usibus popularibus regionis Laotiae et Cambogiae in honorem mortuorum

Exc.mus D. E. Loosdregt, Vicarius Apostolicus Vientianensis, Praeses Conferentiae Episcopalis Laotiae et Cambogiae, die 20 ianuarii 1970 petiit a Sacra Congregatione pro Cultu divino confirmationem decisionis eiusdem Conferentiae transferendi sollemnitatem Omnium Sanctorum et Commemorationem omnium fidelium defunctorum diebus inter 15 septembris et 15 octobris, quibus quotannis in Cambogia ex saeculari populi consuetudine festivitates celebrantur in honorem mortuorum («Prachum Ben»). Petitionem sequentibus corroborabat rationibus:

A) Description des fêtes traditionnelles en l'honneur des morts au Cambodge

1. *Temps*: au mois dit de «Photrobot» (du cycle lunaire), à partir de la lune décroissante (entre le 15 septembre et le 15 octobre) ont lieu des fêtes solennelles, traditionnelles en l'honneur des défunts de la famille, de la nation.

Fêtes, dites du «Prachum Ben»: fêtes de l'offrande des gâteaux de riz aux âmes des défunts.

2. *Heures*: les cérémonies débutent à la tombée de la nuit et durent jusqu'à l'aube.

3. *Lieu*: elles ont lieu soit à la pagode bouddhiste, soit à la maison familiale.

4. *Rites*: à la pagode ou à la maison: les rites se déroulent en présence d'un ou de plusieurs moines bouddhistes: *a)* une prédication par un moine sur la vie, la mort, les liens de parenté entre les vivants et les morts; *b)* une récitation de prières: 1) demande aux morts d'agréer les offrandes, de protéger les membres de la famille; 2) souhaits de repos et de félicité aux défunts; 3) offrande des mérites des vivants aux morts.

5. *Croyances*: *a)* les âmes des morts sortent de «L'Ombre» pour rendre visite à leur lieu d'origine et à la parenté encore en vie; *b)* l'existence effective de liens de parenté entre les morts et les vivants; *c)* les vivants doivent du respect aux défunts: reconnaissance et déférence exprimées par des offrandes (gâteaux de riz) aux âmes des morts; *d)* les vivants ne croient pas que les âmes des défunts *mangent* ces offrandes, mais invitent tout de même, par déférence, les morts à manger avec eux ces offrandes (communion au même repas); *e)* les vivants croient à la protection possible des défunts (le culte des saints), invoquent leur protection à cette occasion sur tous les vivants, les membres de la famille, de toute la nation; *f)* les vivants offrent des mérites (acquis au cours de l'année) aux défunts de la famille et leur souhaitent repos et félicité, au cours d'une prière solennelle.

B) Convenance pour les chrétiens du Cambodge de célébrer, à cette occasion, les fêtes de la Toussaint et de la commémoraison de tous les fidèles défunts.

1. Le contenu des fêtes traditionnelles peuvent acquérir un sens chrétien: offrandes avec demande de protection des défunts (saints) et souhaits de repos et de félicité pour les

autres défunts (non encore parvenus au bonheur du ciel), étant bien entendu que l'honneur rendu aux saints est une action de grâces à Dieu «qui, en couronnant leurs mérites, couronne ses propres dons», et les souhaits de félicité deviennent prière chrétienne.

2. Les fêtes traditionnelles durent trois jours, qui sont fériés dans tout le Cambodge:

a) les parents se rendent à leur ville et village d'origine pour célébrer avec tous les autres membres de la famille ces fêtes en l'honneur des défunts;

b) les chrétiens, pour la plupart, ont des parents non-chrétiens et amis non-chrétiens et se sentent parfois gênés de rester étrangers à ces fêtes familiales traditionnelles. Ils devraient pouvoir célébrer les fêtes des défunts, *en même temps* que les autres membres de la famille;

c) cela éviterait aux chrétiens d'être éventuellement taxés de négligence à l'égard des défunts ou du reproche de célébrer des cérémonies à des dates différentes (1er et 2 novembre);

d) les 1er et 2 novembre ne sont pas jours fériés au Cambodge et bien des chrétiens ont du mal à célébrer la Toussaint et la Commémoraison des Défunts ces jours-là;

e) la possibilité de christianiser les fêtes traditionnelles tout en permettant aux chrétiens et non-chrétiens de s'unir dans une même célébration, à la même date, nous paraît intéressante;

f) la possibilité d'organiser une pastorale à cette occasion unique où chrétiens et non-chrétiens se retrouvent *ensemble* soit à l'église, soit au cimetière;

g) en effet, il faut noter que les non-chrétiens viennent nombreux, pendant les trois jours de fêtes traditionnelles, prier dans les cimetières chrétiens pour les membres chrétiens de leur famille, et certains passent même à l'église avant de s'en aller.

Rescr.—[Sacra Congregatio pro Cultu divino petitam confirmationem dedit die 26 ianuarii 1970].

* Ad Praesidem Conferentiae episcopalis Laotiae et Cambogiae, Prot. N. 240/70: Notit. 6 (1970) 97 et 133.

3828

1970 FEB 6.-SC CULTUS DIVINI, INSTRUCTIO. PART.*

De unica versione vernacula textuum liturgicorum pro nonnullis tantum textibus servanda

In confirmandis Actis Conferentiarum Episcopalium, in iis quae linguam vernaculam respiciunt, Apostolica Sedes sedulo attendit ut in regionibus ubi una eademque lingua viget, unitas textuum liturgicorum haberetur; et proinde promovit institutionem Commissionum «mixtarum» pluribus Conferentiis Episcopalibus communium, ut unica interpretatio popularis textuum liturgicorum praepararetur (cfr. Epistolam Em.mi Card. Lercaro, diei 16 oct. 1964: *Notitiae* 1, 1965, p. 195 [LE 3221]; Allocutionem Summi Pontificis Pauli VI ad paticipantes Conventum de interpretationibus popularibus textuum liturgicorum, die 10 nov. 1965: *Notitiae* 1, 1965, p. 380).

Quae, ingenti labore, a Commissionibus mixtis parata sunt, ostendunt beneficia et utilitatem huius cooperationis (cfr. «*Instruction sur la traduction des textes liturgiques pour la célébration avec le peuple*», 25 janv. 1969, n. 41: *Notitiae* 5, 1969, p. 11) [LE 3709]. Attamen difficultates quaedam negari non possunt, ad interpretationes a Commissionibus mixtis apparatas, diversorum populorum exigentiis aptandas, praesertim ex eo quod documenta supra relata postulabant *unicam* interpretationem popularem *omnium* textuum liturgicorum.

Attentis proinde iteratis petitionibus nonnullarum Conferentiarum Episcopalium, Summus Pontifex statuit uniformitatem servandam esse solummodo in textu *Ordinis Missae*, et in partibus quae *directam participationem populi requirunt*.

Quae nova norma significata directo Conferentiis Episcopalibus linguae lusitanae (die 12 nov. 1968, Prot. n. 2578-68), linguae hispanicae (die 5 augusti 1969, Prot. n. 905-69), ceteris proposita est in Instructione de Constitutione Apostolica «*Missale Romanum*» gradatim ad effectum deducenda, diei 20 oct. 1969, n. 4 (*Notitiae* 5, 1969, p. 420) [LE 3789].

Ut autem relationes inter Commissiones mixtas et Conferentias Episcopales clariores sint et faciliores evadant, praeter ea quae in supra memorata «Instructione de populari interpretatione textuum liturgicorum pro celebratione cum populo», n. 4, edicta sunt, quae sequuntur definitive statuuntur:

1. Unica habeatur interpretatio: *a)* pro omnibus liturgiae partibus, prouti sunt acclamationes, responsiones, dialogi, quae directam populi participationem requirunt; *b)* in Missa, pro partibus ad Ordinem Missae pertinentibus; *c)* in Officio divino, pro psalmis, hymnis, et precibus ad Laudes et ad Vesperas.

2. Pro aliis textibus liturgicis, unica interpretatio commendatur; attamen, ubi vera necessitas exstet, singulae Conferentiae Episcopales poterunt aut communem interpretationem aptare, aut novam interpretationem conficere.

3. Textus de quibus supra, n. 1, ab omnibus Conferentiis Episcopalibus, quae iis uti debent, approbandi sunt, antequam eorumdem textuum confirmatio ab Apostolica Sede concedatur. De huiusmodi autem Conferentiarum Episcopalium approbatione constabit ex relatione Praesidis Commissionis mixtae ad hanc Sacram Congregationem.

Haec nova ordinatio non minuit opportunitatem et utilitatem communis laboris Commissionum mixtarum, quinimmo faciliorem reddere intendit consensionem inter Conferentias Episcopales circa textum liturgicum eadem lingua exaratum. Haec Sacra Congregatio valde exoptat ut actuositas Commissionum mixtarum pergat uberiore cum fructu.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu divino, die 6 februarii 1970.—Benno Card. Gut, *Praef.* H. Bugnini, *a Secretis*.

* Ad Praesides Conferentiarum episcopalium, Prot. N. 284/70: Notit. 6 (1970) 84-85.

3829

1970 FEB 14.-SC EPISCOPORUM, DECRETUM. PART.*

Statuta de modo celebrandi Synodum communem omnium dioecesium Germaniae approbantur

Germaniae Ditionis Sacrorum Antistites quo efficacius in singulis dioecesibus decisiones Concilii Oecumenici Vaticani II ad effectum perducerentur et vita christiana maiora accipiat incrementa virtutum consilium inierunt Synodum communem suarum Ecclesiarum, iuxta peculiaria Statuta celebrandam, convocandi.

Cum vero eadem Statuta ad Apostolicam Sedem relata fuerint ut adprobationem assequerentur, Summus Pontifex Paulus, Divina Providentia PP. VI, referente infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis pro Episcopis Praefecto, in Audientia diei 14 februarii anno 1970, Statuta supra commemorata rata habuit et adprobavit, firmis tamen manentibus iis quae in Decreto Concilii Oecumenici Vaticani II «De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia» n. 38, 4 et in art. 12 Statutorum Conferentiae Episcopalis Germaniae praescribuntur.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 14 Februarii Anno 1970.—C. Card. Confalonieri, *Praef.* Ernestus Civardi, *a secretis*.

* Ordinariis locorum Germaniae, Prot. N. 122/69: AKKR 139 (1970) 150-151. Vide textum Statutorum in AKKR 138 (1969) 544-549. Adn. AKKR 138 (1969) 550-556; W. AYMANS in AKKR 139 (1970) 405-427.

3830

1970 FEB 23.-CONV. CUM AUSTRIA. AAS 62 (1970) 164

Ratihabitio Conventionis inter Sanctam Sedem et Rempublicam Austriacam in re patrimoniali et oeconomica

Vide *textum* sub die 1969 Sept. 29: LE 3783.

3831

1970 FEB 27.-CONV. c. RHEN.-PALAT. AAS 62 (1970) 162

Ratihabitio Conventionis inter Sanctam Sedem et Rhenaniam-Palatinatum circa nonnullas mutationes in Concordatum introducendas

Vide *textum* sub die 1969 Apr. 29: LE 3744.

3832

1970 MAR 8.-SC RELIGIOSORUM, DECLARATIO. PART*

Supprimitur clausura papalis pro Regularibus, exceptis monachis

Roma, 8 marzo 1970

Reverendo Padre, Sono pervenute a questa Sacra Congregazione specialmente negli ultimi anni, molte ripetute richieste da parte di vari Ordini (Canonici Regolari, Mendicanti, Chierici Regolari), intese ad ottenere la dispensa dalla clausura papale.

Allo scopo di assecondare in maniera più consona alle esigenze dei tempi le eventuali richieste dei Superiori Generali, è stata presentata al Santo Padre una petizione per poter autorizzare i suddetti Ordini, con esclusione dei Monaci, a regolare la loro clausura in conformità al can. 604 del Codice di Diritto Canonico.

A tale riguardo, mi pregio comunicarLe che, nella udienza

http://www.obrascatolicas.com

concessami il 23 corr. mese, il Sommo Pontefice, accogliendo favorevolmente la domanda, ha accordato la grazia richiesta.

La prego pertanto di voler portare a conoscenza dei Superiori Generali interessati che essi, se lo desiderano, potranno far uso della concessione pontificia.

Colgo l'occasione per professarmi con sensi di religiosa stima della Paternità Vostra devotissimo in Domino.—Ildebrando Card. Antoniutti, *Prefetto*. Edoardo Heston, C.S.C., *Segr.*

* Praesidi Unionis Superiorum Generalium, Prot. N. S. R. 20/70: AOFMCap 86 (1970) 47-48. Vide Decretum diei 4 Ian. 1970: LE 3860 et Adn. ibi appositas.

3833

1970 MAR 9.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 62 (1970) 760-761

In Mauritio Apostolica Nuntiatura constituitur

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Nulli non cognitum est quantopere amicitias firmare et augere, itemque necessitudines constringere, quae inter Sanctam hanc Sedem atque civiles populorum nationes intercedant, tum causam Ecclesiae, tum gentium ipsarum iuvent: nam ubi haec florent sive catholica res diuturna quiete ac satis firma pace usa, 761 suis / proficit institutis in immortalis Numinis gloriam aeternamque hominum salutem, sive gentes, ablatis discordiis, quibus civitates pereunt, atque simul civibus christianae veritatis stimulis additis, magnos inde usus percipiunt. Quae cum ita sint, cum Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide visum sit in Insula Mauritio Nuntiaturam Apostolicam condere, quae id spectet et animadvertat in regione dioecesis Portus Ludovici quae adumbravimus, atque in universum religionis progressionem ibi loci tueatur, Nos, omnibus qua opus est consideratione reputatis, ea quae Sacra Congregatio illa censuit esse facienda probamus ac rata habemus. Motu ergo proprio *Apostolicam Nuntiaturam* in Mauritio constituimus, cum iuribus et privilegiis debitis, ut iure describuntur, Sede in urbe Tananarive collocata. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum, haec quae iussimus, firma tum in praesens tum in posterum esse volumus, suosque effectus habere.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die nono mensis martii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri septimo.—Aloisius Card. Traglia, *S. R. E. Cancellarius.*

3834

1970 MAR 10.-SC SACRAMENT., RESCRIPTUM. PART.*

Facultas datur celebrandi Missam in Cena Domini horis vespertinis et etiam matutinis, cum facultate concelebrandi postea in Missa principali vespertina

Diligenti examini subiectis plurium Ordinariorum precibus, qui ab hac Sacra Congregatione petierunt ut facilior redderetur participatio Celebrationi eucharisticae, feria V in Cena Domini, ad Communionem paschalem eo die sumendam, haec Sacra Congregatio, de mandato Sñi Domini Nostri Pauli Papae VI, ea quae sequuntur statuit:

1. Ubi ratio pastoralis id postulet, loci Ordinarius permittere poterit ut, praeter Missam principalem «In Cena Domini», altera Missa celebrari valeat, horis vespertinis, in ecclesiis aut oratoriis publicis et semipublicis. In casu autem verae necessitatis, concedere poterit ut haec Missa etiam horis matutinis celebretur sed tantummodo pro fidelibus, qui nullo modo Missam vespertinam participare valeant; caveatur tamen ne huiusmodi celebrationes in bonum privatorum fiant, et ne praeiudicio sint Missae vespertinae principali.

2. Sacerdotes, qui in Missa chrismatis aut ad utilitatem fidelium iam celebraverint, denuo concelebrare valent in Missa vespertina.

Datum Romae, die 10 Martii 1970.

* AAKR 139 (1970) 181.

3835

1970 MAR 12.-SC RELIGIOSORUM, NOTIFICATIO. PART.*

Dies et modus liturgicus determinatur celebrandi Diem universalem pro vocationibus sacerdotalibus et religiosis

Roma, 12 marzo 1970

Reverendo Padre, Facendo seguito alla lettera pari numero del 2 febbraio scorso sulla «Giornata Mondiale di preghiera per le Vocazioni», da celebrarsi quest'anno il prossimo 12 aprile, mi faccio premura di parteciparLe quanto segue sullo spostamento della riferita «Giornata» alla successiva domenica, 19 aprile.

D'accordo con questo Sacro Dicastero, la Sacra Congregazione per l'Educazione Cattolica si è indirizzata al Sacro Dicastero per il Culto Divino in richiesta di alcuni chiarimenti circa i testi liturgici da adottare nella celebrazione della Santa Messa in occasione della riferita «Giornata».

In proposito mi è gradito trascriverLe la risposta della Sacra Congregazione per il Culto Divino ai quesiti sull'argomento:

«1) Sembra bene mantenere la connessione tra questa giornata di preghiere e la domenica del periodo pasquale, detta del Buon Pastore.

Nel nuovo ordinamento dell'anno liturgico tale domenica risulta spostata di una settimana, coincide quindi, con la quarta domenica di Pasqua (terza dopo Pasqua secondo la denominazione precedente). Sembrerebbe opportuno, perciò, spostare di una settimana anche la celebrazione della Giornata per le vocazioni.

2) Attuando lo spostamento predetto, si possono utilizzare molto bene i testi liturgici della domenica corrente. Infatti il Vangelo in tutti e tre gli anni del ciclo di letture, presenta la figura del Buon Pastore. E anche le orazioni della Messa, nel nuovo Messale, faranno riferimento a tal idea. L'omelia e la preghiera universale potranno assai bene completare l'insieme dello spirito che deve animare la celebrazione di questa giornata.

3) Una comunicazione tempestiva potrebbe permettere di effettuare questo spostamento di data, già da quest'anno. Per quanti usano il nuovo Lezionario non si presentano problemi di sorta; per coloro che ancora seguono il lezionario esistente nel Messale Romano ora in uso, si presenterebbe solo la leggera difficoltà di non avere testi specifici nella Messa: ma la stessa cosa si verifica per altre giornate mondiali di preghiera ormai tradizionali; e poi serebbe solo per quest'anno o al più l'anno prossimo. In seguito tutto si armonizzerà con l'adozione universale dei nuovi libri liturgici.

4) Sembra meno conveniente concedere la celebrazione di una Messa votiva in queste domeniche di Pasqua. Il loro carattere di prosecuzione e di completamento della catechesi quaresimale è importante, e sarebbe male interromperla; tanto più che i testi attuali delle Messe votive per le vocazioni esulano completamente dal tema pasquale».

Dato che la Sacra Congregazione per l'Educazione Cattolica sta provvedendo a comunicare quanto sopra agli Episcopati delle diverse Nazioni, allo scopo di evitare ogni disorientamento in materia, La prego di voler informare della presente i Padri Generali, affinché provvedano con sollecitudine a farlo sapere ai Superiori Maggiori dei loro rispettivi Istituti.

Profitto volentieri dell'incontro per professarmi con sensi di religioso ossequio di Lei devotissimo in Domino.—E. Heston, C. S. C., *Segretario.*

* Praesidi Unionis Superiorum Generalium, Prot. N. 2000/63: CpR 49 (1970) 184-185.

3836

1970 MAR 17.-SC RELIGIOSORUM, RESPONSUM. PART.*

Interpretatio authentica Regulae Sancti Francisci reservata manet Sedi Apostolicae

Romae, die 17 Martii 1970

Reverendissime Pater, Litteris diei 17 Iunii 1969, huic Sacrae Congregationi notum reddebas Capitulum generale speciale Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, post congruam disceptationem, decrevisse: «Sedis Apostolicae est, sive motu proprio, sive ad instantiam nostrae Familiae Franciscalis, Regulam Sancti Francisci authentice interpretaris.

Cum haec quaestio pluries apud omnes Fratres Minores agitata sit, tota res Augustae decisioni Summi Pontificis submissa est, Qui in Audientia diei 5 Iulii, huius Sacri Dicasterii Secretario concessa, affirmare dignatus est authenticam Sancti Francisci Regulae interpretationem Apostolicae Sedi reservandam esse, uti Capitulum vestrum generale laudabiliter iam statuerat, salva tamen facultate eorundem Capitulorum Generalium Regulam ipsam novis temporum adiunctis opportune accommodandi, quae tamen accommodatio, vigorem legis habere nequibit, nisi prius ab ipsa Sancta Sede approbatio obtenta fuerit.

Quae dum Tecum communico, occasionem nactus, meam in Te observantiam profiteor ac permaneo Paternitati Tuae Reverendissimae addictissimus.—H. Card. Antoniutti, *Praef.* E. Heston, *Secr.*

* Ministro Gen. O. F. M. Conv., Prot. N. 12495/69-C. 86: COFMConv. 87 (1970) 65.

3837

1970 MAR 19.-PAULUS VI, MOT. P. AAS 62 (1970) 193-197

Pontificia Commissio de spirituali migratorum atque itinerantium cura constituitur

PAULUS PP. VI

Apostolicae caritatis impulsu Catholica Mater Ecclesia curas sollicitudinesque in eo ponere consuevit, ut filiis suis illa subsidia, praesertim spiritualia, suppeditentur, quae peculiaria hominum, rerum, temporum adiuncta postulare videantur.

Campus vero, quo eius salutifera excurrit industria, fere immensum est amplificatus hac ipsa aetate, qua, mirabili technicae artis progressione, facillima sunt reddita cuiusvis generis itinera atque mutuae civium et nationum necessitudines hominumque congressiones perquam increbruerunt. Pastorale igitur studium non solum ad eos est convertendum, qui statutis finibus paroeciarum, consociationum aliorumque hoc genus institutorum continentur, sed ad eos etiam, qui sponte vel ob aliquam necessitatem e sedibus suis se movent. Praeterea, ad altioris doctrinae rationem, inquirendum est, collatis etiam consiliis, quae huiusce rei sint causae earumque consecutiones, atque pervidendum, quomodo huiusmodi peregrinatores ad progressionem humanam et religiosam faciendam possint adiuvari 194 et a quibus avertendi sint periculis. Ecclesia ergo salutaria / incepta debet excitare, suscipere aptoque nexu inter se coniungere, ut iisdem ipsa, quantum fieri possit, opituletur, simul vero sententiam suam ostendere de quaestionibus socialibus, oeconomicis, ad animi culturam et similia pertinentibus, quae has migrationes saepe solent inferre.

Re quidem vera Romani Pontifices, Decessores Nostri, eiusmodi intuentes necessitates, his pro viribus conati sunt occurrere, operam adiutricem praebentibus Coetibus Episcoporum, nonnullis plurium gentium institutis, christianis singulis vel consociatis. Satis est memorare opus Pii XII, qui anno MCMLII, cum post immane bellum commigrationes plurimum auctae essent Constitutionem Apostolicam a verbis *Exsul Familia* incipientem provide edidit [1], quam Nos horum temporum condicioni accommodavimus [2]. Ille praeterea apud Sacram Congregationem Consistorialem, nunc pro Episcopis appellatam, «Consilium Superius de Emigrantibus» instituit [3] et ibidem «Secretariatum Generalem Internationalem ad moderandum Opus Apostolatus Maris» in commodum maritimorum, qui scilicet nauticis rebus sunt addicti, condidit [4]. Denique, novas attendens necessitates, idem Decessor Noster anno MCMLIII Congregationi Consistoriali munus mandavit spirituale ministerium impendendi fidelibus, qui in aëroportibus vel ipsis aëronavibus officia exercent vel opus faciunt, atque etiam vectoribus in aërio itinere versantibus; cui instituto nomen datum «Opus Apostolatus Caeli» vel «Aëris».

Ipsum deinde Concilium Vaticanum II sollertes curas in homines sese moventes intendit, cuius modi sunt «quam plurimi migrantes, exsules et profugi, maritimi sicut et 195 aëronavigantes, nomades» [5]. /

Huic hortationi, cum animi Nostri sententia plane convenienti, obsecuti, anno MCMLXV apud praedictam Sacram Congregationem instituimus «Secretariatum Internationalem ad moderandum Opus Apostolatus Nomadum», quo nempe spiritualis levatio afferretur genti sine sede vaganti, atque etiam similis sortis hominibus, veluti iis, qui, circensibus ludis vel operi per certa anni tempora addicti, peregrinantur.

Recens demum Sacra Congregatio pro Clericis Officio est adaucta, cuius est religionis subsidia ad eos perferre, qui ob rusticationem, curationes, pietatem, ingenii cultum, ludicras corporum exercitationes, animi oblectationem aliasque his similes causas iter faciunt. Quae quidem multiplex res, nomine vulgato «tourisme» comprehensa, permagnas hominum turbas respicit atque in sociali regione novum quiddam efficit ac singulare [6].

Ad impensius vero procurandam spiritualem salutem eorum, qui procul a sedibus propriis morantur, iam expedire videtur, ut huiusmodi operositates apto, fecundo efficacique nexu inter se copulentur atque uni subiciantur moderationi. Visum est igitur Pontificiam Commissionem de spirituali migratorum atque itinerantium cura, Sacrae Congregationi pro Episcopis obnoxiam, constituere, complectentem ea, quae supra recensita sunt, Opera: curam emigrantium, Apostolatum Maris, Apostolatum Aëris, Apostolatum Nomadum, curam peregrinatorum, qui «touristes» vulgo dicuntur et de quibus pastoralis sollicitudo per Constitutionem Apostolicam *Regimini Ecclesiae Universae* provinciae Congregationis pro Clericis fuit attributa [7].

Huius autem Commissionis haec erit ordinatio:

1. Munere Praesidis fungitur Cardinalis Praefectus Sacrae Congregationis pro Episcopis eique adest Pro-Praeses, episcopali dignitate auctus, qui scilicet illius vices gerit, 196 opem ferente Secretario. Praeterea eiusdem Commissionis Membra sunt Substitutus Secretariae Status seu Papalis, Secretarius Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Secretarii Sacrarum Congregationum pro Episcopis, pro Clericis, pro Religiosis et Institutis saecularibus, pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, pro Institutione Catholica, Consilii «de Laicis», Pontificiae Commissionis a «Iustitia et Pace» atque quinque Episcopi Dioecesani a Nobis nominati. Cardinalis Praefectus Sacrae Congregationis pro Episcopis, Substitutus Secretariae Status et Secretarii ut Membra recensiti, proprio munere durante, officium in hac Commissione gerunt; ceterorum munus, expleto quinquennio, cessat, integrum tamen est Apostolicae Sedi his iisdem munus, exacto quinquennio, prorogare.

2. Commissio, quamquam, ut supra dictum est, e Sacra Congregatione pro Episcopis pendet, tamen certa autonomia in gerendis suis muneribus fruitur. Eius imprimis est de cura pastorali hominum praedicto modo se moventium agere cum Coetibus Episcopalibus Nationum, qui secundum regionum necessitates et opportunitates rem ad effectum deducere studebunt.

3. In certum ac definitum numerum Consultorum, ad quinquennium, ascribuntur delecti homines, sive ex clero sive ex ordine laicorum, qui, ad migrationes quod attinet, peculiari peritia commendantur.

4. Quoniam harum Litterarum vi iura quinque praedictis institutis concessa desinunt, Nostrum erit eas novae huic Commissioni tribuere facultates, quae necessariae et opportunae videantur. Per specialem vero «Ordinem servandum» rationes, quae inter Sacram Congregationem pro Episcopis et hanc Commissionem ita a Nobis constitutam, intercedant, accuratius describantur.

Spem igitur fovemus bonam fore, ut ex hac Commissione, quippe cui novae singularesque apostolatus formae sint mandatae, fructus pastorales oriantur nec pauci nec leves, 197 atque ut / materna sollicitudo Ecclesiae, signa et necessitates temporum perspicientis, magis clarescat eademque testimonium ipsius evadat animos blande alliciens.

Volumus ut hae Litterae ab hoc ipso die, quo datae sunt, valere incipiant.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIX mensis Martii, in festo Sancti Ioseph, B. V. Mariae Sponsi, anno MCMLXX, Pontificatus Nostri septimo.—Paulus Pp. VI.

[1] *A. A. S.* 44 (1952), pp. 649 ss. [LE 2304]. [2] Litt. Apost. *Pastorali migratorum cura*, motu proprio datae: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 692 ss. [LE 3778]. [3] *A. A. S.* 44 (1952), pp. 692 ss. [LE 2304]. [4] *Ibid.*, p. 695. [5] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 18; cfr. ibid. 16; cfr. *A. A. S.* 58 (1966), pp. 682, 680 s. [LE 3332]. [6] Codex nocmarum, seu «Directorium Generale», de ministerio pastorali in utilitatem eorundem peregrinatorum obeundo, anno MCMLXIX editus est; *A. A. S.* 61 (1969), pp. 361 ss. [LE 3745]. [7] 69, 1°; *A. A. S.* 59 (1967), p. 910 [LE 3588].

3838

1970 MAR 25.-SC ECCL. OR., DECL. AAS 62 (1970) 179

Declaratio de Hierarchis extra fines territorii patriarchalis constitutis

Apostolica Sedes, de tuitione atque incremento Ecclesiarum catholicarum orientalium sollicita, ad magis firmandos nexus inter Patriarchatus et proprii ritus Hierarchas extra

http://www.obrascatolicas.com

fines territorii patriarchalis constitutos atque ad bonum fidelium orientalium extra patriarchatus commorantium efficacius fovendum, normas quasdam statuendas esse censuit.

Quapropter Sacra Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus, votis annuens ut praescriptum commatis tertii n. 7 Decreti Concilaris *Orientalium Ecclesiarum* [LE 3233] in praxim deduceretur, ea quae sequuntur de mandato Summi Pontificis declarat.

1. Hierarchae Orientales extra fines territorii patriarchalis constituti, in Synodis patriarchalibus proprii ritus, sive electionum sive negotiorum, cum suffragio deliberativo partem habere possunt.

2. Patriarcha et, Sede vacante vel impedita, Administrator Patriarchalis convocare tenetur ad Synodos, de quibus in n. 1, omnes et singulos Hierarchas sui ritus extra fines territorii patriarchalis constitutos.

3. Designationem Hierarcharum proprii ritus pro fidelibus orientalibus extra patriarchatus commorantibus quod attinet, Patriarcha cum sua Synodo electionum elenchum saltem trium idoneorum candidatorum Sedi Apostolicae, opportuno tempore, proponere valet, firmo iure Romani Pontificis nominandi ad huiusmodi officium quem Ipse maluerit.

Super statutae normae valebunt ad interim donec disciplina canonica orientalis iuxta Decreta et ad mentem Concilii Oecumenici Vaticani II organice recognoscatur, abrogatis, quatenus opus sit, praescriptionibus iuris canonici orientalis vigentis, quin exinde potestas iurisdictionis Patriarchae extra fines sui patriarchatus extendatur.

Quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, in contrarium non obstantibus.

Datum Romae, die 25 mensis Martii anno 1970.-M. Card. DE FÜNSTENBERG, *Praef.* Marius Brini, Archiep. tit. Algizen., *a Secr.*

Adn. Doc. Cath. 67 (1970) 995; D. FALTIN in Apoll. 43 (1970) 548-554; C. FUIOL in REDC 26 (1970) 398-404 et in PrM 59 (1970) 344-354; 60 (1971) 251-271.

1970 MAR 26.-SC CULTUS, DECR. AAS 62 (1970) 554

NOVA EDITIO MISSALIS ROMANI PROMULGATUR ET TYPICA DECLARATUR

Celebrationis eucharisticae Ordine statuto, atque approbatis textibus ad Missale Romanum pertinentibus per Constitutionem Apostolicam *Missale Romanum* [LE 3735] a Summo Pontifice Paulo VI die 3 Aprilis 1969 datam, haec Sacra Congregatio pro Cultu Divino, de mandato eiusdem Summi Pontificis, novam hanc editionem Missalis Romani ad normam decretorum Concilii Vaticani II confectam promulgat et uti typicam declarat.

Ad usum autem novi Missalis Romani quod attinet, permittitur ut editio latina, statim ac in lucem edita fuerit, in usum assumi possit, opportunis adhibitis accommodationibus quae dies celebrationum Sanctorum respiciunt, donec Calendarium instauratum definitive in praxim adducatur; curae autem Conferentiarum Episcopalium committitur editiones lingua vernacula apparare, atque diem statuere, quo eaedem editiones, ab Apostolica Sede rite confirmatae, vigere incipiant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 26 Martii anni 1970, Feria V in Cena Domini.—Benno Card. GUT, *Praef.* H. Bugnini, *a Secr.*

Adn. vide sub die 1970 Mar. 26: LE 3840.

3840

1970 MAR 26.-SC CULTUS DIVINI, NORMAE. PART.*

INSTITUTIO GENERALIS MISSALIS ROMANI

Prooemium

1. Cenam paschalem cum discipulis celebraturus, in qua Sacrificium sui Corporis et Sanguinis instituit, Christus Dominus cenaculum magnum, stratum (Lc 22, 12) parari mandavit. Quod quidem iussum etiam ad se pertinere Ecclesia semper est arbitrata, cum de iis statuebat, quae, in dispo-

nendis hominum animis, locis, ritibus, textibus, ad sanctissimae Eucharistiae celebrationem spectarent. Normae quoque hodiernae, quae, voluntate Concilii Oecumenici Vaticani II innixae, praescriptae sunt, atque novum Missale, quo Ecclesia ritus Romani in Missa celebranda posthac utetur, iterum sunt argumentum huius sollicitudinis Ecclesiae, eius fidei immutatique amoris erga summum mysterium eucharisticum, atque continuam contextamque eius traditionem, quamquam res novae quaedam inductae sunt, testantur.

Testimonium fidei immutatae

2. Missae natura sacrificalis, a Concilio Tridentino, quod universae traditioni Ecclesiae congruebat, sollemniter asserta,[1] rursus enuntiata est a Concilio Vaticano II, quod circa Missam haec significantia protulit verba: «Salvator noster in Cena novissima Sacrificium eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo Sacrificium Crucis in saecula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiae dilectae Sponsae memoriale concrederet Mortis et Resurrectionis suae».[2]

Quod sic a Concilio docetur, id formulis Missae continenter exprimitur. Etenim doctrina, quae hac sententia Sacramentarii Leoniani presse significatur: «quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur»,[3] apte accurateque explicatur in Precibus Eucharisticis; in his enim sacerdos, dum anamnesin peragit, ad Deum nomine etiam totius populi conversus, ei gratias persolvit, et sacrificium offert vivum et sanctum, oblationem scilicet Ecclesiae et hostiam, cuius immolatione ipse Deus voluit placari,[4] atque orat, ut Corpus et Sanguis Christi sint Patri sacrificium acceptabile et toti mundo salutare.[5]

Ita in novo Missali lex orandi Ecclesiae respondet perenni legi credendi, qua nempe monemur unum et idem esse, excepta diversa offerendi ratione, Crucis Sacrificium eiusque in Missa sacramentalem renovationem, quam in Cena novissima Christus Dominus instituit Apostolisque faciendam mandavit in sui memoriam, atque proinde Missam simul esse sacrificium laudis, gratiarum actionis, propitiatorium et satisfactorium.

3. Mirabile etiam mysterium praesentiae realis Domini sub speciebus eucharisticis, a Concilio Vaticano II[6] allisque Ecclesiae Magisterii documentis[7] eodem sensu eademque sententia, quibus Concilium Tridentinum id credendum proposuerat,[8] confirmatum, in Missae celebratione declaratur non solum ipsis verbis consecrationis, quibus Christus per transubstantiationem praesens redditur, sed etiam sensu et exhibitione summae reverentiae et adorationis, quae in liturgia eucharistica fieri contingit. Eadem de causa populus christianus adducitur, ut Feria V in Cena Domini et in sollemnitate Ssmi Corporis et Sanguinis Christi hoc admirabile Sacramentum peculiarem in modum excolat adorando.

4. Natura vero sacerdotii ministerialis, quod presbyteri proprium est, qui in persona Christi sacrificium offert coetuique populi sancti praesidet, in ipsius ritus forma, e praestantiore loco et munere eiusdem sacerdotis elucet. Huius vero muneris rationes edicuntur et perspicuae ac fusius explanantur in gratiarum actione Missae Chrismatis, Feria V in Cena Domini; quo videlicet die institutio sacerdotii commemoratur. In illa enim collatio potestatis sacerdotalis per manuum impositionem facta illustratur; atque ipsa potestas, singulis officiis recensitis, describitur, quae est continuatio potestatis Christi, Summi Pontificis Novi Testamenti.

5. Sed hac sacerdotii ministerialis natura etiam aliud quiddam, magni sane faciendum, in sua luce collocatur, id est regale sacerdotium fidelium, quorum sacrificium spirituale per presbyterorum ministerium in unione cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, consummatur.[9] Namque celebratio Eucharistiae est actio Ecclesiae universae; in qua unusquisque solum et totum id agat, quod ad ipsum pertinet, respectu habito gradus eius in populo Dei. Quo efficitur, ut etiam rationes quaedam celebrationis magis attendantur, quibus saeculorum decursu interdum est minor cura adhibita. Hic enim populus est populus Dei, sanguine Christi acquisitus, a Domino congregatus, eius verbo nutritus, populus ad id vocatus, ut preces totius familiae humanae ad Deum admoveat, populus, qui pro mysterio salutis gratias in Christo agit eius Sacrificium offerendo, populus denique, qui per communionem Corporis et Sanguinis Christi in unum coalescit. Qui populus, licet origine sua sit sanctus, tamen per ipsam participationem consciam, actuosam et fructuosam mysterii eucharistici in sanctitate continenter crescit.[10]

Traditio non intermissa declaratur

6. Cum praecepta enuntiaret, quibus Ordo Missae recognosceretur, Concilium Vaticanum II praeter alia mandavit

[1] Sessio XXII, 17 sept. 1562.
[2] Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 47 [LE 3141]; cf. Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen Gentium*, nn. 3, 28 [LE 3232]. Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, nn. 2, 4, 5 [LE 3365]. [3] Cf. Sacram. Veronense, ed. Mohlberg, n. 93. [4] Cf. Prex Eucharistica III. [5] Cf. Prex Eucharistica IV. [6] Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 47; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, nn. 5, 18. [7] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Humani generis*, *A. A. S.* 42 (1950) pp. 570-571 [LE 2147]; Paulus VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei*, *A. A. S.* 57 (1965) pp. 762-769 [LE 3316]; *Sollemnis Professio Fidei*, *A. A. S.* 60 (1968) pp. 442-443 [LE 3671]; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 mail 1967, nn. 3 f, 9: *A. A. S.* 59 (1967) pp. 543; 547 [LE 3362]. [8] Cf. Sessio XIII, 11 oct. 1551. [9] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 2. [10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 11.

quoque, ut ritus nonnulli restituerentur «ad pristinam sanctorum Patrum normam»,[11] iisdem videlicet usum verbis ac S. Pius V in Apostolicis Litteris «Quo primum» inscriptis, quibus anno 1570 Missale Tridentinum est promulgatum. Ob hanc vero ipsam verborum convenientiam notari potest, qua ratione ambo Missalia Romana, quamvis intercesserint quattuor saecula, aequalem et parem complectantur traditionem. Si autem huius traditionis ponderentur interiora elementa, intelligitur etiam, quam egregie ac feliciter prius perficiatur altero.

7. Temporibus sane difficilibus, quibus catholica fides de indole sacrificali Missae, de ministeriali sacerdotio, de reali et perpetua Christi sub eucharisticis speciebus praesentia in discrimen fuerat adducta, id S. Pii V imprimis intererat, ut recentiorem traditionem, immerito oppugnatam, servaret, minimis tantummodo ritus sacri mutationibus inductis. Re quidem vera Missale illud anni 1570 paulum admodum distat a primo omnium anno 1474 typis edito Missali, quod vicissim fideliter quidem repetit Missale temporis Innocentii PP. III. Codices insuper Bibliothecae Vaticanae, quamquam aliquot intulerant locutionum emendationes, haud tamen permiserunt, ut in illa pervestigatione «veterum et probatorum auctorum» plus quam liturgici commentarii mediae aetatis inquirerentur.

8. Hodie, contra, illa «sactorum Patrum norma», quam secutabantur Missalis S. Pii V emendatores, locupletata est innumerabilibus eruditorum scriptis. Postquam enim Sacramentarium Gregorianum anno 1571 primum editum est, vetera Sacramentaria Romana et Ambrosiana critica arte saepe typis sunt divulgata, perinde ac vetusti libri liturgici Hispani et Gallicani, qui plurimas preces non levis praestantiae spiritualis, eo usque ignoratas, in conspectum produxerunt. Traditiones pariter priscorum saeculorum, antequam ritus Orientis et Occidentis constituerentur, nunc idcirco melius cognoscuntur, quod tot reperta sunt documenta liturgica. Praeterea progredientia sanctorum Patrum studia theologiam mysterii eucharistici lumine perfuderunt doctrinae Patrum in antiquitate christiana excellentissimorum, uti S. Irenaei, S. Ambrosii, S. Cyrilli Hierosolymitani, S. Ioannis Chrysostomi.

9. Quapropter «sanctorum Patrum norma» non postulat solum, ut conserventur ea, quae maiores nostri proximi tradiderint, sed ut comprehendantur altiusque perpendantur cuncta praeterita Ecclesiae tempora ac modi universi, quibus unica eius fides declarata est in humani civilisque cultus formis tam inter se differentibus, quippe quae vigerent in regionibus Semiticis, Graecis, Latinis. Amplior autem hic prospectus cernere nos sinit, quemadmodum Spiritus Sanctus praestet populo Dei mirandam fidelitatem in conservando immutabili fidei deposito, licet permagna sit precum rituumque varietas.

Ad novas rerum condiciones accommodatio

10. Novum igitur Missale, dum testificatur legem orandi Ecclesiae Romanae, fideique depositum a Conciliis recentioribus traditum tutatur, ipsum vicissim magni momenti gradum designat in liturgica traditione.

Cum enim Patres Concilii Vaticani II asseverationes dogmaticas Concilii Tridentini iterarunt, in longe alia mundi aetate sunt locuti; qua de causa in re pastorali valuerunt afferre proposita et consilia, quae ante quattuor saecula ne praevideri quidem potuerunt.

11. Agnoverat iam Tridentinum Concilium magnam utilitatem catecheticam, quae in Missae celebratione contineretur; unde tamen colligere omnia consectaria, ad vitae usum quod attinet, nequibat. A multis reapse flagitabatur, ut sermonem vulgarem in Sacrificio eucharistico peragendo usurpari liceret. Ad talem quidem postulationem, Concilium, rationem ducens adiunctorum illa aetate obtinentium, sui officii esse arbitratur doctrinam Ecclesiae tralaticiam denuo inculcare, secundum quam Sacrificium eucharisticum imprimis Christi ipsius est actio, cuius proinde efficacitas propria eo modo non afficitur, quo fideles eiusdem fiunt participes. Idcirco firmis hisce simulque moderatis verbis edictum est: «Etsi Missa magnam continet populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur».[12] Atque condemnandum esse pronuntiavit eum, qui censeret «Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua vulgari Missam celebrari debere».[13] Nihilominus, dum hinc vetuit in Missa linguae vernaculae usum, illine animarum pastores eius in locum congruentem substituere catechesim iussit: «Ne oves Christi esuriant... mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex his, quae in Missa leguntur, aliquid exponant atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis».[14]

12. Propterea congregatum, ut Ecclesiam aptaret ad proprii muneris apostolici necessitates hisce ipsis temporibus, Concilium Vaticanum II funditus perspexit, quemadmodum Tridentinum, didascalicam et pastoralem indolem sacrae Liturgiae.[15] Et, cum nemo catholicorum esset, qui legitimum efficacemque ritum sacrum negaret lingua Latina peractum, concedere etiam valuit: «Haud raro linguae vernaculae usuri patio valde utilis apud populum exsistere possit», eiusque adhibendae facultatem dedit.[16] Flagrans illud studium, quo hoc consultum ubivis est susceptum, profecto effecit ut, ducibus Episcopis atque ipsa Apostolica Sede, universae liturgicae celebrationes quas populus participaret, exsequi liceret vulgari sermone, quo plenius intellegeretur mysterium, quod celebraretur.

13. Verumtamen, cum linguae vernaculae usus in sacra Liturgia instrumentum sit, quamvis magni momenti, quo apertius exprimeretur catechesis mysterii, quae in celebratione continetur, Concilium Vaticanum II admonuit praeterea, ut aliqua Tridentini praescripta, quibus non omnibus locis erat obtemperatum, ad exitum deducerentur, veluti homilia diebus dominicis et festis habenda[17] et facultas inter ipsos sacros ritus quasdam monitiones interiiciendi.[18]

Potissimum vero Concilium Vaticanum II, a quo suadebatur «illa perfectior Missae participatio, qua fideles post communionem sacerdotis ex eodem sacrificio corpus dominicum sumunt»,[19] incitavit, ut aliud optatum Patrum Tridentinorum in rem transferretur, ut scilicet ad sacram Eucharistiam plenius participandam «in singulis Missis fideles adstantes non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent».[20]

14. Eodem quidem animo ac studio pastorali permotum, Concilium Vaticanum II nova ratione expendere potuit institutum Tridentinum de communione sub utraque specie. Etenim, quoniam hodie in dubium minime revocantur doctrinae principia de plenissima vi communionis, qua Eucharistia sub una specie panis suscipitur, permisit interdum communionem sub utraque specie, cum scilicet, per declarationem signi sacramentalis formam, opportunitas peculiaris offerretur altius intellegendi mysterii, quod fideles participarent.[21]

15. Hoc pacto, dum fida permanet Ecclesia suo muneri ut magistrae veritatis, custodiens «vetera», id est depositum traditionis, officium quoque explet considerandi prudenterque adhibendi «nova» (cfr. Mt 13, 52).

Pars enim quaedam novi Missalis preces Ecclesiae apertius ordinat ad temporis nostri necessitates; cuius generis sunt potissimum Missae rituales et «ad diversa», in quibus traditio et novitas opportune inter se sociantur. Itaque, dum complures dictiones integrae manserunt ex antiquissima haustae Ecclesiae traditione, per ipsum saepius editum Missale Romanum patefactа, aliae plures ad hodierna requisita et condiciones accommodatae sunt, aliae, contra, uti orationes pro Ecclesia, laicis, operis humani sanctificatione, omnium gentium communitate, necessitatibus quibusdam nostrae aetatis propriis, ex integro sunt contextae, sumptis cogitationibus ac saepe ipsis locutionibus ex recentibus Concilii documentis.

Ob eandem porro aestimationem novi status mundi, qui nunc est, in vetustissimae traditionis textuum usu, nulla prorsus videbatur inferri iniuria tam venerando thesauro, si quaedam sententiae immutarentur, quo convenientius sermo ipse cum hodiernae theologiae lingua concineret referretque ex veritate condicionem disciplinae Ecclesiae praesentem. Hinc dicta nonnulla, ad existimationem et usum bonorum terrestrium attinentia, sunt mutata, haud secus ac nonnulla, quae exterioris quandam paenitentiae formam prodebant aliarum Ecclesiae aetatum propriam.

Hoc denique modo normae liturgicae Concilii Tridentini pluribus sane in partibus completae et perfectae sunt normis Concilii Vaticani II, quod ad exitum perduxit conatus ad sacram Liturgiam fideles propius admovendi, qui per haec quattuor saecula sunt suscepti, praesertim vero recentiore aetate, maxime studio rei liturgicae a S. Pio X eiusque Successoribus promoto.

Cap. I—De Celebrationis Eucharisticae momento et dignitate

1. Celebratio Missae, ut actio Christi et populi Dei hierarchice ordinati, centrum est totius vitae christianae pro Ecclesia tum universa tum locali, ac pro singulis fidelibus.[1] In ea enim culmen habetur et actionis qua Deus in Christo mundum sanctificat, et cultus quem homines exhibent Patri, eum per Christum Dei Filium adorantes.[2] In ea insuper mysteria Redemptionis ita per anni circulum recoluntur, ut quodammodo praesentia reddantur.[3] Ceterae autem actiones sacrae et omnia opera christianae vitae cum ea cohaerent, ex ea profluunt et ad eam ordinantur.[4]

2. Maxime proinde interest ut celebratio Missae seu Cenae Dominicae ita ordinetur, ut ministri atque fideles, illam pro sua condicione participantes, eos fructus plenius exinde capiant,[5] ad quos obtinendos Christus Dominus sacrificium eucharisticum sui Corporis et sui Sanguinis instituit illudque,

[11] Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 50. [12] Sessio XXII, Doctr. de SS. Missae Sacrificio, cap. 8. [13] Conc. Trid., Sessio XXII, Doctr. de SS. Missae Sacrificio, cap. 9. [14] *Ibid.*, cap. 8. [15] Cf. Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 33. [16] *Ibid.* n. 36. [17] *Ibid.* n. 52. [18] *Ibid.* n. 35, 2. [19] Cf. Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 55. [20] Cf. Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 55. [21] Sessio XXII, Doctr. de SS. Missae Sacrificio, cap. 6.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 11; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, nn. 2, 5, 6; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 41; Decr. de pastorali Episcoporum munere, *Christus Dominus*, n. 30; Decr. de Oecumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 15 [LE 3235]; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 mail 1967, nn. 3 e, 6; *A. A. S.* 59 (1967) pp. 542, 544-545 [LE 3562]. [2] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 10. [3] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 102. [4] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 10. [5] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia,

http://www.obrascatolicas.com

velut memoriale passionis et resurrectionis suae, Ecclesiae dilectae sponsae concredidit.[4]

Quod apte fiet si, attentis natura aliisque adiunctis uniuscuiusque coetus universa celebratio ita disponatur, ut conscium illum, actuosam atque plenam participationem fidelium inducat, corporis nempe et animi, fide, spe et caritate ferventem, quae ab Ecclesia exoptatur et ab ipsa celebrationis natura postulatur, et ad quam populus christianus vi baptismatis ius habet et officium.[5]

4. Quamvis fidelium praesentia et actuosa participatio, quae ecclesialem celebrationis naturam apertius manifestant,[6] aliquando non possint haberi, eucharistica celebratio sua efficacia et dignitate semper est praedita, quippe quae sit actus Christi et Ecclesiae,[7] in quo sacerdos semper agit pro salute populi.

5. Cum autem Eucharistiae celebratio, sicut et universa Liturgia, fiat per signa sensibilia, quibus fides alitur, roboratur et exprimitur,[8] maxime curandum est eas formas et elementa ab Ecclesia proposita seligi et ordinari, quae, attentis personarum et locorum adiunctis, actuosam et plenam participationem intensius foveant et fidelium utilitati spirituali aptius respondeant.

6. Haec itaque Institutio eo spectat ut tum lineamenta generalia praebeat, quibus Eucharistiae celebratio apte ordinetur, tum regulas exponat, quibus singulae celebrationis formae disponantur. Conferentiae autem Episcopales, iuxta Constitutionem de sacra Liturgia, normas pro sua dictione statuere possunt, quae ad traditiones et ingenium populorum, regionum et diversorum coetuum attendant.[11]

Cap. II—De structura Missae eiusque elementis et partibus

I. De generali structura Missae

7. In Missa seu Cena dominica populus Dei in unum convocatur, sacerdote praeside personamque Christi gerente, ad memoriale Domini seu sacrificium eucharisticum celebrandum.[12] Quare de huiusmodi sanctae Ecclesiae coadunatione locali eminenter valet promissio Christi: «Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum» (Mt 18, 20). In Missae enim celebratione, in qua sacrificium Crucis perpetuatur,[13] Christus realiter praesens adest in ipso coetu in suo nomine congregato, in persona ministri, in verbo suo, et quidem substantialiter et continenter sub speciebus eucharisticis.[14]

8. Missa duabus partibus quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica, quae tam arcte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant.[15] Siquidem in Missa mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi paratur e qua fideles instituantur et reficiantur.[16] Quidam autem ritus celebrationem aperiunt et concludunt.

II. De diversis elementis Missae

De lectione verbi Dei eiusque explanatione

9. Cum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur, Deus ipse ad populum suum loquitur et Christus, praesens in verbo suo, Evangelium annuntiat.

Ideoque lectiones verbi Dei, quae elementum maximi momenti liturgiae praebent, cum veneratione ab omnibus sunt audiendae. Quamvis autem verbum divinum in lectionibus sacrae Scripturae ad omnes homines cuiusque temporis dirigatur iisque intelligibile sit, eius tamen efficacitas expositione viva, idest homilia, utpote parte actionis liturgicae,[17] augetur.

De orationibus aliisque partibus ad sacerdotem pertinentibus

10. Inter ea quae sacerdoti tribuuntur, primum locum obtinet prex eucharistica, quae culmen est totius celebrationis. Accedunt deinde orationes, idest collecta, oratio super oblata et oratio post communionem. Hae preces a sacerdote, qui coetui personam Christi gerens praeest, ad Deum diriguntur nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium.[18] Merito igitur «orationes praesidentiales» nominantur.

11. Item ad sacerdotem, munere praesidis coetus congregati fungentem, spectat proferre quasdam monitiones atque formulas introductionis et conclusionis in ipso ritu praevisas, verbum Dei nuntiare, necnon benedictionem finalem impertire. Ipsi insuper licet, brevissimis verbis, introducere fideles in Missam diei, antequam celebratio inchoetur; in liturgiam verbi, ante lectiones; in Precem eucharisticam, ante praefationem; necnon universam actionem sacram, ante dimissionem, concludere.

12. Natura partium «praesidentialium» exigit ut clara et elata voce proferantur et ab omnibus cum attentione auscultentur.[19] Proinde dum sacerdos eas profert aliae orationes vel cantus non habeantur, atque organum vel alia instrumenta musica sileant.

13. Sacerdos vero non solum tamquam praeses nomine totius communitatis preces effundit, sed etiam aliquando nomine dumtaxat suo, ut ministerium suum maiore cum animi attentione et pietate adimpleat. Huiusmodi preces secreto proferuntur.

De aliis formulis in celebratione occurrentibus

14. Cum Missae celebratio natura sua indolem «communitariam» habeat,[20] dialogis inter celebrantem et coetum fidelium necnon acclamationibus magna vis inhaeret,[21] etenim non sunt tantum signa externa celebrationis communis, sed communionem inter sacerdotem et populum fovent et efficiunt.

15. Acclamationes et responsiones fidelium salutationibus sacerdotis et orationibus illum participationis actuosae gradum contituunt, qui in omni Missae forma a fidelibus congregatis praestandus est, ut actio totius communitatis clare exprimatur et foveatur.[22]

16. Aliae partes, ad actuosam fidelium participationem manifestandam et fovendam valde utiles, quae universo coetui tribuuntur, sunt praesertim actus paenitentialis, professio fidei, oratio universalis et oratio dominica.

17. Demum ex aliis formulis: *a)* nonnullae ritum seu actum per se stantem, uti hymnus *Gloria*, psalmus responsorius, *Sanctus*, acclamatio anamneseos, cantus post communionem, constituunt; *b)* nonnullae vero, uti cantus ad introitum, ad offertorium, ad fractionem (*Agnus Dei*) et ad communionem, ritum aliquem comitantur.

De modis proferendi varios textus

18. In textibus clara et elata voce proferendis sive a sacerdote sive a ministris sive ab omnibus, vox respondeat generi ipsius textus, prout hic est lectio, oratio, admonitio, acclamatio, cantus; necnon formae celebrationis et sollemnitati coetus. Ratio insuper habeatur indolis diversarum linguarum et ingenii populorum.

In rubricis ergo et in normis quae sequuntur verba «dicere» vel «proferre» intellegi debent sive de cantu sive de recitatione, servatis principiis supra propositis.

De momento cantus

19. Ab Apostolo monentur christifideles qui in unum conveniunt exspectantes adventum Domini sui, ut una simul cantent psalmis, hymnis et canticis spiritualibus (cf. Col 3, 16). Cantus enim est signum exsultationis cordis (cf. Act 2, 46). Unde S. Augustinus recte dicit: «cantare amantis est»,[23] et iam antiquitus in proverbium venit: «bis orat qui bene cantat».

Magni igitur fiat usus cantus in celebrationibus, attentis ingenio populorum et facultatibus cuiuslibet coetus, ita tamen ut non necessarium semper sit omnes textus cantu proferre qui per se cantui destinantur.

In seligendis tamen partibus quae revera canantur eae praeferendae sunt quae maioris sunt momenti, et praesertim quae a sacerdote vel ministris, populo respondente, canendae sunt, aut a sacerdote et populo simul proferendae.[24]

Cum autem frequentius in dies fideles ex diversis nationibus inter se conveniant, expedit ut iidem fideles aliquas saltem partes Ordinarii Missae, praesertim vero symbolum fidei et orationem dominicam, modulis adhibitis facilioribus, lingua latina simul cantare sciant.[25]

De gestibus et corporis habitibus

20. Communis corporis habitus, ab omnibus participantibus servandus, signum est communitatis et unitatis coetus: mentem enim et sensus animi participantium exprimit eosdemque fovet.[26]

21. Ad uniformitatem in gestibus et corporis habitibus obtinendam, fideles monitionibus obtemperent, quas diaconus, vel sacerdos vel alius minister, durante celebratione proferunt. Insuper in omnibus Missis, nisi aliter caveatur, stent ab initio cantus ad introitum, vel dum sacerdos accedit ad altare, usque ad collectam inclusive; ad cantum *Alleluia* ante Evangelium; dum ipsum Evangelium proclamatur; necnon dum professio fidei et oratio universalis fiunt; atque ab ora-

[4] *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 19, 26, 28, 30. [5] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 47. [6] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 14. [7] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41. [8] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 13.

[9] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 59. [11] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 37-40. [12] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 33. [13] Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, cap. I; cf. Paulus VI, Sollemnis professio fidei, 30 iunii 1968, n. 24: A. A. S. 60 (1968) p. 442 [LE 3671]. [14] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 7; Paulus VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei*, 3 sept. 1965: A. A. S. 57 (1965) p. 764 [LE 3316]; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 9: A. A. S. 59 (1967) p. 547 [LE 3562]. [15] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 56; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum Mysterium*, 25 maii 1967, n. 3c: A. A. S. 59 (1967) p. 547. [16] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 48, 51; Const. dogm. de divina Revelatione, *Dei Verbum*, n. 21; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 4.

[17] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 33, 52. [18] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum*

Concilium, n. 33. [19] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 14: A. A. S. 59 (1967) p. 304 [LE 3541]. [20] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 26, 27; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 3 *d*: A. A. S. 59 (1967) p. 542. [21] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 30. [22] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 16 *a*: A. A. S. 59 (1967) p. 305. [23] Sermo 336, 1: PL 38, 1472. [24] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, nn. 7, 16: A. A. S. 59 (1967) pp. 302, 305. [25] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 54; S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 59: A.A.S. 56 (1964) p. 891 [LE 3217]; actio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 59: A.A.S. 56 (1964) p. 891 [LE 3217].

[26] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*,

tione super oblata usque ad finem Missae, praeter ea quae infra dicuntur. Sedeant autem dum proferuntur lectiones ante Evangelium et psalmus responsorius; ad homiliam et dum fit praeparatio donorum ad offertorium; atque, pro opportunitate, dum sacrum silentium post Communionem servatur. Genuflectant vero, nisi ob angustiam loci vel frequentiorem numerum adstantium aliasve rationabiles causas impediantur, ad consecrationem.

Est tamen Conferentiae Episcopalis gestus et corporis habitus in Ordine Missae romanae descriptos ingerio populorum aptare.[27] Attendendum tamen erit, ut sensui et indoli cuiusque partis celebrationis respondeant.

22. In gestibus numerantur etiam actiones, quibus sacerdos altare adit, dona afferuntur, atque fideles ad communionem accedunt. Convenit ut huiusmodi actionis decore peragantur, dum cantus ipsis proprii fiunt, iuxta normas pro singulis statutas.

De silentio

23. Sacrum quoque silentium, tamquam pars celebrationis, suo tempore est servandum.[28] Eius autem natura a tempore pendet, quo in singulis celebrationibus occurrit. In actu enim paenitentiali et post invitationem ad orandum singuli ad seipsos convertuntur; lectione autem vel homilia peracta, ea quae audierunt breviter meditantur; post communionem vero in corde suo Deum laudant et orant.

III. De singulis Missae partibus

A) *RITUS INITIALES*

24. Ea quae liturgiam verbi praecedunt, scilicet introitus, salutatio, actus paenitentialis, *Kyrie*, *Glória* et collecta, charakterem habent exordii, introductionis et praeparationis.

Finis horum rituum est, ut fideles in unum convenientes communionem constituant et recte ad verbum Dei audiendum digneque Eucharistiam celebrandam sese disponant.

Introitus

25. Populo congregato, dum ingreditur sacerdos cum ministris, cantus ad introitum incipitur. Finis huius cantus est celebrationem aperire, unionem congregatorum fovere, eorumque mentem in mysterium temporis liturgici vel festivitatis introducere atque processionem sacerdotis ministrorumque comitari.

26. Peragitur autem a schola et populo alternatim, vel simili modo a cantore et populo, vel totus a populo vel a schola sola. Adhiberi potest sive antiphona cum suo psalmo in Graduali romano vel in Graduali simplici exstans, sive alius cantus, actioni sacrae, diei vel temporis indoli congruus, cuius textus a Conferentia Episcopali sit approbatus.

Si ad introitum non habetur cantus, antiphona in Missali proposita recitatur sive a fidelibus, sive ab aliquibus ex ipsis, sive a lectore, sin aliter ab ipso sacerdote post salutationem.

Salutatio altaris et populi congregati

27. Cum ad presbyterium pervenerint, sacerdos et ministri altare salutant. Venerationis autem significandae causa, sacerdos et ministri sacri ipsum altare osculantur; et sacerdos, pro opportunitate, illud incensat.

28. Expleto cantu ad introitum, sacerdos et universus coetus signant se signo crucis. Deinde sacerdos communitati congregatae praesentiam Domini per salutationem significat. Qua salutatione et populi responsione manifestatur Ecclesiae congregatae mysterium.

Actus paenitentialis

29. Salutatione populi facta, sacerdos vel alius minister idoneus potest brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei. Postea sacerdos invitat ad actum paenitentialem, qui a tota communitate confessione generali perficitur, absolutioneque sacerdotis concluditur.

Kyrie, eléison

30. Post actum paenitentialem incipitur *Kyrie, eléison*, nisi forte locum iam habuerit in ipso actu paenitentiali. Cum sit cantus quo fideles Dominum acclamant eiusque misericordiam implorant, de more peragitur ab omnibus, partem nempe in eo habentibus populo atque schola vel cantore.

Acclamatio quaeque de more bis dicitur, non tamen excluso, ratione ingenii diversarum linguarum necnon musicae artis vel rerum adiunctorum maiore numero, vel brevi «tropo» intercalato. Si *Kyrie* non cantatur, recitetur.

Glória in excélsis

31. *Glória* est antiquissimus et venerabilis hymnus, quo Ecclesia, in Spiritu Sancto congregata, Deum Patrem atque Agnum glorificat eique supplicat. Canatur vel a coetu fidelium, vel a populo alternatim cum schola, vel ab ipsa schola. Si non cantatur, recitandum est ab omnibus simul aut alternatim.

Cantatur autem vel dicitur diebus dominicis extra tempus Adventus et Quadragesimae, necnon in sollemnitatibus et festis, et in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus.

n. 30. [27] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 39. [28] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 30; S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 17:

Collecta

32. Deinde sacerdos populum ad orandum invitat; et omnes una cum sacerdote parumper silent, ut conscii fiant se in conspectu Dei stare, et vota sua in animo possint nuncupare. Tunc sacerdos profert orationem, quae solet «collecta» nominari. Per eam indoles celebrationis exprimitur et precatio verbis sacerdotis ad Deum Patrem, per Christum in Spiritu Sancto, dirigitur.

Populus precationi se coniungens, illique assentiens, acclamatione *Amen* suam facit orationem.

In Missa unica dicitur oratio; quod valet etiam de oratione super oblata et post Communionem.

Collecta concluditur conclusione longiore, idest: si dirigitur ad Patrem: *Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia saécula saeculórum*; si dirigitur ad Patrem, sed in fine ipsius fit mentio Filii: *Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia saécula saeculórum*; si dirigitur ad Filium: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia saécula saeculórum.*

Orationes vero super oblata et post Communionem concluduntur conclusione breviore, idest: si diriguntur ad Patrem: *Per Christum Dóminum nostrum*; si diriguntur ad Patrem, sed in fine ipsarum fit mentio Filii: *Qui vivit et regnat in sáecula saeculórum*; si diriguntur ad Filium: *Qui vivis et regnas in sáecula saeculórum.*

B) *LITURGIA VERBI*

33. Partem praecipuam liturgiae verbi constituunt lectiones e sacra Scriptura desumptae cum cantibus inter eas occurrentibus; homilia autem, professio fidei et oratio universalis seu oratio fidelium illam evolvunt et concludunt. Nam in lectionibus, quas homilia exponit, Deus populum suum alloquitur,[29] mysterium redemptionis et salutis patefacit, atque nutrimentum spirituale offert; et ipse Christus per verbum suum in medio fidelium praesens adest.[30] Hoc verbum divinum populus suum facit cantibus, et ipsi adhaeret professione fidei; eo autem nutritus, oratione universali pro necessitatibus totius Ecclesiae et pro totius mundi salute preces fundit.

Lectiones biblicae

34. In lectionibus mensa verbi Dei paratur fidelibus et thesauri biblici iis aperiuntur.[31] Cum ex traditione officium legendi lectiones non sit munus praesidentiale sed ministeriale, convenit ut, de more, diaconus vel, eo deficiente, alter presbyter legat Evangelium; subdiaconus vero vel lector legat alias lectiones. Deficiente tamen diacono vel alio presbytero, Evangelium a celebrante legatur.[32].

35. Lectioni evangelicae maximam venerationem esse tribuendam, ipsa Liturgia docet, cum eam prae ceteris lectionibus speciali honore insigniat, sive ex parte ministri ad eam annuntiandam deputati et per benedictionem vel orationem sese praeparantis; sive ex parte fidelium, qui per acclamationes Christum praesentem sibique loquentem agnoscunt et profitentur, et lectionem ipsam stantes auscultant; sive ex ipsis signis venerationis libro Evangeliorum tributis.

Cantus inter lectiones occurrentes

36. Post primam lectionem sequitur psalmus responsorius, seu *graduale*, quae est pars integralis liturgiae verbi. Psalmus de more sumitur e lectionario, eo quod singuli eius textus directo conectuntur cum singulis lectionibus: electio igitur psalmi e lectionibus pendet. Attamen, ut populus responsum psalmodicum facilius proferre valeat, textus aliqui responsorum et psalmorum pro diversis temporibus anni aut pro diversis ordinibus Sanctorum selecti sunt, qui adhiberi valent, loco textus lectioni respondentis, quoties psalmus cantu profertur.

Cantor psalmi, seu psalmista, in ambone vel alio loco apto profert versus psalmi, tota congregatione sedente et auscultante, immo de more per responsum participante, nisi psalmus modo directo, id est sine responso, proferatur.

Si canitur, praeter psalmum in lectionario assignatum, sumi potest vel graduale e Graduali romano, vel psalmus responsorius aut alleluiaticus e Graduali simplici, sicut in his libris describuntur.

37. Secundam lectionem sequitur *Allelúia* vel alter cantus, prouti tempus liturgicum postulat.

a) Allelúia cantatur omni tempore extra Quadragesimam. Inchoatur sive ab omnibus sive a schola aut a cantore, et, si casus fert, repetitur. Versus sumuntur e lectionario vel e Graduali.

b) Alter cantus consistit in versu ante Evangelium aut in altero psalmo seu tractu, prout inveniuntur in lectionario vel in Graduali.

38. Quando una tantum habetur lectio ante Evangelium: *a)* tempore quo dicendum est *Allelúia*, haberi potest aut psalmus alleluiaticus, aut psalmus et *Allelúia* cum suo versu, aut tantum psalmus vel *Allelúia*; *b)* tempore quo *Allelúia* non est dicendum, haberi potest aut psalmus aut versus ante Evangelium.

39. Psalmus post lectionem occurrens, si non cantatur, recitetur; *Allelúia* vero vel versus ante Evangelium, si non cantantur, omitti possunt.

A. A. S. 59 (1967) p. 305. [29] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 33. [30] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 7. [31] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 51. [32] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio

http://www.obrascatolicas.com

40. Sequentiae, praeter quam diebus Paschae et Pentecostes, sunt ad libitum.

Homilia

41. Homilia est pars liturgiae et valde commendatur:[39] est enim ad nutrimentum vitae christianae necessaria. Sit oportet explicatio aut alicuius aspectus lectionum sacrae Scripturae aut alterius textus ex Ordinario vel Proprio Missae diei, ratione habita sive mysterii, quod celebratur, sive peculiarium necessitatum auditorum.[40]

42. Diebus dominicis et festis de praecepto homilia habeatur in omnibus Missis, quae concurrente populo celebrantur; ceteris vero diebus commendatur, praesertim in feriis Adventus, Quadragesimae et temporis paschalis, necnon in aliis festis et occasionibus, in quibus populus frequentior ad ecclesiam convenit.[41]

Homilia de more ab ipso celebrante habeatur.

Professio fidei

43. Symbolum, seu professio fidei, in celebratione Missae eo tendit ut populus verbo Dei, in lectionibus et per homiliam audito, assentiat et respondeat, et regulam fidei sibi revocet in mentem antequam Eucharistiam celebrare incipiat.

44. Symbolum autem dicendum est a sacerdote cum populo diebus dominicis et in sollemnitatibus; dici potest etiam in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus.

Si vero in cantu profertur, de more ab omnibus aut alternatim cantetur.

Oratio universalis

45. In oratione universali, seu oratione fidelium, populus, sui sacerdotii munus exercens, deprecatur pro omnibus hominibus. Expedit ut huiusmodi oratio in Missis cum populo de more habeatur, ita ut obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, pro iis qui in potestate nos regunt, pro iis qui variis premuntur necessitatibus, ac pro omnibus hominibus totiusque mundi salute.[42]

46. Intentionum series de more sint: *a)* pro necessitatibus Ecclesiae, *b)* pro rem publicam moderantibus et salute totius mundi, *c)* pro oppressis quacumque difficultate, *d)* pro communitate locali.

Attamen in celebratione aliqua particulari, uti Confirmatione, Matrimonio, Exsequiis, ordo intentionum pressius respicere potest particularem occasionem.

47. Est sacerdotis celebrantis precationem moderari, brevi monitione fideles ad orandum invitare ipsamque oratione concludere. Expedit ut intentiones a diacono vel a cantore vel ab alio proferantur, "Totus coetus vero precationem suam exprimit sive invocatione communi post intentiones prolatas, sive oratione sub silentio.

C) *LITURGIA EUCHARISTICA*

48. In Cena novissima, Christus sacrificium et convivium paschale instituit, quo sacrificium crucis in Ecclesia continue praesens efficitur, cum sacerdos, Christum Dominum repraesentans, idem perficit quod ipse Dominus egit atque discipulis in sui memoriam faciendum tradidit.[43]

Christus enim accepit panem et calicem, gratias egit, fregit deditque discipulis suis, dicens: Accipite, manducate, bibite; hoc est Corpus meum; hic est calix Sanguinis mei. Hoc facite in meam commemorationem. Proinde Ecclesia totam celebrationem liturgiae eucharisticae partibus hisce Christi verbis et actibus respondentibus ordinavit. Siquidem:

1) In praeparatione donorum, ad altare afferuntur panis et vinum cum aqua, ea nempe elementa, quae Christus in manus suas accepit.

2) In prece eucharistica Deo pro toto opere salutis gratiae aguntur, et oblata Christi Corpus et Sanguis fiunt.

3) Per fractionem unius panis unitas fidelium manifestatur, et per communionem fideles accipiunt Corpus et Sanguinem Domini eodem modo ac Apostoli de manibus ipsius Christi.

Praeparatio donorum

49. Initio liturgiae eucharisticae dona, quae Corpus et Sanguis Christi efficientur, ad altare afferuntur.

Imprimis altare, seu mensa dominica, quae centrum est totius liturgiae eucharisticae,[44] praeparatur, cum corporale, purificatorium, calix et missale in eo collocantur.

Oblationes deinde afferuntur: panis et vinum laudabiliter a fidelibus praesentantur, a sacerdote autem vel a diacono loco opportuno accipiuntur et super altare deponuntur comitantibus formulis statutis. Quamvis fideles panem et vinum ad liturgiam destinata non iam de suis proferant sicut olim, ritus tamen illa deferendi vim et significationem spiritualem servat

Inter Oecumenici, 26 sept. 1964, n. 50: A. A. S. 56 (1964) p. 889 [LE 3217].
[39] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 52. [40] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 54: A. A. S. 56 (1964) p. 890. [41] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 53: A. A. S. 56 (1964) p. 890. [42] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 53. [43] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 56: A. A. S. 56 (1964) p. 890. [44] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 47; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum Mysterium*, 25 mail 1967, n. 3, *a*; A. A. S. 59 (1967) pp. 540-541 [LE 3562]. [45] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 31: A. A. S. 56 (1964) p. 898; Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 mail 1967, n. 24,

Etiam pecunia vel alia dona pro pauperibus vel pro ecclesia a fidelibus allata vel in ecclesia collecta accepta habentur; quapropter loco apto extra mensam eucharisticam collocantur.

50. Processionem, qua dona afferuntur, cantus ad offertorium comitatur, qui protrahitur saltem usquedum dona super altare deposita sunt. Normae de modo cantandi eaedem sunt ac pro introitu (n. 26). Si non cantatur, antiphona ad offertorium omittitur.

51. Dona in altari collocata, et ipsum altare, incensari possunt, ut oblatio Ecclesiae eiusque oratio sicut incensum in conspectum Dei ascendere significentur. Etiam sacerdos et populus incensari possunt a diacono vel alio ministro, post incensata oblata et altare.

52. Deinde sacerdos manus lavat, quo ritu desiderium internae purificationis exprimitur.

53. Depositione oblatorum facta et ritibus qui eam comitantur perfectis, per invitationem ad orandum una cum sacerdote et per orationem super oblata praeparatio donorum concluditur et Prex eucharistica praeparatur.

Prex eucharistica

54. Nunc centrum et culmen totius celebrationis initium habet, ipsa nempe *Prex eucharistica*, prex scilicet gratiarum actionis et sanctificationis. Sacerdos populum ad corda versus Dominum in oratione et gratiarum actione elevanda invitat eumque sibi sociat in oratione, quam nomine totius communitatis per Iesum Christum ad Deum Patrem dirigit. Sensus autem huius orationis est, ut tota congregatio fidelium se cum Christo coniungat in confessione magnalium Dei et in oblatione sacrificii.

55. Praecipua elementa e quibus *Prex eucharistica* constat, hoc modo distingui possunt:

a) Gratiarum actio (quae praesertim in *praefatione* exprimitur), in qua sacerdos nomine totius populi sancti Deum Patrem glorificat et ei gratias agit pro toto opere salutis vel aliqua eius ratione particulari, secundum diversitatem diei, festi vel temporis.

b) Acclamatio: qua tota congregatio, caelestibus virtutibus se iungens, cantat vel recitat *Sanctus*. Haec acclamatio, quae partem ipsius Precis eucharisticae constituit, ab omni populo cum sacerdote profertur.

c) Epiclesis: qua per invocationes peculiares Ecclesia virtutem divinam implorat, ut dona ab hominibus oblata consecrentur, seu Corpus et Sanguis Christi fiant, et ut hostia immaculata, in Communione sumenda, sit in salutem eorum qui illam participaturi sunt.

d) Narratio institutionis et consecratio: verbis et actionibus Christi sacrificium peragitur, quod ipse Christus in Cena novissima instituit, cum suum Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini obtulit, Apostolisque manducandum et bibendum dedit et iis mandatum reliquit idem mysterium perpetuandi.

e) Anamnesis: per quam, mandatum adimplens, quod a Christo Domino per Apostolos accepit, Ecclesia memoriam ipsius Christi agit, recolens praecipue eius beatam Passionem, gloriosam Resurrectionem et ad caelos Ascensionem.

f) Oblatio: per quam in ipsa hac memoria Ecclesia, eaque praesertim hic et nunc congregata, in Spiritu Sancto hostiam immaculatam Patri offert. Intendit vero Ecclesia ut fideles non solummodo immaculatam hostiam offerant sed etiam seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur, Christo mediatore, in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus."

g) Intercessiones: per quas exprimitur Eucharistiam celebrari in communione cum tota Ecclesia tam caelesti quam terrestri, oblationemque fieri pro ipsa et omnibus eius membris vivis atque defunctis, quae ad participandam redemptionem et salutem per Christi Corpus et Sanguinem acquisitam vocata sunt.

h) Doxologia finalis: qua glorificatio Dei exprimitur, quaeque acclamatione populi confirmatur et concluditur.

Prex eucharistica exigit, ut omnes reverentia et silentio eam auscultent, eandem vero participent per acclamationes in ipso ritu praevisas.

Ritus Communionis

56. Cum celebratio eucharistica convivium paschale sit, expedit ut, iuxta mandatum Domini, Corpus et Sanguis eius a fidelibus rite dispositis ut cibus spiritualis accipiantur.[45] Ad hoc tendunt tractio aliique ritus praeparatorii, quibus fideles ad Communionem immediate adducuntur:

a) Oratio dominica: In ea panis cotidianus petitur, quo christianis etiam Panis eucharisticus innuitur, atque purificatio a peccatis imploratur, ita ut sancta revera sanctis dentur. Sacerdos invitationem ad orationem profert, omnes vero fideles orationem una cum sacerdote dicunt, et sacerdos solus embolismum adiungit, quem populus doxologia concludit. Embolismus, ultimam petitionem ipsius orationis dominicae evolvens, liberationem a potestate mali pro tota communitate fidelium expetit. Invitatio, oratio ipsa, embolismus et doxologia qua populus haec concludit, cantu vel clara voce proferuntur.

A. A. S. 59 (1967) p. 554. [46] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia: *Sacrosanctum Concilium*, n. 48; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 mail 1967, n. 12: A. A. S. 59 (1967) pp. 548-549. [47] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 mail 1967, nn. 12, 33 *a*: A. A. S. 59 (1967) pp. 549, 559. [48] Cf. *ibid.*, nn. 31, 32: A. A. S. 59 (1967) pp. 558-559.

b) Sequitur deinde *ritus pacis*, quo fideles pacem et unitatem pro Ecclesia et universa hominum familia implorant et mutuam caritatem sibi exprimunt, priusquam unum panem participent.

Ad ipsum ritum pacis quod attinet, modus a Conferentiis Episcopalibus, secundum ingenium et mores populorum, statuatur.

c) Gestus fractionis a Christo in ultima cena peractus, tempore apostolico toti actioni eucharisticae nomen dedit. Hic ritus non habet tantum rationem effectivam, sed significat nos multos in Communione ex uno pane vitae, qui est Christus, unum corpus effici (1 Cor. 10, 17).

d) Immixtio: Celebrans partem hostiae in calicem immittit.

e) Agnus Dei: Dum fractio panis et immixtio peraguntur, invocatio *Agnus Dei* a schola vel a cantore, populo respondente, de more cantatur, vel elata voce dicitur. Haec invocatio repeti potest quoties necesse est ad fractionem panis comitandam. Ultima vice concluditur verbis *dona nobis pacem*.

f) Praeparatio privata sacerdotis: Sacerdos oratione secreta se praeparat, ut Corpus et Sanguinem Christi fructuose accipiat. Fideles idem faciunt silentio orantes.

g) Deinde sacerdos panem eucharisticum in Communione suscipiendum fidelibus ostendit eosque ad Christi convivium invitat; simul autem cum fidelibus actum humilitatis, verbis utens evangelicis, elicit.

h) Valde optandum est, ut fideles ex hostiis, in eadem Missa consecratis, Corpus Dominicum sumant et in casibus praevisis calicem participent, quo etiam per signa Communio melius appareat participatio Sacrificii, quod actu celebratur."

i) Dum Sacramentum a sacerdote et fidelibus sumitur, fit *cantus ad Communionem*, cuius est spiritualem unionem communicantium per unitatem vocum exprimere, gaudium cordis demonstrare et processionem ad Corpus Christi suscipiendum magis fraternam reddere. Cantus inchoatur cum sacerdos se communicat, et protrahitur, dum fideles Corpus Christi sumunt, quousque videtur opportunum. Si tamen hymnus post Communionem habetur, *cantus ad Communionem* tempestive claudatur.

Adhiberi autem potest aut antiphona ex Graduali romano sive cum psalmo sive sola, aut antiphona cum psalmo e Graduali simplici, aut alius cantus congruus a Conferentia Episcopali approbatus. Cantatur sive a schola solo, sive a schola vel cantore cum populo.

Si autem non habetur cantus, antiphona in Missali proposita recitatur sive a fidelibus, sive ab aliquibus ex ipsis, sive a lectore, sin aliter ab ipso sacerdote postquam ipse communicavit, antequam Communionem distribuat fidelibus.

j) Distributione Communionis expleta, pro opportunitate sacerdos et fideles per aliquod temporis spatium in corde suo orant. Si placet, etiam hymnus vel psalmus vel alius cantus laudis a tota congregatione persolvi potest.

e) In *oratione post Communionem*, sacerdos pro fructibus mysterii celebrati deprecatur. Populus acclamatione Amen orationem facit suam.

D) *RITUS CONCLUSIONIS*

57. Ritus conclusionis constat: *a) Salutatione et benedictione* sacerdotis, quae quibusdam diebus et occasionibus oratione super populum vel alia sollemniore formula ditatur et exprimitur. *b) Dimissione ipsa*, qua coetus dimittitur, ut unusquisque ad opera sua bona revertatur, collaudans et benedicens Dominum.

Cap. III—De officiis et ministeriis in Missa

58. In coetu, qui ad Missam congregatur, unusquisque ius habet et officium participationem suam afferendi diverso modo pro diversitate ordinis et muneris.[46] Omnes itaque sive ministri sive fideles, munere suo fungentes, solum et totum id agant, quod ad ipsos pertinet, " ita ut ex ipsa celebrationis ordinatione appareat Ecclesia in suis diversis ordinibus et ministeriis constituta.

I. De officiis et ministeriis Ordinis sacri

59. Omnis legitima Eucharistiae celebratio dirigitur ab Episcopo, sive per seipsum, sive per presbyteros adiutores ipsius."

Cum Episcopus Missae interest, ubi populus est congregatus decet ipsum coetui praesidere, et presbyteros sibi in celebratione consociare, quantum fieri potest cum ipsis concelebrando.

Quod fit non ad sollemnitatem exteriorem ritus augendam, sed ad significandum vividiore luce mysterium Ecclesiae, quae est unitatis sacramentum."

Si vero Episcopus Eucharistiam non celebrat, sed alii hoc faciendum attribuit, tunc convenienter ipse liturgiam verbi moderatur, et Missam concludit ritu dimissionis.

60. Etiam presbyter, qui in societate fidelium sacra Ordinis potestate pollet sacrificium in persona Christi offerendi,[47] exinde coetui congregato praeest, eius orationi praesidet, illi nuntium salutis proclamat, populum sibi sociat in offerendo

[46] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 26. [47] Cf. *ibid.*, n. 28. [48] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, nn. 26, 28; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 42. [49] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 26. [50] Cf. Conc. Vat. II, Decretum de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum Ordinis*, n. 2; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen*

sacrificio per Christum in Spiritu Sancto Deo Patri, fratribus suis panem vitae aeternae dat, ipsumque cum illis participat. Cum igitur Eucharistiam celebrat, debet Deo et populo cum dignitate et humilitate servire, et in modo se gerendi et verba divina proferendi praesentiam vivam Christi fidelibus insinuare.

61. Inter ministros primum locum obtinet *diaconus*, cuius ordo iam ab initio Ecclesiae in magno honore habitus est. In Missa enim diaconus proprias habet partes in Evangelio nuntiando et quandoque verbo Dei praedicando, in oratione universali fidelibus praeeundo, in ministrando sacerdoti, in Eucharistia fidelibus distribuenda, praecipue sub specie vini, et in gestibus et corporis habitibus totius coetus aliquando innuendis.

II. De officio et munere plebis Dei

62. In celebratione Missae fideles efficiunt plebem sanctam, populum acquisitionis et sacerdotium regale, ut gratias Deo agant et immaculatam hostiam, non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerant et seipsos offerre discant." Curent autem id manifestare per profundum sensum religiosum et per caritatem erga fratres, qui eandem celebrationem participant.

Vitent proinde omnes species vel singulariae vitae vel divisionis, prae oculis habentes se unicum Patrem habere in caelis, omnesque propterea esse inter se fratres.

Unum autem corpus efficiant sive verbum Dei audiendo, sive in orationibus et in cantu partem habendo, sive praesertim in communi oblatione sacrificii et in communi participatione mensae Domini. Haec unitas pulchre apparet ex gestibus et corporis habitibus a fidelibus communiter servatis.

Ne renuant autem fideles populo Dei cum gaudio servire, quoties rogantur, ut aliquod peculiare ministerium in celebratione praestent.

63. Inter fideles suum munus liturgicum exercet *schola cantorum* vel *chorus*, cuius est de partibus sibi propriis, iuxta diversa genera cantuum, debite exsequendis, curare, et actuosam fidelium participationem in cantu fovere." Quae de schola cantorum dicuntur, valent, servatis servandis, pro aliis etiam musicis, praesertim vero pro *organario*.

64. Decet adesse *cantorem* vel *magistrum chori* ad cantum populi dirigendum et sustentandum. Immo, cum deficit schola, cantori competit diversos cantus moderari, populo pro sua parte participante."

III. De ministeriis peculiaribus

65. *Subdiaconus* ad servitium altaris et ad adiutorium sacerdotis et diaconi est ordinatus. Ipsi praecipue committitur altare atque vasa sacra parare et Epistolam legere.

66. *Lector*, etsi laicus, proprium munus in celebratione eucharistica habet, quod ipse per se exercere debet, quamvis adsint ministri ordinis superioris. Ad ipsum pertinet omnes lectiones e sacra Scriptura proferre, exceptis Evangelio et, si subdiaconus adest, Epistola. Deficiente psalmista, potest etiam psalmum inter lectiones proferre.

Ut fideles ex auditione lectionum divinarum suavem ac vivum sacrae Scripturae affectum[51] in corde concipiant, necesse est ut lectores ad tale munus delegati revera apti sint et sedulo praeparati.

Conferentia Episcopalis permittere potest ut, quando vir aptus ad exercendum munus lectoris non adsit, mulier idonea, extra presbyterium consistens, lectiones quae praecedunt Evangelium proferat.

67. *Psalmistae* est psalmum vel aliud canticum biblicum, quod inter lectiones invenitur, proferre. Ad suum munus recte implendum necesse est, ut psalmista et arte psallendi et facultate recte pronuntiandi et dicendi polleat.

68. E ceteris ministris, alii diversa munera in presbyterio exercent, alii extra presbyterium.

Primis annumerantur qui missale, crucem, cereos, panem, vinum, aquam, thuribulum deferunt.

Aliis autem: *a) Commentator*, qui explicationes et admoniones proponit fidelibus, ut in celebrationem introducantur et ad eius intellegentiam melius disponantur. Oportet monitiones commentatoris sint adamussim praeparatae et sobrietate perspicuae. In suo munere adimplendo, commentator stat loco apto coram fidelibus, sed non ascendit ad ambonem. *b)* Ii qui, aliquibus in regionibus, fideles ad portas ecclesiae recipiunt eosque in locis ipsis convenientibus disponunt, et eorum processiones ordinant. *c)* Qui collectas in ecclesia faciunt.

69. Expedit ut, praesertim in maioribus ecclesiis et communitatibus, aliquis designetur qui curet de actionibus sacris congrue disponendis et cum decore, ordine et pietate per ministros exercendis.

70. Omnia ministeria infra ea quae propria sunt subdiaconi etiam a viris laicis exerceri possunt. Ministeria quae extra presbyterium peraguntur etiam mulieribus committi possunt, iuxta prudens iudicium rectoris ecclesiae.

71. Si plures adsunt qui idem ministerium exercere possunt, nihil vetat, quominus diversas partes eiusdem ministerii inter se distribuant et peragant. Ex. gr., alius diaconus adhiberi potest pro partibus in cantu proferendis, et alius pro ministerio altaris; si plures lectiones habentur, inter plures lectores eas distribuere iuvat, et sic de ceteris.

gentium, n. 28. [51] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 48; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 mail 1967, n. 12: A. A. S. 59 (1967) pp. 548-549. [52] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 19: A. A. S. 59 (1967) p. 306 [LE 3541]. [53] Cf. *ibid.*, n. 21: A. A. S. 59 (1967), pp. 306-307. [54] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 24.

http://www.obrascatolicas.com

72. Si in Missa cum populo unus tantum minister adest, ipse diversa munera exercere potest.

73. Effectiva cuiusque celebrationis liturgicae praeparatio concordi animo fiat inter omnes quorum interest sive quoad ritus, sive quoad rem pastoralem et musicam, rectore ecclesiae moderante et auditis quoque fidelibus pro iis quae ad ipsos directe pertinent.

Cap. IV—De diversis formis Missam celebrandi

74. In Ecclesia locali primus sane locus tribuatur, propter eius significationem, Missae cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus [14] et in qua plebs sancta Dei plene et actuose participat. Ibi enim habetur praecipua manifestatio Ecclesiae.

75. Magni etiam habeatur Missa quae cum aliqua communitate, praesertim vero paroeciali, celebratur, utpote quae Ecclesiam universalem repraesentet tempore et loco statutis, praecipue vero in communi celebratione dominicali.[15]

76. Inter Missas autem ab aliquibus communitatibus celebratas peculiarem locum obtinet Missa conventualis, quae pars est Officii cotidiani, aut Missa, quae «*Communitatis*» dicitur. Et quamvis hae Missae nullam specialem formam celebrationis prae se ferant, maxime tamen decet eas cum cantu fieri, praecipue cum plena participatione omnium sodalium communitatis sive religiosorum sive canonicorum. In iis proinde ministerium suum exerceant singuli iuxta Ordinem receptum. Expedit vero ut omnes presbyteri qui pro utilitate pastorali fidelium singulariter celebrare non tenentur, in iis, quantum fieri potest, concelebrent.[16] Omnes insuper ad eam communitatem pertinentes, sive sacerdotes qui in bonum pastorale fidelium singulariter celebrare tenentur, sive non sacerdotes, sub utraque specie communicare possunt.

I. DE MISSA CUM POPULO

77. Missa cum populo ea intellegitur quae cum fidelium participatione celebratur. Convenit autem ut, quantum fieri potest, praesertim vero diebus dominicis et festis de praecepto, cum cantu et congruo numero ministrorum celebratio peragatur;[17] attamen etiam sine cantu et cum uno ministro perfici potest.

78. Expedit autem ut sacerdoti celebranti de more adsint lector, cantor, atque unus saltem minister: quae forma in sequentibus «typica» appellabitur. Ritus vero qui infra describitur facultatem praevidet amplioris etiam numeri ministrorum.

In qualibet celebrationis forma adesse potest diaconus suo munere fungens.

Praeparanda

79. Altare una saltem tobalea cooperiatur. Super ipsum vero aut circa ipsum duo saltem, vel etiam quattuor, aut sex, vel, si Episcopus dioecesis celebrat, septem candelabra cum cereis accensis ponantur. Item super altare vel prope ipsum habeatur crux. Candelabra autem et crux in processione ad introitum afferri possunt. Super ipsum altare poni potest, nisi in processione ad introitum deferatur, liber Evangeliorum, a libro aliarum lectionum distinctus.

80. In presbyterio parentur: *a)* iuxta sedem sacerdotis: missale et, pro opportunitate, libellus cantuum; *b)* in ambone: liber lectionum; *c)* in abaco: calix, corporale, purificatorium et, pro opportunitate, palla; patena et pyxides, si necessariae sunt, cum pane pro Communione sacerdotis, ministrorum, et pupuli; urceoli cum vino et aqua, nisi haec omnia a fidelibus ad offertorium praesententur; patina pro communione fidelium; et ea quae necessaria sunt ad manus lavandas. Calix cooperiatur velo, quod potest esse semper coloris albi.

81. In sacrario, pro diversis formis celebrationis, parentur sacrae vestes sacerdotis et ministrorum; *a)* Pro sacerdote: alba, stola et planeta. *b)* Pro diacono: alba, stola et dalmatica, quae tamen, ob necessitatem vel minorem gradum solemnitatis, omitti potest. *c)* Pro subdiacono: alba et tunica, quae pariter, ob necessitatem vel minorem gradum sollemnitatis, omitti potest. *d)* Pro ceteris ministris: albae vel superpellicea.

Omnes qui albam induunt, cingulum adhibeant et amictu utantur, nisi aliter provideatur.

A) Forma typica

Ritus initiales

82. Populo congregato, sacerdos et ministri, sacris vestibus induti, ad altare procedunt hoc ordine: *a)* Minister cum thuribulo fumigante, si incensum adhibetur. *b)* Ministri qui, pro opportunitate, deferunt cereos, et inter eos, si ea sus fert, alius minister cum cruce; et alii ministri qui adsunt. *c)* Lector, qui potest librum Evangeliorum deferre. *d)* Sacerdos Missam celebraturus.

[14] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.
[15] Cf. *ibid.*, n. 42; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, n. 26: A. A. S. 59 (1967) p. 555; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5. [16] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 47: A. A. S. 59 (1967) p. 565. [17] Cf. *ibid.*, n. 26: A. A. S. 59 (1967) p. 555; Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, nn. 16, 27: A. A. S. 59 (1967) pp. 305, 308.

Si incensum adhibetur, sacerdos antequam procedatur, incensum in thuribulo imponit.

83. Dum fit processio ad altare, cantus ad introitum peragitur (cf. nn. 25-26).

84. Cum ad altare pervenerint, sacerdos et ministri, faciunt debitam reverentiam, id est profundam inclinationem, vel, si adest tabernaculum cum Ssmo Sacramento, genuflexionem.

Crux forte in processione delata iuxta altare, vel alio loco opportuno, ponitur; candelabra vero a ministris portata iuxta altare, vel super abacum, collocantur; liber Evangeliorum super altare ponitur.

85. Sacerdos ad altare ascendit ipsumque veneratur osculo. Deinde, pro opportunitate, altare incensat, illud circumeundo.

86. His peractis, sacerdos sedem petit. Cantu ad introitum expleto, omnibus stantibus, sacerdos et fideles signant se. Sacerdos dicit: *In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.* Populus respondet: *Amen.*

Deinde, ad populum conversus, et manus extendens, sacerdos eum salutat, una adhibita e formulis propositis. Potest etiam, ipse vel alius minister idoneus, brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei.

87. Post actum paenitentialem, dicuntur *Kyrie* et *Glória*, iuxta rubricas (nn. 30-31). *Glória* inchoari potest aut ab ipso sacerdote, aut a cantoribus aut etiam ab omnibus simul.

88. Deinde sacerdos populum ad orandum invitat, manibus iunctis, dicens: *Orémus.* Et omnes una cum sacerdote ad breve tempus silentes orant. Tunc sacerdos, manibus extensis, dicit orationem, qua expleta, populus acclamat: *Amen.*

Liturgia verbi

89. Oratione finita, lector ad ambonem pergit, et recitat primam lectionem, quam omnes sedentes auscultant, et in fine acclamationem proferunt.

90. Psalmista vero, seu cantor, vel ipse lector, lectione finita, psalmum dicit, populo responsum proferente (cf. n. 36).

91. Postea, si habenda sit secunda lectio ante Evangelium, lector eam in ambone recitat, ut supra, omnibus sedentibus et auscultantibus, atque in fine acclamantibus.

92. Sequitur *Allelúia* vel alter cantus, prout tempus liturgicum postulat (cf. nn. nn. 37-39).

93. Dum canitur *Allelúia* vel alter cantus, sacerdos incensum, si adhibetur, imponit. Deinde, manibus iunctis, et inclinatus ante altare, dicit secreto: *Munda cor meum.*

94. Tunc librum Evangeliorum, si est in altari, accipit et, praecedentibus ministris, qui incensum et cereos deferre possunt, ad ambonem accedit.

95. In ambone sacerdos aperit librum et dicit: *Dóminus vobíscum*, et deinde *Léctio sancti Evangélii*, pollice signans librum et seipsum in fronte, ore et pectore. Deinde librum, si incensum adhibetur, thurificat. Post acclamationem populi, proclamat Evangelium, eoque finito, librum osculatur, dicens secreto: *Per evangélica dicta deleántur nostra delicta.* Post Evangelium fit acclamatio populi, iuxta consuetudinem regionum.

96. Si non adest lector, sacerdos ipse omnes lectiones et, pro necessitate, etiam cantus post ipsas occurrentes profert, stans in ambone. Ibidem, si adhibetur, incensum imponit et, inclinatus, dicit: *Munda cor meum.*

97. Homilia fit ad sedem vel in ipso ambone.

98. Symbolum dicitur a sacerdote una cum populo (cf. n. 44). Ad verba *Et incarnátus est*, etc. omnes se inclinant; in festis vero Annuntiationis et Nativitatis Domini genua flectunt.

99. Deinde, populo pro sua parte participante, fit oratio universalis seu oratio fidelium, quam sacerdos moderatur a sede aut ex ambone (cf. nn. 45-47).

Liturgia eucharistica

100. Oratione universali absoluta, incipit cantus ad offertorium (cf. n. 50). Ministri corporale, purificatorium, calicem et missale in altari collocant.

101. Expedit ut participatio fidelium manifestetur per oblationem sive panis et vini ad Eucharistiae celebrationem, sive aliorum donorum, quibus necessitatibus ecclesiae et pauperum subveniatur.

Oblationes fidelium a sacerdote opportune accipiuntur, adiuvantibus ministris, et apto loco collocantur; panis autem et vinum pro Eucharistia ad altare deferuntur.

102. Sacerdos, ad altare, accipit a ministro patenam cum pane, eamque ambabus manibus aliquantulum elevatam super altare tenet, dicens formulam appositam. Deinde patenam cum pane super corporale deponit.

103. Postea, stans ad latus altaris, infundit vinum et parum aquae in calicem, dicens secreto formulam praescriptam, ministro urceolos porrigente. Reversus autem ad medium altaris, acceptum calicem ambabus manibus parum elevatum tenet, dicens formulam statutam; et deinde calicem super corporale deponit, et palla pro opportunitate cooperit.

104. Calice in altari deposito, sacerdos, inclinatus, dicit secreto: *In spíritu humilitátis.*

105. Pro opportunitate deinde sacerdos incensat oblata et altare; minister vero sacerdotem et populum.

106. Post orationem *In spíritu humilitátis* vel post incensationem, sacerdos, stans ad latus altaris, manus lavat, formulam statutam secreto dicens, ministro aquam fundente.

107. Ad medium altaris deinde reversus, stans ad populum conversus, extendens et iungens manus, populum ad orandum invitat, dicens: *Oráte, fratres*, etc. Post responsionem autem populi, manibus extensis, dicit orationem super oblata. In fine populus acclamat: *Amen.*

108. Tunc sacerdos incipit Precem eucharisticam. Manus

extendens dicit: *Dóminus vobíscum.* Cum prosequitur: *Sursum corda*, manus elevat; ac, manibus extensis, subdit: *Grátias agámus Dómino Deo nostro.* Postquam populus respondit: *Dignum et iustum est*, sacerdos prosequitur praefationem; eaque finita, iunctis manibus, una cum ministris et populo, cantat vel clara voce dicit: *Sanctus-Benedictus* (cf. n. 55 b).

109. Sacerdos prosequitur Precem eucharisticam iuxta rubricas, quae in singulis Precibus continentur.

Paulo ante consecrationem, minister, pro opportunitate, campanulae signo fideles monet. Item pulsat campanulam ad unamquamque elevationem, iuxta cuiusque loci consuetudinem.

110. Expleta doxologia, quae post Precem eucharisticam habetur, sacerdos, manibus iunctis, dicit monitionem ante orationem dominicam, quam deinde una cum populo profert, manibus extensis.

111. Oratione dominica finita, sacerdos, manibus extensis, solus dicit embolismum *Libera nos*, quo completo, populus acclamat: *Quia tuum est regnum.*

112. Deinde sacerdos, clara voce, dicit orationem *Dómine Iesu Christe, qui dixísti*; eaque finita, extendens et iungens manus, pacem annuntiat, dicens: *Pax Dómini sit semper vobíscum.* Populus respondet: *Et cum spíritu tuo.* Postea, pro opportunitate, sacerdos subiungit: *Offerte vobis pacem.* Et omnes, iuxta locorum consuetudines, pacem et caritatem sibi invicem significant. Sacerdos pacem potest dare ministris.

113. Postea sacerdos accipit hostiam, eamque super patenam frangit, et particulam immittit in calicem, dicens secreto: *Haec commíxtio.* Interim a choro et a populo cantatur vel dicitur *Agnus Dei* (cf. n. 56 e).

114. Tunc sacerdos dicit secreto orationem: *Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi* vel *Percéptio Córporis et Sanguinis.*

115. Oratione finita, sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, versus ad populum, dicit: *Ecce Agnus Dei*, et una cum populo semel subdit: *Dómine, non sum dignus.*

116. Postea, stans ad altare conversus, sacerdos secreto dicit: *Corpus Christi custódiat me in vitam aetérnam*, et reverenter sumit Corpus Christi. Deinde accipit calicem, dicit: *Sanguis Christi custódiat me in vitam aetérnam*, et reverenter sumit Sanguinem Christi.

117. Accipit deinde patenam vel pyxidem, et accedit ad communicandos, atque hostiam parum elevatam unicuique ostendit dicens: *Corpus Christi.* Communicandus respondet: *Amen*, et, tenens patinam sub ore, Sacramentum accipit.

118. Pro Communione sub utraque specie, servetur ritus suo loco descriptus (cf. nn. 240-252).

119. Dum sacerdos sumit Sacramentum, inchoatur cantus ad Communionem (cf. n. 56 i).

120. Distributione Communionis expleta, sacerdos, ad altare reversus, colligit fragmenta, si quae sint; deinde, stans ad latus altaris, vel ad abacum, purificat patenam vel pyxidem super calicem, postea purificat calicem, et calicem purificatorio extergit. Si vasa purificata sunt ad altare, a ministro deferuntur ad abacum. Licet tamen vasa purificanda, praesertim si sint plura, opportune cooperta, in altari vel in abaco super corporale relinquere eaque post Missam, populo dimisso, purificare.

121. Purificationibus peractis, sacerdos ad sedem redire potest. Sacrum silentium, omnibus sedentibus, per aliquod temporis spatium, servari, vel canticum laudis aut psalmus proferri potest (cf. n. 56 j).

122. Postea, stans ad sedem vel ad altare, sacerdos versus ad populum, dicit: *Orémus* et, extensis manibus, orationem post Communionem recitat, cui praemitti potest breve spatium silentii, nisi iam praecesserit statim post Communionem. In fine orationis populus acclamat: *Amen.*

Ritus conclusionis

123. Expleta oratione post Communionem, fiant, si habendae sunt, breves annuntiationes ad populum.

124. Deinde sacerdos, extendens manus, salutat populum, dicens: *Dóminus vobíscum*, cui respondetur a populo: *Et cum spíritu tuo.* Et statim sacerdos subdit: *Benedícat vos omnípotens Deus* et, benedicens, prosequitur: *Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus.* ℟ *Amen.* Quibusdam diebus et occasionibus, huic formulae benedictionis praemittitur, iuxta rubricas, alia formula sollemnior, vel oratio super populum.

Statim post benedictionem, sacerdos, manibus iunctis subiungit: *Ite, missa est*; et omnes respondent: *Deo grátias.*

125. Tunc sacerdos altare de more osculo veneratur. Facta deinde debita reverentia cum ministris, recedit.

126. Si vero Missam sequitur aliqua actio liturgica, ritus conclusionis, idest salutatio, benedictio et dimissio, omittuntur.

B) De muneribus diaconi

127. Quando adest diaconus, ministerio suo fungens, servantur normae in superiore capite descriptae, his exceptis, quae sequuntur.

In genere diaconus: *a)* sacerdoti assistit, et ad eius latus procedit; *b)* ad altare, sive ad calicem sive ad librum ministrat; *c)* si nullus alius minister adsit, ipse aliorum munera, pro necessitate, adimplet.

Ritus initiales

128. Vestibus sacris indutus, diaconus, si librum Evangeliorum portat, sacerdotem accedentem ad altare praecedit, secus ad eius latus incedit.

129. Facta una cum sacerdote debita reverentia altari, diaconus una cum ipso ad altare ascendit atque Evangeliario si illud defert, super altare deposito, simul cum sacerdote altare osculo veneratur. Sacerdoti deinde, si adhibetur incensum, assistit ad incensum imponendum et altare thurificandum.

130. Altari incensato, sedem una cum sacerdote petit, ibique ad latus sacerdotis consistit eique pro necessitate ministrat.

Liturgia verbi

131. Dum *Allelúia* vel alter cantus profertur, si adhibetur incensum, ad impositionem thuris sacerdoti ministrat, deinde, ante sacerdotem inclinatus, benedictionem petit, submissa voce dicens: *Iube, domne, benedícere.* Sacerdos eum benedicit, dicens: *Dóminus sit in corde tuo*, etc. Diaconus respondet: *Amen.* Deinde librum Evangeliorum, si est in altari, sumit et ad ambonem pergit, ministris, si adsunt, cum candelabris et incenso pro opportunitate eum praecedentibus. Ibi populum salutat, librum incensat et proclamat Evangelium. Quo finito, librum osculo veneratur, secreto dicens: *Per evangélica dicta*, etc. et ad celebrantem redit. Si vero homilia non fit neque symbolum dicitur, potest manere in ambone pro oratione universali, recedentibus ministris.

132. Intentiones orationis fidelium, post introductionem sacerdotis, ipse diaconus sive ex ambone sive ex alio loco conveniente profert.

Liturgia eucharistica

133. Ad offertorium, sacerdote ad sedem remanente, diaconus altare praeparat, aliis ministris adiuvantibus; ipsius tamen est sacrorum vasorum curam gerere. Assistit etiam sacerdoti ad dona populi recipienda. Tradit deinde sacerdoti patenam cum pane consecrando; infundit vinum et parum aquae in calicem, quem poste» sacerdoti praesentat. Praeparationem tamen calicis, seu infusionem vini et aquae, ad abacum peragere potest. Si incensum adhibetur, in thurificandis oblatis et altari sacerdoti ministrat, et postea ipse, vel alius minister, sacerdotem et populum incensat.

134. Durante Prece eucharistica, diaconus stat prope sacerdotem, aliquanto tamen post ipsum, ut, quando opus sit, ad calicem vel ad missale ministret.

135. Ad doxologiam finalem Precis eucharisticae, stans ad latus sacerdotis, calicem elevatum tenet, dum sacerdos patenam cum hostia elevat, usquedum populus *Amen* acclamaverit.

136. Postquam sacerdos dixit orationem ad pacem et: *Pax Dómini sit semper vobíscum*, et populus respondit: *Et cum spíritu tuo*, diaconus, pro opportunitate, invitationem facit ad pacem, dicens: *Offérte vobis pacem.* Ipse vero pacem a sacerdote recipit, aliisque ministris sibi propioribus potest offerre.

137. Communione a sacerdote facta, ipse Communionem sub utraque specie accipit, et sacerdotem deinde adiuvat in Communione populo distribuenda. Quod si Communio sub utraque specie fit, ipse calicem sumentibus ministrat, et ultimus de calice sumit.

138. Distributione Communionis expleta, diaconus cum sacerdote ad altare revertitur, colligit fragmenta, si quae sint, deinde portat calicem et alia vasa sacra ad abacum, ibique ea purificat et de more componit, dum sacerdos ad sedem redit. Licet tamen vasa purificanda, opportune cooperta, in abaco super corporale relinquere, eaque post Missam, populo dimisso, purificare.

Ritus conclusionis

139. Dicta oratione post Communionem, diaconus facit breves annuntiationes populo, quae forte faciendae sunt, nisi ipse sacerdos malit eas facere.

140. Data benedictione a sacerdote, diaconus populum dimittit dicens: *Ite, missa est.*

141. Deinde, una cum sacerdote, altare de more osculo veneratur, et, facta debita reverentia, simili modo quo processerat, recedit.

C) De muneribus subdiaconi

142. Si subdiaconus in Missa suo munere fungitur, ea quae sequuntur servat. Generatim subdiaconus: *a)* diacono vel sacerdoti, quando opus est, ministrat; *b)* Epistolam, seu lectionem ante Evangelium, profert; *c)* si nullus alius minister adest, ipse etiam alias lectiones ante Evangelium occurrentes legit; et, pro necessitate, etiam aliorum ministrorum munera adimplet.

Ritus initiales

143. Vestibus sacris indutus, in accessu ad altare, subdiaconus librum Evangeliorum deferre potest: tunc ante sacerdotem vel diaconum incedit; secus vel ad latus sacerdotis procedit, vel crucem, medius inter duos ministros cum cereis accensis, portat.

144. Facta altari debita reverentia, una cum sacerdote et diacono ad altare ascendit, librum Evangeliorum super altare deponit, ipsumque altare, una cum diacono et sacerdote, osculo veneratur et, si incensum adhibetur, sacerdoti in thurificatione altaris assistit. Deinde sedem una cum sacerdote et diacono petit; ibique, pro necessitate, sacerdoti ministrat.

Liturgia verbi

145. Epistolam vel aliam lectionem ante Evangelium in ambone legit, eaque finita ad sacerdotem redit.

http://www.obrascatolicas.com

146. Assistit sacerdoti ad incensum ante Evangelium imponendum, et diaconum ad ambonem pro Evangelii proclamatione comitatur, ibique ministrat. Finito Evangelio, una cum diacono, debito ordine, ad sacerdotem redit.

Liturgia eucharistica

147. Oratione universali absoluta, dum cantus ad offertorium peragitur, subdiaconus, aliis ministris adiuvantibus, altare praeparat. Interea sacerdos et diaconus ad sedem manent. Altare parato, subdiaconus diacono et sacerdoti assistit ad dona populi forte recipienda. Deinde una cum ipsis ad altare procedit, ubi aquam in calicem infundit. Si adhibetur incensum, sacerdoti assistit in thuribulandis oblatis et altari.

148. Durante Prece eucharistica, subdiaconus stat prope sacerdotem aliquanto tamen post ipsum, ut, quando opus sit, ad missale ministret.

149. Facta a diacono invitatione ad pacem, subdiaconus pacem post diaconum a sacerdote recipit aliisque ministris sibi propioribus offerre potest.

150. Post diaconum, communicat et ipse subdiaconus sub utraque specie.

151. Post Communionem, dum sacerdos ad sedem redit, diaconum in vasis purificandis et componendis adiuvat. Postea una cum diacono ad sacerdotem redit.

Ritus conclusionis

152. Populo a diacono dimisso, subdiaconus una cum sacerdote et diacono altare de more osculo veneratur, et, simul cum aliis ministris, facta debita reverentia, ordine quo venit, recedit.

II. DE MISSIS CONCELEBRATIS

Praenotanda

153. Concelebratio qua unitas sacerdotii et sacrificii necnon totius populi Dei opportune manifestatur, praeterquam in casibus quibus ipso ritu praecipitur, permittitur:

1.° *a)* Feria V Hebdomadae sanctae, tum ad Missam chrismatis, tum ad Missam vespertinam; *b)* ad Missam in Concilio, Conventibus Episcoporum et Synodis; *c)* ad Missam in Benedictione Abbatis.

2.° Praeterea, accedente licentia Ordinarii, cuius est de opportunitate concelebrationis iudicare: *a)* ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis et oratoriis, cum utilitas christifidelium singularem celebrationem omnium sacerdotum praesentium non postulat; *b)* ad Missas in conventibus cuiusvis generis sacerdotum tum saecularium tum religiosorum.[*]

154. Ubi magnus habetur numerus sacerdotum, superior competens concedere potest ut concelebratio etiam pluries eodem die fiat, sed temporibus subsequentibus, vel in locis sacris diversis.[**]

155. Episcopi est, ad normam iuris, concelebrationis disciplinam in sua dioecesi moderari, etiam in exemptorum ecclesiis et oratoriis semipublicis. De opportunitate vero concelebrationis iudicare atque licentiam in suis ecclesiis et oratoriis dare est cuiusvis Ordinarii et etiam Superioris maioris Religionum clericalium non exemptarum et Societatum clericorum in communi viventium sine votis.[***]

156. Nemo umquam ad concelebrandum admittatur Missa iam incepta.[****]

157. In singulari honore illa concelebratio habenda est, qua sacerdotes alicuius dioeceseos cum proprio Episcopo concelebrant, praecipue vero in Missa chrismatis feria V Hebdomadae sanctae, et occasione Synodi vel visitationis pastoralis. Eadem ratione concelebratio commendatur quoties sacerdotes cum proprio Episcopo conveniunt, sive occasione exercitiorum spiritualium, sive alicuius conventus. In his casibus illud signum unitatis sacerdotii, necnon Ecclesiae, omni concelebrationi proprium, magis perspicuo modo manifestatur.[*****]

158. Ob peculiarem causam, sive significationis ritus sive festivitatis, facultas fit pluries celebrandi vel concelebrandi eodem die, sequentibus in casibus:

a) Qui, feria V Hebdomadae sanctae, Missam chrismatis celebravit aut concelebravit, etiam Missam vespertinam celebrare aut concelebrare potest.

c) In Nativitate Domini omnes sacerdotes tres Missas celebrare vel concelebrare possunt, dummodo hae suo tempore celebrentur.

d) Qui in Synodo, in visitatione pastorali aut in coetibus sacerdotum cum Episcopo vel eius delegato concelebrat, Missam ad utilitatem fidelium, de iudicio eiusdem Episcopi, iterum celebrare potest.[******] Idem valet, servatis servandis, pro coetibus religiosorum cum proprio Ordinario, vel eius delegato.

159. Missa concelebrata ordinatur, pro qualibet forma, iuxta normas Missae singulariter celebratae, iis tamen servatis aut mutatis quae infra indicabuntur.

160. Si in Missa concelebrata neque diaconus neque alii ministri assistant, munera ipsis propria ab aliquibus concelebrantibus perficiuntur.

[*] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 57. [**] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 47: A. A. S. 59 (1967) p. 566 [LE 3562]. [***] Cf. *Ritus servandus in concelebratione Missae*, n. 3 [LE 3270]. [****] Cf. *ibid.*, n. 8. [*****] Cf. S. Congr. Rituum, Decretum *generale Ecclesiae semper*, 7 martii 1965: A. A. S. 57 (1965) pp. 410-412 [LE 3270]. Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 47: A. A. S. 59 (1967) p. 565. [******] Cf. *Ritus servandus in concelebratione Missae*, n. 9.

Ritus initiales

161. Concelebrantes in sacrario, vel alio loco apto, sacras vestes induunt, quas sumere solent cum Missam singuli celebrant. Accedente tamen iusta causa, v. gr. frequentiore concelebrantium numero et deficientia paramentorum, concelebrantes, excepto semper celebrante principali, omittere possunt planetam, adhibita stola super albam.

162. Omnibus rite dispositis, fit de more processio per ecclesiam ad altare. Presbyteri concelebrantes incedunt ante celebrantem principalem.

163. Cum ad altare pervenerint, concelebrantes et celebrans principalis, facta debita reverentia, altare osculo venerantur, deinde sedem sibi assignatam petunt. Celebrans vero principalis altare, pro opportunitate, incensat, ac deinde sedem petit.

Liturgia verbi

164. Durante liturgia verbi concelebrantes locum suum occupant et sedent et surgunt eadem ratione ac celebrans principalis.

165. Homiliam habet de more celebrans principalis, vel unus e concelebrantibus.

Liturgia eucharistica

166. Ritus offertorii perficiuntur a celebrante principali, aliis concelebrantibus suis locis manentibus.

167. Ritibus offertorii peractis, concelebrantes ad altare accedunt et circa altare consistunt, ita tamen ut impedimento non sint in ritibus peragendis, et sacer ritus a fidelibus bene conspiciatur, neque impedimento sint diacono et subdiacono quando ad altare, ratione sui ministerii, accedere debent.

168. Praefatio dicitur a solo celebrante principali; *Sanctus* vero ab omnibus una cum populo et schola cantatur vel recitatur.

169. *Sanctus* expleto, concelebrantes Precem eucharisticam modo infra descripto prosequuntur. Solus celebrans principalis gestus facit, nisi aliter notetur.

De modo proferendi Precem eucharisticam

170. Partes quae ab omnibus concelebrantibus simul proferuntur, in recitatione ita dicendae sunt, ut eas concelebrantes submissa voce proferant et vox celebrantis principalis clare audiatur. Hac ratione textus a populo facilius percipitur.

A) Prex eucharistica I, seu Canon Romanus

171. *Te igitur* a solo celebrante principali, extensis manibus, dicitur.

172. *Meménto* vivorum et *Communicántes* uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus has preces manibus extensis et elata voce dicit.

173. *Hanc igitur* a solo celebrante principali iterum dicitur, manibus extensis.

174. A *Quam oblatiónem* usque ad *Súpplices*, omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo: *a) Quam oblatiónem*, manibus ad oblata extensis; *b) Qui pridie, Simili modo*, manibus iunctis; *c)* Verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad elevationem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes; *d) Unde et mémores* et *Supra quae*, manibus extensis; *e) Súpplices*, inclinati et manibus iunctis usque ad verba *ex hac altáris participatióne*, ac deinde erecti et se signantes ad verba *omni benedictione caelésti et grátia repleámur*.

175. *Meménto* mortuorum et *Nobis quoque peccatóribus* uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus ea manibus extensis et elata voce dicit.

176. Ad verba *Nobis quoque peccatóribus* omnes concelebrantes pectus sibi percutiunt.

177. *Per quem haec ómnia* a solo celebrante principali dicitur.

178. In hac Prece eucharistica, partes a *Quam oblationem* usque ad *Súpplices* necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

B) Prex eucharistica II

179. *Vere Sánctus* a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

180. Ab *Haec ergo dona* usque ad *Et súpplices* omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo: *a) Haec ergo dona*, manibus ad oblata extensis; *b) Qui cum passioni et Simili modo*, manibus iunctis; *c)* Verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad elevationem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes; *d) Mémores igitur* atque *Et súpplices*, manibus extensis.

181. Intercessiones pro vivis: *Recordáre, Dómine*, et pro defunctis: *Meménto etiam fratrum nostrórum*, uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus eas manibus extensis profert.

182. Huius Precis eucharisticae partes quae sequuntur: *Qui cum passióni, Simili modo, Mémores igitur*, necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

C) Prex eucharistica III

183. *Vere sanctus* a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

184. A *Súpplices ergo te, Dómine*, usque ad *Réspice, quáesumus*, omnes concelebrantes omnia simul proferunt hoc modo: *a) Súpplices ergo te, Dómine*, manibus ad oblata extensis; *b) Ipse enim in qua nocte tradebátur* et *Simili modo*, manibus iunctis; *c)* Verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad elevationem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes; *d) Mémores igitur* et *Réspice, quáesumus*, manibus extensis.

185. Intercessiones: *Ipse nos* et *Haec hóstia nostrae reconciliatiónis* uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus has preces manibus extensis profert.

186. Huius Precis eucharisticae partes quae sequuntur: *Ipse enim, Simili modo, Mémores igitur*, necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

D) Prex eucharistica IV

187. *Confitémur tibi, Pater sancte*, usque ad *omnem sanctificatiónem compléret*, a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

188. A *Quáesumus igitur, Dómine*, usque ad *Réspice, Dómine*, omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo: *a) Quáesumus igitur, Dómine*, manibus ad oblata extensis; *b) Ipse enim, cum hora venisset* et *Simili modo*, manibus iunctis; *c)* Verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad elevationem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes; *d) Unde et nos*, et *Réspice, Dómine*, manibus extensis.

189. Intercessiones: *Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre*, uni e concelebrantibus committi possunt, qui solus eas manibus extensis profert.

190. Huius Precis eucharisticae partes quae sequuntur: *Ipse enim, Simili modo, Unde et nos*, necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

191. Doxologia finalis Precis eucharisticae a solo celebrante principali aut ab omnibus concelebrantibus una cum celebrante principali profertur.

Ritus Communionis

192. Deinde celebrans principalis, iunctis manibus, dicit monitionem ante orationem dominicam ac deinde, manibus extensis, una cum ceteris concelebrantibus et cum populo ipsam orationem dominicam.

193. *Libera nos* dicitur a solo celebrante principali, manibus extensis. Omnes concelebrantes, una cum populo, acclamationem finalem proferunt: *Quia tuum est regnum.*

194. Post monitionem diaconi vel unius e concelebrantibus: *Offérte vobis pacem*, omnes sibi invicem pacem tradunt. Qui propiores sunt celebranti principali pacem ab ipso recipiunt ante diaconum.

195. Dum *Agnus Dei* profertur, aliqui e concelebrantibus celebrantem principalem adiuvare possunt ad hostias frangendas, sive pro concelebrantium sive pro populi Communione.

196. Immixtione peracta, solus celebrans principalis dicit secreto orationem *Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi* vel *Percéptio*.

197. Oratione ante Communionem expleta, celebrans principalis genuflectit et paulum recedit. Concelebrantes vero unus post alium ad medium altaris accedunt, genuflectunt et Corpus Christi reverenter ex altari accipiunt, atque manu dextera illud tenentes, eique manum sinistram supponentes, ad loca sua recedunt. Possunt tamen concelebrantes suis locis remanere et Corpus Christi e patena sumere, quam celebrans principalis aut unus vel plures e concelebrantibus tenent, ante ipsos transeundo, vel tradendo patenam sequenti et ita usque ad ultimum.

198. Deinde celebrans principalis accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, versus ad populum dicit: *Ecce Agnus Dei*, et prosequitur cum concelebrantibus et pupulo, dicens: *Dómine, non sum dignus.*

199. Deinde celebrans principalis, ad altare conversus, secreto dicit: *Corpus Christi custódiat me in vitam aetérnam*, et Corpus Christi reverenter sumit. Similiter faciunt concelebrantes. Post eos vero diaconus et subdiaconus a celebrante principali Corpus Domini accipiunt.

200. Sanguis Domini sumi potest vel ex ipso calice directe bibendo, vel cum calamo, vel cum cochleari, vel etiam per intinctionem.

201. Si Communio fit bibendo directe ex calice, unus ex his modis potest adhiberi:

a) Celebrans principalis accipit calicem et secreto dicit: *Sanguis Christi custódiat me in vitam aetérnam*, et paulum Sanguinis sumit et calicem diacono vel concelebranti tradit. Communionem fidelibus deinde distribuit vel ad sedem recedit. Concelebrantes unus post alium, vel bini et bini si duo calices adhibentur, ad altare accedunt, Sanguinem sumunt et ad suam sedem redeunt. Diaconus vel concelebrans calicem abstergit purificatorio post cuiusque concelebrantis Communionem.

b) Celebrans principalis Sanguinem Domini sumit de more stans in medio altaris.

Concelebrantes vero Sanguinem Domini sumere possunt locis suis manendo et ex calice ipsis a diacono, vel ab uno concelebrante oblato, bibendo; aut etiam tradendo sibi deinceps calicem. Calix semper abstergitur vel ab eo qui bibit vel ab illo qui calicem praesentat. Singuli, cum communicaverint, ad suam sedem redeunt.

202. Si Communio fit cum calamo, proceditur hoc modo: Celebrans principalis calamum accipit et secreto dicit: *Sanguis Christi custódiat* me *in vitam aetérnam*, paulum Sanguinis haurit et statim calamum purificat paulum aquae sumens e vase super altare opportune collocato, et eum deponit in apposita patena. Diaconus deinde, vel unus e concelebrantibus, calicem aut in medio altaris aut ad latus ipsius dexterum, super aliud corporale, opportune disponit. Prope ipsum calicem ponitur etiam vas cum aqua ad calamos abluendos, et patena in qua postea calami deponantur.

Concelebrantes unus post alium accedunt, calamum accipiunt et paulum Sanguinis hauriunt, deinde calamum purificant, paulum aquae sumentes, et ipsum calamum in apposito vase deponunt.

203. Si Communio ad calicem fit cum cochleari, eodem modo ac in Communione cum calamo agitur; caveatur tamen ut, post Communionem, cochlear deponatur in aliquo vase cum aqua, quod, Communione expleta, subdiaconus ad appositam mensam transfert, ut cochlearia purificet et abstergeat.

204. Ultimi accedunt diaconus et subdiaconus. Subdiaconus Christi Sanguinem sumit e calice sibi praesentato a diacono, et ipsi diacono dicenti: *Sanguis Christi*, respondet: *Amen*. Deinde diaconus postquam Christi Sanguinem sibi hausit, totum Sanguinem qui remansit sumit, calicem ad abacum transfert, ibique purificat; subdiaconus vero calicem de more absterget et componit.

205. Communio concelebrantium ita etiam potest ordinari, ut singuli super altare Corpori et, statim postea, Sanguini Domini communicent.

Hoc in casu, celebrans principalis sub utraque specie Communionem accipit sicut cum solus Missam celebrat, servato tamen ritu pro Communione calicis singulis in casibus electo, quem ceteri concelebrantes sequantur.

Communione autem celebrantis principalis peracta, calix ad latus dexterum altaris super aliud corporale deponitur. Concelebrantes unus post alium ad medium altaris accedunt, genuflectunt et Corpori Domini communicant; transeunt deinde ad latus dexterum altaris, et Sanguinem Domini sumunt, iuxta ritum pro Communione calicis electum, ut supra dictum est.

Eodem modo ac supra fiunt et Communio ministrorum et purificatio calicis.

206. Si Communio concelebrantium fit per intinctionem, celebrans principalis more solito Corpus et Sanguinem Domini sumit, attendens tamen ut in calice satis Sanguinis remaneat ad Communionem concelebrantium. Diaconus deinde vel unus e concelebrantibus, calicem aut in medio altaris, aut ad latus eius dexterum super aliud corporale, una cum patena continente particulas hostiae, opportune disponit. Concelebrantes, unus post alium, ad altare accedunt, genuflectunt, particulam accipiunt, eam partim in calicem intingunt et, patenam ori submittentes, intinctam particulam sumunt, ac deinde ad loca sua recedunt ut initio Missae.

Per intinctionem Communionem accipiunt etiam diaconus et subdiaconus, qui *Amen* respondent concelebranti sibi dicenti: *Corpus* et *Sanguis Christi*. Diaconus autem ad altare totum Sanguinem qui remansit sumit, calicem ad abacum transfert, ibique purificat; subdiaconus autem eum absterget et de more componit.

Ritus conclusionis

207. Cetera usque ad finem Missae fiunt de more a celebrante principali, concelebrantibus suis sedibus remanentibus.

208. Antequam ab altari discedant, altari debitam reverentiam faciunt. Celebrans vero principalis altare de more osculo veneratur.

III. DE MISSA SINE POPULO

Praenotanda

209. Agitur de Missa celebrata a sacerdote, cui unus tantum minister assistit et respondet.

210. Huiusmodi Missa sequitur generatim ritum Missae cum populo, ministro, pro opportunitate, partes populi proferente.

211. Celebratio sine ministro non fiat nisi ex gravi necessitate. Hoc in casu salutationes et benedictio in fine Missae omittuntur.

212. Calix ante Missam paratur sive in abaco iuxta altare, sive super altare; Missale vero ad latus sinistrum altaris collocatur.

Ritus initiales

213. Sacerdos, facta altari reverentia, signat se signo crucis, dicens: *In nómine Patris*, etc.; conversus ad ministrum, eum salutat, unam e formulis propositis eligendo; et, stans ad pedes altaris, peragit actum paenitentialem.

214. Deinde ascendit altare idque osculo veneratur; accedit deinde ad missale in latere sinistro altaris, ubi remanet usque ad expletam orationem universalem.

215. Tunc legit antiphonam ad introitum; et dicit *Kyrie* et *Glória*, iuxta rubricas.

216. Deinde, manibus iunctis, dicit *Orémus* et, interposita mora convenienti, manibus extensis profert orationem, in fine minister acclamat: *Amen.*

Liturgia verbi

217. Dicta oratione, minister vel ipse sacerdos legit primam lectionem et psalmum, et, quando dicenda est, secundam lectionem atque versum ad *Allelúia* vel alterum cantum.

218. Deinde, manens in eodem loco, sacerdos, inclinatus, dicit *Munda cor meum*, et legit Evangelium. In fine librum

http://www.obrascatolicas.com

osculo veneratur, secreto dicens: *Per evangélica dicta*, etc. Minister autem acclamationem profert.

219. Sacerdos postea symbolum, iuxta rubricas, una cum ministro recitat.

220. Sequitur oratio universalis, quae etiam in hac Missa dici potest, sacerdote intentiones proferente, ministro respondente.

Liturgia eucharistica

221. Antiphona ad offertorium omittitur. Minister corporale, purificatorium et calicem super altare deponit, nisi iam initio Missae ibidem sint posita.

222. Depositio panis ac vini et aquae infusio fiunt sicut in Missa cum populo, formulis adhibitis in Ordine Missae assignatis. Post depositionem panis et vini sacerdos lavat manus, stans ad latus altaris, ministro aquam fundente.

223. Orationem super oblata et Precem eucharisticam sacerdos profert, servato ritu pro Missa cum populo descripto.

224. Oratio dominica cum suo embolismo dicitur sicut in Missa cum populo.

225. Expleta acclamatione in fine embolismi, sacerdos dicit orationem *Dómine Iesu Christe, qui dixísti*; ac deinde subiungit: *Pax Dómini sit semper vobíscum*, cui minister respondet: *Et cum spíritu tuo*. Pro opportunitate autem sacerdos dat pacem ministro.

226. Deinde, dum dicit *Agnus Dei* cum ministro, sacerdos frangit hostiam super patenam. Expleto *Agnus Dei*, facit immixtionem, dicens secreto: *Haec commixtio*.

227. Post immixtionem, sacerdos dicit secreto orationem *Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi* vel *Percéptio*; deinde genuflectit, hostiam accipit et, si minister Communionem recipit, versus ad eum et hostiam aliquantulum elevatam super patenam tenens, dicit: *Ecce Agnus Dei* et cum ipso semel subdit: *Dómine, non sum dignus*. Deinde, ad altare conversus, Corpus Christi sumit. Si vero minister Corpus Christi non participat, facta genuflexione, sacerdos hostiam accipit et, ad altare conversus, semel dicit secreto: *Dómine, non sum dignus*, et Corpus Christi sumit. Sumptio Sanguinis Christi fit ut in Ordine Missae cum populo describitur.

228. Antequam Communionem det ministro, celebrans dicit antiphonam ad Communionem.

229. Purificatio calicis fit ad latus altaris. Deinde calix potest aut ad abacum a ministro deferri, aut in altari, ut initio, poni.

230. Purificatione calicis expleta, sacerdos aliquam pausam silentii servare potest; postea vero dicit orationem post Communionem.

Ritus conclusionis

231. Ritus conclusionis perficiuntur sicut in Missa cum populo, omisso tamen *Ite, missa est*.

IV. QUAEDAM NORMAE GENERALIORES PRO OMNIBUS FORMIS MISSAE

De veneratione altaris et libri Evangeliorum

232. Iuxta morem in liturgia traditum, veneratio altaris et libri Evangeliorum osculo perficitur. Attamen, ubi huiusmodi signum plene non congruit cum traditionibus aut ingenio alicuius regionis, ibi est Conferentiae Episcopalis aliud signum statuere in vicem illius adhibendum, hac de re certiore facta Sede Apostolica.

De genuflexione et inclinatione

233. Tres genuflexiones fiunt in Missa, hoc est: post elevationem hostiae, post elevationem calicis, et ante Communionem.

Si vero tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento sit in presbyterio, genuflectitur etiam ante et post Missam, et quoties quis ante Sacramentum transit.

234. Duae species inclinationum habentur: capitis et corporis:

a) Inclinatio capitis fit cum tres Divinae Personae simul nominantur, et ad nomen Iesu, B. Mariae Virginis et Sancti in cuius honorem dicitur Missa.

b) Inclinatio corporis, seu inclinatio profunda, fit: ad altare, si tabernaculum cum SS. Sacramento non adsit; ad orationes *Munda cor meum* et *In spíritu humilitátis*; in symbolo ad verba *Et incarnatus est*; in Canone romano ad verba *Súpplices te rogámus*. Eadem inclinatio fit a diacono, cum petit benedictionem ante proclamationem Evangelii. Sacerdos insuper parum se inclinat cum, in consecratione, verba Domini profert.

De incensatione

235. Incensum ad libitum adhiberi potest in qualibet forma Missae: *a)* durante processione ingressus; *b)* initio Missae, ad altare thurificeandum; *c)* ad processionem et ad proclamationem Evangelii; *d)* ad offertorium, ad thurificanda oblata, altare, sacerdotem et populum; *e)* ad elevationem hostiae et calicis post consecrationem.

236. Sacerdos incensum in thuribulum imponit, illudque benedicit signo crucis, nihil dicens.

Incensatio altaris fit hoc modo: *a)* Si altare est a pariete seiunctum, sacerdos illud circumeundo incensat. *b)* Si altare non est a pariete seiunctum, sacerdos transeundo incensat primo partem dexteram, deinde partem sinistram altaris.

Crux si est super altare vel apud ipsum, thurificatur ante altare; si vero est post altare, sacerdos eam incensat cum transit ante ipsam.

De purificatione

237. Quoties aliquod fragmentum hostiae digitis adhaeserit, praecipue post fractionem vel fidelium Communionem, sacerdos digitos super patenam abstergeat vel pro necessitate abluat. Similiter fragmenta, si quae extra patenam sint, colligat.

238. Vasa sacra purificantur a sacerdote vel a diacono post Communionem vel post Missam, quantum fieri potest ad abacum. Purificatio calicis fit cum vino et aqua, vel cum aqua tantum, quae ab ipso sacerdote vel diacono sumitur. Patena de more purificatorio detergeatur.

239. Si hostia vel aliqua particula dilabatur, reverenter accipiatur; si quid vero Sanguinis fundatur, locus ubi cecidit aqua lavetur, et haec aqua postea in sacrarium mittatur.

De comunione sub utraque specie

240. Formam ratione signi pleniorem habet sacra Communio cum fit sub utraque specie. In ea enim forma signum eucharistici convivii perfectius elucet, et clarius exprimitur voluntas qua novum et aeternum testamentum in Sanguine Domini ratum habetur, necnon ratio inter convivium eucharisticum et convivium eschatologicum in regno Patris.[44]

241. Curent sacri pastores fidelibus, qui ritum participant vel ei intersunt, aptiore quo fieri potest modo doctrinam catholicam de forma sacrae Communionis in mentem revocare iuxta Concilium Tridentinum. In primis christifideles moneant fidem catholicam docere etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui unam speciem solam recipiant.[45]

Doceant insuper, Ecclesiam potestatem habere in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, statuendi vel mutandi quae ipsorum venerationi vel suscipientium utilitati pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaverit.[46] Simul tamen fideles moneantur ut sacrum ritum, quo signum eucharistici convivii plenius elucet, impensius participare velint.

242. De iudicio Episcopi, et debita catechesi praemissa, communio calicis permittitur in sequentibus casibus:[47]

1) neophytis adultis in Missa quae Baptismum subsequitur; confirmatis adultis in Missa suae Confirmationis; baptizatis qui in Ecclesiae communionem recipiuntur;

2) sponsis in Missa sui Matrimonii;

3) ordinatis in Missa suae Ordinationis;

4) abbatissae, in Missa suae benedictionis; virginibus, in Missa suae consecrationis; professis eorumque parentibus, propinquis et confratribus, in Missa primae, renovatae aut perpetuae religiosae professionis, dummodo vota intra Missam emittant aut renovent;

5) coadiutoribus missionariis laicis, in Missa qua modo publico mittuntur; necnon aliis, in Missa in qua missionem ecclesiasticam accipiunt;

6) in administratione Viatici, infirmo et omnibus astantibus, cum Missa ad normam iuris in domo infirmi celebratur;

7) diacono, subdiacono et ministris, officium suum implentibus in Missa cum cantu;

8) cum concelebratio fit: *a)* omnibus qui in eadem concelebratione vero ministerio liturgico funguntur, etiam laicis, necnon omnibus seminariorum alumnis qui ei intersunt; *b)* in suis autem ecclesiis vel oratoriis, etiam omnibus membris Institutorum consilia evangelica profitentium atque aliarum Societatum in quibus per religiosa vota aut oblationem aut promissionem Deo se devovent; praeterea omnibus qui in domo sodalium illorum Institutorum et Societatum die noctuque commorantur;

9) sacerdotibus, qui magnis celebrationibus intersunt et celebrare vel concelebrare non possunt;

10) omnibus qui exercitiis spiritualibus vacant, in Missa quae, inter haec exercitia, specialiter pro eiusmodi coetu actuose participante celebratur; iis omnibus qui participant conventum alicuius coetus pastoralis, in Missa quam in communi celebrant;

11) iis qui sub numeris 2 et 4 recensentur, in Missa suorum iubilaeorum;

12) patrino, matrinae, parentibus et coniugi necnon catechistis laicis baptizati adulti in Missa initiationis ipsius;

13) parentibus, familiaribus, necnon insignibus benefactoribus qui Missam sacerdotis novensilis participant;

14) sodalibus Communitatum, in Missa conventuali vel «Communitatis», ad normam n. 76 huius Institutionis.

243. Ad communionem sub utraque specie distribuendam, parentur:

a) Si Communio calicis fit cum calamo, calami argentei pro celebrante et pro singulis communicandis, atque vas cum aqua ad calamos purificandos, et patena in qua calami deponantur.

b) Si cum cochleari Sanguis administratur, unum cochlear.

c) Si Communio sub utraque specie per intinctionem distribuitur, cavendum est ne hostiae sint nimis tenues neque nimis parvae, sed paulum spissiores solito, ut, Sanguine partim intinctae, possint commode distribui.

[44] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 32: A. A. S. 59 (1967) p. 558. [LE 3562]. [45] Cf. Conc. Trid., Sess. XXI, Decr. de Communione eucharistica, c. 1-3: *Denz.* 929-932 (1725-1729). [46] Cf. *ibid.*, c. 2: *Denz.* 931 (1728). [47] S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 32: A. A. S. 59 (1967) pp. 558-559.

1. Ritus Communionis sub utraque specie quando Communionem suscipientes directo e calice bibunt.

244. Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens:

a) Celebrans sumit de more Corpus et Sanguinem Domini, cavens ut in calice satis Sanguinis remaneat pro Communionem suscepturis; et partem externam calicis purificatorio absterget.

b) Celebrans diacono calicem cum purificatorio tradit, ipse vero sumit patenam vel pyxidem cum hostiis; deinde celebrans et diaconus se sistunt ubi magis commode possint fidelibus Communionem praebere.

c) Singuli communicantes accedunt, debitam reverentiam faciunt, et stant coram celebrante. Celebrans hostiam elevando dicit: *Corpus Christi*, communicandus autem respondet: *Amen*, et a celebrante Corpus Christi accipit.

d) Communicandus deinde transit ad diaconum et stat coram eo. Diaconus dicit: *Sanguis Christi*, communicandus respondet: *Amen* et diaconus porrigit ei purificatorium et calicem, quem communicandus ipse, pro opportunitate, manibus suis ori admovet. Communicandus, tenens manu sinistra purificatorium sub ore, attendens ne quid Sanguinis defluat, paulum e calice bibit, et postea recedit; diaconus autem partem externam calicis purificatorio absterget.

e) Si alii adsunt sub una tantum specie Sacramentum suscepturi, diaconus, postquam omnes qui sub utraque specie communicandi erant e calice biberunt, calicem super altare deponit. Celebrans vero fideles communicat ac postea redit ad altare. Quod de Sanguine remansit ipse, vel diaconus, sumit et purificationes de more peragit.

245. Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens:

a) Celebrans sumit de more Corpus et Sanguinem Domini, cavens ut in calice satis Sanguinis pro Communionem suscepturis remaneat; et partem externam calicis purificatorio absterget.

b) Celebrans deinde se sistit ubi magis commode possit Communionem praebere et Corpus Domini distribuit, more consueto, singulis sub utraque specie communicandis, qui accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram celebrante, atque, Corpore Domini accepto, aliquantulum recedunt.

c) Postquam singuli Corpus Domini sumpserunt, celebrans pyxidem super altare deponit et calicem cum purificatorio accipit. Singuli calicem participaturi iterum ad celebrantem accedunt, et stant coram eo. Celebrans dicit: *Sanguis Christi*; communicandus respondet: *Amen*, et celebrans porrigit ei calicem cum purificatorio. Communicandus purificatorium tenens manu sinistra sub ore, attendens ne quid Sanguinis defluat, paulum e calice bibit et postea recedit. Celebrans partem externam calicis purificatorio absterget.

d) Communione calicis expleta, celebrans eum super altare deponit, et, si alii sunt sub una tantum specie communicandi, eos more consueto communicat, ac postea redit ad altare, quod de Sanguine remansit sumit et purificationes de more peragit.

2. Ritus Communionis sub utraque specie per intinctionem

246. Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens:

a) Celebrans huic tradit calicem cum purificatorio, ipse vero sumit patenam vel pyxidem cum hostiis; deinde celebrans cum diacono se sistit ubi magis commode possit Communionem praebere.

b) Singuli communicandi accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram celebrante tenentes patinam sub ore. Celebrans partem hostiae in calicem intingit et eam elevando dicit: *Corpus et Sanguis Christi*; communicandus autem respondet: *Amen*, et a celebrante Sacramentum recipit, ac postea recedit.

c) Communio aliorum qui sub una tantum specie Sacramentum suscipiunt, sumptio Sanguinis qui remansit et purificationes fiunt ut supra dictum est.

247. Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens:

a) Celebrans, postquam Sanguinem Domini sumpsit, accipit pyxidem vel patenam cum hostiis inter digitos indicem et medium manus sinistrae, et calicem inter pollicem et indicem eiusdem manus, et se sistit ubi magis commode possit Communionem praebere.

b) Singuli communicandi accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram celebrante, tenentes patinam sub ore. Celebrans partem hostiae in calicem intingit et eam elevando dicit: *Corpus et Sanguis Christi*; communicandus autem respondet: *Amen*, a celebrante Sacramentum recipit, et recedit.

c) Licet etiam parvam mensam tobalea et corporali ornatam apud infimum gradum altaris vel apud cancellos apponere, super qua celebrans calicem deponat, ad distributionem Communionis faciliorem reddendam.

d) Communio aliorum qui sub una tantum specie Sacramentum suscipiunt, sumptio Sanguinis qui remansit et purificationes fiunt ut supra dictum est.

3. Ritus Communionis sub utraque specie cum calamo

248. Etiam celebrans utitur calamo ad Sanguinem Domini sumendum.

249. Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens:

a) Ad communionem Corporis Domini distribuendam, omnia fiunt, ut supra n. 244 *b* et *c* dictum est.

b) Deinde communicandus accedit ad diaconum et stat coram eo. Diaconus dicit: *Sanguis Christi*; communicandus respondet: *Amen* et calamum a ministro accipit, in calicem immittit atque paulum Sanguinis sumit. Extrahit postea calamum, attendens ne quid Sanguinis defluat et mimittit in vas cum aqua, quod minister, apud diaconum stans, in manibus tenet, atque paulum aquae hauriens calamum purificat, et eum in vase ab ipso ministro porrecto deponit.

250. Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens, ipse celebrans calicem singulis communicandis offert, ordine supra, pro Communione calicis, descripto (n. 245), et minister apud eum tenet vas cum aqua ad calamum purificandum.

4. Ritus Communionis sub utraque specie cum cochleari

251. Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens, hic calicem manu sinistra sustentat et cochleari singulis communicandis, qui patinam sub ore tenent, Sanguinem Domini distribuit, dicens: *Sanguis Christi*, et attendens ne eorum labia aut linguam cochleari tangat.

252. Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens, ipse celebrans, postquam omnes sub utraque specie communicandi Corpus Domini receperunt, singulis etiam Sanguinem distribuit.

Cap. V—De ecclesiarum dispositione et ornatu ad Eucharistiam celebrandam

I. Principia generalia

253. Ad Eucharistiam celebrandam, populus Dei plerumque in ecclesiam congregatur vel, ea deficiente, in alium locum honestum qui sit tanto mysterio dignus. Ecclesiae igitur, aliave loca, ad sacram actionem exsequendam et ad fidelium actuosam participationem obtinendam apta sint. Aedes sacrae insuper et res ad cultum divinum pertinentes vere sint dignae, pulchrae, atque rerum supernarum signa et symbola.[48]

254. Proinde, Ecclesia nobile ministerium artium continenter quaerit, et omnium gentium atque regionum artis significationes admittit.[49] Immo, sicut studet artis opera atque thesauros a saeculis anteactis tradita servare[50] et, quatenus opus est, novis necessitatibus aptare, nova cuiusque aetatis indoli consona promovere contendit.[51]

Quapropter in instituendis artificibus necnon in seligendis operibus in ecclesiam admittendis, vera artis praestantia exquiratur, quae fidem et pietatem alat et cum veritate significationis et finis cui destinatur congruat.[52]

255. Praestat ecclesias sollemniter consecrari. Fideles autem ecclesiam cathedralem suae dioeceseos et suam ecclesiam debito honore prosequantur, et eas veluti signum spiritualis illius Ecclesiae habeant, ad quam aedificandam et dilatandam ex professione sua christiana destinantur.

256. Ad sacras aedes recte exstruendas, reficiendas atque disponendas, omnes quorum interest Commissionem dioecesanam de sacra Liturgia et de Arte sacra consulant. Ordinarius autem loci eiusdem Commissionis consilio et adiutorio utatur, quando agitur de normis in hac re tradendis, aut de novarum aedium adumbrationibus approbandis aut de quibusdam quaestionibus nonnullius momenti diiudicandis.[53]

II. De ecclesiae ordinatione ad sacram synaxim

257. Populus Dei, qui ad Missam congregatur, cohaerentem et hierarchicam habet ordinationem, quae diversis ministeriis diversaque actione pro singulis celebrationis partibus exprimitur. Generalis itaque dispositio aedis sacrae ea sit oportet quae coetus congregati imaginem quodammodo prae se ferat, atque congruam omnium ordinationem permittat necnon rectam muneris exsecutionem uniuscuiusque foveat.

Fideles atque schola cantorum locum obtinebunt, qui ipsorum actuosam participationem facillorem reddat.[54]

Sacerdos autem eiusque ministri locum capient in presbyterio, seu in ea parte ecclesiae, quae ipsorum munus hierarchicum ostendat, in quo quisque respective orationi praesideat, verbum Dei annuntiet et altari ministret.

Haec omnia, quamvis hierarchicam dispositionem et munerum diversitatem exprimere debeant, intimam tamen et cohaerentem unitatem efficiant, qua unitas totius plebis sanctae clare eluceat. Natura vero et pulchritudo loci universae que supellectilis pietatem foveant et sanctitatem mysteriorum quae celebrantur ostendant.

III. De presbyterio

258. Presbyterium ab aula ecclesiae opportune distinguatur aut per aliquam elevationem, aut per peculiarem structuram et ornatum. Talis autem amplitudinis sit, ut sacri ritus commode peragi possint.[55]

[48] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 122-124 [LE 3141]; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5 [LE 3365]; S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 90: A. A. S. 56 (1964) p. 897 [LE 3217]. Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: A. A. S. 59 (1967) p. 554 [LE 3562]. [49] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 123. [50] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: A. A. S. 59 (1967) p. 554. [51] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 123, 129; S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 13 *c*: A. A. S. 56 (1964) p. 880. [52] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 123. [53] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 126. [54] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, nn. 97-98: A. A. S. 56 (1964) p. 899. [55] Cf. *ibid.*, n. 91:

http://www.obrascatolicas.com

IV. De altari

259. Altare, in quo sacrificium crucis sub signis sacramentalibus praesens efficitur, est etiam mensa Domini, ad quam participandam in Missa populus Dei convocatur; atque centrum gratiarum actionis, quae per Eucharistiam perficitur.[74]

260. Celebratio Eucharistiae, in loco sacro, peragenda est super altare sive fixum sive mobile; extra locum sacrum vero, praesertim si ad modum actus fiat, etiam super mensam convenientem, peragi potest, retentis semper tobalea et corporali.

261. Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohaereat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit.

262. Altare malus exstruatur a pariete seiunctum, ut facile circumiri et in eo celebratio versus populum peragi possit. Eum autem occupet locum, ut revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur.[75]

Altare malus de more sit fixum et consecratum.

263. Iuxta traditum Ecclesiae morem et significationem, mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex lapide naturali. Attamen etiam alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio Conferentiae Episcopalis, adhiberi potest.

Stipites vero aut basis ad mensam sustentandam ex quolibet materia, dummodo sit digna et solida, confici possunt.

264. Altare mobile ex quibuslibet materiis nobilibus et solidis, atque usui liturgico, iuxta diversarum regionum traditiones et mores, convenientibus, exstrui potest.

265. Altaria tum fixa tum mobilia iuxta ritum Pontificalis Romani consecrantur; altaria tamen mobilia benedici tantum possunt. Nulla vero fit obligatio habendi petram consecratam in altari mobili aut in mensa, supra quam extra locum sacrum celebratio peragatur (*cf.* n. 260).

266. Usus includendi in altari consecrando, vel deponendi sub altari, reliquias Sanctorum, etsi non Martyrum, opportune servetur. Caveatur tamen ut de huiusmodi reliquiarum veritate certo constet.

267. Altaria minora numero sint pauciora et, in novis ecclesiis, in sacellis ab ecclesiae aula aliquomodo seiunctis collocentur.[76]

V. De ornatu altaris

268. Ob reverentiam erga celebrationem memorialis Domini et erga convivium in quo Corpus et Sanguis Domini praebentur, super altare saltem una tobalea ponatur, quae ad formam, mensuram et ornatum quod attinet cum ipsius altaris structura conveniat.

269. Candelabra, quae pro singulis actionibus liturgicis, venerationis et festivae celebrationis causa, requiruntur, aut super altare, aut circa ipsum, attenta structura tum altaris tum presbyterii, opportune collocentur, ita ut totum concinne componatur, neque fideles impediantur ab iis facile conspiciendis, quae super altare aguntur vel deponuntur.

270. Item super altare vel prope ipsum crux habeatur, quae a coetu congregato bene conspiciatur.

VI. De sede pro celebrante et ministris, seu de loco praesidentiae

271. Sedes celebrantis debet munus eius praesidendi coetui atque orationem dirigendi significare. Proinde locus eius magis congruus est versus ad populum in vertice presbyterii, nisi aedis structura vel alia adiuncta id impediant, ex. gr. si propter nimiam distantiam communicatio inter sacerdotem et coetum fidelium difficilis evadat. Omnis species throni vitetur. Sedes autem pro ministris loco magis apto in presbyterio collocentur, ut ipsi munus sibi concreditum facile implere possint."

VII. De ambone, seu de loco e quo verbum Dei annuntiatur

272. Dignitas verbi Dei requirit ut in ecclesia locus congruus exsistat e quo annuntietur, et ad quem, inter liturgiam verbi, attentio fidelium sponte convertatur."

Convenit ut generatim locus huiusmodi sit ambo stabilis et non simplex pluteus mobilis. Ambo, pro cuiusque ecclesiae structura, ita dispositus esse debet, ut ministri a fidelibus bene conspici et audiri possint.

Ex ambone proferuntur lectiones, psalmus responsorius atque praeconium paschale; item proferri possunt homilia et oratio universalis seu oratio fidelium.

Minus vero congruit ad ambonem ascendere commentatorem, cantorem aut moderatorem chori.

VIII. De locis fidelium

273. Loca fidelium congrua cura disponantur, ut ipsi oculis et animo sacras celebrationes debite participare possint. Expedit ut de more scamna seu sedilia ad eorum usum ponantur. Consuetudo tamen personis quibusdam privatis sedes reservandi reprobanda est." Sedilia autem seu scamna ita disponantur, ut fideles corporis habitus a diversis celebrationis partibus requisitos facile sumere possint et expedite ad sacram Communionem recipiendam accedere valeant.

Caveatur ut fideles sive sacerdotem sive alios ministros non tantum videre, sed etiam, hodiernis instrumentis technicis adhibitis, commode audire valeant.

IX. De loco scholae et organi vel aliorum instrumentorum musicorum

274. Schola cantorum, attenta cuiusque ecclesiae dispositione, ita collocetur, ut clare appareat eius natura, eam nempe fidelium communitatis congregatae partem esse, et peculiare munus agere; eius ministerii liturgici exsecutio facilior evadat; singulis eius sodalibus plena in Missa participatio, idest participatio sacramentalis, commode permittatur."

275. Organum autem aliaque instrumenta musica legitime probata apto loco collocentur, ut tum scholae tum populo cantanti subsidio esse possint, atque, si sola pulsentur, commode ab omnibus audiri queant.

X. De sanctissima Eucharistia asservanda

276. Illud valde commendandum est, locum sanctissimae Eucharistiae asservandae exstare in sacello ad privatam fidelium adorationem et precationem idoneo.[83] Quod si hoc fieri non potest, pro cuiusque ecclesiae structura et iuxta legitimas locorum consuetudines, Sacramentum ponatur aut in aliquo altari aut extra altare in parte ecclesiae pernobili et rite ornata."

277. Sanctissima Eucharistia asservetur in unico tabernaculo solido atque inviolabili. Quare, de more, in singulis ecclesiis, unicum tabernaculum habeatur."

XI. De imaginibus fidelium venerationi propositis

278. Domini, B. Mariae Virginis et Sanctorum imagines, iuxta antiquissimam Ecclesiae traditionem, in aedibus sacris fidelium venerationi legitime proponuntur. Caveatur tamen, hinc ne eorum numerus nimis augeatur, hinc ut earum dispositivo debito ordine fiat, ne fidelium attentionem ab ipsa celebratione avocent.[84] Unius autem eiusdemque Sancti plus quam una imago ne habeatur. Generatim in ornamento et dispositione ecclesiae pietati totius communitatis prospiciatur.

XII. De generali loci sacri dispositione

279. Ornatus ecclesiae ad nobilem ipsius simplicitatem conferat, potius quam ad pompam. In elementis autem seligendis quae ad ornatum pertinent, rerum veritas curetur, atque eo contendatur, ut ad fidelium institutionem conferat et ad dignitatem totius loci sacri.

280. Apta ecclesiae eiusque adiunctorum dispositio, quae necessitatibus nostrae aetatis opportune respondeat, requirit ut non ea solummodo curentur quae ad sacras actiones celebrandas directius pertineant, sed ut ea quoque praevideantur, quae ad fidelium convenientem commoditatem tendunt, quaeque in locis ubi coetus congregantur habitualiter praevideri solent.

Cap. VI—De iis quae ad Missae celebrationem requiruntur

I. De pane et vino ad Eucharistiam celebrandam

281. Exemplum Christi secuta, Ecclesia panem et vinum cum aqua ad celebrandum dominicum convivium semper adhibuit.

282. Panis ad Eucharistiam celebrandam debet esse triticeus, iuxta traditionem totius Ecclesiae, et azymus iuxta traditionem Ecclesiae latinae.

283. Ratio signi postulat ut materia celebrationis eucharisticae revera ut cibus appareat. Expedit ergo ut panis eucharisticus, quamvis azymus et forma tradita confectus, tali modo efficiatur, ut sacerdos in Missa cum populo celebrata revera hostiam frangere possit in diversas partes, easque saltem aliquibus fidelibus distribuere. Parvae tamem hostiae minime excluduntur, quando numerus sacram Communionem sumentium aliaeque rationes pastorales id exigunt. Gestus autem fractionis panis, quo simpliciter Eucharistia designabatur tempore apostolico, apertius manifestabit vim et momentum signi unitatis omnium in uno pane, et caritatis ex eo quod unus panis inter fratres distribuitur.

284. Vinum pro celebratione eucharistica debet esse ex genimine vitis (cf. Lc 22, 18), naturale et merum, idest extraneis substantiis non admixtum.

285. Sedula cura caveatur ut panis et vinum ad Eucharistiam destinata perfecto statu conserventur, id est, caveatur ne vinum acescat, neve panis corrumpatur vel nimis durus fiat, ita ut difficulter frangi possit.

[74] A. A. S. 56 (1964) p. 898. [75] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: A. A. S. 59 (1967) p. 554. [76] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 91: A. A. S. 56 (1964) p. 898. [77] Cf. *ibid.*, n. 93: A. A. S. 56 (1964) p. 898. [78] *Ibid.*, n. 92: A. A. S. 56 (1964) p. 898. [79] Cf. *ibid.*, n. 96: A. A. S. 56 (1964) p. 899. [80] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 32; S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 98: A. A. S. 56 (1964) p. 899. [81] S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 23: A. A. S. 59 (1967) p. 307. [82] S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 53: A. A. S. 59 (1967) p. 568. [83] Cf. *ibid.*, n. 54: A. A. S. 59 (1967) p. 568; Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 95: A. A. S. 56 (1964) p. 898. [84] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 52: A. A. S. 59 (1967) p. 568; Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 95: A. A. S. 56 (1964) p. 898; S. Congr. de Sacramentis, Instructio *Nullo umquam tempore*, 28 maii 1938, n. 4: A. A. S. 30 (1968) pp. 199-200 [LE 1433]. [85] Cfr. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 125.

286. Si post consecrationem aut cum Communionem sumit, sacerdos animadvertat vinum non fuisse infusum, sed aquam, deposita aqua in aliquo vase, vinum cum aqua infundat in calicem, illud consecret, partem narrationis dicens quae ad consecrationem calicis pertinet, quin tamen teneatur iterum panem consecrare.

II. De sacra supellectile in genere

287. Sicut pro ecclesiis aedificandis, ita et pro sacra supellectile universa, Ecclesia genus artis cuiusque regionis admittit, et eas aptationes recipit, quae cum singularum gentium ingenio et traditionibus congruat, dummodo omnia usui ad quem ipsa sacra supellex destinatur apte respondeant.[85] Etiam in hac parte sedulo curetur nobilis illa simplicitas, quae cum arte vera optime copulatur.

288. In seligendis materiis pro sacra supellectile, praeter eas quae usu traditae sunt, eae quoque admitti possunt quae, iuxta mentem nostrae aetatis, nobiles aestimantur, durabiles sunt et usui sacro bene accommodantur. Qua de re iudex erit Conferentia Episcopalis pro singulis regionibus.

III. De vasis sacris

289. Inter ea quae ad Missam celebrandam requiruntur, speciali honore habentur vasa sacra, et inter haec calix et patena, quibus vinum et panis offeruntur, consecrantur et sumuntur.

290. Vasa sacra ex materiis solidis et, secundum communem aestimationem cuiusque regionis, nobilibus conficiantur. De qua re iudicabit Conferentia Episcopalis. Praeferantur tamen materiae quae facile non frangantur neque corrumpantur.

291. Calices aliaque vasa, quae ad recipiendum Sanguinem Domini destinata sunt, cuppam habeant ex tali materia confectam, quae liquida non absorbeat. Pes vero ex aliis materiis solidis et dignis confici potest.

292. Vasa sacra, ad hostias recipiendas destinata, uti patena, pyxis, theca, ostensorium et alia huiusmodi, etiam ex aliis materiis, in qualibet regione magis aestimatis, ex. gr. ebure aut aliquibus lignis duriboribus, confici possunt, dummodo usui sacro aptae sint.

293. Ad hostias consecrandas unica patena amplior convenienter adhiberi potest, in qua ponatur panis tum pro celebrante tum pro ministris et fidelibus.

294. Vasa sacra ex metallo confecta interius plerumque inaurentur, si ex metallo confiata sint quod robiginem producat; si vero sint ex metallo robigine immuni et auro nobiliore confiata, inauratura non est necessaria.

295. Ad formam vasorum sacrorum quod attinet, artifici est ea opportuniore modo conficere, qui moribus respondeat singularum regionum, dummodo ad usum liturgicum, ad quem destinantur, singula vasa sint apta.

296. Quoad vasorum sacrorum benedictionem vel consecrationem, serventur ritus in libris liturgicis praescripti.

IV. De sacris vestibus

297. In Ecclesia, quae est Corpus Christi, non omnia membra eodem munere funguntur. Haec diversitas ministeriorum in cultu sacro peragendo exterius manifestatur diversitate sacrarum vestium, quae proinde signum exstare debent muneris cuique ministro proprii. Eaedem tamen sacrae vestes ad decorem quoque ipsius actionis sacrae conferant oportet.

298. Vestis sacra omnibus ministris cuiusvis gradus communis est alba, circa lumbos cingulo astringenda, nisi tali modo confecta sit, ut corpori adhaereat etiam sine cingulo. Antequam vero alba assumatur, si haec habitum communem circa collum perfecte non cooperit, amictus adhibeatur. Alba cum superpelliceo commutari potest; non tamen quando planeta, dalmatica vel tunica induendae sunt, aut quando stola adhibetur loco planetae vel dalmaticae.

299. Sacerdotis celebrantis vestis propria, in Missa aliisque sacris actionibus quae cum Missa directo conectuntur, est planeta seu casula, nisi aliud caveatur, super albam et stolam induenda.

300. Diaconi vestis propria est dalmatica, super albam et stolam induenda.

301. Subdiaconus tunicam defert, quae super albam indultur.

302. Stola defertur a sacerdote circa collum et ante pectus pendens; a diacono vero ab humero sinistro per transversum super pectus ducitur ad partem dexteram corporis, ibique retinetur.

303. Pluviale, seu cappa pluvialis, assumitur a sacerdote in processionibus aliisque actionibus sacris, iuxta rubricas proprias singulorum rituum.

304. Ad formam sacrarum vestium quod attinet, Conferentiae Episcopales possunt definire et proponere Apostolicae Sedi aptationes, quae necessitatibus et moribus singularum regionum respondeant."

305. Ad sacras vestes conficiendas, praeter traditas materias, fibrae naturales cuiusque loci propriae adhiberi possunt, necnon aliquae fibrae artificiales, quae respondeant dignitati actionis sacrae et personae. De qua re iudicabit Conferentia Episcopalis."

306. Decet pulchritudinem et nobilitatem cuiusque vestis non ex abundantia ornamentorum quae superadduntur exquiri, sed e materia quae adhibeatur et a forma. Ornamenta autem figuras seu imagines vel symbola praebeant, quae usum sacrum indicent, remotis iis quae usum sacrum dedeceant.

307. Diversitas colorum in sacris vestibus eo contendit, ut hinc proprietas mysteriorum fidei celebrandorum, hinc sensus progredientis vitae christianae, decursu anni liturgici efficacius etiam exterius exprimatur.

308. Ad colorem sacrarum vestium quod attinet, servetur usus traditus, nempe:

a) Color albus adhibetur in Officiis et Missis temporis paschalis et Nativitatis Domini; insuper in festis et memoriis Domini, quae non sint de eius Passione, in festis et memoriis beatae Mariae Virginis, SS. Angelorum, Sanctorum non Martyrum, in festo Omnium Sanctorum (1 nov.), S. Ioannis Baptistae (24 iunii), S. Ioannis Evangelistae (27 dec.), Cathedrae S. Petri (22 febr.) et Conversionis S. Pauli (25 ian.).

b) Color ruber adhibetur in dominica Passionis et feria VI Hebdomadae sanctae, in dominica Pentecostes, in celebrationibus Passionis Domini, in festis nataliciis Apostolorum et Evangelistarum et in celebrationibus Sanctorum Martyrum.

c) Color viridis adhibetur in Officiis et Missis temporis «per annum».

d) Color violaceus adhibetur tempore Adventus et Quadragesimae. Assumi potest etiam in Officiis et Missis defunctorum.

e) Color niger adhiberi potest in Missis defunctorum.

f) Color rosaceus adhiberi potest in dominicis *Gaudete* (III Adventus) et *Laetare* (IV in Quadragesima).

Conferentiae tamen Episcopales possunt definire et proponere Apostolicae Sedi aptationes, quae necessitatibus et ingenio populorum respondeant.

309. Diebus sollemnioribus adhiberi possunt sacrae vestes nobiliores, etsi non sint coloris diei.

310. Missae votivae dicuntur cum colore convenienti Missae quae celebratur aut etiam cum colore diei vel temporis proprio; Missae autem ad diversa cum colore proprio vel diei vel temporis.

V. De aliis rebus ad usum ecclesiae destinatis

311. Praeter vasa sacra aut vestes sacras, pro quibus aliqua peculiaris materia statuitur, alia supellex, quae aut ipsi usui liturgico destinatur aut quolibet alio modo in ecclesiam admittitur, digna sit atque respondens fini cui unaquaeque res destinatur.

312. Sedulo contendatur ut etiam in rebus minoris momenti artis postulata opportune serventur, et nobilis semper simplicitas cum munditie societur.

Cap. VII—De Missa eiusque partibus eligendis

313. Efficacitas pastoralis celebrationis profecto augebitur, si textus lectionum, orationum et cantuum necessitatibus et praeparationi animi et ingenio participantium apte, quantum fieri potest, respondebunt. Quod obtinetur congrue adhibita multiplici facultate electionis, quae infra describitur.

Sacerdos proinde, in ordinanda Missa, ad commune bonum spirituale coetus, potius quam ad suum ingenium attendet. Memor sit insuper huiusmodi electionem partium concordi ratione esse faciendam cum ministris aliisque partem aliquam in celebratione exercentibus, fidelibus minime exclusis, in iis quae ad ipsos magis directo spectant.

Cum vero multiplex afferatur facultas seligendi diversas Missae partes, necesse est ut ante celebrationem diaconus, lectores, psalmista, cantor, commentator, schola, unusquisque pro sua parte, probe sciant quinam textus ad se spectans adhibeatur, nihilque ex tempore quadommodo eveniat. Harmonica enim ordinatio et exsecutio rituum multum confert ad componendos fidelium animos ad Eucharistiam participandam.

314. In sollemnitatibus, sacerdos sequi tenetur calendarium ecclesiae in qua celebrat.

315. In dominicis, in feriis Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, in festis et memoriis obligatoriis:

a) si Missa celebratur cum populo, sacerdos sequatur calendarium ecclesiae in qua celebrat;

b) si Missa celebratur sine populo, sacerdos eligere potest aut calendarium ecclesiae aut calendarium proprium.

316. In memoriis ad libitum:

a) In feriis Adventus a die 17 ad 24 decembris, infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimae, exceptis feriis IV Cinerum et Hebdomadae sanctae, sacerdos dicit Missam de die liturgico occurrente; de memoria autem in calendario generali eo die forte inscripta sumere potest collectam, dummodo non occurrat feria IV Cinerum aut feria Hebdomadae sanctae.

b) In feriis Adventus ante diem 17 decembris, in feriis temporis Nativitatis et Paschae, sacerdos eligere potest aut Missam de feria, aut Missam de Sancto, vel de uno e Sanctis quorum fiat memoria, aut Missam de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto.

c) In feriis per annum, sacerdos eligere potest aut Missam de feria, aut Missam de memoria ad libitum forte occurrente, aut Missam de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto, aut Missam ad diversa vel votivam.

Si celebrat cum populo, sacerdos imprimis bono spirituali fidelium studebit, et cavebit ne iis suam propensionem imponat. Curabit praecipue ne frequentius et sine sufficienti causa lectiones omittat singulis diebus in lectionario feriali

[85] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 128; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967 n. 24: A. A. S. 59 (1967) p. 554. [86] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 128. [87] Cf. *ibid.*

http://www.obrascatolicas.com

assignatas: Ecclesia enim cupit ut ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus."

Ob eandem causam moderate sumet Missas defunctorum: quaelibet enim Missa tam pro vivis quam pro defunctis offertur, et in omni Prece eucharistica memoria defunctorum habetur.

Ubi autem fidelibus cordi sunt memoriae ad libitum beatae Mariae Virginis vel Sanctorum, una saltem Missa de his celebretur, ut satisfiat legitimae eorum pietati.

Cum vero facultas datur eligendi inter memoriam calendario generali inscriptam et memoriam calendario dioecesano aut religioso insertam, praeoptetur, ceteris paribus et iuxta traditionem, memoria particularis.

II. De Missae partibus eligendis

317. In seligendis textibus diversarum partium Missae tum de Tempore tum de Sanctis, serventur normae quae sequuntur.

De lectionibus

318. Diebus dominicis et festivis assignantur tres lectiones, sc. Prophetae, Apostoli et Evangelii, quibus populus christianus ad perennitatem operis salutis, secundum mirabilem disciplinam divinam, educatur.

Valde ergo optandum est ut tres lectiones revera fiant; attamen, propter rationes ordinis pastoralis et ex decreto Conferentiae Episcopalis, alicubi permittitur usus duarum tantum lectionum. Quando tamen electio facienda est inter duas priores lectiones, normae prae oculis habeantur in lectionario propositae, necnon consilium ducendi fideles ad altiorem cognitionem Scripturarum; minime vero attendendum erit tantummodo ad electionem textus brevioris aut facilioris.

319. In lectionario feriali, lectiones proponuntur pro singulis diebus cuiusque hebdomadae per universum cursum anni: proinde hae lectiones plerumque sumentur, diebus quibus sunt assignatae, nisi occurrat sollemnitas vel festum.

Si tamen aliquando lectio continua in hebdomada intermittitur ob aliquod festum vel aliquam peculiarem celebrationem, sacerdoti licebit, prae oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadae, aut partes omittendas una cum aliis componere aut statuere quinam textus aliis praeferendi sint.

In Missis pro peculiaribus coetibus, sacerdoti licebit textus peculiari celebrationi aptiores eligere, dummodo ex approbati lectionarii textibus seligantur.

320. Peculiaris insuper selectio textuum sacrae Scripturae datur pro Missis, in quas aliqua Sacramenta vel Sacramentalia inserantur, aut quae pro quibusdam specialibus rerum adiunctis celebrantur.

Huiusmodi lectionaria ideo statuta sunt, ut per aptiorem verbi Dei auditionem fideles ad mysterium quod participant plenius percipiendum ducantur, et ad incensiorem amorem verbi Dei instituantur.

Textus proinde, qui in coetu liturgico proferuntur, determinandi sunt prae oculis habitis tum congrua ratione pastorali tum eligendi facultate in hac re facta.

De orationibus

321. Plurimae praefationes, quibus Missale Romanum ditatur, eo spectant ut argumentum gratiarum actionis in Prece eucharistica variis modis explicetur, et variae rationes mysterii salutis pleniore luce proponantur.

322. Electio inter Preces eucharisticas his normis opportune regitur:

a) Prex eucharistica prima, seu Canon Romanus, qui semper adhiberi potest, opportunius dicitur diebus quibus assignantur *Communicantes* propria, aut in Missis quae *Hanc igitur* propriis ditantur, necnon in festis Apostolorum et Sanctorum, quorum mentio fit in ipsa Prece; itemque diebus dominicis, nisi, ob rationes pastorales, praeferatur alia Prex eucharistica.

b) Prex eucharistica secunda, ob peculiares ipsius notas, opportunius sumitur diebus infra hebdomadam, vel in peculiaribus rerum adiunctis.

Quamvis praefatione propria instructa sit, adhiberi potest etiam cum aliis praefationibus, cum iis praesertim quae mysterium salutis compendiose repraesentant, v. gr. cum praefationibus de dominicis per annum aut cum praefationibus communibus.

Quando Missa pro aliquo defuncto celebratur, adhiberi potest peculiaris formula, suo loco, nempe ante *Meménto étiam* proposita.

c) Prex eucharistica tertia cum qualibet praefatione dici potest. Eius usus praeferatur diebus dominicis et festis.

In hac Prece adhiberi potest peculiaris formula pro defuncto, suo loco inserenda, nempe post verba: *Omnes filios tuos ubique dispérsos, tibi, clemens Pater, miserátus contánge.*

d) Prex eucharistica quarta praefationem immutabilem habet et summarium plenius historiae salutis praebet. Adhiberi potest quando Missa praefatione propria caret, et opportunius dicitur in coetu fidelium, qui cognitione altiore sacrae Scripturae pollent.

In hanc Precem, ratione structurae, inseri nequit peculiaris formula pro defuncto.

e) Prex eucharistica praefatione propria instructa adhiberi potest, eadem praefatione retenta, etiam quando in Missa sumenda est praefatio de tempore.

323. In qualibet Missa, nisi aliter notetur, dicuntur orationes ipsi Missae propriae.

[**] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 51.

In Missis tamen de memoriis, dicitur collecta vel propria vel de Communi; orationes vero super oblata et post Communionem, nisi sint propriae, sumi possunt aut e Communi aut e feriis temporis currentis.

In feriis autem per annum, praeter orationes dominicae praecedentis, sumi possunt vel orationes alius dominicae per annum, vel una ex orationibus ad diversa, quae in missali recensentur. Semper tamen licebit ex iisdem Missis etiam solam collectam adhibere.

Hoc modo amplior copia praebetur textuum, quibus non tantum facultas fit renovandi continue argumenta precationis coetus liturgici, sed etiam eandem precationem opportune aptandi necessitatibus fidelium, Ecclesiae et mundi. In potioribus tamen anni temporibus, haec accommodatio iam fit per orationes iisdem temporibus proprias, in missali, pro singulis feriis, exstantes.

De cantibus

324. In eligendis cantibus inter lectiones occurrentibus, necnon cantibus ad introitum, ad offertorium et ad communionem, normae serventur, quae suis locis statuuntur.

De peculiaribus facultatibus

325. Praeter facultates eligendi quosdam textus aptiores, de quibus in numeris praecedentibus, facultas fit Conferentiis Episcopalibus, in peculiaribus adiunctis, aliquas aptationes indicandi ad lectiones quod attinet, ea tamen lege, ut textus seligantur e lectionario rite approbato.

Cap. VIII—De Missis et orationibus ad diversa et votivis, et de Missis defunctorum

I. De Missis et orationibus ad diversa et votivis

326. Quoniam liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere eventus vitae sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali," et quoniam Eucharistia est sacramentum sacramentorum, missale suppeditat exempla Missarum et orationum, quae in diversis occasionibus vitae christianae adhiberi possunt pro necessitatibus totius mundi aut Ecclesiae universae vel localis.

327. Perspecta ampliore facultate eligendi lectiones et orationes, expedit ut Missae ad diversa moderate, idest quando opportunitas id exigit, adhibeantur.

328. In omnibus Missis ad diversa, nisi aliter expresse caveatur, licet adhibere lectiones feriales, necnon cantus inter ipsas occurrentes, si cum celebratione conveniant.

329. Missae ad diversa triplicis sunt generis: *a)* Missae rituales, quae cum celebratione quorundam Sacramentorum vel Sacramentalium conectuntur. *b)* Missae pro variis necessitatibus, quae assumuntur quibusdam in rerum adiunctis, sive interdum sive statis temporibus occurrentibus. *c)* Missae votivae, pro fidelium pietate libere eligendae, de mysteriis Domini aut in honorem B. Mariae Virginis et Sanctorum.

330. Missae rituales prohibentur in dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae, in sollemnitatibus et in feriis IV Cinerum et Hebdomadae sanctae, servatis insuper normis quae in libris ritualibus vel in ipsis Missis exponuntur.

331. E Missis pro variis necessitatibus, ab auctoritate competenti seligi possunt Missae pro supplicationibus, quae decursu anni a Conferentia Episcopali statuentur.

332. Occurrente aliqua graviore necessitate vel utilitate pastorali, Missa ipsis conveniens celebrari potest, de mandato vel licentia Ordinarii loci, omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus, dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae, et feriis IV Cinerum et Hebdomadae sanctae.

333. Diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria Adventus, Nativitatis et Paschae, in quibus Missae votivae prohibentur, si qua vera necessitas vel utilitas pastoralis id postulet, in celebratione cum populo adhiberi possunt Missae huic necessitati vel utilitati respondentes, de iudicio rectoris ecclesiae vel ipsius sacerdotis celebrantis.

334. In feriis per annum in quibus occurrunt memoriae ad libitum vel fit Officium de feria, licet celebrare quamlibet Missam vel adhibere quamlibet orationem ad diversa, exceptis tamen Missis ritualibus.

II. De Missis defunctorum

335. Sacrificium eucharisticum Paschatis Christi pro defunctis offert Ecclesia ut, inter se communicantibus omnibus Christi membris, quae aliis impetrent spiritualem opem, aliis afferant spei solacium.

336. Inter Missas defunctorum primum locum tenet Missa exsequialis, quae celebrari potest omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus de praecepto et dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae.

337. Missa defunctorum post acceptum mortis nuntium, vel in ultima sepultura defuncti, vel in primo anniversario die, celebrari potest etiam diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria quae non sit IV Cinerum aut Hebdomadae sanctae.

Aliae Missae defunctorum, seu Missae «otidianae» iisdem diebus celebrari possunt, quibus permittuntur Missae votivae, dummodo pro defunctis revera applicentur.

338. In Missis exsequialibus habeatur de more brevis homilia, secluso tamen quovis genere laudationis funebris. Homilia etiam in ceteris Missis defunctorum cum populo suadetur.

339. Incitentur fideles, praesertim e familia defuncti, ut per sacram Communionem sacrificium eucharisticum pro defuncto oblatum participent.

340. Si Missa exsequialis directo conectitur cum ritu exsequiarum, dicta oratione post Commissionem, et omisso ritu conclusionis, fit ritus ultimae commendationis seu valedictionis; qui ritus nonnisi praesente cadavere celebratur.

341. In ordinandis ac seligendis iis partibus Missae pro defunctis, praesertim Missae exsequialis, quae variari possunt (e. gr. orationibus, lectionibus, oratione universali), prae oculis habeantur, ut par est, rationes pastorales, quoad defunctum, eius familiam, et astantes.

Specialem insuper rationem habeant pastores de iis qui, per occasionem exsequiarum, liturgicis celebrationibus adsunt vel Evangelium audiunt, sive sunt acatholici sive catholici qui Eucharistiam numquam vel vix umquam participant, vel fidem etiam amisisse videntur: sunt enim sacerdotes ministri Evangelii Christi pro omnibus.

Adn. H. ASHWORTH in EL 85 (1971) 3-15; M. AUGE in EL 84 (1970) 278-298; C. BRAGA in EL 84 (1970) 249-274, 401-431; L. BRADOLINI in EL 84 (1970) 342-350; A. DUMAS in EL 85 (1971) 18-23 et in Notit. 6 (1970) 194-213; W. FERRETTI in EL 84 (1970) 323-341; A. FRANQUESA in Notit. 6 (1970) 213-221; G. PASQUALETTI - S. BIANCHI in Notit. 6 (1970) 177-193; A. PISTOIA in EL 84 (1970) 241-248, 432-446 V. RAFFA in EL 84 (1970) 299-322.

3841

1970 MAR 31.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 62 (1970) 257-263

Normae de matrimoniis mixtis statuuntur

PAULUS PP. VI

Matrimonia mixta, id est matrimonia inita a parte catholica cum parte non catholica sive baptizata sive non baptizata, Ecclesia pro suo munere magna semper sollicitudine prosecuta est. Quam quidem sollicitudinem ipsa instantius hodie praestare urgetur ob peculiares huius aetatis condiciones. Cum enim superiore tempore catholici ab asseclis aliarum confessionum christianarum atque a non christianis loco quoque et finibus essent seiuncti, recentioribus tamen his temporibus non solum eiusmodi separatio est valde imminuta, sed etiam commercium inter homines variarum regionum religionumque magnopere increbruit; quo factum est, ut mixta coniugia valde multiplicarentur. Ad hoc etiam vim habuerunt incrementum atque propagatio humanae civilisque culturae et quaestuosae industriae, densatus urbium incolatus cum vitae rusticae detrimento, commigrationes et amplificatus omne genus exsulum numerus.

Novit quidem Ecclesia matrimonia mixta, quippe quae et religionis diversitatem et christianorum divisionem consequantur, unitati omnium christianorum redintegrandae, quibusdam exceptis casibus, non prodesse. Plurimae enim difficultates ipsi matrimonio mixto insitae sunt, cum di-
258 vis/o quaedam in cellulam viventem Ecclesiae, uti familia chri/stiana merito dicitur, inferatur, et in ipsa familia evangelicorum praeceptorum obtemperatio magis ardua reddatur ob rerum religiosarum diversitatem, imprimis quod attinet ad Ecclesiae cultus participationem prolisque educationem.

Has ob causas Ecclesia, sui officii conscia, dissuadet matrimonia contrahi mixta, quia valde exoptat, ut catholici in coniugio perfectam animorum concordiam atque plenam vitae communionem assequi possint. Quoniam vero ius est homini a natura datum, inire matrimonium prolemque procreare, Ecclesia suis legibus, quae sollicitudinem eius pastoralem plane ostendunt, ita res curat disponendas, ut hinc iuris divini praescripta religiose serventur, illinc autem praedictum ius matrimonii contrahendi in tuto collocetur.

Vigilanter profecto ipsa respicit sive iuvenum institutionem eorumque habilitatem ad onera cum officii conscientia suscipienda et ad munera sua in Ecclesia obeunda, sive praeparationem nupturientium, qui matrimonium mixtum inire intendunt, sive curam iis adhibendam, qui mixtum matrimonium iam contraxerunt. Et quamquam in hominibus baptizatis variae fidei professionis minus metuendum est, ne circa religionem fiant indifferentes, nihilominus id facilius praecaveri poterit, si, quamvis mixto matrimonio coniuncti, ambo coniuges indolem christianam maritalis societatis exploratam habeant, et si ecclesiasticae auctoritates, ad quas pertinet, iis congrua ratione auxilientur. Ipsae etiam difficultates, quae inter coniugem catholicum et non baptizatum forte coortae sint, vigilantia et sollertia pastorali queunt evinci.

Ecclesia aequam non habet rationem, neque in doctrina neque in legibus, matrimonii a coniuge catholico cum non catholico homine baptizato initi, et matrimonii, quo conlux catholicus sibi iunxit hominem non baptizatum. Nam, ut Concilium Vaticanum II declaravit, il qui, etsi non catholici, *in Christum credunt et baptismum rite receperunt, in quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur* [1]. Fideles autem orientales, extra Ecclesiam catholicam sacro fonte abluti, quamquam a nostra communione seiuncti, vera sacramenta in propriis Ecclesiis possident, praecipue Sacerdotium et Eucharistiam, per quae arctissima necessitudine nobiscum coniunguntur [2]. Viget nimi/rum in coniugio inter baptizatos —quod verum 259
est sacramentum— quaedam spiritualium bonorum communio, quae in matrimonio deest, a coniugibus inito, quorum alter est baptizatus, alter expers baptismi.

Nihilominus non sunt praetereundae difficultates, quae in ipsis matrimoniis mixtis inter baptizatos insunt. Saepe enim differunt inter se opiniones de sacramentali natura matrimonii, de significatione propria connubii in Ecclesia celebrati, de interpretatione quorundam principiorum moralium ad matrimonium et familiam pertinentium, de finibus, quibus oboedientia Ecclesiae catholicae debita continetur, de provincia, quae auctoritati ecclesiasticae competat. Ex quibus liquet solum in redintegrata christianorum unitate huiusmodi difficiles quaestiones plane posse expediri.

Edoceantur ergo fideles Ecclesiam, quamvis in particularibus casibus vinculum ecclesiasticae disciplinae aliquantum relaxet, numquam tamen posse partis catholicae obligationem auferre, quae lege divina, ipso videlicet ordine salutis per Christum instituto, pro variis casuum adiunctis imponitur.

Ideo fideles commoneantur officium esse penes catholicum coniugem propriae fidei conservandae, ac propterea ipsi numquam licere proximo illam amittendi periculo sese offerre.

Praeterea in matrimonio mixto pars catholica obligatione tenetur non solum perstandi in fide, sed etiam, quantum fieri potest, curandi, ut proles baptizetur et in eadem fide educetur atque omnia salutis aeternae accipiat subsidia, quae Ecclesia catholica filiis suis suppeditat.

Ad liberos autem quod spectat educandos, cum ambo coniuges hoc munere obstringantur illudque, una cum omnibus conexis obligationibus, ipsis minime fas sit ignorare, res difficultate non caret: cui tamen, quemadmodum ceteris, Ecclesia legibus suis et cura pastorali occurrere studet.

Hisce prae oculis habitis, nemo profecto mirabitur, si etiam disciplina canonica matrimoniorum uniformis esse nequeat, eaque ad varia casuum adiuncta accommodanda sit, quod attinet sive ad formam iuridicam contrahendi matrimonii, sive ad eiusdem liturgicam celebrationem, sive denique ad curam pastoralem praestandam coniugibus filiisque in matrimonio susceptis, secundum varias coniugum condiciones vel diversos ipsorum gradus communionis ecclesiasticae.

Consentaneum omnino erat, ut ad tam gravis momenti quaestionem Concilii Oecumenici Vaticani II sollicitudines converterentur. Quod reapse, occasione data, pluries con-
260 tigit; immo votum a Patribus ipsius / Concilii in tertia periodo prolatum est, quo tota quaestio Nobis est demandata.

Ut huic satisfieret voto, die 18 mensis Martii anno MCMLXVI, a S. Congregatione pro Doctrina Fidei Instructio de matrimoniis mixtis promulgata est, a verbis incipiens *Matrimonii sacramentum* [3], qua cautum est, ut normae ibidem statutae, si experientia comprobatae essent, in Codicem Iuris Canonici, qui nunc recognoscitur, certa ac definita ratione insererentur [4].

Cum autem in primo Coetu generali Synodi Episcoporum, mense Octobri anni MCMLXVII celebrato, quaestiones quaedam de matrimoniis mixtis propositae essent, de quibus Patres multas easque opportunas animadversiones protulerunt [5], Nobis visum est eas examinandas tradere pe-

[1] Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 3, *A. A. S.* 57 (1965), p. 93 [LE 3235]; cfr. Const. Dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, *A. A. S.* 57 (1965), pp. 19-20 [LE 3232]. [2] Cfr. Conc. Vat. II, Decl. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 13-18, *l. c.*, pp. 100-104. [3] Cfr. *A. A. S.* 58 (1966), pp. 235-239 [LE 3422]. [4] Cfr. *ibid.*, *l. c.*, p. 237. [5] Cfr. *Argumenta de quibus disceptabitur in primo generali coetu Synodi Episcoporum*. Pars altera, Typis

http://www.obrascatolicas.com

culiari Patrum Cardinalium Commissioni, quae magna cum sedulitate conclusiones suas Nobis exhibuit.

Nunc igitur id primum praeponimus, normis has per Litteras statuendis obnoxios non esse catholicos orientales, qui cum baptizatis acatholicis vel cum non baptizatis matrimonium contrahant. Ad matrimonia vero catholicorum cuiuslibet ritus cum christianis orientalibus non catholicis quod attinet, Ecclesia iam nonnullas normas recentiore tempore impertivit[6], quas quidem normas vim suam retinere volumus.

Itaque Nos, eo consilio permoti, ut ecclesiastica disciplina de matrimoniis mixtis perficiatur utque, salvis divinae legis praescriptis, canonicae leges variis coniugum conditionibus consulant, iuxta mentem a Concilio Vaticano II significatam, praesertim in Decreto, cui index *Unitatis redintegratio*[7] et in Declaratione, a verbis incipiente *Dignitatis humanae*[8]; itemque optata considerantes, quae in Synodo Episcoporum sunt proiata, auctoritate Nostra et post maturam deliberationem normas statuimus ac decernimus, quae sequuntur.

1) Matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero non catholica, cum
261 natura sua plenae spirituali / coniugum communioni obstet, sine praevia Ordinarii loci dispensatione, contrahi non licet.

2) Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica, vel in eandem recepta, et altera non baptizata, initum sine praevia Ordinarii loci dispensatione, est invalidum.

3) Ab utroque impedimento Ecclesia pro temporum, locorum personarumque rationibus et adiunctis, dispensationem non recusat, dummodo iusta causa habeatur.

4) Ad impetrandam ab Ordinario loci dispensationem impedimenti, pars catholica declaret se paratam esse pericula a fide deficiendi removere. Eadem insuper gravi obligatione tenetur promissionem sinceram praestandi, se omnia pro viribus facturam esse, ut universa proles in Ecclesia catholica baptizetur et educetur.

5) De his promissionibus a parte catholica faciendis, pars non catholica tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere consciam esse promissionis et obligationis partis catholicae.

6) Ambae partes edoceantur de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii, a neutro contrahente excludendis.

7) Conferentiae Episcoporum est, secundum propriam territorii competentiam, statuere modum quo hae declarationes et promissiones, quae semper requiruntur, faciendae sint, sive ore tantum, sive etiam scriptis, sive coram testibus; tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo constet et pars acatholica certior reddatur; itemque edicere quae alia sint, pro opportunitate, postulanda.

8) Mixtae nuptiae forma canonica contrahendae sunt, quae forma ad validitatem matrimonii requiritur, salvo praescripto Decreti *Crescens matrimoniorum*, a S. Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus die 22 mensis Februarii anno 1967 editi[9].

9) Si graves difficultates formae canonicae servandae obstent, Ordinariis locorum ius est dispensandi a forma canonica matrimonii mixti; Conferentiae autem Episcoporum est normas statuere, quibus praedicta dispensatio in sua regione vel in suo territorio concordi ratione ac licite, salva tamen aliqua publica forma celebrationis, concedatur.

10) Curandum est, ut omnia matrimonia valide contracta in libris, a iure canonico praescriptis, sedulo adno-
262 tentur. Pastores animarum / curent, ut ministri quoque non catholici operam praestent ad adnotationem nuptiarum cum parte catholica in libris inserendam.

Conferentiae vero Episcopales normas edant, quibus in earum regione vel territorio modus communi ratione determinetur, quo de matrimonio, post obtentam dispensationem a forma canonica, publice contracto, in libris iure canonico praescriptis constet.

11) Quoad formam liturgicam celebrandi matrimonia mixta, si ea desumenda sit ex Rituali Romano, ritus adhiberi debent ex Ordine celebrandi Matrimonium, auctori-

Polyglottis Vaticanis, MCMLXVII, pp. 27-37. [6] Cfr. Conc. Vat. II, Decr. de Ecclesiis Orientalibus Catholicis *Orientalium Ecclesiarum*, 18, *A. A. S.* 57 (1965), p. 82 [LE 3233]; S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Decr. *Crescens matrimoniorum*, *A. A. S.* 59 (1967), pp. 165-166 [LE 3534]. [7] *A. A. S.* 57 (1965), pp. 90-112 [LE 3235]. [8] *A. A. S.* 58 (1966), pp. 929-946 [LE 3363]. [9] Cfr. *A. A. S.* 59 (1967), p. 166. [10] Cfr. 1 *Pt.* 3, 16.

tate Nostra promulgato, sive Matrimonium fit inter partem catholicam et partem baptizatam non catholicam (nn. 39-54), sive matrimonium fit inter partem catholicam et partem non baptizatam (nn. 55-66). Si autem casus ferat, in matrimonio inter partem catholicam et partem baptizatam non catholicam adhiberi possunt, de consensu Ordinarii loci, ritus celebrandi matrimonium intra Missam (nn. 19-38), servato legis generalis praescripto quoad Communionem Eucharisticam.

12) Conferentiae Episcopales Apostolicam Sedem certiorem reddant de iis, quae circa matrimonia mixta pro sua competentia decreverint.

13) Matrimonii celebratio coram sacerdote vel diacono catholico et ministro non catholico, qui simul suum quisque ritum peragant, vetatur; neque admittitur, ante vel post catholicam celebrationem, alia matrimonii celebratio religiosa ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum.

14) Ordinarii locorum et parochi curent, ne coniugi catholico et filiis, e matrimonio mixto natis, auxilium spirituale desit ad eorum officia conscientiae adimplenda; eundemque hortentur coniugem, ut memor sit semper doni divini fidei catholicae eiusque testimonium reddat *cum modestia et timore, conscientiam habens bonam*[10]; coniuges adiuvent ad vitae coniugalis et familiaris fovendam unitatem, quae, si de christianis agatur, in illorum quoque baptismo innititur. Qua de re, optandum est, ut iidem Pastores relationes instituant cum ministris aliarum communitatum religiosarum, easque sincera probitate et sapienti fiducia conforment.

15) Poenae, quae in *C. I. C.* can. 2319 statutae sunt, omnes abrogantur; pro iis autem qui tales poenas iam contraxerint, earundem poenarum effectus cessant, salvis tamen obligationibus, de quibus in n. 4 harum normarum
263 sermo est. /

16) Ordinarius loci sanationem in radice matrimonii mixti concedere potest, impletis condicionibus, de quibus in nn. 4 et 5 harum normarum, et servatis ceteris de iure servandis.

17) In casu peculiaris difficultatis vel dubii quoad applicationem harum normarum, recurrendum est ad Sanctam Sedem.

Quaecumque a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus suosque integros effectus obtinere a die 1 mensis Octobris huius anni, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXXI mensis anno MCMLXX, Pontificatus Nostri septimo.—PAULUS PAPA VI.

Adn. W. F. ALLEN in **Pastoral Life** n. 9 (1970) 48-55; F. BERSINI in **Pal. clero** 49 (1970) 1030-1039; W. L. BOELENS in **Theologie en pastoraat** 66 (1970) 249-259; A. COQUART in **An. can.** 15 (1971) 145-154; W. DANIEL in **Australasian Catholic Record** 48 (1971) 196-210; A. DE BONHOME in **NrT** 92 (1970) 853-884; L. DE NAUROIS in **RDC** 20 (1970) 193-219; J. FEGHALI in **An. can.** 15 (1971) 215-232; B. FILIPIAK in **Ephem. iuris can.** 26 (1970) 348-351; J. FUNK in **REDC** 26 (1970) 384-395; J. G. GERHARTZ in **Theologie und Philosophie** 45 (1970) 481-525; J. A. HARDON in **Eglise et Theologie** 1 (1970) 229-260; P. HOCKEN in **CR** 56 (1971) 262-273, 358-372; J. HOTCHKIN in **Homiletic and Pastoral Review** 71 (1971) 334-347; G. LUF in **Oesterreichisches Archiv für Kirchenrecht** 21 (1970) 233-266; K. MOERSDORF in **AKKR** 139 (1970) 349-404; U. NAVARRETE in **PrM** 59 (1970) 423-469; M. PESENDORFER in **Oesterreichisches Archiv für Kirchenrecht** 23 (1972) 16-23; P. PICOZZA in **Dir. eccl.** 81 (1970-I) 350-387; J. TOMKO in **ME** 94 (1970) 171-187; G. WILLEBRANDS et P. FELICE in **Dir. eccl.** 81 (1970-I) 350-387; **Doc. Cath.** 67 (1970) 453, 1031-1040; **Jurist** 31 (1971) 377-391.

3842

1970 MAR .. -SC CULTUS DIVINI, RESPONSUM. PART.*

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA: 1.—AD INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI. 2—AD DIVERSA

I—AD INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI

1. *Quaenam germana significatio terminorum «ministris et «ministri sacris* in n. 27 *Institutionis generalis Missalis romani*? RESP.: «Ministris» seu «Ministri sacri» iuxta locutionem n. 27 *Institutionis generalis Missalis romani*, qui «cum ad presbyterium pervenerint... altare salutant» et «venerationis significandae causa ipsum altare osculantur...», sunt revera diaconus et subdiaconus. De ipsis expresse hoc dicitur in nn. 129 et 144 eiusdem *Institutionis generalis*.

2. *Utrum sacerdos possit stolam omittere e sacris vestibus*

induendis? RESP.: *Negative*. Quaestio ponitur ex interpretatione eorum quae habentur in n. 299 *Institutionis generalis Missalis romani*. Nam quae dicuntur in praedicto numero: «Sacerdotis celebrantis vestis propria, in Missa aliisque sacris actionibus... est planeta seu casula...», intelligenda sunt ad normam nn. 81 et 302, ubi clare apparet stolam constituere sacerdotale indumentum numquam derelinquendum in Missa aliisque sacris actionibus quae cum Missa directo conectuntur.

II—AD DIVERSA

3. *Quinam sunt casus, a lege praevisi, in quibus lingua latina adhiberi potest in Missa, quae concurrente populo celebratur*? RESP.: Hi casus praevisi et statuti sunt ab Ordinariis locorum pro ipsorum dioecesibus et aliquibus in circumstantiis. Vicariatus almae urbis, verbi gratia, statuit ut, pro bono spirituali peregrinorum, aliquae Missae, certis in ecclesiis, lingua latina celebrentur.

4. *Habetne Episcopus facultatem concedendi ut sorores exponere valeant Sanctissimum Sacramentum in Ostensorio pro adoratione*? RESP.: *Negative*. Haec facultas pertinet ad S. Congregationem pro Cultu divino.

* Notit. 6 (1970) 104.

3843

1970 APR 3.-SC CA. SANCT., DECR. AAS 62 (1970) 554-555

NOVAE DE ACTORUM SCRIPTIONE NORMAE

Ne ob diuturnum temporis decursum Acta processualia in Causis Sanctorum detrimentum paterentur, cautum erat ut tam archetypum in Archivo Curiae ecclesiasticae custodiendum, quam eiusdem exemplar seu transumptum Ro-
555 mam mittendum manu scriberentur. /

Quo autem et celerius et clarius eorundem Actorum scriptio fieret, Sacra Rituum Congregatio, Summis annuentibus Pontificibus, iampridem, singulis instantibus Causarum Postulatoribus, facultatem concedebat eadem Acta scribendi ope dactylographicae machinulae.

Cum vero crebriores in dies huiusmodi Postulatorum instantiae exhiberentur, Sacra Congregatio pro Causis Sanctorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice Paulo VI tributarum, in Ordinario diei 3 Aprilis anno 1970 Congressu, re mature perpensa, quae sequuntur rata est decernere, nimirum:

I. Transumptum cuiusvis processus Romam mittendum confici posse ope machinulae dactylographicae, dummodo eadem machinula instructa sit fasciola indelebili atramento tincta, et charta adhibenda sit densa.

II. Exemplar vero —quod Copia Publica vulgo dicitur— a Cancellario Sacrae ipsius Congregationis conficiendum et ad iuris normam recognoscendum atque Postulatori tradendum, arte photographica apparari posse.

Contrariis non obstantibus quibuslibet. Die 3 Aprilis 1970.—Paulus Card. BERTOLI, *Praef.* F. Antonelli, Archiep. Idicren., *a Secr.*

3844

1970 APR 9.-SECRETARIA STATUS, DECLARATIO. PART.*

ORDINES MILITARES QUI A SANCTA SEDE RECOGNOSCUNTUR

In seguito ad una solenne funzione per l'investitura di nuovi Cavalieri dell'Ordine Cavalleresco di S. Brigida di Svezia, avvenuta di recente in una chiesa parrocchiale di Roma, vari lettori ci hanno chiesto informazioni circa l'atteggiamento della Santa Sede di fronte ad Ordini Cavallereschi aventi intitolazioni sacre o dedicati a Santi.

Siamo ora in grado di confermare quanto già pubblicato in proposito, in passato, dal nostro giornale: la Santa Sede, oltre ai propri Ordini Equestri, riconosciuti dal Diritto Internazionale, considera come cattolici — e tutela — due soli Ordini Cavallereschi: il Sovrano Militare Ordine di San Giovanni di Gerusalemme, detto di Malta, e l'Ordine Equestre del Santo Sepolcro di Gerusalemme.

Tutti gli altri Ordini — di nuova istituzione o fatti derivare da quelli medievali — come, per esempio, il su nominato Ordine di Santa Brigida, quelli di Nostra Signora di Betlemme e di S. Giovanni d'Acri, ecc., non sono riconosciuti dalla Santa Sede, non potendosi questa far garante della loro legittimità storica e giuridica, della loro finalità e dei loro sistemi organizzativi.

* L'Osservatore Romano diei 9 aprilis 1970.

3845

1970 APR 9.-SC RELIGIOSORUM, RESCRIPTUM. PART.*

FACULTAS DATUR INTRODUCENDI NONNULLA EXPERIMENTA CONTRA IUS COMMUNE CIRCA: ERECTIONEM PROVINCIARUM ET DOMORUM, ADMISSIONEM AD ORDINES ET AD PROFESSIONEM, DIMISSIONEM ET DISPENSATIONEM A VOTIS TEMPORARIIS, FREQUENTIAM CONFESSIONIS, DISPENSATIONEM CLAUSURAE, PRAECEDENTIAM, VOCEM ACTIVAM ET PASSIVAM, MODUM EXQUIRENDI CONSENSUM VEL CONSILIUM, QUALITATES MINISTRI PROVINCIALIS ELIGENDI

PRECES—*Beatissime Pater*, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, nomine Capituli Generalis Specialis, humillime implorat a Sanctitate Vestra ut infrascriptae normae ad proximum usque Capitulum Generale ordinarium ad experimentum servari queant:

1. Erectio, divisio, unio et suppressio Provinciae vel Custodiae generalis Capitulo Generali, Custodiae provincialis vero Capitulo provinciali reservatur, auditis quorum interest et ad normam iuris (n. 28, § 1).

2. Erectio et suppressio conventus Capitulo provinciali reservatur; urgenti vero de causa Definitorio provinciali, servatis semper normis iuris communis (n. 29, § 1);

3. Si ob extraordinarias causas Superior competens impediatur quominus intra mensem per se vel per delegatum candidatos ad Ordinem admittere possit, Guardianus, servatis ceteris servandis, facultatem habet eos admittendi (n. 34, § 3);

4. *a)* Admissio ad professionem simplicem Guardiano quoque competit ad normam n. 34, § 3; *b)* Idem Guardianus vel qui eius vices gerit, facultatem habet admittendi ad professionem sollemnem tantum sede impedita ad normam iuris et servatis de iure servandis (n. 39, § 1);

5. Facultas dimittendi a probatione vel a votis temporaneis dispensandi, servatis de iure servandis, Superioribus maioribus de consensu Definitorii competit (n. 44, § 1);

6. Fratres frequenter ad sacramentum Poenitentiae accedant ut in puritate cordis et in conversione ad Patrem crescant (n. 82);

7. Guardianus de consensu Capituli conventualis potest clausuram per modum actus suspendere (n. 96, § 2);

8. Praecedentia inter fratres eiusdem officii aut status iuxta prioritatem professionis sollemnis et deinde aetatis determinetur (n. 101, § 3);

9. Voce activa et passiva carent: *a)* exclaustratus, quacumque de causa, usque ad sex menses a reditu in claustra; *b)* qui petivit reductionem ad statum laicalem vel saecularizationem a Definitorio provinciali et generali, pendente petitione apud Superiores ecclesiasticos; *c)* qui, postquam illegitime Ordinem deseruit, in Ordinem iterum receptus fuerit, usque ad tres annos a reditu (n. 121, § 1);

10. Consensus et consilium in communi exquirantur, nisi aliter ferant Statuta particularia. Semper vero de consilio aut consensu rite exquisito constare debet (n. 158, § 2);

11. Eligendi in Ministrum provincialem et in Custodem generalem sint saltem a quinque annis sollemniter professi (nn. 196 et 204). Et Deus, etc...

RESCR.—Vigore facultatum a Summo Pontifice tributarum, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, attentis expositis, quae sequuntur decernere statuit.

Ad 1.*um* et 2.*um*: dilata, eo quod argumenta studio interea pertractantur;

Ad 3.*um*, 8.*um et* 9.*um*: pro gratia iuxta preces;

Ad 4.*um*: *a)* pro gratia item iuxta preces; *b)* gratia pariter conceditur, ita tamen ut qui Guardiani vices gerit, eadem facultate uti possit tantummodo si Guardianus sit impeditus;

Ad 5.*um*: quoad professi a votis temporariis dispensationem Rescriptum «Cum admotae», n. 14, retineatur;

Ad 6.*um*: pro gratia iuxta preces, ita tamen ut saltem sexto decimo quoque die ad praefatum Sacramentum fratres accedant;

Ad 7.*um*: clausura, iuxta recentem Summi Pontificis concessionem, ad normam can. 604 ab Ordinibus, si placuerit, admitti potest ac proinde de re iudicent il quorum interest; secus, clausura servetur iuxta praescripta cc. 597-599;

http://www.obrascatolicas.com

Ad 10.*um*: pro gratia iuxta proposita, dummodo vera et realis adsit difficultas eos, quorum interest, simul convocandi;

Ad 11.*um*: gratia indulgetur, quae vero valet etiam pro Custode provinciali, cum et ipse iure particulari inter Superiores Maiores censeatur;

Ad n. 21, § 2 *textus Actorum* (seu Constitutionum) quod spectat, aptius dicatur: «Capituli Generalis est Sedi Apostolicae proponere sive vigentes normas Constitutionum Ordinis ut abrogentur sive novas ut approbentur».

In omnibus autem servatis ceteris de iure servandis. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 9 Aprilis 1970.—E. Heston, C. S. C., *Secretarius*. I. Cicconardi, *Ad. a Studiis*.

* Ministro Gen. O. F. M. Conv., Prot. N. 12495/69-C. 86: COFMConv 57 (1970) 63-65.

3846

1970 APR 11.-SC CLERI, LITT. CIRC. AAS 62 (1970) 459-465

Litterae Circulares ad Praesides Conferentiarum Episcopalium de Consiliis Presbyteralibus iuxta placita Congregationis Plenariae die 10 Octobris 1969 habitae

Prooemium

1. Presbyteri sacra Ordinatione atque missione, quam ab Episcopis recipiunt, «promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in Populum Dei, Corpus Christi et Templum Spiritus Sancti, hic in terris, indesinenter aedificatur» [1]. Cum igitur sacerdotale ministerium nonnisi in hierarchica totius Ecclesiae communione adimpleri possit [2], «nullus presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem satis adimplere valet, sed tantum viribus unitis cum aliis Presbyteris, sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt» [3].

Episcopi vero qui, recepta missione canonica, «ecclesias particulares sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt» [4], ut munus suum portionem Populi Dei pascendi recte obire valeant, sibi assumunt sacerdotes uti adiutores necessarios [5], qui in exercendo ministerio ab Episcopis pendent cum quibus ipsi sacerdotali honore sunt coniuncti [6].

Presbyteri ad populo inserviendum vocati *unum presbyterium* cum suo Episcopo constituunt, diversis quidem officiis mancipatum [7]. Proinde in qualibet dioecesi inter
460 Episcopum et omnes presbyteros communio / hierarchica exstat [8], quae eos arcte coniungit eosque efficit unam familiam, in qua pater est Episcopus [9].

2. Intimam hanc communionem Concilium Oecumenicum Vaticanum II in diversis documentis explicavit ac illustravit atque ita signa temporum est interpretatum. In praesenti, enim, quandoquidem et incepta apostolica omnium christifidelium vires integras atque unitas exquirunt, et tot tantaeque sunt aerumnae, quibus Ecclesia premitur, nemo est qui non videat sacrorum ministrorum unionem magnopere expostulari. Ex hac unione, sacramentaliter fundata, oriri debet unio cordium, quae nempe mutua innititur caritate [10]. Solummodo ita nasci potest communis pastoralis actio, quae totam amplectitur dioecesim cunctaque eius problemata. Si et quatenus haec ad rem deducantur, sperare licet fore ut sacerdotes suam voluntatem consocient cum voluntate Episcopi, uberiorem et efficaciorem reddendo operam.

De novo coetu consultivo Episcopi

3. Legislatio canonica, particularium ecclesiarum gubernium respiciens, Episcopis semper assignabat quoddam organum consultivum, praecipue e presbyteris constans, quod audire aut cuius consensum excipere in quibusdam negotiis maioris momenti Episcopi ipsi tenebantur. Nunc in Codice Iuris Canonici pro variis gubernii dioecesani necessitatibus varia exstant organa in adiutorium Episcopi, uti e. gr. dioecesana synodus, examinatores synodales, parochi consultores, Capitulum cathedrale seu Coetus Consultorum, Consilium administrationis dioecesanum etc.

Quod in superioribus saeculis simplex videbatur postulatum seu requisitum recti et sapientis gubernii, a Concilio Vaticano II, quod Ecclesiae naturam altius investigavit, theologice quoque illustratur. Edocemur nempe a SS. Synodo, inter Episcopum et suos presbyteros adesse in ecclesia particulari communionem hierarchicam, vi cuius Episcopus et presbyteri unum idemque sacerdotium, unum idemque ministerium participant diverso utique gradu [11], qui determinatur per receptum Ordinem et per missionem canonicam. Hisce suppositis, eadem Synodus, pro sua indole pastorali, voluit ut haec unitas missionis in bonum verteretur dioecesis / per quoddam novum organum con- 461
sultivum his verbis: «habeatur, modo hodiernis adiunctis ac necessitatibus accommodato, forma ac normis iure determinandis, coetus seu senatus sacerdotum, Presbyterium repraesentantium, qui Episcopum in regimine dioeceseos suis consiliis efficaciter adiuvare possit» [12].

Quod Concilii Vaticani II votum prosequutus Summus Pontifex Paulus Pp. VI, per Litteras Ap. *Ecclesiae Sanctae*, iussit ut in unaquaque dioecesi constitueretur memoratus coetus, qui Consilium Presbyterale nuncupatur [13]. Huiusmodi lex exsecutiva, ad experimentum lata, quoad modum Consilium componendi, eius competentiam et functionem pauca tantum statuit, eo nempe fine, ut evolutioni novi organi consultivi necessarium relinqueretur spatium.

Celebratio S. Congregationis Plenariae

4. A praefatae legis promulgatione tertio labente anno, S. Congregatio pro Clericis, cuius est invigilare Consiliis Presbyteralibus [14], circulares litteras die 15 Ianuarii 1969 misit ad Praesides Conferentiarum Episcopalium ad mentem ipsius legis [15], rogans ut Episcopi suas animadversiones adnotationesque de experimentis ad hoc novum organum quod spectat eidem S. Congregationi exhiberent. Cum vero responsiones, una cum Statutis Consiliorum, e provinciis ecclesiasticis iuris communis fere omnibus ad S. Congregationem pervenissent, idem S. Dicasterium, auditis suis Consultoribus, die 10 Octobris 1969 Plenariam Congregationem habuit, ut de maioribus quaestionibus dicti coetus consultivi disceptaretur, cuius placita heic breviter enucleantur.

De obligatione Consilium Presbyterale constituendi

5. Ex communione hierarchica, quae exstat inter Episcopum et presbyteros, necessario sequitur scopus et munus Consilii Presbyteralis quod quidem ipsam communionem aliquo modo institutionaliter manifestat. Quare institutio huiusmodi Consilii per Mp. *Ecclesiae Sanctae* in qualibet dioecesi peragenda obligatorie praescribitur.

Haec obligatio insuper temporibus est consentanea. Maxime enim est opportunum hodie atque utile, ut inter Episcopum et presbyteros insti/tuatur organum communis 462
colloquii seu dialogi. Quae utilitas iam apparet ex permultis responsionibus Episcoporum ad S. Congregationem missis: nam contactus cum sacerdotibus fit facilior; melius cognoscuntur eorundem mentes et optata; accuratiores dein hauriri possunt informatio/es de statu rerum in dioecesi; mutuae experientiae opportunius communicantur; necessitudines pastorum et gregis Dei evidentius apparent; cohaerenter suscipiuntur incepta apostolica adiunctis hodiernis accommodata; in communi labore demum adaequate solvuntur vel, saltem, explicantur difficultates.

De Consilii Presbyteralis compositione

6. Consilium Presbyterale totum dioecesis Presbyterium exprimat oportet. Quod requisitum, iuxta Episcoporum et Plenariae Patrum sententiam, eo perfectius obtinetur quo plenius prebyterorum opiniones et experimenta

[1] Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 1. [LE 3365]. [2] *Ibidem*, n. 15. [3] *Ibidem*, n. 7. [4] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 27 [LE 3232]. [5] Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 7. [6] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; [7] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 8. [8] Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 7. [9] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 28 [LE 3332]. [10] Decr. de Presbyt. ministerio et vita

Presbyterorum ordinis, n. 8. [11] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 28; Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 7. [12] Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 7. [13] *A. A. S.* 58 (1966), pp. 776 sq [LE 3457]. [14] Const. Ap. *Regimini Ecclesiae Universae*, n. 68; *A. A. S.* 59 (1967), p. 68 [LE 3588]. [15] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, Prooemium [LE 3457].

conferantur. Quare indoles repraesentativa Consilii efficitur, si in sinu eiusdem, quantum fieri potest, repraesentantur: *a)* varia ministeria (parochi, cooperatores, cappellani, etc.); *b)* regiones seu pastorales dioecesis zonae; *c)* variae sacerdotum aetates seu generationes. Si quaedam in Consilio ita componendo difficultas exoriatur, praeferenda videtur repraesentatio proportionata per praecipua sacerdotum ministeria.

Religiosi quoque, qui curam animarum in dioecesi exercent vel operibus apostolatus sese dedicant sub iurisdictione Episcopi, inter membra Consilii cooptari poterunt [16].

7. Consilii sodales designandi ratio commissa est Episcopis [17]. Il vero, uti ex ipsorum responsionibus patet, consensu fere unanimo statuerunt ut notabilis sodalium pars eligeretur libero sacerdotum suffragio. Patribus autem Plenariae placuit propositum ut maior pars sodalium seligeretur per suffragium omnium sacerdotum [18].

Ceteri autem sodales designantur directe ab Episcopo aut ipso facto declarantur sodales ut officium quod gerunt (e. gr. Vicarius Generalis, Rector Seminarii etc.) repraesentent in Consilio.

Haec compositio ex membris nempe electis a sacerdotibus, nominatis ab Episcopo, natis seu designatis ratione
463 officii, dum una ex parte fidu/ciam alit sacerdotum qui sese praesentes sentiunt in Consilio, alia ex parte securitatem tribuit Episcopo ad servandum aequilibrium et possibilitatem praebet indolem repraesentativam eiusdem Consilii aliquando melius exprimendi.

De Competentia consilii Presbyteralis

8. Competentia Consilii Presbyteralis est Episcopo adsistere consiliis in regimine dioecesis. Quare quaestiones maioris momenti, quae sive ad sanctificationem fidelium sive ad doctrinam ipsis tradendam, sive ad moderamen dioecesis in genere spectant, pertractantur a Consilio, si nempe Episcopus eas proponat vel saltem admittat pertractandas. In proponenda aut admittenda quaestione Episcopus sollicitus erit de observandis Ecclesiae legibus universalibus.

Consilium, quatenus totum repraesentat dioecesis Presbyterium, ad bonum eiusdem dioecesis promovendum institutum est; omnes igitur quaestiones, et non solum quae ad vitam presbyterorum spectant, rite admissae tractari possunt a Consilio, et quidem uti argumenta ministerii sacerdotalis, quod nempe ipsi in favorem communitatis ecclesiasticae impendunt.

Consilii est, in genere, normas forte condendas suadere, quaestiones principii proponere; non vero de illis quaestionibus agere, quae natura sua modum procedendi discretum exigunt, ut accidit e. gr. in officiorum collationibus.

De indole consultiva Consilii Presbyteralis

9. Consilium Presbyterale est organum consultivum peculiare. Consultivum dicitur, quia voto deliberativo non gaudet; ideoque eidem non competit decisiones ferre quae Episcopum obstringant, nisi ius universale Ecclesiae aliter proviserit vel Episcopus in singulis casibus vocem deliberativam Consilio tribuere opportunum censuerit. Affirmatur vero organum consultivum peculiare, quia natura sua et suo procedendi modo inter alia organa eiusdem generis eminet.

Consilium enim nostrum, communionis hierarchicae signum, natura sua exigit ut consilia pro bono dioecesis ineantur, una cum Episcopo et numquam sine eo, scilicet communi Episcopi et sodalium labore. Hic enim modus requiritur a Vaticano II [19] et inculcatur verbis Mp. *Eccle-*
464 *siae / Sanctae*: «In hoc Consilio Episcopus sacerdotes suos audiat, consulat et cum eis colloquatur de iis quae ad necessitates operis pastoralis et bonum dioecesis spectant» [20].

Commune hoc studium, quo nempe de quaestionibus communicantur opiniones et notitiae, exponuntur necessitates pastorales, perpenduntur argumenta et proponuntur vota, ab utraque parte postulat ut animi apte parati sint atque intima conversione in humilitate et patientia exornati.

Quo labore communi peracto, decisio iam spectat ad Episcopum qui responsabilitate personali tenetur erga portionem Populi Dei sibi commissam [21], ideoque responsabilitas Episcopi navitate Consilii adiuvatur, minime substituitur.

10. Hisce considerationibus permoti Patres Congregationis Plenariae hanc manifestarunt sententiam titulum nempe et munus «senatus Episcopi in regimine dioecesis» uni Consilio Presbyterali competere.

Relate vero ad antiquum senatum Episcopi, id est ad Capitulum cathedrale ubi exsistit, et Coetum Consultorum ubi habetur, iidem Patres normae steterunt Mp. *Ecclesiae Sanctae* quo scilicet praescribitur ut eadem instituta proprium munus propriamque competentiam servent, donec recognoscantur [22].

Cum autem rerum adiuncta, quae evolutionem historicam Capitulorum cathedralium respiciunt, varia sint secundum varias Ecclesiae regiones, quoad recognitionem Capituli cathedralis et quoad reformationem vel confirmationem Coetus Consultorum singulae Conferentiae Episcopales sua parabunt vota.

Interea, donec Codex Iuris Canonici recognoscatur, Consilium Presbyterale vacante Episcopi sede cessat [23]. Ideo Capitulum cathedrale aut Coetus Consultorum, nisi Sancta Sedes aliter proviserit, Vicarium Capitularem constituit ad normam canonum 429-444 et 427 Codicis Iuris Canonici, qui in vigore manent. / 465

Conclusiones

I. Quibus omnibus praehabitis, Sacra haec Congregatio pro Clericis enixe rogat et urget: *a)* ubi adhuc desideratur quamprimum instituatur Consilium Presbyterale eique titulus ac munus competant Senatus Episcopi; *b)* quodlibet Consilium Presbyterale propria paret statuta ab Episcopo approbanda, ratione habita eorum, quae praesentibus litteris indicata sunt.

II. Cum vero expediat ut Episcopi in Conferentiis adunati in quaestionibus Consilium Prebyterale spectantibus communia capiant consilia [24] eadem S. Congregatio humaniter petit: *a)* quaestiones maioris momenti in Consilio Presbyterali tractandae a Conferentia Episcopali suggerantur; *b)* item normae de modo procedendi in Consiliis Presbyteralibus, de periodicitate coetuum, de cooperatione cum aliis coetibus consultivis habenda, de relatione Consilii cum universis dioecesis sacerdotibus fovenda, a Conferentia Episcopali opportune proponantur.

III. Demum instat Sacra haec Congregatio ut quaelibet Conferentia Episcopalis votum suum ad Capitulum cathedrale et ad Coetum Consultorum quod attinet, uti supra in n. 10, eidem S. Congregationi exhibere faveat infra diem 31 Decembris 1970.

Per praesentes litteras hoc Sacrum Dicasterium indicare intendit principia ac criteria generaliora, quae ex consultatione Conferentiarum Episcopalium et Patrum disceptatione profluxerunt quaeque Episcopos adiuvare poterunt in eorum gravi munere exsequendo, quod ad constitutionem et agendi rationem Consiliorum Presbyteralium attinet. Confiditur igitur Conferentias Episcopales de experientiis his super rebus hanc Sacram Congregationem certiorem reddere velle, ut earundem experientiarum debita ratio habeatur in altera Congregatione Plenaria forte celebranda antequam novus Codex Iuris Canonici edatur.

Datum Romae, die 11 aprilis 1970 in memoria S. Leonis Magni, Papae et Ecclesiae Doctoris. —Ioannes Card. Wright, *Praef.* Petrus Palazzini, *a Secr.*

[16] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, 15, § 2. [17] *Ibidem*, I, 15, § 1. [18] Statuta Consilii ab Episcopo approbanda praescribant oportet modum procedendi in electione, ad analogiam canonum 160 et sq. necnon can. 2394 Codicis Iuris Canonici. [19] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 28. [20] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, 15, § 1. [21] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 11; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 23. [22] I, 17, § 2.

[23] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, 15, § 4: «nisi in peculiaribus adiunctis a Sancta Sede recognoscendis Vicarius Capitularis vel Administrator Apostolicus illud confirmet». Cfr. quoque Const. Ap. *Regimini Ecclesiae Universae*, n. 68, § 4. [24] Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, 17, § 1.

Adn. J. BEYER in PrM 80(1971) 29-101; 81 (1972) 31-48; A. BOCQUET, L. DE NAUROIS, P. EYT et J. PASSICOS in RDC 20 (1970) 97-183; G. CARRETTO in Pal. clero 49 (1970) 1098-1102; 50 (1971) 220-289; J. DENIS in Studia canonica I (1967) 179-190; M. MARCHESI in PrM 81 (1972) 423-429; R. D. MOTTE in Doc. Cath. 65 (1968) 1969-1980; M. PAQUETTE in PrM 81 (1972) 431-437; H. SCHMITZ in AKKR 139 (1970) 125-131; A. VILELA in NrT 104 (1972) 586-603.

http://www.obrascatolicas.com

3847

1970 APR 16.-SEC. CHR. UN., NOR. AAS 62 (1970) 705-724

DIRECTORIUM AD EA QUAE A CONCILIO VATICANO SECUNDO DE RE OECUMENICA PROMULGATA SUNT EXSEQUENDA

PARS ALTERA

De re Oecumenica in institutione superiore

PROOEMIUM

(64)*. Spiritus Domini in hodierno motu oecumenico operatur, ut «superatis obstaculis perfectam communionem ecclesiasticam impedientibus» [1], tandem omnium Christianorum unitas restauretur atque eluceat [2]; cunctae enim gentes in unum populum novum vocantur in confessione unius Iesu Salvatoris et Domini, in unius fidei professione necnon in unius mysterii eucharistici celebratione [3]; «ut credat mundus», quemadmodum ait Dominus, «quia Tu me misisti» (*Io.* 17, 21).

Christiani omnes mente oecumenica animentur oportet, ii praesertim, quibus peculiare munus atque officium in mundo et societate est creditum: quapropter oecumenismi principia, decretis Concilii Vaticani Secundi sancita, in cunctis institutis superioris educationis [4] congruenter sunt inducenda. Immo, ut omnium vires in commune bonum Ecclesiae Catholicae et ceterarum Ecclesiarum Communitatumque ecclesialium utiliter conspirent, quaedam principia et agendi rationes a pluribus expostulantur.

(65). Ecclesiae pastoribus peculiaris cura incumbit mo-
706 tum oecumenicum / promovendi, eorundemque est debitas hac de re normas statuere. Ob magnam tamen diversitatem institutorum superioris educationis, haud facile eiusmodi normae perscribuntur; res enim diverse se habent secundum diversas nationes ac regiones, secundum diversam personarum maturitatem et peritiam, atque etiam secundum diversum statum necessitudinum vigentium tum in ordine ecclesiologico tum in cooperatione inter Catholicam Ecclesiam ceterasque Ecclesias vel Communitates ecclesiales. Episcoporum et Conferentiarum episcopalium proinde erit tum principia generalia ad usum deducere [5], tum proposita incepta ad hominum rerumque condiciones accommodare atque etiam, oblata occasione, nova suscipere. Ad hoc vero opus exsequendum, impense suadetur, ut auctoritates episcopales sibi congruenti numero socient superiores religiosorum ac religiosarum, rectores administratoresque institutorum, in religiosa educatione peritos, professores in ipso docendi munere versantes, auditis etiam, si casus ferat, alumnorum nomine agentibus.

(66). Cum vero omnia incepta oecumenica abnormi illa condicione contineantur, ex qua Ecclesiae et Communitates ecclesiales inter se sunt seiunctae atque conatus gressusque ad unitatem redintegrandam inferant, principia, quae infra proponuntur, quandoque mutatis rerum adiunctis, a competenti auctoritate noviter ad usum applicabuntur, et normae ita accommodabuntur, ut fini, propter quem editae sunt, constanter pergant congruere.

CAPUT I—PRINCIPIA GENERALIA ET SUBSIDIA CIRCA INSTITUTIONEM DE RE OECUMENICA

(67) 1. Etsi quaedam incepta ad institutionem oecumenicam fovendam potius facultates respiciunt et sedes studiorum theologicorum, de quibus infra sermo erit, sunt tamen variae formae actionis oecumenicae, quae superiori institutioni in universum accommodari possunt. Discipuli simul ac professores, qui huiusmodi incepta participant, monentur, ut animo alacri et generoso illam sibi comparent solidam religiosam institutionem, illam mentis maturitatem necnon veram peritiam, quae naturae ipsius actionis
707 respondeant. /

(68) 2. *De oecumenicorum inceptorum fine.* Hisce inceptis propositum est, ut sive in alumnis sive in magistris augeatur altior cognitio fidei, rei spiritualis et universae vitae et doctrinae ipsius Ecclesiae Catholicae, ita ut maiore cum sagacitate et fructu partem habeant dialogi oecumenici, secundum propriam cuiusque virtutem [6]; ut attentio ad illam internam ipsius Ecclesiae Catholicae renovationem dirigatur, quae unitati inter Christianos promovendae magno est adiumento, necnon ad ea, quae, sive in ipsorum sive in Ecclesiae vita, progressum ad unitatem impediunt, vel retardant [7]; ut magistri et alumni amplius edoceantur de aliis Ecclesiis vel Communitatibus, ita ut melius intellegant rectiusque aestiment ea, quae Christianos inter se coniungant, et simul ea, quae eos separent [8]; ut denique, cum haec incepta indolem dumtaxat intellectualem non prae se ferant, ea participantes magis conscii fiant obligationis unitatis inter Christianos fovendae et ad efficacem operositatem ad hunc finem assequendum incitentur, itemque ad commune testimonium Christianorum mundo hodierno pro viribus praebendum adducantur.

(69) 3. *De subsidiis ad hunc finem adipiscendum.* *a)* Cum variae disciplinae academicae et oecumenismus necessitudine quadam inter se coniungi possunt, ea, quae sequuntur, praeter alia, sunt perpendenda:

Ubi cursus seu lectiones de religione varia forma alumnis traduntur, sive ex statuto ordine, sive ex occasione, expedit, ut ii, qui eiusmodi cursus vel collationes habent, ad ea attendant, quae infra de ratione oecumenica in disciplinis theologicis dicentur [9].

In cursibus, qui de philosophia agunt, valida et cohaerente hominis, mundi et Dei cognitione, ex patrimonio philosophico perpetuo vigente hausta, ratio quoque habeatur philosophicarum investigationum progredientis aetatis necnon discipuli opportune conscii reddantur illorum principiorum [10]. Expedit enim, ut noscant recteque perpendant principia philosophica, quae saepe fundamentum praebent placitis / theologicis et exegeticis apud varias Ec- 708
clesias et Communitates christianas exsistentibus.

Modi et viae historiam docendi recognoscantur ita ut, cum de christiana societate agitur, debite considerentur variae Communitates christianae, tota earum vita mente comprehensa. Tractatus vero de eventibus et personis, quae occurrunt in historia variorum discidiorum, fiat cum aequitate nec plures conatus ad unitatem redintegrandam renovationemque Ecclesiae efficiendam neglegantur.

In ceteris disciplinis attendi possunt ea elementa spiritualia, quae, e communi patrimonio christiano hausta, v. g. per humanitatis litteras, artem, musicam, apud varias Communitates christianas inveniuntur.

b) Quantum fieri potest, Catholici convenienter instructi impellantur, ut opportunum praebeant adiumentum illis inceptis, quae a studiorum universitatibus, certae fidei confessioni non addictis, de re religiosa proponuntur, catholicae religionis patrimonio firmiter servato.

c) Inter varias operositatis formas, quae cum institutione academica coniungi solent, nonnullae aptiores sunt ad motum oecumenicum promovendum. Quas inter hae, quae sequuntur, exempli causa possunt recenseri:

Colloquia vel dies studio destinati, quae argumentis de oecumenismo, data opera, tribuuntur.

Conventus vel coetus, sive pro studio sive pro opere communi vel navitate sociali constituti, in quibus locus dari potest disceptationibus de re oecumenica vel investigationibus principiorum christianorum in actione sociali necnon subsidiorum, quibus eadem principia ad usum deducantur. Huiusmodi conventus et coetus, qui sive Catholicos tantum sive Catholicos simul et alios Christianos complecti possunt, cum aliis alumnorum institutis iam exsistentibus pro viribus cooperari nitantur.

In convictus domibus, quae academicorum studiorum sedibus sunt sociatae, varia rerum adiuncta suadere possunt commercium inter Catholicos, testimonium propriae religionis fideliter exhibentes, et alios alumnos christianos, quo ipsi, sub idoneis moderatoribus, profundiore mente oecumenica ducti, inter se vivere valeant.

In ephemeridibus et commentariis, ad studiorum universitatem pertinentibus, locus chronicae narrationi eventuum ad oecumenismum spectantium tribui potest, quin etiam, 709
saltem interdum, gravioribus studiis circa idem argumentum.

d) Inter incepta, quae peculiari modo attendantur oportet, iure recensenda est oratio pro unitate, non solum

* Numeri intra parentheses in margine positi subsequuntur numeros primae partis Directorii, publici iuris factae die 14 mail 1967. *A. A. S.* 59 (1967), pp. 574-592 [LE 3558].

[1] Conc. Vat. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 4 [LE 3235]. [2] Cf. *Ibid.*, n. 1. [3] Cf. *Ibid.*, n. 4. [4] Per «instituta superioris educationis» intelleguntur in hoc documento universim facultates universitatum, instituta academica, seminaria cleri dioecesani, instituta seu centra vel domus formationis religiosorum vel religiosarum, exclusis ergo lyceis necnon institutis gradus secundarii. [5] Secundum normas in *Directorio Oecumenico*, Parte I[a], nn. 2, 6-8, stabilitas [LE 3558].

tempore Hebdomadae precationibus pro unitate Christianorum dicatae, sed aliis etiam opportunitatibus per annum facienda [11]. Secundum locorum personarumque adiuncta necnon normas de communicatione in sacris statutas, fieri etiam potest, ut sub ductu fidei magistri quaedam habeantur spiritualia exercitia, quae per unum vel plures dies in communi peragantur [12].

e) Amplior veluti campus ad commune testimonium exhibendum patet praesertim in operibus indolis socialis vel humanae beneficentiae. Ad quas cooperationis formas alumni praeparentur et incitentur. Hoc vero peculiari et maiore cum efficacitate fiet, si alumni non solum facultatis theologicae sed etiam aliarum facultatum (v. g. iuris prudentiae, sociologiae, oeconomiae politicae) ad talia incepta fovenda et exsequenda sociam operam praebeant.

f) Sacerdotes, sacrum aliquod ministerium in variis eiusmodi institutis exercentes (veluti cappellani, professores, discipulorum consiliarii) speciali officio tenentur circa mutuas in re oecumenica inter homines rationes. Hoc officium ab iis postulat sive profundiorem cognitionem doctrinae Ecclesiae, sive peculiarem idoneitatem et experientiam in academicis disciplinis, necnon firmam prudentiam moderationemque, ita ut alumnis opitulentur, qui componere nituntur plenam sinceramque fidelitatem erga propriam Communitatem christianam cum modo positivo et aperto condiscipulos attingendi.

CAPUT II—DE RATIONE OECUMENICA INSTITUTIONIS RELIGIOSAE ET THEOLOGICAE

(70) 1. *De institutione spirituali.* Cum censendum sit Spiritum Sanctum in motu oecumenico operari, in institutione oecumenica imprimis ad cordis conversionem et ad vitam spiritualem elusque renovationem attendatur
710 oportet; scili/cet «ex novitate mentis, ex sui ipsius abnegatione atque ex caritatis liberrima effusione proficiscuntur et maturescunt desideria unitatis» [13]. Quae quidem renovatio radicitus fundari debet in vita ipsius Ecclesiae, in eiusque liturgia et sacramentis; eademque complectatur oportet orationem pro unitate omnium Christianorum et ad munus Ecclesiae in mundo implendum dirigatur. Catholicorum vita spiritualis germana esse debet: quae quidem, quasi centrum habens ipsum Christum Salvatorem et ad gloriam Dei Patris spectans, variis religiosis actibus et exercitationibus consentaneum debitumque momentum tribuet.

Ut Ecclesiae nota catholica et apostolica satius patescat [14], oecumenica Catholicorum spiritualis vita alatur etiam thesauris multarum traditionum, temporis acti vel praesentis, quae in aliis Ecclesiis vel Communitatibus ecclesialibus vigent: veluti thesauris, qui inveniuntur in liturgia et in monastico instituto necnon in mystica traditione Orientis christiani; in cultu ac pietate anglicana; in evangelica oratione et re spirituali protestantica.

Haec vero necessitudo cum aliis traditionibus spiritualibus, ne in theoretica tantum regione versetur, practica quoque, peculiaribus rerum adiunctis faventibus, cognitione aliarum spiritualium traditionum perficiatur. Quam ob rem, quaedam oratio in communi necnon communicatio in publico cultu fovendae sunt, servatis normis a competenti auctoritate sancitis [15].

(71) 2. *De institutione doctrinali.* Oecumenismus vim exercere debet ad omnem theologicam disciplinam ut una ex necessariis eius rationibus [16], auxilium praebendo ad uberiorem manifestationem plenitudinis Christi. Nihilominus, singularis quaestio de oecumenismo materiam peculiarem alicuius cursus lectionum, data opportunitate, ef-
711 ficiat, vel saltem argumentum quorundam lectionum, in praecipuos de dogmate tractatus inserendarum. /

(72) 3. *De aspectu oecumenico in omni disciplina theologica.* Oecumenismus hos aspectus complecti debet:
a) elementa christiani patrimonii tum veritatis tum sanctitatis quae in omnibus Ecclesiis et Communitatibus

[11] Cf. *Directorium Oecumenicum*, Pars I, nn. 22, 32-34. [12] Secundum normas a competenti auctoritate stabilitas, cf. supra, Proemium, n. (65).

[13] Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 7. [14] Cf. *Ibid.*, n. 3. [15] Cf. *Directorium Oecumenicum*, Pars I, nn. 25-63. Cf. etiam «Una dichiarazione del Segretariato per l'unione dei cristiani circa la posizione della Chiesa cattolica in materia di Eucaristia comune tra cristiani di diverse confessioni», *L'Osservatore Romano*, 12-13 gennaio 1970, p. 3 [LE 3318]. [16] Cf. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, nn. 9, 10. [17] Cf.

christianis communiter inveniuntur [17] etsi, quandoque, diversa theologica enuntiatione declarata [18];

b) spiritualem thesaurum ac doctrinae divitias, quae variis christianis Communionibus propria sunt et ad altius intellegendam naturam Ecclesiae omnes Christianos perducere possunt [19];

c) ea, quae in rebus fidei causa sunt dissensionis et discidii, sed ad altius pervestigandum Verbum Dei incitare possunt, ut manifesto appareat, quae in veritate enuntianda verae sint contradictiones et quae tales esse tantum videantur.

(73) 4. *De aspectu oecumenico in singulis theologicis disciplinis.* In omni theologica disciplina aspectus oecumenicus faciat, ut vinculum inter illam et mysterium unitatis Ecclesiae exsistens consideretur. Praeterea, in disciplinae expositione, discipulis ingerendus est sensus plenitudinis christianae traditionis in doctrina, re spirituali ac disciplina ecclesiastica. Cuius plenitudinis conscii discipuli tunc fieri possunt, cum propria traditio refertur ad divitias variarum christianarum traditionum Orientis et Occidentis, quod attinet tum ad antiquas illarum formas tum ad hodiernas easdem exprimendi rationes.

Hic modus ad patrimonium aliarum christianarum Ecclesiarum et Communitatum ecclesialium attendendi reapse magni momenti est: in studio Sacrae Scripturae, fontis communis fidei omnium Christianorum; in studio apostolicae traditionis, qualis exstat in operibus sanctorum Patrum et ecclesiasticorum scriptorum Ecclesiae Orientis et Occidentis; in institutione liturgica, in qua variae formae cultus divini necnon earum momentum doctrinale et spirituale inter se scientifica ratione comparantur; in expositione theologiae dogmaticae et moralis, peculiari modo quod pertinet ad quaestiones ex oecumenismi motu exortas; in historia Ecclesiae, cum unitas ipsius Ecclesiae in vicissitu/dinibus temporum, et causae discidiorum inter 712
Christianos accurate pervestigantur; in docendo iure canonico, ubi elementa iuris divini diligenter distinguenda sunt ab elementis iuris tantum ecclesiastici, quae, ratione ducta temporis, ingenii cultus vel traditionis, mutationi esse possunt obnoxia [20]; denique in institutione pastorali et missionaria atque etiam in studiis rei socialis, in quibus peculiari cura attendi debet communis status omnium Christianorum quod attinet ad hodierni mundi requisita. Sic plenius meliusque plenitudo divinae revelationis exprimitur atque sic impletur munus circa mundum implendum, quod Christus Ecclesiae suae concredidit [21].

(74) 5. *De condicionibus germanae mentis oecumenicae in theologia.* Actio oecumenica «non potest esse nisi plene sincereque catholica, fidelis nempe veritati, quam ab Apostolis et Patribus accepimus, et consentanea fidei quam Ecclesia Catholica semper professa est» [22]. Semper vero servetur sensus ordinis per gradus constituti, seu «hierarchiae» in veritatibus doctrinae catholicae, quae, etsi omnes debitum assensum fidei requirunt, non universae tamen aequalem et praecipuum, quasi centri, locum in mysterio revelato in Iesu Christo obtinent, cum diversus sit earum nexus cum fundamento fidei christianae [23].

Alumni inter veritates revelatas, quae cunctae eundem assensum fidei expostulant, ac doctrinas theologicas discernere condiscant. Edoceantur igitur distinguere inter «ipsum depositum fidei seu veritates quae veneranda doctrina nostra continentur», et modum, quo eaedem enuntiantur [24], inter veritatem enuntiandam et modos varios eam percipiendi et in meliore luce ponendi [25], inter traditionem apostolicam et traditiones mere ecclesiasticas. Iam inde a tempore philosophicae suae institutionis alumni componendi sunt ad intellegendam legitimam rationem diversae / 713
alicuius enuntiationis etiam in sacra theologia, propter diversitatem methodorum seu viarum, quibus apud theologos res divinae intelleguntur ac proferuntur; quo fit, ut variae illae theologicae formulae non raro inter se potius compleri quam opponi dicantur oporteat [26].

(75) 6. *De oecumenismo ut peculiari disciplina.* Eo quod oecumenicus aspectus totam institutionem theologi-

Ibid., n. 3. [17] Cf. *Ibid.*, n. 17. [18] Cf. *Ibid.*, n. 4; cf. etiam Litteras Encyclicas Ss. Dom. Pauli VI *Ecclesiam suam*, *A. A. S.* 56 (1964), pp. 609 ss. [LE 3211]. [19] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 13 [LE 3232]; cf. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, nn. 4 et 16 [LE 3235]. [20] Cf. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 12; cf. Conc. Vat. II, Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, nn. 12 et 36 [LE 3364]. [21] Cf. *Ibid.*, n. 24. [22] Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 11. [23] Cf. Allocutio Summi Pontificis Ioannis XXIII ad Concilium Vaticanum Secundum die 11 octobris 1962 habita, in *Constitutiones, Decreta etc.*, Ed. Polyglotta Vaticana, p. 865 [LE 3083]; Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 6; Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 62 [LE 3366]. [24] Cf. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, n. 17. [25] Cf. *Ibid.*, n. 17.

http://www.obrascatolicas.com

cam complectitur, non supervacaneus redditur cursus de oecumenismo. Qua in re haec, quae sequuntur, considerari possunt elementa, pro diversis rerum adiunctis ac temporis spatio concesso:

a) Notiones «oecumene», «oecumenismus» earumque historica origo et praesens significatio.

b) Fundamenta doctrinalia oecumenismi, peculiari habito respectu vinculorum communionis adhuc vigentis inter Ecclesias vel Communitates ecclesiales.

c) Finis et methodus oecumenismi, variae formae unionis et cooperationis, spes unitatis redintegrandae, conditiones unitatis, plena et perfecta unitas, exercitium oecumenismi praesertim in re sociali.

d) Historia oecumenismi, praesertim varii conatus ad unitatem instaurandam saeculorum decursu suscepti, positivis et negativis eorum aspectibus consideratis.

e) Expositio aspectus «institutionalis» et vitae praesentis variarum christianarum Communionum: propensiones, in doctrinis, verae causae dissensionum, missionales conatus, res spirituales, formae cultus divini.

f) Multiplices de oecumenismo quaestiones: peculiares videlicet quaestiones e motu oecumenico ortae quoad hermeneuticam, ministerium, cultum divinum, «intercommunionem», traditionem, pravum conquisitionem proselytorum et veram evangelizationem, falsum irenismum, laicos, ministeria mulierum in Ecclesia hisque similia.

g) Spiritualis accessus ad oecumenismum, praesertim significatio orationis pro unitate et variae formae spiritualis oecumenismi.

h) Rationes, quae nunc intercedunt inter Ecclesiam Catholicam et alias Ecclesias Communitatesque ecclesiales vel earum foederationes necnon rationes, quibus hae inter
714 se continentur. /

i) Momentum peculiaris partis motus oecumenici, quam Oecumenicum Ecclesiarum Consilium habet, et status rationum, quae inter Ecclesiam Catholicam Romanam et Oecumenicum Ecclesiarum Consilium vigent.

Caput III—Normae particulares de institutione oecumenica

(76) 1. *De dialogo inter Christianos in superiore educatione.* Ex accurata investigatione principiorum generalium quae ad dialogum inter Christianos spectant omnino manifestum est seminaria, facultates theologiae ceterasque instituta superioris educationis peculiarem partem habere dialogi oecumenici atque ipsum dialogum in eiusmodi institutis adiumento esse ad suum munus, iuventutis educationem respiciens, implendum.

Dialogus vero, ut elementum educationis, postulat:

a) erga propriam fidem sinceram firmamque fidelitatem, sine qua dialogus ad colloquium redigitur, quod utriusque partis vera participatione caret;

b) animum apertum et pronum ad altius in propria fide fundandam vitam ob pleniorem cognitionem haustam e dialogo cum aliis, qui et ipsi, veri nominis christiani consortes sunt aestimandi;

c) investigationem viarum et subsidiorum ad mutuas ineundas necessitudines et unitatem restituendam, quae non in animo indifferenti vel in falso irenismo vel in modo illo facili ad requisita saeculi se accommodandi innititur, sed in maiore fidelitate erga Evangelium et in authentica christianae religionis professione, quae et veritati et caritati congruat;

d) commercium et cooperationem cum pastoribus Ecclesiae necnon debitam obtemperationem praeceptis et consiliis eorum; dialogus enim numquam est merum colloquium inter personas vel instituta, sed suapte natura officium totius Ecclesiae [17];

10.—E' vero, come afferma il Concilio, che gli Istituti restano necessari (*AG* 27) per dare garanzia e continuità all'azione missionaria, ma è altrettanto vero che la loro struttura e la formazione che essi prospettano ai giovani devono rispondere alle necessità reali del nostro tempo e alle situazioni particolari in cui si svolge il lavoro dei loro membri.

Attualmente gli Istituti, rispondendo all'invito del Concilio, hanno già svolto i loro Capitoli Speciali. Questa Sacra Congregazione conosce il lavoro compiuto e lo spirito che l'ha animato. Essa si compiace di questo lavoro e fa sua la speranza di ogni Istituto che l'auspicato rinnovamento si traduca presto in nuovo fervore e nuove energie. Proprio per questa attesa, è necessario condurre innanzi l'opera avviata con tanta sincerità di propositi e con tanto coraggio apostolico; è necessario, fidando in Dio, applicare le direttive approvate, con senso di apertura e di realismo.

11.—Occorre, tuttavia, molto equilibrio di giudizio e di atteggiamento. L'interesse di studio, anche al di fuori degli ambienti missionari, e il ripensamento dei metodi di attività portano spesso a porre l'accento sulle insufficienze del passato in maniera sterile e negativa. Il rinoscere i limiti dei metodi di un tempo al confronto delle situazioni e delle esigenze odierne non significa certo condannare l'attività missionaria e tanto meno biasimare i missionari che la svolsero. Un giudizio oggettivo e storico esige che tali limiti siano visti nelle circostanze di tempo in cui i missionari agirono, e siano valutati in rapporto all'ampiezza, alla singolarità ed alla efficacia culturale dell'azione da essi svolta. Lo studio e il raffronto con i metodi passati, se fatti con intenti sinceri, sono assai utili e positivi perché danno la posibilità di trarre insegnamento dalle esperienze passate per adeguare i metodi d'azione alle situazioni presenti.

12.—E' certamente utile, se non necessario, completare la normale formazione teologica e spirituale dei missionari, anche sacerdoti, con una specializzazione professionale, soprattutto nelle cosiddette scienze umane. Nella scelta delle professioni si sia aperti, con prospettiva dinamica, sapendo prevedere e anche preordinare le necessità del domani. Il campo è vastissimo: dall'etnologia alla letteratura, dalla psicologia alla medicina. In realtà, non ci possono essere esclusioni. Bisognerà tener conto delle inclinazioni individuali, ma sarà sempre necessario ordinare queste e la specializzazione professionale allo scopo dell'evangelizzazione e all'esercizio del ministero sacerdotale; ogni sacerdote deve essere sempre e soprattutto sacerdote.

13.—L'urgenza dei problemi dello sviluppo umano, specialmente nei paesi del Terzo Mondo, induce, talora, a dare eccessiva importanza agli aspetti umani dello sviluppo a scapito del valore spirituale dell'evangelizzazione.

E' certamente vero che lo sviluppo integrale dell'uomo non consente divisioni tra l'ambito spirituale e le necessità corporali della sua vita. L'esempio del Signore ci insegna a considerare con generosità il bisogno di nutrimento, di benessere, di libertà che accompagna l'uomo di tutti i tempi. Ma lo stesso insegnamento ci avverte che l'uomo non vive solo di pane e che il fare il bene, il curare i malati, il sostenere i diritti civili, ha per scopo di condurre l'uomo a riconoscere la bontà del Padre nostro che è nei cieli e ad amare gli altri uomini come fratelli.

In realtà, per quanto limitata sia la partecipazione di ogni singolo missionario allo sviluppo materiale del paese in cui si trova, l'esperienza mostra che egli è accettato e ben voluto dalla gente appunto perché si avverte in lui la preoccupazione del benessere duraturo e totale che include l'aspetto spirituale e l'attenzione per la persona umana.

14.—L'argomento della vocazione missionaria e di una corrispondente formazione specifica va affrontato anche in rapporto ai sacerdoti inviati direttamente dalle Chiese particolari. Il loro «andare» costituisce un'espressione autentica della vocazione missionaria di tali Chiese. Essi sono missionari a pieno titolo. La loro vocazione missionaria esprime una forma speciale del ministero sacerdotale e richiede di conseguenza una speciale formazione. Bisogna riconoscere che, almeno finora, la preparazione normale di un sacerdote diocesano non è sufficiente per l'andare missionario. E' necessaria una preparazione immediata in relazione alla problematica generale della evangelizzazione di una cultura non-cristiana e alla situazione particolare del luogo in cui un tale sacerdote dovrà svolgere la sua attività.

15.—Per dare ai sacerdoti diocesani una preparazione adeguata converrà provvedere alla loro formazione, anche con corsi individuali, tenendo conto della loro condizione. Essi, infatti, non appartengono a Istituti con vita di comunità, ma rappresentano, in maniera individuale, il segno della comunione fraterna tra Chiese Particolari. D'altra parte, essi si troveranno a contatto con i missionari dei vari Istituti e con questi, unitamente ai sacerdoti autoctoni, dovranno formare un presbiterio unico con il Vescovo locale. Non è, quindi, fuori luogo pensare alla convenienza di servirsi per la loro formazione dei centri intercomunitari, provvidenzialmente sorti negli ultimi anni per l'iniziativa di vari Istituti Missionari. In questi centri l'insegnamento e la vita sono ordinati sistematicamente all'attività missionaria. I loro programmi potranno essere opportunamente adattati alle esigenze dei vari candidati. Mentre, infatti, i centri intercomunitari rappresentano una manifestazione promettente della collaborazione tra gli Istituti Missionari dopo il Concilio che va cordialmente incoraggiata, non c'è dubbio che essi risponderanno tanto meglio allo scopo per cui sono sorti quanto più terranno presenti i molteplici aspetti odierni della attività missionaria aprendosi anche a sacerdoti diocesani e a laici.

16.—Ai laici che desiderano dedicarsi all'attività missionaria bisogna chiedere, innanzitutto, una piena formazione professionale. Conviene essere severi in questa prima chiarificazione, affinché non si illudano né deludano nella loro opera di collaborazione. E' necessario, inoltre, dare loro una soda formazione ascetica e teologica, affinché la loro prestazione sia autenticamente missionaria. Nello stesso modo occorre prepararli all'incontro culturale con genti nuove, affinché il loro contatto professionale sia consapevole e responsabile e la loro azione d'incontro positiva ed efficace.

Per questa ragione non è fuor di luogo, anzi per tanti aspetti può risultare utilissimo, prevedere nei debiti modi, come già avviene in alcuni posti, l'ammissione di laici ai corsi di formazione dei centri missionari intercomunitari.

17.—Il prospettare ai giovani, sacerdoti, religiosi, religiose, laici, un programma efficiente di preparazione all'attività missionaria non costituisce un motivo di scoraggiamento che li allontani; se così fosse, bisognerebbe ritenerlo un mezzo efficace di scelta. I giovani desiderano chiarezza e preparazione per essere efficienti. Soprattutto i giovani di oggi che desiderano dedicarsi al servizio missionario vogliono rendersi conto della complessità dei problemi che tale servizio importa.

Noi riteniamo che il dare prova di serietà e di responsabilità nella formazione dei giovani missionari rappresenti un mezzo efficace per superare la crisi delle vocazioni. In ogni caso si offre ai giovani la opportunità di chiarire a sé e agli altri la ragione missionaria e certamente si asseconda l'azione dello Spirito che li guida a porre la loro generosità al servizio dell'attività missionaria andando ad altri popoli.

18.—La Sacra Congregazione per l'Evangelizzazione, nell'affidare queste riflessioni alla considerazione dei Vescovi e dei Superiori, desidera rinnovare con essi la fede nella parola del Signore ed esprimere, nello stesso tempo, la fiducia nei giovani di oggi, con il proposito di assecondarne la vocazione e l'esigenza di preparazione adeguata per attuare il comando missionario del Signore in corrispondenza alle situazioni così singolari del nostro tempo.

Roma, Pentecoste 1970.—G. P. Card. AGAGIANIAN, *Pref.*
Sergio Pignedoli, *Segr.*

* Ad Ordinarios locorum Missionum et ad Superiores Institutorum Missionalium: BIM 34 (1970) 190-196.

3855

1970 MAI 17.-SC CULTUS DIVINI, NOTIFICATIO. PART.*

CALENDARIUM «AD INTERIM» RETINEATUR PRO ANNO 1971

In decreto, quo publici iuris factum est Calendarium liturgicum generale, praevidebatur hoc ipsum, in sua definitiva formulatione, vim legis esse accepturum post edita Breviarium et Missale, ex decreto Concilii Vaticani II instaurata.

Missale Romanum, nova editione typica latina, promulgatum est ab hac Sacra Congregatione die 26 martii 1970, dum praeparatio editionum linguis vernaculis commissa est Conferentiis Episcopalibus, quae diem statuent, quo eadem editiones vigere incipient.

Ad Breviarium Romanum quod attinet, labor praeparatorius pergit ad finem.

Cum autem praevideatur fore impossibile ut intra finem huius anni editiones Missalis Romani linguis vernaculis apparentur, statuitur ut Calendarium generale necnon Calendaria particularia «ad interim» in usu retineantur etiam durante anno 1971.

Romae, die 17 maii 1970.—A. BUGNINI, *a secretis.*

* Ordinariis locorum: Notit. 6 (1970) 193.

3856

1970 MAI 27.-VICARIATUS URBIS, INSTRUCTIO. PART.*

NORMAE CIRCA EXPOSITIONEM ANNUALEM SOLLEMNEM S. EUCHARISTIAE, HUCUSQUE XL HORARUM DICTAM, IN URBE FACIENDAM

I principi dottrinali e le disposizioni pratiche dell'Istruzione *Eucharisticum Mysterium* (S. Congr. dei Riti: 25 maggio 1967) [LE 3562], hanno richiesto un ripensamento e un rinnovamento della pratica delle «quarantore» (che l'Istruzione chiama: *Esposizione solenne annuale del Santissimo Sacramento*), anche per adeguare riti liturgici e forme devozionali alle sensibilità spirituali e alle esigenze pastorali suscitate dalla riforma liturgica. Negli ultimi anni infatti, in gran parte delle parrocchie, la frequenza e la solennità delle cosiddette «quarantore» sono scadute a motivo, sì, di difficoltà derivate da orari, numero di fedeli, coincidenze improvvise di altre celebrazioni, ecc., ma soprattutto perché, per le mutate condizioni di vita, certi modi non sono più atti ad esprimere adeguatamente contenuti di fede.

I. *Finalità*

Alla luce della *Eucharisticum Mysterium* è anzitutto necessario precisare le finalità che deve avere la Esposizione solenne annuale.

Prima della Istruzione essa era detta delle «quarantore». E' bene ricordare che questa «devozione» ha cambiato, nel corso della storia, le sue ragioni e motivazioni. Originariamente essa indicava il periodo nel quale i fedeli si trattenevano in meditazione e preghiera davanti al Santissimo Sacramento esposto, ricordando la permanenza del Signore nel sepolcro (da cui il nome di «quarantore»). Poi, poco per volta, si è trasformata in giornate eucaristiche di implorazione ed espiazione, motivate dalle calamità temporali e dai pericoli spirituali. Finalmente, il movimento eucaristico del secolo scorso l'ha trasformata in manifestazioni solenni di fede e di adorazione al Santissimo Sacramento.

L'attuale «Esposizione solenne annuale» dovrebbe realizzarsi in «giornate eucaristiche» con le seguenti finalità:

1. approfondimento della fede nel totale mistero eucaristico, con forme straordinarie di predicazione, di riflessione personale, di preghiera comune, in un contesto di riti e di catechesi appropriate che favoriscono una viva esperienza personale e comunitaria di ciò che l'Eucaristia è per la vita cristiana e per la Chiesa (*Euch. Myst.*, nn. 6, 7, 11);
2. più larga partecipazione dei fedeli alla comunione sacramentale nella Messa, per una più intima unione con il Signore e con i fratelli, scopo ultimo di ogni devozione eucaristica: la comunione sacramentale, infatti, è la forma normale di ogni piena partecipazione alla Messa (*Euch. Myst.*, n. 12);
3. perfezionamento delle forme di partecipazione alla Messa, rendendole più interiormente consapevoli, ma anche esternamente più espressive (*Euch. Myst.*, n. 12);
4. incontro vivo con il Signore, meglio conosciuto amato e adorato, per essere seguito ed imitato in più intima familiarità nella vita abituale (*Euch. Myst.*, n. 13);
5. altre concrete ed immediate finalità in rapporto a situazioni contingenti, purché subordinate alle precedenti, proposte, nelle singole comunità, dal gruppo responsabile della pastorale liturgica.

II. *Tempi*

1. Ogni singola comunità di fedeli studi il tempo più adatto alla realizzazione dell' «Esposizione solenne annuale», pensando, se possibile, ad un coordinamento di Prefettura. Nell'ambito della stessa Prefettura (con rispetto delle singole parrocchie e rettorie) si può, dove e quando lo si crede opportuno, anche realizzare annualmente la convergenza su una parrocchia e rettoria, magari facendo un turno delle chiese, di anno in anno. E ciò sia per motivi pratici, e sia per esprimere anche in modo visibile l'unità della fede e la comunione di carità, almeno in una porzione della diocesi, quale è la zona, la Prefettura o la parrocchia.
2. E' da evitare che l'Esposizione solenne cada in periodi liturgicamente forti, come ad esempio: Avvento-Natale, Quaresima-Pasqua, Pentecoste, domeniche, solennità infrasettimanali. Si consigliano altri tempi, purché siano favorevoli alla presenza di gruppi omogenei: settembre-novembre; gennaio-febbraio; maggio-giugno. Sembra logico pertanto escludere i mesi estivi a meno che, come ad Ostia Lido, il fenomeno turistico non permetta il realizzarsi di quelle condizioni indispensabili sopra esaminate: sarà la Prefettura locale a decidere. Così pure ci si potrebbe orientare —sempre per la scelta dei giorni— a quelli precedenti la festa del Corpus Domini, ed anche ad alcuni giorni dell'Ottavario per l'Unità dei Cristiani.
3. Nella scelta e durata giornaliera delle ore di esposizione si tenga presente il periodo adatto, in cui, assicurando un'adeguata affluenza di fedeli, è favorito e reso possibile l'incontro spontaneo e l'adorazione: *a)* ai gruppi omogenei di fedeli (*al mattino*: gruppi di mamme; *al pomeriggio*: gruppi dell'oratorio, gruppi di religiosi e religiose; *nelle ore serali* [19-20] o *notturne* [21-23]: gruppi di giovani e di uomini); *b)* ai componenti dei gruppi familiari ed ai singoli.

La durata di ciascuna «adorazione comune» sia tale da permettere la realizzazione di: *a)* una catechesi sul mistero eucaristico con meditazioni, letture e canti; *b)* una preghiera comunitaria solenne; *c)* una preghiera personale silenziosa.

Per quanto riguarda i giorni di durata dell'Esposizione solenne, ciò dipenderà dall'efficienza della parrocchia o prefettura. Minimo: un solo giorno; massimo: cinque giorni, tenendo tuttavia presente che non si tratta necessariamente di giornate intere, potento usufruire delle sole ore pomeridiane o serali.

III. *Indicazioni pastorali*

1. «Perché il mistero eucaristico permei a poco a poco l'animo e la vita dei fedeli, è necessaria una conveniente catechesi» (*Euch. Myst.* n. 3, 5) che educhi all'adorazione eucaristica come prolungamento della Messa in modo che i fedeli individualmente o in gruppi si ritrovino più spesso davanti al tabernacolo.

Là dove esistono, possono coadiuvare con particolare testimonianza i gruppi dei fedeli formati nelle associazioni eucaristiche, come la Confraternita dell'Adorazione notturna, le Lampade viventi, le Guardie d'onore del SS. Sacramento.

2. Durante le «giornate eucaristiche» occorre non dimenticare i malati o le persone anziane impedite a venire in chiesa. Si può pensare ad un gruppo «malati» presente in chiesa per un'adorazione comune sul tema: «Eucarestia e sofferenza cristiana»; oppure, mentre in chiesa si svolge una adorazione comune, impegnare nella medesima ora i malati in casa perché, con l'aiuto di sussidi, realizzino una veglia eucaristica assieme ai propri familiari riuniti in preghiera: tutto questo per valorizzare il dato «unitivo» della vita cristiana: i malati sono parte integrante e vitale della comunità.
3. Se la chiesa nella eucaristia, quando prende coscienza di sé, è missionaria, non può isolarsi o chiudersi, durante le giornate dell'esposizione. In questo periodo la comunità prende meglio coscienza dei suoi compiti e:
   — prega per i lontani dalla fede o in cerca di essa;
   — tenta di avvicinare i lontani, con un'azione collaterale all'esposizione solenne, favorendo incontri familiari.

IV. *Programmi*

1. L'Esposizione solenne deve, per sua natura, partire dalla Messa (meglio se concelebrata) svolta con solennità, cioè con partecipazione numerosa e attiva del popolo: naturalmente non deve omettersi l'omelia. In questo senso l'Esposizione

http://www.obrascatolicas.com

solenne dovrebbe intendersi come il «prolungamento» del tempo del «sacro silenzio» raccomandato dopo la Comunione (*Istituzione generale del Messale* n. 56, *j*) [LE 3840]. Pertanto per il luogo dell'esposizione si preferisca l'altare.

Nei giorni dell'esposizione, ma non davanti al SS. Sacramento esposto possono essere celebrate messe votive dell'Eucarestia, della Pace, di Gesù, Sommo Sacerdote, ecc., purché corrispondano all'indirizzo dato alla giornata eucaristica. Meglio però sarebbe, se lo stesso scopo si raggiungesse valorizzando la liturgia del giorno o del «tempo». E' pure consigliabile che al termine di una giornata di esposizione sia celebrata una Messa, naturalmente se il numero e la comodità dei fedeli lo permettano. Solo in casi eccezionali, invece, si dovrebbe dare la Comunione al termine di una «adorazione comunes, prima della benedizione eucaristica.

La Benedizione solenne deve chiudere l'Esposizione.

3. Si consiglia un tema dottrinale o spirituale unitario, ciò per raggiungere meglio lo scopo poiché fine dei giorni dell'Esposizione solenne è anche quello catechetico.

Il tema unitario può essere diverso nelle singole giornate; ciò dipende dalle esigenze dei gruppi (per es.: fanciulli, mamme, malati).

A titolo di esempio per una esposizione solenne di tre giorni:

— L'Eucarestia: Cena del Signore (messa) - Il banchetto del popolo di Dio (adorazione).

— L'Eucarestia: Mistero pasquale (messa) - la memoria della Pasqua di Gesù (adorazione).

— L'Eucarestia: Sacramento di unità (messa) - l'unità del popolo di Dio (adorazione).

4. Per quanto riguarda le «adorazioni»: occorre favorire al massimo quelle «comuni» per gruppi omogenei, lasciando però il margine per le adorazioni private. A titolo di esempio: messa di inizio, adorazione privata (mezz'ora), adorazione comune, al termine benedizione eucaristica.

Un'adorazione comune potrebbe così articolarsi: — lettura della Bibbia con brevi commenti alla Parola di Dio; — pause prolungate di silenzio per la riflessione sulla Parola ascoltata; — canti, preferibilmente, di salmi; — preghiere litaniche per le varie intenzioni che devono riguardare prevalentemente i grandi bisogni della Chiesa.

Per valorizzare, nel senso di «aiutare» il rapporto personale, il colloquio con il Signore si dovrà distinguere tra «adorazione comune» e «adorazione privata»: nel primo caso: lasciando momenti per la preghiera silenziosa e personale; nel secondo caso, mettendo a disposizione sussidi, per es.: raccolta di preghiere eucaristiche, di riflessioni eucaristiche, di letture bibliche appropriate.

Ciò che conta è un uso intelligente della Bibbia per far intendere che Colui che è presente e operante nell'Eucarestia, è il Messia atteso e prefigurato, è il Cristo che ora continua l'opera affidatagli dal Padre mediante lo Spirito Santo, è il Capo di cui la Chiesa è corpo e ciascuno di noi le membra, è il Vivente cui è legata la speranza di ogni creatura, è il «principio e la fine» di tutta la storia umana.

Nel quadro biblico-liturgico le «giornate eucaristiche» debbono avere una schietta finalità cristocentrica.

A conclusione di queste direttive pastorali tutti i sacerdoti ricordino che «per assolvere rettamente questo compito, debbono, in primo luogo, non solo avere presente l'insieme della dottrina della fede contenuta nei documenti del magistero, ma anche penetrare più profondamente con il cuore e con la vita nello spirito della Chiesa su questo argomento. Solo allora potranno agevolmente discernere quali aspetti di questo mistero saranno più convenienti ai fedeli nelle varie circostanze» (*Euch. Myst.* n. 5).

Dal Vicariato, 27 maggio 1970.—Angelo Card. Dell'Acqua, *Vicario.*

* Riv. dioc. Roma 11 (1970) 639-643.

3857

1970 MAI 31.-SC CULTUS, DECRET. AAS 62 (1970) 650

Novus consecrationis virginum ritus promulgatur

I.—Decretum

Consecrationis virginum ritus in pretiosissimis liturgiae romanae thesauris adnumeratur. Sacram enim virginitatem, donum in primis excelsum, Christus Iesus quasi hereditate Sponsae suae reliquit. Ex quo factum est ut, ab Apostolorum temporibus, virgines suam castitatem Deo dicarent, mysticum Christi corpus exornantes ac mirabili ditantes fecunditate. Provida Mater Ecclesia, inde a prisca aetate —ut Sancti Patres testantur— plum arduumque virginum propositum sollemni consecrationis prece confirmare consuevit. Quae, saeculorum decursu, aliis sacris caerimoniis adaucta, quo clarius significaretur sacras virgines imaginem gerere Ecclesiae Christo desponsatae, Pontificali Romano recepta est.

Concilium autem Vaticanum II statuit ut etiam consecrationis virginum ritus recognitioni subiceretur (cf. Const.

des sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, art. 80) [LE 3141]. Cui praecepto obsecutum, Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra liturgia hunc ritum apparavit, quem Summus Pontifex Paulus VI Auctoritate Sua Apostolica approbavit evulgarique iussit. Quapropter haec Sacra Congregatio pro Cultu Divino, de speciali mandato elusdem Summi Pontificis, illum promulgat, statuens ut, opportune aptatum, si casus fert, pro illis monialibus quae iure eo utuntur, a die 6 ianuarii 1971 vigere incipiat.

Interpretationes populares a Conferentiis Episcopalibus apparatae necnon ritus aptationes ad hanc Sacram Congregationem confirmandae quam primum mittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 31 maii 1970, in festo Visitationis B. Mariae Virginis.—Benno Card. Gut, *Praef.* H. Bugnini, *a Secr.*

II.—Normae Generales

Praenotanda *

I. *De virginum consecrationis natura et vi*

1. Mos virgines consecrandi, qui et in prisca viguit christianorum Ecclesia, effecit ut conderetur sollemnis ritus, quo virgo constitueretur persona sacrata, signum trascendens amoris Ecclesiae erga Christum, imago eschatologica Sponsae caelestis vitaeque futurae. Consecrationis ritu Ecclesia suum erga virginitatem amorem patefacit, supernam Dei gratiam in virgines implorat Sanctique Spiritus effusionem instanter rogat.

II. *De praecipuis virginum muneribus*

2. Ut constat, virgines sacrae, Spiritu Sancto impulsae, suam castitatem devovent quo Christum ardentius diligant fratribusque expeditius deserviant.

Virginis christianae enim, paenitentiae et misericordiae operibus, apostolicae actuositati sanctaeque orationi, pro suo quaeque statu suisque charismatibus, debent vacare.

Ad orationis munus explendum, virginibus sacratis vehementer suadetur ut Officium divinum, Laudes et Vesperas praesertim, cotidie recitent; ita, vocem suam cum Christo summo Sacerdote sanctaque consociantes Ecclesia, caelestem Patrem sine intermissione laudabunt et pro totius mundi salute intercedent.

III. *Quibus mulieribus consecratio virginalis impertiri possit*

3. Ad consecrationem virginalem admitti possunt sive moniales sive mulieres vitam saecularem agentes.

4. Pro monialibus requiritur: *a)* ut numquam nuptias celebraverint neque publice seu manifeste in statu castitati contrario vixerint; *b)* ut professionem perpetuam aut in eodem ritu aut antea emiserint; *c)* ut familia religiosa hoc ritu utatur ex antiqua consuetudine aut nova competentis Auctoritatis permissione.

5. Pro virginibus vitam saecularem agentibus requiritur; *a)* ut numquam nuptias celebraverint neque publice seu manifeste in statu castitati contrario vixerint; *b)* ut aetate, prudentia, moribus omnium consensu probatis, fidem praebeant in vita casta atque Ecclesiae proximique servitio dicata se perseveraturas; *c)* ut ab Episcopo loci Ordinario ad consecrationem admittantur.

Episcopi autem est statuere quo modo ac ratione virgines vitam saecularem agentes se obligent ad vitam virginalem perpetuo amplectendam.

IV. *De ritus ministro*

6. Minister ritus consecrationis virginum est Episcopus Ordinarius loci.

V. *De ritus forma*

7. Ad consecrandas virgines vitam saecularem agentes adhibendus est ritus, qui in capite I describitur.

Ad consecrandas vero moniales sequendus est ritus, qui in capite II proponitur, in quo professio religiosa et consecratio virginalis congrue miscentur. Iusta tamen de causa, ritus seiungi possunt; ex. gr. ubi hoc fit ex antiqua consuetudine. Sed caveatur ne quaedam ritus partes duplicentur; sed duae actiones liturgicae ita disponantur ut, in professionis ritu, quavis consecrationis prece omissa, tantum ea quae ad professionem pertinent peragantur; prex vero *Deus, castorum corporum* et cetera quae sponsalem indolem exhibent, ex. gr. anuli traditio, consecrationis ritui serventur.

Ritus partes sunt: *a)* Virginum appellatio. *b)* Homilia seu allocutio, qua populus et virgines de virginitatis dono admonentur. *c)* Interrogationes, quibus Episcopus ex virginibus quaerit num in virginitatis proposito perseverare et consecrationem recipere velint. *d)* Supplicatio litanica, qua oratio ad Deum Patrem dirigitur et santissimae Virginis Mariae omniumque Sanctorum intercessio exquiritur. *e)* Propositi castitatis renovatio (aut professionis religiosae emissio). *f)* Sollemnis consecratio virginum, qua Mater Ecclesia Patrem

* Pontificale Romanum ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli Pp. VI promulgatum: Ordo consecrationis virginum, editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1970, p. 7-9.

caelestem exorat ut Sancti Spiritus dona super virgines abundanter effundat. *g)* Insignium consecrationis traditio, quibus interna consecratio exterius significatur.

VI. *De Missa in ritu consecrationis virginum adhibenda*

8. Convenienter dicitur Missa ritualis «In die consecrationis virginum». Occurrente vero sollemnitate vel dominica temporis Adventus, Quadragesimae aut Paschae dicitur Missa de die, servatis, pro opportunitate, formulis propriis in prece eucharistica et in benedictione finali.

9. Cum autem liturgia verbi, celebrationi consecrationis virginum aptata, magnam vim habeat ad virginitatis bonum eiusque munus in Ecclesia illustranda, quando Missa «In die consecrationis virginum» prohibetur, unam lectionem sumere licet ex iis quae in peculiari lectionario recensentur, praeterquam in Triduo sacro, in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes et Ssmi Corporis et Sanguinis Christi, vel in aliis sollemnitatibus de praecepto servandis.

10. Ad Missam ritualem «In die consecrationis virginum» celebrandam, sacrae vestes coloris albi adhibentur.

(Sequitur ritus liturgicus.)

Adn. M.-M. CROISET in La Maison-Dieu n. 110 (1972) 116-128; J. E. ENOUT in LE 78 (1962) 3-33; R. METZ in EL 80 (1966) 285-293 et in La Maison-Dieu n. 110 (1972) 88-115.

3858

1970 MAI .. -SC CULTUS DIVINI, DECLARATIO. PART.*

Versiones vernaculae textuum liturgicorum debent semper anonymae manere

Nonnullae Commissiones nationales de sacra Liturgia petierunt: 1. utrum in versionibus lingua vernacula edendis inscribi possit nomen auctoris vel auctorum, qui illas produxerunt, an anonymae manere debeant; 2. utrum iura editionis (*Copyright*) possint uni alterive personae privatae vel editori adscribi aut necesse sit ea permanere penes Conferentiam Episcopalem vel Commissionem liturgicam nationalem.

Omnibus mature perpensis, auditis etiam peritis plurium nationum, Sacra Congregatio pro Cultu divino haec declarat:

ad primum: omnes versiones populares cuiuscumque documenti vel textus liturgici sint omnino anonymae, uti fit pro textibus lingua latina ex officio emanatis, sub nomine et auctoritate huius Congregationis: nomen auctorum in libris liturgicis, a celebrante vel sacris ministris ad altare adhibendis, indicari non debet, nec in textu nec in praefatione;

ad secundum: iura editionis pro omnibus versionibus manere debent penes Conferentiam Episcopalem vel Commissionem liturgicam nationalem.

* Ad Praesides Conferentiarum episcopalium: Notit. 6 (1970) 153.

3859

1970 IUN 3.-CONV. CUM. SAARLAND. AAS 62 (1970) 504

Ratihabitio conventionis inter Apostolicam Sedem et Foederatam Civitatem Saravicam circa institutionem magistrorum in disciplinis religiosis

Vide *textum* sub die 1969 nov. 12: LE 3802.

3860

1970 IUN 4.-SC RELIG., DECL. AAS 62 (1970) 548-549

De clausura papali Ordinum religiosorum

Clausuram papalem Ordinum religiosorum ut magis idonee nostris temporibus accommodaret, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, desideriis favens plurimorum Superiorum, Summo Pontifici petitionem sub-
549 lecit, qua Moderatores Generales Canonicorum Re/gularium, Mendicantium et Clericorum Regularium suam clausuram moderarentur secundum can. 604 Codicis iuris canonici definitiones.

Cum Summus Pontifex, die 23 Februarii 1970, postulationem admiserit, Supremi Moderatores Ordinum religiosorum —Monachis exceptis — propriam clausuram temperare possunt ad normam praefati canonis.

Romae, die 4 Iunii 1970.—I. Card. Antoniutti, *Praef.* E. Heston, C. S. C., *a Secr.*

Adn. COFMConv 67 (1970) 66-67; ANASTASIUS AB UTRECHT in Laurentianum 11 (1970) 308-356; E. F. REGATILLO in Sal terrae 60 (1972) 547-48.

3861

1970 IUN 4.-SC RELIG., DECR. AAS 62 (1970) 549-550

Decretum quo nonnullae facultates Religiosis Institutis conceduntur

Ad instituenda experimenta, iuxta M. P. *Ecclesiae sanctae* [LE 3457], a Sacra Congregatione pro Religiosis et Institutis Saecularibus frequentes expostulantur a iure communi dispensationes.

Cum vero rationes quarundam petitionum communes sint omnibusque in universum Institutis aequo iure congruentes, Sacra Congregatio in Ordinario Coetu diei 24 Aprilis 1970 opportunitatem expendit nonnullos canones suspendendi vel immutandi.

Omnibus debite ponderatis, Patribus, in praefato Coetu, haec statuenda visum est:

1. Cuiusque Instituti religiosi juris pontificii erit, ad normam juris particularis, constitutas jam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere, firma manente pro prima divisione in provincias aut pro totali earumdem suppressione, obligatione recurrendi ad Sanctam Sedem (cfr. can. 494, § 1). Capitulum generale statuat normas servandas in erectione et innovatione provinciarum Constitutionibus inserendas.

2. Obligatio suspenditur Sedis Apostolicae beneplacitum petendi ad domum religiosam exemptam erigendam, vel supprimendam vi can. 497, § 1 et 498, exceptis tamen Monialium Monasteriis sui iuris salvisque iis quae ad normam iuris Ordinariis locorum competunt (cfr. can. 497, § 1 et M. P. *Ecclesiae sanctae*, I, 34, § 1) [LE 3457].

3. Firmis propriae cuiusvis religionis Constitutionibus, quae potiorem aetatem aliaque potiora requisita exigant, ad munus Supremi religionis Moderatoris inhabiles sunt qui eandem religionem perpetuo pro/fessi non sint et annos 550
triginta quinque non expleverint. Pro aliis omnibus Superioribus maioribus (cfr. can. 488, 8), praeter professionem perpetuam, sufficiunt triginta anni. Pro ceteris vero officiis ius particulare requisitum aetatis determinare valet, ita tamen ut pro Magistro Novitiorum saltem aetas triginta annorum requiratur.

4. Suspenditur norma qua testimoniales litterae pro adspirantibus viris petendae sunt iuxta canones 544 § 2 et 545, salva semper obligatione, ex natura rei exorta, omnes utiles notitias quaerendi circa candidatos, qui admittendi sint.

5. Ordinationibus particularibus cuiusque Instituti relinquitur exercitiorum spiritualium temporis determinatio antequam candidati novitiatum incipiant vel novitii vota temporaria nuncupent, de qua in can. 541 et 571 § 3, cauto tamen ut minimum quinque dierum integrorum statuatur et eadem spiritualia exercitia modo convenienti et aptiore peragantur.

6. Testamenti condendi obligatio, quae nunc can. 569 § 3 statuitur circa novitios in Congregatione religiosa ante votorum temporariorum professionem, ad tempus quod immediate vota perpetua praecedit transferri potest.

7. Voluntatis explorationis obligatio, de qua in can. 552, suspenditur.

8. Praescriptum can. 607, quo Antistitae et Ordinarii locorum serio advigilare debent ne religiosae, citra casum necessitatis, singulae extra domum pergant, suspenditur, firmo tamen manente vigilandi onere ne incommoda oriantur.

Summus Pontifex Paulus Pp. VI, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto, die 1 Iulii 1970, concessa, Ordinarii Coetus sententias approbare dignatus est.

Quapropter Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, praesentis Decreti tenore, praedictas deliberationes publici iuris fieri decernit.

http://www.obrascatolicas.com

Haec autem quae decreta sunt statim vigere incipiunt, neque formula indigent quam executoriam appellant.

Praesentibus valituris donec iuris canonici Codex recognitus vim obtineat.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 4 Iunii 1970. –I Card. ANTONIUTTI *Praef.* E. Heston, C. S. C., *a Secr.*

Adn. ANASTASIUS AB UTRECHT in Laurentianum 11 (1970) 308-358; M. CABREROS in Vida rel. 30 (1971) 358-366; J. F. GALLEN in Review for Religious 30 (1971) 420-425; XAV. OCHOA in CpR 52 (1971) 121-148, 211-232; E. F. REGATILLO in Sal terrae 60 (1972) 544-548.

3862

1970 IUN 6.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII
BENEFICIUM NOVAE CAUSAE PROPOSITIONIS CONCEDITUR

FACTI SPECIES. 1. Partes in causa, matrimonium canonicum contraxerunt die 16 iunii 1956, ac octo circiter annis elapsis, vir petiit declarationem nullitatis sui matrimonii, ob exclusum ab ipsomet *bonum sacramenti*, a Tribunali primae instantiae, quod sententiam *negativam tulit* die 3 februarii 1965.

Interposita legitima appellatione, in hoc alterum iurisdictionis gradu, novum caput nullitatis additum est, scilicet, *condicio de suscipienda prole a viro apposita et non verificata*. Quapropter dubium, in secunda instantia, ita fuit concordatum: «An constet de matrimonii nullitate in casu ex capite *exclusionis boni sacramenti* ex parte viri, et, tamquam *in prima instantia*, ex capite *conditionis de prole* a viro appositae et non verificatae, seu an sententia Tribunalis primi gradus diei 3 februarii 1965, quoad primum, confirmanda vel infirmanda sit».

Verum etiam in secundo gradu actori data est *negativa* responsio quoad utrumque caput, per iudicialem sententiam diei 10 ianuarii 1967.

Ex primo capite proinde, seu *ob exclusum bonum sacramenti* habetur duplex sententia conformis; ex secundo autem, *ob conditionem de suscipienda prole a viro appositam et non verificatam*, una tantum. Quapropter actor appellavit ad tribunal alterius instantiae, non pro primo capite, sed pro secundo, semel tantum iudicato, et lis concordata fuit sub sueta formula: «An constet de matrimonii nullitate in casu».

Attamen, peracta instructione suppletiva, cl.mi actoris patroni petierunt, propter nova elementa exorta, ut suppletivum dubium concordaretur, quod revera factum est hoc modo: «An concedenda sit *nova causae propositio* quoad conditionem resolutivam a viro appositam; et quatenus affirmative: An constet de nullitate matrimonii ex eodem capite; vel ex capite (iam concordato) conditionis licitae ab actore appositae de capacitate mulieris habendi prolem».

Tribunal vero per sententiam diei 11 iulii 1969, mutata aliquo modo formula praedictae contestationis litis, responsionem *negativam* dedit omnibus concordatis dubiis; et actor, die 3 aprilis 1970, per suum cl.mum patronum recursum interposuit ad H. S. T., expostulans *beneficium novae causae propositionis*.

DECISIO. -Die 6 iunii 1970, in Congressu habito coram Emmo Cardinali Praefecto, proposito recursu a parte actrice in causa de qua supra, interposito ad obtinendam novam causae propositionem post sententiam a S. R. Rota die 11 iulii 1969 latam, decretum est: Novam causae propositionem in casu concedendam esse sive quoad caput exclusionis boni sacramenti ex parte viri, sive quoad caput conditionis de praesenti ab eodem viro appositae.

ADNOTATIONES IN IURE. 2. Sententiae, in causis matrimonialibus, numquam transeunt in rem iudicatam; ideoque ipsae semper retractari poterunt coram tribunali superiori.

Attamen ex duplici sententia conformi in his causis consequitur ut ulterior seu nova propositio haud debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis. Talia argumenta vel documenta non requiritur ut sint gravissima multoque minus decretoria, hoc est quod peremptorie exigant contrariam decisionem (cfr. cc. 1903, 1989; Instruct. 1936, art. 217) [LE 1347].

Quapropter pro admissione ad novum causae examen, motiva esse debent: a) *praesto*, i.e. in re, in exhibitione recurrentis et non modo in spe; b) *nova*, ita ut nondum fuerint exhibita, aut non examinata, aut minus recte et iuste aestimata; c) *gravia*, quatenus nempe praebeant *fundatam possibilitatem* reformationis sententiarum, quin necessario seu decretorio modo id exigant.

«Inter haec (argumenta nova et gravia) — legimus in una coram Mattioli, diei 13-3-53 — recensentur non modo quae a partibus novissime afferuntur ad roborandas probationes iam allatas seu ad lacunas complendas, v.g. documenta nuper reperta, vel testes praecedentes non inventi, vel quorum scientia antea ignorabatur, etc.; sed et laesiones iuris a tribunalibus hucusque invocatis etiamsi bona fide forte perpetratae in damnum veritatis et iustitiae. Quae quidem laesiones vel rerum substantiam spectare possunt, ubi iudices falsa acceptaverint, vera reiecerint, incongrua seu inepta admiserint, vel simpliciter proceduram, vel utrumque. Nec oportet ad iurisprudentiae normam, ut huiusmodi... reformationem sententiarum quoad meritum omnimoda certitudine exigant. Sufficit e contra *fundata probabilitas denunciati erroris, seu ut non temerarie suspicio exurgat de iustitia non recte administranda*».

ADNOTATIONES IN FACTO. 3. Cl.mus patronus actoris, attenta diversa formula dubiorum in sessione pro litis contestatione et in ipsa novissima sententia, asserit quod «pare sommessamente che ci si trovi di fronte ad un *grosso equivoco*» (p. 6). Et postea prosequitur: «Absit omnino iniuria verbis, ma dalla lettura della sentenza si ha l'impressione che *si sia confuso la conditio de futuro con la intentio adversus bonum sacramenti*» (p. 7).

Claritatis gratia transcribimus, prout ipse patronus facit has diversas formulas.

Formula nel verbale

«An concedenda sit nova causae propositio *quoad conditionem resolutivam a viro appositam*: et quatenus affirmative: An constet de nullitate matrimonii ex eodem capite; vel ex capite (iam concordato) conditionis licitae ab actore appositae de capacitate mulieris habendi prolem».

Formula nella sentenza

«An concedenda sit nova causae propositio *quoad exclusionem boni sacramenti*; et quatenus affirmative: An constet de matrimonii nullitate in casu ob conditionem contra matrimonii indissolubilitatem; vel ob conditionem licitam ab actore positi tam de capacitate mulieris habendi prolem et non verificatam».

Nos autem, hisce in diversis formulis, non invenimus «*un grosso equivoco*». Nec videtur quod in praedicta sententia «si sia confuso la conditio de futuro con la intentio adversus bonum sacramenti».

Difficultas iuxta cl.mum patronum haberetur non in secunda parte formularum sed in prima. Verum iudicio nostro, in prima parte utriusque formulae agitur de eadem re, i.e. *de concedenda vel minus nova causae propositione*, et quidem quoad caput bis iudicatum, scilicet, *ob exclusum bonum sacramenti*. Et non potest esse confusio cum altero capite *ex conditione de futuro* ab actore apposita de capacitate mulieris habendi prolem, nam quaestio est an concedenda sit nova causae propositio; ideo unice ex primo capite, *ob exclusum bonum sacramenti*, iam per duplicem sententiam iudicatum, et non ex secundo capite, quia semel tantum iudicatum, ideo non indigebat beneficio novae propositionis.

Si in prima parte formularum, cum sermo est de capite *ob exclusum bonum sacramenti*, fit sermo etiam de conditione, est quia ipsa exclusio fieri potest etiam per modum conditionis, et tunc, prout iurisprudentia docet, facilius est probatio. In prima parte utriusque formulae agitur proinde *de exclusione boni sacramenti*, forsitan per modum conditionis; in altera vero *de conditione propria de futuro*.

Hoc enim clare apparet ex modo loquendi ipsius sententiae, quae in expositione iuris iam bene distinguit haec duo capita. Primo toto n.4 loquitur de «*exclusione indissolubilitatis* (boni sacramenti) *per conditionem*» quae «irritum facit matrimonium». Et deinde in n. 5 *de matrimonio conditionato*, quod «regitur praescriptis can. 1092».

Similiter IN FACTO, sententia primo considerat caput *exclusionis indissolubilitatis seu boni sacramenti*, respondendo videlicet ad duplex dubium, circa novam propositionem causae et circa meritum (nn. 7 et 8); postea vero examinat alterum caput, *ob conditionem nempe ab actore appositam de capacitate mulieris habendi prolem et non verificatam* (nn. 9, 10, 11).

Nulla ergo confusio, ex hac parte, in supradicta sententia.

4. Verum confusio aliqua quae inveniri potest in ipsa sententia, esset relata ad modum procedendi et solvendi dubia circa concessionem vel minus novae propositionis causae et meritum ipsius.

Evidens est quod prius investigandum est an praesto sint nova et gravia argumenta; et si affirmative, postea proceditur ad novum examen causae. Et hoc ordine in sententia dubia concordata sunt. Sed deinde, in examine horum dubiorum, videtur quod *primo disceptatur de merito causae*, attentis novis argumentis allatis, seu an sententiae praecedentes reformari debeant, vel an constet de nullitate matrimonii; et quia non constat, argumenta allata non sunt nova et gravia pro concedenda nova propositione causae.

Siquidem, in novissima sententia, cum sermo est adhuc de primo dubio, seu an concedenda sit nova causae propositio, legitur: «Fatemur argumenta a cl.mis patronis congesta (pro obtinendo beneficio novae audientiae seu propositionis), *nobis haud paria visa fuisse ad binas conformes sententias* infringendas *contra boni sacramenti exclusionem*. Et *in hanc opinandi atque iudicandi rationem* Patres decreverunt postquam *nova et vetera expenderunt* atque sedula cura inter se contulerunt» (n. 7).

Attamen ut concedatur nova causae propositio, non requiritur quod vis argumentorum novorum talis appareat ut *infringere* valeat binas sententias conformes, seu ut exigat iam ab initio contrariam decisionem, sed sufficit ut praebeat *fundatam possibilitatem* seu *probabilitatem* reformationis sententiarum (cfr. supra n. 2). Si haec possibilitas seu probabilitas adest, propositio novae causae concedenda est; et postea in novo examine causae, disceptatur de valore argumentorum in ordine ad reformationem sententiarum, cuius exitus potest esse negativus; non necessario consequitur, quod admissa causa ad novum examen, binae sententiae conformes reformari debeant.

Ipsa vero sententia videtur loqui, in sensu supra indicato, etiam aliis expressionibus, v.g.: «Neque novi testes vel noviter excussi *valeni destruere* argumenta quae desumuntur e testimoniis conventae eiusque testibus. Illa et isti omnino contradicunt actori quoad conditionem contra matrimonii indissolubilitatem... Haec sunt satis concludentia atque sufficienter demonstrant *sententiam prioris et alterius gradus iure merito respuisse actoris assumptum*» (n. 7). Sed hoc est iam disceptare de merito causae, cum adhuc quaestio sit de argumentis pro admittenda causa ad novam disceptationem.

Sententia proinde videtur confundere argumenta nova et gravia quae requiruntur pro nova propositione causae, cum argumentis seu probationibus requisitis pro reformatione sententiarum; et est res valde diversa, nam possunt esse sufficientia pro concedendo beneficio novae propositionis, minime autem pro reformatione sententiarum. Hoc apparebit ex disceptatione de merito causae postquam ad novum examen admissa fuerit.

5. Relate ad aestimationem argumentorum seu declarationum testium, ex parte sententiae, sequentia animadvertenda sunt.

In Actis certe inveniuntur elementa seu assertiones viri actoris, quae, si vera essent, suum matrimonium redderent nullum. Sed ex altera parte mulier conventa aperte et tenaciter contradicit actori.

Nec desunt testes qui favent intentioni actoris, alii autem potius confirmant assertiones mulieris conventae.

Sententia vero maius pondus tribuit assertionibus conventae et testium ipsi faventibus, quam testibus contrariis et ipsi viro actori. Inter alia, sententia, post citationem horum actoris verborum: «si diceva allora tra noi, che se l'una o l'altra cosa, l'assenza dei figli o la infelicità coniugale si fosse verificata tra noi, si sarebbe cercato di rompere il matrimonio, annullandolo - divorziando», scribit: «Adsunt, utique, testes qui cum depositione actoris *quadrare videntur, sed graviores sunt testes contrarii*» (n. 7).

Non pertinet ad nos ample disserere de valore testium unius vel alterius partis. Certe plures sunt testes qui modo positivo deponunt secundum intentionem actoris (Cfr. Sum. p. 38 ad 6-8; p. 146 2-3; p. 42 ad 6-8; p. 139 ad 2; p. 48 ad 6-12; p. 144 ad 3-5; p. 52 ad 14-16; p. 142 ad 4-6; p. 54 ad 6-12; p. 143 ad 2-3; p. 134 ad 6-12; p. 138 ad 4-5).

Sed pro sententia «graviores sunt testes contrarii», et inter ipsos ab ipsa sententia citantur quatuor. Videamus ergo quid deponant huiusmodi testes. Primus fatetur: «Nelle conversazioni che avvenivano tra noi amici, l'elemento che emergeva più facilmente era il desiderio di prole da parte dell'attore... Era tanta la convinzione di lui che un matrimonio dovesse servire solo allo scopo di avere dei figli, che a volte lasciò intendere che un matrimonio senza prole non fosse da considerare neppure valido». Hoc in loco citato a sententia; et verum est quod huiusmodi verba non manifestant actum positivum voluntatis in matrimonio ineundo, sed nec etiam excludunt, imo illum bene explicare possunt. Non videtur proinde testis contrarius gravis, eo vel magis si consideretur quod in altera declaratione, non citata a sententia, idem testis affirmat: «Il matrimonio non poteva essere senza figli, tanto che egli (actor) riteneva ciò una possibile causa di annullamento. Che pensasse così e così ritenesse, io l'ho appreso da lui stesso... non solo dopo il matrimonio, ma anche prima e con intensità di preoccupazione da parte sua» (Sum. p. 148 ad 4).

Alter testis gravis actori contrarius, tantummodo ait in loco a sententia citato: «Per nessuno dei due giovani tuttavia *a me risultava* (est proinde quaedam opinio) sussistessero motivi che facessero dubitare sulla loro efficienza sessuale in ordine alla procreazione... Il matrimonio quindi scaturì per unanime e pacifica decisione» (Sum. p. 44 ad 9-12). Verum in altera depositione modo magis positivo affirmat: «L'attore diceva... che avrebbe lasciato la donna che non gli avesse dato figli nel matrimonio, perchè per lui un matrimonio simile non aveva senso... Confermo le parole già da me deposte secondo cui l'attore si sarebbe creata la possibilità di formarsi una nuova famiglia... Queste parole riflettono esattamente il pensiero dell'attore il quale diceva chiaramente che per lui un matrimonio senza figli non era valido... Difatti parlava di annullamento nel caso che non avesse avuto figli dal suo matrimonio, e diceva che per questo sarebbe ricorso anche all'estero... Queste idee, l'attore, le esprimeva correntemente ed anche in presenza della attrice, anche prima del matrimonio» (p. 138 s. ad 4-5). Quomodo ergo haec depositio dici potest actori contraria?

Tertius testis actori contrarius iuxta sententiam, ad rem ait: «Il fidanzamento trascorse in modo del tutto normale e i due ragazzi apparivano felici. Pur restando l'attore nelle opinioni già dette sul matrimonio, *non credo* avesse motivo di prevedere che dal suo non dovessero nascere figli. *Io non seppi* di sofferenze di G. negli organi genitali, prima del matrimonio... Il matrimonio fu quindi deciso e preparato in atmosfera di pieno accordo» (p. 51 ad 9-12). Testis ergo in hac re suam opinionem vel ignorantiam manifestat. Postea vero, in altera depositione, in favorem actoris fatetur: «Mio fratello ha contratto matrimonio con G., con la volontà, intenzione e desiderio di avere da lei bambini; se non ne avesse avuti, avrebbe annullato il matrimonio perchè così non lo riteneva valido» (Sum. p. 142 ad 6).

Denique actoris mater, etiam inter testes graviores, actori contrarios, recensitos, deponit: «*Ignoro* tuttavia se queste cose fossero interpretate fin da allora dai due fidanzati come argomento che rendesse incerta una futura maternità di G. Neppure mio figlio mi disse questo, pur continuando a sostenere la sua opinione che un matrimonio senza figli non è un vero matrimonio. Data la facilità con cui mio figlio diceva queste cose, sono certa che gli capitò di riparterle anche davanti a G., così come poterono ascoltarlo gli amici che frequentarono più spesso» (p. 54 ad 9-12). Et in altera depositione, a sententia non citata, testis haec addit: «Confermo che mio figlio ha sempre detto che un matrimonio senza figli era nullo... Le intenzioni di P. dinanzi all'eventualità che gli fossero mancati figli nel matrimonio, erano chiare, e cioè avrebbe fatto l'annullamento di questo matrimonio» (p. 143 ad 2-3).

Non apparet proinde quod huiusmodi testes, et quidem graviores, sint intentioni actoris contrarii.

6. Ipsa declaratio Exc.mi Dñi T. M. diei 15 novembris 1967, suum momentum habet et attente est ponderanda. Ait enim: «sono a conoscenza della causa di nullità di matrimonio, da quando questa era stata *appena iniziata*... Egli (actor) ha sempre insistito nella risposta che per lui il matrimonio non aveva valore né senso senza figli, che voleva figli, aveva bisogno dei figli, e che quella di avere figli *era stata la condizione apposta al suo matrimonio*... So, da quanto ebbe a dimostrarmi il dott. N. (actor), che il sig T. (conventae pater) ha assunto fin da principio e tiene tuttora un atteggiamento persecutorio e di ricatto nei confronti del medesimo dott. N. Tali notizie mi sono state confermate anche da altre persone.

Per quanto concerne la sig.ra V. (conventa), penso che essa sia fondamentalmente buona, ma subisce le ire del padre. Ignoro i motivi dell'atteggiamento del sig. T.: penso peraltro che siano suggeriti soprattutto dall'interesse materiale, in quanto persone degne di fede che mi hanno descritto la posizione lo presentano come uomo venale... Ritengo il dott. N. (actor) di ineccepibile condotta morale e ciò malgrado calunnie sparse ad arte sul conto suo. Lo ritengo inoltre, del tutto degno di fede e immune da contraddizioni o sottintesi mentali. Anche altre persone di notevole elevatura sociale mi hanno parlato sempre ugualmente bene del dott. N., che peraltro, gode ampia stima nell'ambiente della sua professione. Detto questo, ritengo il dott. N. assolutamente incapace di giurare il falso». (Resp. ad 3, 4, 6, 7, 9).

7. Nova ergo inquisitio seu novum causae examen ad investigandum ubinam in casu veritas inveniatur, prae oculis habitis his omnibus quae supra dicta sunt, abs dubio suum influxum habere potest in meritum causae; ideo existimamus in casu obtentam fuisse illam *probabilitatem* seu *fundatam possibilitatem*, quae *sufficiens est ad novam causae propositionem admittendam*, saltem quoad caput *ob exclusum bonum sacramenti*.

Dicimus saltem quoad exclusum bonum sacramenti, nam licet ea quae dicta sunt magis directe respiciant hoc primum caput, nonnulla applicari quoque possunt ad alterum de conditione ab actore apposita et non verificata, nunc iam bis iudicatum.

Deinde argumentum pro concessione beneficii novae propositionis causae, etiam quoad alterum caput, haberi potest ex eo quod sententia magnam vim tribuit, pro responsione *negativa*, facto quod scilicet actor «fundatum dubium de incapacitate conventae generandae prolis non habuit». Ideo «quomodo actor potuisset consensum coartare per conditionem, si abfuerit causa sufficiens assertae conditionis?» (n. 11).

Verum hoc certe tenendum est: virum actorem quam maxime desiderare, et in magna aestimatione habere procreationem prolis, adeo ut semel atque iterum iam ante matrimonium ipse curavit de examine mulieris ex parte medicorum: «Fui io stesso a spingere i suoi genitori a farla visitare per sottrarla a quelle sofferenze, ma anche perchè *a me premeva moltissimo sapere se la ragazza fosse in regola nell'apparato genitale*. Temevo infatti che le sue sofferenze, potessero essere inizio di sterilità» (Sum. p. 16 ad 6). Assertiones vero medicorum etiam si sensu positivo factae — non tamen omne dubium absolute exclusum, nam unus ait: «non facile raggiungibile una maternità da parte di G.» — eidem viro actori, non dabant quamdam «*serena certezza*», tutt'al più può passare se intesa «*una buona speranza*», ma nulla più» (Sum. p. 121 ad 12).

De cetero, pro probatione defectus huius dubii ex parte actoris, excepta confessione mulieris conventae, testes in sententia citati utuntur verbis: «che io sappia», «non lo ascoltai», «a mio avviso», «non credo», «ignoro tuttavia», quae quidem non sunt depositiones categoricae, sed potius opinionem manifestant.

* Apoll. 43 (1970) 456-465.

3863

1970 IUN 6.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII
NOVAE CAUSAE PROPOSITIONIS

FACTI SPECIES. - Paula, actrix in causa, a tribunali Ecclesiastico Regionali petiit declarationem nullitatis sui ma-

http://www.obrascatolicas.com

trimonii, contracti cum Alexandro ob vim et metum sibi a parentibus iniuste incussum, quod Tribunal, lite concordata sub formula dubii «an constet de nullitate matrimonii ob vim et metum a parentibus actrici iniuste incussum, in casu», sententiam tulit negativam, seu non constare de nullitate matrimonii in casu. Quam sententiam Tribunal Appellationis Vicariatus Urbis confirmavit.

Nihilominus mulier petiit a Decano S. R. Rotae novam causae propositionem, asserens nonnullos testes precedenter numquam excussos fuisse et adducens documenta valida ex quibus constat unum saltem testem in primo iudicorum gradu plenam veritatem non dixisse.

S. R. Rota instantiam pro nova causae propositione relecit eo quod argumenta ab eadem muliere adducta nova non essent.

Contra hoc Decretum rotale Patronus actricis recursum interposuit apud Sectionem Primam S. T. Signaturae Apostolicae quo petiit «che il Decreto rotale sia riformato e che codesto S. Tribunale si compiaccia di concedere il 'beneficium novi examinis' trattenendo, possibilmente, la causa anche per l'esame del merito». Insuper idem Patronus rogavit «che siano interrogati alcuni testi, riferendosi a quanto esposto nel suo sopracitato ricorso per quanto concerne il merito della causa».

Signatura Apostolica instantiam actricis parti conventae notam fecit eamque rogavit ut sibi Procuratorem eligeret, intra mensem, et insimul ut scripto diceret «se sta per la nullità o per la validità del matrimonio in questione e, nel caso che non possa o non voglia scegliersi un Procuratore, se preferisce rimettersi alla giustizia del Tribunale».

Pars conventa declaravit: «Il sottoscritto rimette per iscritto che non intende nominare Procuratore; dò un parere favorevole per la nullità del matrimonio e mi rimetto alla giustizia del Tribunale quanto la Paola (actrix in causa) chiede per la nullità del matrimonio».

ANIMADVERSIO—In recursu Signaturae Apostolicae a Patrono actricis exhibito iure meritoque affirmatur exitum negativum causae adscribendum esse:

a) «da un lato, al comportamento processuale dell'Alessandro (pars conventa), dettato solo da un manifesto senso di orgoglio e da un profondo rancore per Paola (pars actrix)»;

b) «d'altra parte, ad una non felice verbalizzazione delle deposizioni dei testi, persone tutte di scarsissima cultura ed estremamente semplici»;

c) et quidem maxime, «d'altro canto, ha certo nociuto all'infelice esito della causa, la mancata deposizione dei testi particolarmente importanti, che a suo tempo non furono citati o rifiutarono di deporre».

Ex supplemento instructoriae rursus peracto constat depositiones testium, iterum excussorum, continere argumenta nova et gravissima quae probant gravitatem vis et metus actrici a parentibus iniuste incussi, praesertim a patre, qui omnino voluit celebrationem huius matrimonii, et quidem contra explicitam voluntatem filiae.

DECISIO. - Die 6 iunii 1970 in Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, proposito recursu ab actrice, in causa de qua supra, interposito adversus Decretum a S. R. Rota die 16 octobris 1969 latum, quo nempe denegabatur nova causae propositio, decretum est: *Novam causae propositionem concedendam esse in casu.*

* Apoll. 43 (1970) 511-513. Adn. O. ROBLEDA in PrM 81 (1972) 91-92.

3864

1970 IUN 8.-SC RELIGIOSORUM, NORMAE. PART.*

NORMAE CIRCA HABITUM A NOVITIIS ALIISQUE AD VITAM RELIGIOSAM CANDIDATIS INDUENDUM, ET CIRCA TEMPUS RITUMQUE EIUSDEM VESTITIONIS

Roma, 8 junio 1970

Reverendísimo Padre: Llegó su carta del 9 de mayo pasado en la cual suplicaba a esta Sagrada Congregación orientaciones sobre el hábito que han de vestir las novicias.

Sobre este asunto le puedo asegurar que:

1. El nuevo *Ordo professionis religiosae* [LE 3826] no podía señalar —y en efecto, no ha señalado— normas sobre el gobierno y la disciplina de los Institutos religiosos porque todo ello es exclusiva competencia de este Sagrado Dicasterio. Por lo que atañe al hábito, el susodicho *Ordo* se limita a afirmar que el comienzo del noviciado se efectúa de manera sencilla y privadamente, y que el hábito religioso se viste durante el rito que acompaña a la primera emisión de los votos religiosos.

2. La Sagrada Congregación para los Religiosos e Institutos Seculares —única competente en esta materia— ha especificado sobre el n. 33 de la Instrucción *Renovationis causam* [LE 3707], que pertenece al Capítulo General de cada Instituto Religioso determinar el hábito que deberán vestir los novicios y los demás candidatos a la vida religiosa.

Aunque, sin embargo, sea aconsejable para las novicias un hábito distinto, todavía no existe ninguna obligación en tal sentido, puesto que pertenece a los Capítulos Generales legislar sobre esta materia.

Aprovecho gustoso la ocasión para confirmarme con sentimientos de religioso obsequio, de V. R. devotísimo en el Señor.—E. HESTON, C. S. C., *Secretario.* D. M. HUOT, S. M. M., *Subsecretario.*

* Asistenti ecclesiastico pro Monialibus in Hispania, Prot. N. S. R. 5893/69: Vida rel. 29 (1970) 100.

3865

1970 IUN 9.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

DE ERECTIONE TRIBUNALIS INTERRITUALIS SECUNDAE INSTANTIAE

STATUS QUAESTIONIS. - Vir conventus in causa separationis a muliere promota, intendit appellare contra sententiam Tribunalis interritualis primae instantiae in Iran ad superius tribunal. Quod cum desit, Pro-Nuntius Apostolicus, commendante Praeside praedicti Tribunalis Interritualis, a Sacra Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus petiit ut nominare velit tres iudices ad praesentem causam in gradu appellationis cognoscendam, indicans «ad hoc» nomina presbyterorum qui munere iudicum Tribunalis fungi possint.

Sacra autem Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus petitionem ratione competentiae huic S. Tribunali transmisit, atque declaravit se exceptionem adversus praedictos clericos ad tribunal constituendum propositos nullam habere.

ANNOTATIONES IN IURE.—1. *De competentia Signaturae Apostolicae.* Constitutio Ap. «*Regimini Ecclesiae Universae*» [LE 3588] diei 15 augusti 1967 integrum tribuit Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae invigilandi munus in cuncta Tribunalia Ecclesiastica sive dioecesana sive regionalia aut interregionalia necnon interritualia, idque pro munere suo consulendi, ad normam legum, rectae administrationi iustitiae. Idcirco plurima quae ab Officio Vigilantiae, olim apud S. C. de disciplina Sacramentorum erecto, exercebantur circa Tribunalia regionalia de causis matrimonialibus, Signaturae Apostolicae competentiam ingrediuntur (Const. cit. n. 105). Ideo, vi potestatis administrativae, forum iudiciale respicientis, ad Sectionem Primam Signaturae Apostolicae etiam pertinet erectionem curare Tribunalium regionalium vel interregionalium aut interritualium (cf. art. 18, n. 6 Normae Speciales).

2. *De institutione tribunalis interritualis.* A) Litterae Apostolicae «*Sollicitudinem Nostram*» Motu Proprio datae «*De iudiciis*» pro Ecclesiis Orientalibus [LE 2098] canone 39 statuunt normas *de constituendo tribunali interrituali ordinario primae instantiae.*

B) Quoad vero tribunal *ordinarium secundae et tertiae instantiae*, eaedem Litterae Apostolicae haec praescribunt: «A tribunali unico plurium rituum, de quo in can. 39 *appellatio fieri debet ad tribunal designatum a Patriarchis* partium diversi ritus in causa» (*Sollicit. Nostram*, c. 72 § 1, 6).

Ratio praescripti huius canonis est quod causae, quae huic tribunali subiiciuntur, ad diversos ritus pertinere ac proinde mixti ritus esse possunt.

Cum autem Sedes Apostolica unica sit super-ritualis auctoritas, Patriarcharum diversi ritus, quorum interest, est tribunal interrituale appellationis concorditer designare.

Si vero propter rationes practicas constitutio tribunalis inter-ritualis ordinarii appellationis difficilis evadat, *extraordinarium ad hoc*, scil. ad determinatam causam cognoscendam, a Patriarchis quorum interest vel etiam, si casus ferat, ab ipsa Signatura Apostolica designandum est, uti supra, sub n. 1, dictum est.

3. *De constitutione tribunalis in causis matrimonialibus.* A) Iuxta *CIC* de re matrimoniali, tribunal in causis de vinculi validitate constituitur tribus iudicibus collegialiter procedentibus (c. 1576, § 1, 1), *unico vero iudice*, si agitur de *separatione* coniugum vel declaratione status liberi (c. 1966).

In iure autem canonico *orientali* (CICO), «reprobata contraria consuetudine, tribunali collegiali *trium iudicum* reservantur: *a)* causae contentiosae; *b)* de vinculo matrimonii, coniugum; *d)* de statu personarum...» (*Sollicitudinem Nostram*, c. 46 § 1, 1).

B) «Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet...» (ibid. c. 75).

C) Litterae Apostolicae «*Sollicitudinem Nostram*» *omittunt consilium* canonis 1578 CIC, qui edicit Ordinarium semper

posse tribunali per se ipsum praesse (exceptis causis de quibus in can. 37 § 2 CICO; CIC 1572 § 2), sed eidem *commendat* ut iudicium Officiali relinquat.

DECISIO. - In Congressu habito die 9 iunii 1970, propositis precibus a Praeside Tribunalis Iraniani interritualis primae instantiae ad obtinendam constitutionem Tribunalis secundae instantiae, quod iudicare possit appellationem a viro interpositam adversus sententiam Tribunalis primae instantiae in causa de qua supra, decretum est: «*Consulendum SSmo pro constitutione Tribunalis secundae instantiae in casu.* Ad Tribunal constituendum proponuntur: Excmus Dños T., Praeses, et RR. DD. P. et S. uti Iudices. Promotor Iustitiae ac ceteri ministri Tribunalis a Praeside eligantur».

SSmus autem D. N. Paulus divina providentia PP. VI, in audientia Emo Cardinali Praefecto H. S. T., die 3 iulii 1970 facta, gratiam concedere dignatus est iuxta votum Signaturae Apostolicae.

* Apoll. 43 (1970) 513-516. Adn. O. ROBLEDA in PrM 81 (1973) 93-94.

3866

1970 IUN 9.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

CURIEN. — NULLITATIS MATRIMONII — DE RECURSU CONTRA ADVOCATUM IMMODICUM HONORARIUM EXIGENTEM

DECISIO—Die 9 iunii 1970 in Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto propositus est recursus a Dña A., actrice in causa de qua supra, die 8 decembris 1969 missus adversus suum patronum, Dñum Adv. N. N.

Perpensis omnibus informationibus in casu collectis, decretum est:

1. Adv. N. N., attenta eiusdem gravi responsabilitate, restituat actrici summam lib. it. X quam illegitime sibi tribuit.
2. Tribunal determinet honoraria debita Patrono N. N. pro impenso labore.
3. Idem adv. N. N., suspendatur ab exercito professionis suae apud Tribunalia ecclesiastica ad tres menses (can. 1665-1666).

Praesens decretum publicetur ad valvas Tribunalis.

* Apoll. 43 (1970) 520. Adn. O. ROBLEDA in PrM 81 (1972) 94-95.

3867

1970 IUN 9.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

DIOECESIS A. - IURIUM
DE PROVISIONE PAROCHI RENUNTIANTIS

FACTI SPECIES - Litteris diei 16 iulii 1965 Ordinarius dioecesis A. Sempronium parochum paterne invitavit ut paroeciae renuntiaret. Iisdem litteris eum certiorem fecit de futura provisione circa eum facta: «Je sais que vous ne vous attendez pas à la proposition d'une autre paroisse; je vous assure plutôt le versement mensuel de prestations équivalentes à celles qui seront votées cet automne par les prêtres lors de la constitution des règlements de la Caisse Ecclésiastique. Le diocèse vous commencera ces versements à partir de la fin de votre mandat».

Sempronius statim invitationi obsecundavit, gratias pro futura provisione persolvit, die 15 augusti 1965 paroeciam dimisit et pensionem statutam primo a dioecesi, deinde ab Instituto dioecesano «Caisse Ecclésiastique» accepit. At mense sept. 1966, Consilium administrationis Instituti audivit Sempronium cappellaniam cum lauto stipendio in aliena dioecesi iam obtinuisse; ideo, attento Regulamenti praescripto, finem fecit solvendae pensioni. Sed post tres menses, amisso munere cappellani, Institutum iterum ei pensionem erogavit.

Interim tamen Sempronius Ordinario loci declaravit se nullam cum Instituto dioecesano necessitudinem habere, quod dioecesis debeat ei ex pacto et convento pensionem continuam seu perpetuam usque ad mortem dare, nulla habita ratione suae condicionis oeconomicae vel officiorum seu munerum bene compensatorum, quae in aliena dioecesi obtinere potuerit. «C'est un contract entre nous deux, qui me donne un droit naturel au versement de $ 100 mensuel».

Haud semel Ordinarius loci rationes uno vel alio modo expositas examinavit ac relecit. Ideo Sempronius die 20 augusti 1968 recursum interposuit ad Congr. pro Clericis. Attente perpensis rationibus ab utraque parte adductis, Congr. pro Clericis suas fecit rationes ab Ordinario loci allatas, et die 30 nov. 1968 recursum reicit. Adversus hanc decisionem Sempronius recursum interposuit ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, et quidem ob triplicem legis violationem: quod nempe Ordinarius loci iniuste transcripsisset onus reddendae pensionis a dioecesi in Institutum «Caisse Ecclésiastique» pro sustentatione presbyterorum qui nullam operam in dioecesi praestant; iniuste pensionis erogationem per tres menses intermisisset et, denique, pactum seu contractum cum ipso initum violasset.

ANIMADVERSIONES IN IURE—Attento praescripto can. 2161 § 2, qui remittit ad praescriptum can. 2154, parocho renuntianti post iuridicam invitationem, Ordinarius loci debet pro viribus consulere «sive translatione ad aliam paroeciam, vel assignatione alius officii aut beneficii, si ad haec idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adiuncta permittant»; aliis verbis Ordinarius loci prae oculis habere debet sive indolem causarum invitationis ad renuntiandum, sive condicionem moralem et oeconomicam ipsius renuntiantis et media de quibus dioecesis actu disponere potest.

Parochus renuntians strictum ius non habet ut sibi determinato modo provideatur, vel distincto a modo quo aliis sacerdotibus eiusdem condicionis in dioecesi providetur, quia ad Ordinarium pertinet determinare modum provisionis. Immo, si parochus renuntians aliunde sibi sufficienter providere potest, Ordinarius stricte non tenetur pensionem in eius favorem constituere, vel alio modo providere cum gravi incommodo (Cfr. SUAREZ E., *De parochorum remotione*, Neapoli 1959, n. 73; M. A CORONATA, *Institutiones iuris canonici, III De processibus*, Taurini 1962, n. 1593).

Si provisio fiat per pensionem, haec constitui potest ex diversis fontibus, veluti ex aliis beneficiis vel ex massa bonorum communi, qua valeat Episcopus huic obligationi satisfacere, vel ex cumulo aliquo in dioecesi pro similibus necessitatibus constituto. Conc. Vaticanum II proponit ut, attentis legibus ecclesiasticis et civilibus, habeantur Instituta dioecesana, quibus, sub vigilantia Hierarchiae, satis provideatur debitae sustentationi presbyterorum qui infirmitate, invaliditate, senectute laborent, vel quolibet alio impedimento detineantur, vel non idonei ab Ordinario habeantur ad officia vel alia munera in dioecesi explenda (Decretum *Presbyterorum Ordinis*, n. 21) [LE 3365].

Ordinarius loci potest parochum invitare ut renuntiet et postea, facta et acceptata renuntiatione, de congrua sustentatione agere; sed in ipsa invitatione ad renuntiandum potest novam provisionem parocho concedendam proponere et indicare, si expediens iudicaverit (can. 2155). Si enim ab initio proponitur futura provisio, «facile fieri poterit ut parochus, de sua culpa vel inidoneitate conscius, statim invitationi consentiat et sine ulteriore processu renuntiet» (WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, VI *De processibus*, Romae 1927, n. 761). Hoc in casu tamen, ut scite cavebat Decretum Congr. Consistorialis *Maxima cura* d. 20 augusti 1910, can. 28 § 3, quaestio de futura provisione non debet commisceri cum quaestione praesenti de renuntiatione; licet enim parochus statim paroeciae renuntiet et propositam provisionem acceptet, agitur semper de duabus quaestionibus omnino distinctis et independentibus.

Consequenter, si in ipsa invitatione ad renuntiandum Ordinarius proponat pensionem, hoc non habet rationem premii seu liberalitatis, sed rationem medii necessarii ad congruam renuntiantis sustentationem. Nec potest parochus renuntiare sub condicione, quia Summus Pontifex abrogavit canonem 2150 § 3 (MP *Ecclesiae Sanctae*, n. 20 § 1). Quam ob rem pactum seu contractus inter Ordinarium et parochum renuntiantem hac de re ex iuris praescripto excluditur. Nec potest Ordinarius loci dioecesim vel Institutum dioecesanum obligare ut parocho renuntianti solvat usque ad mortem determinatam pensionem quae erogatur solummodo sacerdotibus a quolibet munere solutis, etiamsi renuntians aliunde habeat media necessaria ad congruam sustentationem.

ANIMADVERSIONES IN FACTO—Ordinarius dioecesis N. praescripta cann. 2154 et 2161 § 3 adamussim servavit. Plures et graves causae exigebant remotionem Sempronii, qui semel atque iterum remotus fuerat ab aliis paroeciis. Ideo Ordinarius non poterat in casu providere per translationem ad aliam paroeciam aut per assignationem alius officii vel muneris ecclesiastici in sua dioecesi; proposuit pensionem, secundum mensuram a Consilio presbyterali statutam pro omnibus sacerdotibus dioecesis, qui vacationem muneris accipiebant ratione aetatis, infirmitatis vel alius impedimenti, nec poterant aliunde sibi providere pro congrua sustentatione, et membra Instituti «Caisse Ecclésiastique» *de facto* declarabantur.

Ex alia parte parochus Sempronius probe conoscebat quod, usque ad constitutionem Instituti dioecesani et approbationem Regulamenti, ipsa dioecesis pensiones erogavisset. Hoc haud obscure etiam Ordinarius declaravit in litteris, quibus eum ad renuntiandum invitavit et pensionem proposuit. Ideo actum est de praetenta prima legis violatione.

Praeterea Sempronius sciebat pensionis erogationem esse conditionatam, idest dependentem a condicione oeconomica eorum qui de facto erant membra Instituti. Quoties unus vel alius sacerdos, a muneribus dioecesanis solutus, aliunde media pro sua sustentatione obtinuisset, Institutum iuste pensionis erogationem intermittebat. Ideo etiam secunda legis violatio evanescit.

http://www.obrascatolicas.com

Verum est quod nomine legis non solum Codicis praescriptum intellegatur, sed etiam pacta conventa seu contractus, ut habet Regula Iuris 185 in VI: «Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur»; quod et Signatura Apostolica admisit (Dec. d. 6 aprilis 1920. AAS. 1920, p. 257) [LE 265]. Sed ex una parte in casu non poterat inter Ordinarium loci et parochum Sempronium contractus iniri, vi cuius dioecesis deberet solvere pensionem continuam usque ad mortem Sempronii, non quidem pro eius congrua sustentatione, sed pro ipsa renuntiatione; ex alia parte, invitatio ad renuntiandum et quaestio de provisione futura, ut in iure dictum est, non possunt commisceri neque considerari ut duorum in idem placitum consensus contra Iuris praescripta; eo vel magis quod, in casu, laederet iura ab aliis membris de facto acquisita. Quam ob rem etiam tertia legis violatio admitti nequit.

Decisio. - In Congressu diei 9 Iunii 1970 decretum est: *Recursum non esse admittendum ad disceptationem.*

* Ap oll. 43 (1970) 528-530.

3868

1970 IUN 11.-SC CULTUS DIVINI, RESPONSUM. PART.*

Circa obligationem sequendi normas Conferentiae episcopalis in materia liturgica

Dubia—1. Un prêtre peut-il célébrer la messe en latin pour les fidèles qui le demandent, en vertu des «règles pratiques» rappelées par le Saint-Père dans son discours à l'audience générale du 26 novembre 1969, quelles que soient les dispositions générales de la Conférence épiscopale ou de l'Ordinaire du lieu?

2. La faculté concédée par le Saint-Père d'utiliser jusqu'au 28 novembre 1971 l'ancien Ordo dit de saint Pie V, est-elle applicable directement, sans qu'il soit nécessaire de demander la permission à l'ordinaire du lieu?

Resp.—*Révérend Père*, Nous avons examiné vos questions et nous vous répondons de la manière suivante:

A la première question: un prêtre, quand il célèbre la messe «cum populo», doit se conformer aux dispositions de la Conférence épiscopale et de l'Ordinaire du lieu.

A la deuxième question: la faculté accordée par le Saint-Père d'utiliser l'ancien «Ordo» dit de saint Pie V est applicable sans qu'il soit nécessaire de demander la permission, seulement pour les messes «sine populo», jusqu'au 28 novembre 1971.

Veuillez croire, Révérend Père, à mes sentiments respectueux. Rome, 11 Juin 1970.—A. Bugnini, *secrétaire*.

* Cuidam monacho O. S. B.: Doc. Cath. 67 (1970) 716.

3869

1970 IUN 13.-SECRETARIA STATUS, NOTIFICATIO. PART.*

Auctoritas civilis nequit introducere divortium in Italia quoad matrimonia canonica, inviolato manente Concordato cum Sede Apostolica

Con nota datata il 30 maggio 1970 il Governo Italiano, in risposta alle Note della Santa Sede nn. 5902-66 del 22 agosto 1966 [LE 3460], 1180-67 del 16 febbraio 1967 [LE 3533], e 735 del 30 gennaio 1970 [LE 3821], ha ampiamente esposto la tesi che deve ritenersi alla base della posizione assunta dalla maggioranza della Camera dei Deputati italiana in merito alla questione se il progetto di legge per l'introduzione di alcuni casi di scioglimento di matrimonio, estendendo, con l'art. 2, la possibilità di togliere, nei casi indicati, gli effetti civili al matrimonio celebrato dinanzi al sacerdote cattolico e trascritto a norma del Concordato, sia o no incompatibile con il disposto dell'art. 34 del Concordato medesimo: posizione che, in contrasto con quella esposta e confermata dalla Santa Sede nelle Note su ricordate, nega tale incompatibilità.

Converrà in proposito osservare che l'atteggiamento della Santa Sede non ha certo potuto mai dar luogo a dubbi o incertezze, sia quanto al merito della questione, sia quanto alle attese di una esauriente risposta da parte dello Stato Italiano. Se essa, infatti, per diverso tempo si astenne dall'insistere nelle sue richieste, fu perchè nel frattempo era intervenuta, da parte italiana, una iniziativa tendente ad avviare contatti con la Santa Sede in vista della possibile revisione di talune clausole del Concordato: iniziativa che aveva trovato consenziente la Santa Sede stessa, come fu ufficialmente da essa comunicato al Governo Italiano. Stante tale iniziativa, concretatasi poi, da parte italiana, nella costituzione di una Commissione ministeriale incaricata di un previo esame dell'intera materia, nella quale era difficile supporre che non fosse compresa anche quella matrimoniale, la Santa Sede poteva fondatamente ritenere che, nel frattempo, non sarebbero intervenute decisioni dirette a disporre unilateralmente su di un punto di tanta importanza e in merito al quale la Santa Sede, come Parte contraente del Concordato, aveva già fatto ufficialmente conoscere la propria contraria posizione.

Avutosi il voto della Camera dei Deputati, e iniziatosi il corrispondente *iter* presso il Senato, la Santa Sede si trovò invece nella necessità di compiere un altro passo formale presso il Governo.

La nota del Governo Italiano distingue appropriatamente i due aspetti della controversia. Il primo di essi è «quello precisamente sul quale verte la divergenza di vedute tra le due Parti» e concerne la interpretazione dell'art. 34 del Concordato. Il secondo riguarda l'applicazione del disposto dell'art. 44 del Concordato medesimo, ai fini di procedere «di comune intelligenza ad una amichevole soluzione» della difficoltà sorta dall'accennata divergenza di vedute.

È appunto in applicazione del citato art. 44 che si sono concordati gli incontri fra le due Parti.

La Santa Sede non può che prenderne atto con compiacimento, vedendo riconosciuto — con il riconoscimento dell'invocabilità dell'articolo in questione — innanzi tutto il legittimo fondamento dei suoi interventi, con i quali Essa non ha mai inteso interferire, in alcun modo, in cosa che spetti esclusivamente alla sovranità italiana, ma solo fare debitamente presente allo Stato Italiano la sua ferma convinzione, basata su argomenti che alla Santa Sede sono apparsi incontrovertibili sin dall'inizio, che la disposizione dell'art. 2 del menzionato progetto di legge avrebbe, se approvata, leso una norma del Concordato. Il che avrebbe posto la Santa Sede di fronte al doloroso dovere di elevare la propria protesta: tanto più che trattasi, nel caso, di materia che essa ha sempre considerato fra le più importanti e fondamentali di quel Patto.

Della riconosciuta applicabilità dell'art. 44 nel caso presente, la Santa Sede ha preso atto con compiacimento anche perchè confida che il leale e volonteroso sforzo che esso suppone e richiede possa realmente far superare le diversità di interpretazione circa l'art. 34, mettendo in debita luce l'esatto significato e la vera portata di quest'ultimo.

Con particolare attenzione, e con intento di piena oggettività, la Santa Sede ha per tale motivo fatto oggetto del suo esame l'esposto presentato dal Governo Italiano.

Essa si fa ora dovere di manifestare a sua volta con l'acclusa contromemoria, conformemente alle intese stabilite e nello spirito del ricordato art. 44, il proprio pensiero al riguardo. E lo fa, in primo luogo, cercando di enucleare le ragioni che già ha addotte a sostegno della propria interpretazione dell'art. 34 del Concordato (ragioni sulle quali il carattere stesso delle Note inviate in precedenza non aveva consentito di diffondersi), e prendendo poi in esame quelle avanzate nella nota italiana.

Lo scrupolo di non lasciare, possibilmente, senza considerazione nessuno degli argomenti in essa addotti spiega l'ampiezza, della presente contromemoria. La quale intende mantenersi strettamente — come ha fatto la nota italiana — sul piano delle enunciazioni e valutazioni giuridiche, nel riaffermato pieno rispetto della sovranità dello Stato Italiano, ma insieme nel convincimento di rendere omaggio proprio a questa sovranità, oltre che di tutelare il buon diritto della Santa Sede, procurando di mettere in esatta luce quanto lo Stato Italiano ha con sovrana volontà accettato e stabilito nel Concordato stipulato con la Santa Sede e solennemente confermato poi, per proprio conto, nella sua Costituzione.

Prima di passare ad esporre le proprie argomentazioni, la Santa Sede vorrebbe sottolineare che queste si riferiranno esclusivamente al problema dell'esatta interpretazione dell'art. 34 del Concordato, in relazione al menzionato progetto di legge in discussione presso il Parlamento Italiano. Esula pertanto completamente dall'oggetto della presente nota ogni accenno al problema del divorzio in se stesso: in merito al quale sono ben note la dottrina della Chiesa Cattolica e la posizione della Santa Sede. Essa anche in questa occasione non può che confermarle.

Dal Vaticano, 13 giugno 1970.

* Ad Legatum Italiae penes Sedem Apostolicam: Il Dir. eccl. 81 (1970) 193-194. «Pro-memoria» a Secretaria Status allegatam vide apud Il Dir. eccl. 81 (1970) 194-206.

3870

1970 IUN 13.-SC RELIGIOSORUM, RESPONSUM. PART.*

Moniales novas formas vitae contemplativae introducere volentes, quae clausuram Instructionis «Venite seorsum» contradicunt, suadentur ut vota solemnia derelinquant

Rom, 13 June, 1970.

Your Eminence, It is in a spirit of deep gratitude that I reply to your letter of June 5, thanking Your Eminence not only for your correspondence of that date and the information accompanying it, but particularly for the dedicated spirit with which you are so splendidly serving and

supporting the interests of contemplative nuns in the Unites States.

The letters of request and inquiry being received by Your Eminence from contemplatives is clearly indicative of the great confidence these good sisters are placing in you.

This Sacred Congregation also appreciates your delicate position, particularly at this time, when certain difficult situations are developing in some monasteries due to the fact that a few nuns are opposed to the cloister in the sense of the Instruction *Venite seorsum* [LE 3779].

In order that there may be no misinterpretation of the statement of the Cardinal Prefect of this Sacred Congregation in his letter of January 2, that those in opposition to the Norms attached to the Instructions «... may develop another kind of religious life, leaving their traditional canonical form of papal cloister», we wish to clarify briefly for Your Eminence the three questions which you raised in your recent letter.

a) The development of some other form of contemplative life not in conformity with the ideals and norms set forth in *Venite seorsum* may not be done within any presently existing community.

b) If a new form of the contemplative life is desired and sought, the establishment of a totally new community without any relationship whatever to any existing contemplative community is expected and required.

c) The proper procedure to be followed by nuns who wish to experiment with new forms of contemplative life not in conformity with the Instruction *Venite seorsum* and its norms is to petition the Sacred Congregation for Religious for dispensation from their vows and subsequently, to request of the Ordinary in whose diocese they would hope to initiate their experiment permission to establish themselves in his diocese and under his jurisdiction, launching their new foundation as a Pious Union.

It is the mind of this Sacred Congregation that authentic contemplative life, the glory of the Church for centuries, can be maintained at it holiest only with such prudent and careful precautions. At the same time we are confident that, in this same way, what might be prompted by the Spirit of God in these times will thereby not be suppressed or lost.

Availingimyself of this opportunity to express to Your Eminence my deepest gratitude and prayerful good wishes, I remain Faithfully yours in Christ.—E. Heston, *Secr.*

* Ordinario S. Ludovici, Prot. N. S. R. 4821/68; e documento originali. Adn. Vie consacrée 43 (1971) 218.

3871

1970 IUN 17.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

Impedimentum cognationis spiritualis datur inter baptizatum in secta anglicana et eiusdem matrinam etiam anglicanam; et causa nullitatis ex hoc capite proposita ad modum casus excepti definiri potest

Casus—Carol C., a baptized Anglican, and Ronald B., then unbaptized, presented themselves to an Anglican clergyman to arrange a marriage. The clergyman invited Ronald B. to receive Baptism before the marriage. Approximately one month prior to the marriage, Ronald B. received Baptism at the hands of the Anglican clergyman, and Carol C. acted as sponsor. Subsequently, Carol C. and Ronald B. were married according to the rite of the Anglican Communion.

In time, Ronald B. and Carol C. were divorced. Presently, Ronald B. wishes to marry, according to due canonical form if this be possible, a Catholic girl, Barbara E. The matter has come to the attention of this Tribunal. The question has arisen whether the diriment impediment of spiritual relationship may have impugned the validity of the marriage between Ronald B. and Carol C.

On 17 January 1957, a dubium was proposed by the Most Reverend Ordinary of this Diocese of Fall River to the (then) Holy Office involving a matrimonial case with similar circumstances of fact. On 28 May 1958, the (then) Holy Office responded, in Protocol Number 225-57m, that the marriage then in question could not be declared null under the heading of spiritual relationship.

Inquiry is now respectfully made whether the principles and interpretation of law upon which the *dubium* in the previous parallel cause was resolved presently retain their force, or, whether this Tribunal may conscientiously and competently pursue an investigation of the instant case according to the summary procedure outlined in Canon 1990 whith a view to the possible declaration that the marriage of Carol C. and Ronald B. was null on account of the existence of the diriment impediment of spiritual relationship.

Decisio—Congressus habitus coram Emo Cardinali Praefecto, proposito quaesito a Tribunali Riveroromensis proposito, nempe: An matrimonium de quo supra inter duos acatholicos initum in Ecclesia Anglicana impugnari possit, et quidem processu summario, ex capite cognationis spiritualis, cum mulier functa sit munere matrinae in baptismate anglicano viri, respondit: «*Matrimonium in casu impugnari posse ex capite impedimenti cognationis spiritualis et causam pertractari servato canone* 1990.».—Joannes M. Pinna, *Secretarius*.

* Riveroromen, Nullitatis matrimonii, dec. 17 iun 1970, Prot. N. 357/70 V. T.: Jurist 31 (1971) 524. Adn. TH. J. HARRINGTON in Jurist 31 (1971) 522-525.

3872

1970 IUN 19.-S. PAENITENTIARIA, RESCRIPTUM. PART.*

Facultas datur delegandi confessarios ad absolvendum pro utroque foro a censuris propter apostasiam, haeresim et schisma incursis

Preces —*Beatissime Pater*, Julius Card. Döpfner, Archiepiscopus Monacensis et Praeses Conferentiae Episcoporum Germaniae, petit prorogationem Indulti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae postremo die 7 martii 1965 (Prot. N. 232/65) ad quinquennium prorogati, quo licet Ordinariis locorum Germaniae confessarios delegare ad absolvendum paenitentes pro utroque foro a censuris propter apostasiam, haeresim et schisma incursis sub clausulis solitis. Et Deus...

Rescr. —Sacra Paenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, benigne annuit ut Germaniae Episcopi delegare possint omnes confessarios in sua dioecesi rite adprobatos, ut proprios paenitentes, etiam alieno civili dominio forte subiectos, absolvere valeant pro utroque foro, omissa abiuratione iuridice peracta, praemissa tamen abiuratione saltem secreta coram confessario, a censuris incursis ob peccata apostasiae, haereseos et schismatis: iniunctis de iure iniungendis; fortiter tamen et suaviter eosdem paenitentes monendo ut apostasiam, si forte coram magistratu civili declarata fuerit, quatenus absque gravi incommodo fieri possit, ad scandali remotionem retractent. Praesentibus ad quinquennium valituris.

Datum Romae, ex S. Paenitentiaria, die 19 Iunii 1970. — Josephus Card. Ferretto, *Paen. Maior.* G. Sessolo, *Regens*.

* Praesidi Conferentiae Episcopalis Germaniae, Prot. N. 318/70. AKKR 139 (1970) 176.

3873

1970 IUN 20.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

De habilitate ad accusandum, seu cuinam competat concedere facultatem standi in iudicio et de valore huius concessionis pro ceteris instantiis

Status quaestionis. - Litterae ab Episcopo X die 14 aprilis 1970 ad S. Congregationem Pro Doctrina Fidei missae, quibus nempe quaedam quaesita proponebantur circa art. 35 § 1 Instr. *Provida Mater* [LE 1347], transmissae sunt ad S. T. Signaturae Apostolicae, ratione competentiae (cf. Const. Ap. *Regimini Ecclesiae Universae*, n. 105) [LE 3588].

Cum per rescriptum diei 2 decembris 1966 Episcopo Dioecesis G., S. Congregatio pro Doctrina Fidei decreverit in casibus Articuli 35 1 n. 1 et § 3 Instr. *Provida Mater*: «Ordinarium cui competit processum in Prima Instantia instituere, concedere posse facultatem parti oratrici standi in iudicio de causa nullitatis» quaesitum est:

D. I - Utrum sub verbis *Ordinarius cui competit processum in prima instantia instruere* veniat tantum Ordinarius primae instantiae, an etiam Ordinarius secundae vel tertiae instantiae, si facultas parti oratrici standi in iudicio ab Ordinario prioris instantiae non concessa aut denegata sit;

http://www.obrascatolicas.com

D. II - Utrum facultas standi in iudicio concessa valeat etiam in gradu appellationis, an facultas ab Ordinario superioris instantiae denuo concedenda sit.

Decisio. - In Congressu S. Tribunalis Signaturae Apostolicae habito die 20 iunii 1970, ad praefata quaesita responsum est:

Ad I: Ordinario primae instantiae competere decisionem circa habilitatem partis actricis ad accusandum matrimonium; contra eiusdem decisionem patere recursum ad Signaturam Apostolicam.

Ad II: Affirmative ad primam partem; negative ad alteram; nempe facultatem standi in iudicio concessam in prima instantia valere etiam in gradu appellationis, quin requiratur ulterior concessio ex parte Ordinarii superioris instantiae.

* Apoll. 43 (1970) 520-521.

3874

1970 IUN 22.-SC RELIGIOSORUM, RESCRIPTUM. PART.*

Facultas datur monialibus Ordinis Cisterciensis ordinandi collocutorium sine cratibus

Preces.—*Beatísimo Padre:* El Abad Procurador General de la Orden cisterciense humildemente implora de Vuestra Santidad la facultad de que las Monjas de la mencionada Orden, en España, en aquellos Monasterios en que así se desee, pueda haber un locutorio sin rejas, conservando una cierta separación mediante un muro, una baranda o una mesa fija.—Y Dios...

Rescr.—La Sagrada Congregación para los Religiosos e Institutos seculares, usando de las facultades concedidas por el Sumo Pontífice, y después de considerar cuanto se ha expuesto, concede benignamente lo que se pide con tal que se mantenga una material y eficaz separación y observando cuanto se deba observar. Sin que obste nada en contra.

Dado en Roma el 22 de junio de 1970.—D. M. Huot, s. m. m. *subs.* Fr. Isidorus a S. Elia, o. c. d., *Ad. a studiis.*

* Abbati Procuratori Gen. S. O. Cist., Prot. N. 4960/70: Vida rel. 29 (1970) 484 Adn. Vida rel. 29 (1970) 481-484.

3875

1970 IUN 22.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

De iure retrocessionis proprietatis

Inter dominationem napoleonicam (1805-1815) tres Religiosorum suppressiones factae sunt, quorum bona tunc publicata, alia vendita sunt privatis, alia autem ad dominium publicum transierunt. Sic res perstiterunt donec reges borbonici reversi sunt.

Vi Concordati inter duas Sicilias et Sanctam Sedem, Terracinae a. 1818 initi, quoad bona privatis vendita subsanatio «completa» facta est a Summo Pontifice; quoad vero reliqua, in publicum redacta, alia, quae quidem non essent loca religiosa, debita proportione distributa sunt inter domos diversas diversorum Religiosorum, et quidem «senza avere riguardo ai titoli delle antiche proprietà (art. 14); alia, «loca» nimirum «religiosa», distributa non sunt sicut praecedentia sed quaedam restituta statim fuerunt antiquis dominis, quando, quidem ipsi domum sive «locum religiosum» respectivum instaurare potuerunt seu ibi vitam religiosam resumere; alia non sunt restituta, sed in massam quandam sic dictam «patrimonium regulare», ingressa sunt.

Iam, quoad bona huius «patrimonii regularis» (verbum «regulare» originem horum patrimonii signat) Memorandum V, additum memorato Concordatui terracinensi, praescripsit ut inde desumi possent quae necessaria forent ad compiendam dotationem Sedium Episcopalium et paroeciarum: hac tamen condicione ut si Religiosi, quibus olim fuerat proprietas locorum, sic in supradotationem concessorum, possent etiam post talem destinationem vitam religiosam in eis instaurare, ea obtinere valerent per retrocessionem proprietatis, dummodo illis sedibus sufficiens compensatio fieret («rimpiazzo»). Huiusmodi retrocessiones saepe habitae sunt, quod sciatur, per decennium et dimidium, plus minusve (dein haud amplius); operante quidem retrocessione Commissione Concordataria, quae etiam destinationes illas peregerat.

Huc spectat casus de quo quaestio hic est: de aedibus nempe cum adnexo hortu, quae, quorumdam Religiosorum olim propriae, contentae prius fuerant in illo «patrimonio regulari», dein a. 1820, sub ratione complementi dotationis, datae paroeciae X. Porro, retrocessio hoc in casu locum non habuit nec postulata est primis decenniis post concessionem factam, dum adhuc stabat Commissio Concordataria, quae retrocessiones operabatur, sed primum repetita est h.e. anno 1948. Nimirum, Religiosi antiqui domini domus, censuerunt se posse obtinere adhuc retrocessionem, eamque a Sancta Sede postularunt, oblata compensatione (in rimpiazzo). Postulatio exaudita est; indeque S. C. Conc. decretum emisit (21-11-1962) in favorem retrocessionis. Sed pars contraria non acquievit, iudicans non esse iam tempus utile pro retrocessione, allegatis rationibus. Ideirco ad Summum Pontificem etiam ipsa recursum fecit contra Decretum. Iterum igitur examinata quaestione ab eadem S.C.C. et interrogatis de re iterum Religiosis circa suam petitionem, die 14-VII-1965 decisionem fecit denuo sensu concessivo, restricto tamen obiecto petito. Decretum hoc, ob adiuncta quae in causae documentis referuntur, parocho seu parti contrariae notificatum non est ad normam iuris ante finem martii a. 1969, cum S. Congr. tunc pro Clero, Decretum quoque emisit executivum retrocessionis (27-III-1969).

Nunc vero, ob retardationem notificationis Decreti a. 1965 parocho factae patere potuit recursus contra illud ad Alteram S. T. Signaturae Apostolicae Sectionem, ab 1-1-1968 stantem et vigentem; eumque interposuit intra terminos iuris (art. 105 § 1 *Norm. S. T. Sign. Apost.* die 23-III-1968) [LE 3636].

Notare bene iuvat non obstare recursui in casu Decisionem huius ipsius S. Tribunalis datam die 21 maii 1968 (*Decisio* 2 (7) - *De facultate exercendi medicinam)* [LE 3655], cuius tenor est sequens: «Recursus admitti nequit, cum decisio impugnata pluribus annis antecessarit vigentem competentiam Signaturae Apostolicae circa contentiones ortas ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae» (nec desunt aliae similes). Equidem, non obstare dicimus quia in casu de quo ibi agitur, antecesserat et decisio impugnata et eiusdem notificatio parti recurrenti. Porro, post notificationem tunc factam res tractata definitive habebatur. In casu nostro, contra, non sic. Decisio impugnata completa non erat ante vigentem competentiam Signaturae Apostolicae, cum defuerit notificatio ante id tempus facta; notificatio autem respondet elemento promulgationis in lege.

Cum igitur rationes iuridicae allatae a parte recurrente, fundamento serio discussionis praebere visae sint, attenta Const. *Regimini Ecclesiae Universae*, art. 106 [LE 3588] (cf. et *Norm. Spec. S. T. Signaturae Apost.* art. 91 n. 1) et ex alia parte praeiudiciales rationes solidae contra admissionem recursus allegari non potuerint, ita decidendum visum est:

Decisio.—Die 22 iunii 1970 in Congressu habito coram Cardinali Praefecto, proposito recursu a parocho ecclesiae paroecialis X adversus decisionem a S.C.C. die 14 iulii 1965 latam, recurrenti notificatam inter dies 27 martii 1969 et 15 aprilis eiusdem anni, ac perpensis actis causae, decretum est: *Recursum admittendum esse ad disceptationem* (art. 116 Norm. Spec. Sign. Apost.).

Patronus partis conventae adversus hanc admissionem causae ad disceptationem recursum ad Collegium iudicans interposuit.

Die 28 iulii 1970 in Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, proposito recursu ab advocato N.N. interposito adversus admissionem causae de qua supra ad disceptationem (art. 116 Norm. Spec. Signaturae Apost.) decretum est: *Recursum ad Collegium iudicans admitti non posse.*

* Apoll. 44 (1971) 25-27.

3876

1970 IUN 24.-SC CULTUS, INSTR. AAS 62 (1970) 651-663

De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis

Calendaria particularia atque Officiorum et Missarum Propria recognoscenda hoc tempore videntur, ut principia et normae, quae novo Calendario generali necnon Missali [1] et Breviario renovandis adhibita sunt, ad Calendaria quoque particularia atque Officiorum et Missarum Propria traducantur.

Edito enim novo Calendario generali [2], annus liturgicus ita est ordinatus, ut cyclus quo mysteria Domini recoluntur atque cyclus quo Sancti celebrantur aptius inter se cohaererent. E Sanctis vero, iuxta mandatum Concilii Vaticani II, ii tantum Calendario generali inserti sunt, qui momentum revera universale prae se ferre videbantur.

Restat proinde ut eiusdem mandati altera pars impleatur, qua nempe praecipitur, ut alii Sancti congrua celebratione donentur iis in locis, ubi peculiares causae ipsorum cultum suadent, id est in singulis nationibus, dioecesibus, familiis religiosis, quibus iidem Sancti sunt magis proprii [3].

[1] Cfr. *Normae universales de anno liturgico et de calendario* [LE 3728] *Missale Romanum*, editio typica, *Institutio Generalis*, Prooemium [LE 3840]
[2] Cfr. Paulus VI, Litt. Apost. *Mysterii paschalis*, 14 febr. 1969 [LE 3717]
[3] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 111 [LE 3141].

Quem ad finem, atque etiam ut pluribus iam sibi propositis quaestionibus respondeat, Sacra haec Congregatio pro Cultu Divino opportunum censet hanc emittere Instructionem, qua opus huiusmodi recognitionis tutius et facilius perficiatur.

Caput I—Normae Generales

1. Cum singulae Ecclesiae et familiae religiosae Sanctos, qui sibi sint magis proprii, peculiari honore prosequantur oporteat, Calendariorum particularium est huiusmodi celebrationes, congruenti ratione cum cyclo generali organice componere [4]. /

652

2. Proprium de tempore, seu cyclus temporum, sollemnitatum et festorum, quo nempe totum redemptionis mysterium in anno liturgico explicatur et colitur, integer semper servetur, et congruenter anteponatur celebrationibus particularibus [5]. Proinde:

a) Diebus dominicis per se prohibetur quaevis perpetua celebratio particularis [6].

b) Dies in quos plerumque tempus Quadragesimae et octava Paschae incidit, necnon dies a 17 ad 31 decembris, celebrationibus particularibus vacui sint, nisi agitur de memoriis ad libitum vel de festis, de quibus in tabula dierum liturgicorum, n. 8, *a*, *b*, *c*, *d*, vel de sollemnitatibus quae in aliud tempus nequeunt transferri [7].

c) Celebrationes indultae, id est celebrationes, quibus cum Calendario particulari rationes stricte propriae non intercedunt, iterare non debent alias celebrationes in cyclo mysterii salutis iam occurrentes, neque plus aequo multiplicari [8]. Ut antiquae serventur vel novae introducantur, peculiares rationes subesse oportet.

3. Singuli Sancti unica celebratione in anno liturgico percolantur; permittitur tamen, ubi rationes pastorales id suadeant, altera celebratio instar memoriae ad libitum pro translatione vel inventione sanctorum Patronorum aut Fundatorum Ecclesiarum particularium vel familiarum religiosarum, vel pro eventu peculiari (ex. gr. conversione) ad vitam eorundem Sanctorum spectante [9]. Eiusdem Mysterii vel Sancti recordationes statis temporibus obeundae (ex gr. statuto die cuiusque mensis vel hebdomadae), si quae exstent, supprimantur.

4. Cum Calendariorum et Propriorum recognitioni accuratam investigationem theologicam, historicam, pastoralem anteire oporteat [10], curabunt Ordinarii vel aliae auctoritates legitimae, ut Commissionem constituant virorum in his disciplinis versatorum.

Calendaria autem redigantur consilio habito etiam cum clero et populo vel familiae religiosae sodalibus, ad quos spectat, atque a competenti auctoritate approbentur et huius Sacrae Congregationis pro Cultu Divino confirmationi proponantur *intra quinquennium* a novo Missali novoque Breviario evulgatis. /

653

Calendarium hac ratione approbatum ab omnibus, qui eo tenentur, servari debet, et, nisi assenserit Apostolica Sedes, mutari non poterit.

5. Calendario et Proprio dioecesis aut familiae religiosae rite recognito, curent Ordinarii ut etiam Calendaria, Propria et indulta ac privilegia singularum ecclesiarum et provinciarum religiosarum, quae ab ipsorum iurisdictione pendent, opportune recognoscantur, iisdem adhibitis principiis ac normis, quae in hac Instructione exponuntur.

6. Calendaria particularia et Officiorum ac Missarum Propria ad hanc Sacram Congregationem, *tribus* exemplaribus dactilographice exaratis, mittantur, addito uno exemplari Calendarii et Proprii praecedentis. In universo opere transmittendo:

a) breviter sed perspicue rationes exponantur, ob quas singulae mutationes inductae sunt, praesertim si a normis, quae in hac Instructione exponuntur, discrepant;

b) indicetur quoque, cum agitur de Officiis vel Missis novis, quaenam partes ex aliis Officiis vel Missis iam approbatis sumantur, quaenam vero sint ab integro confectae.

Caput II—De celebrationibus et de Calendario propriis

A) *De celebrationibus particularibus.*

7. In Calendariis particularibus inscribuntur celebrationes propriae, quae ipso iure fieri debent vel indulto concessae sunt.

8. Celebrationes propriae cuiusque regionis, aut nationis aut amplioris territorii sunt: festum Patroni principalis, quod tamen, rationibus pastoralibus suadentibus, fieri potest sollemnitas; memoria Patroni secundarii; aliae celebrationes Sanctorum vel Beatorum, qui in Martyrologio vel eius Appendice rite sunt inscripti, et ad regionem, nationem vel amplius territorium potissimum attinent.

9. Celebrationes propriae cuiusque dioecesis sunt: festum Patroni principalis, quod tamen, rationibus pastoralibus suadentibus, fieri potest sollemnitas; festum anniversarii Dedicationis ecclesiae cathedralis; memoria Patroni secundarii; celebrationes Sanctorum et Beatorum, qui in Martyrologio vel eius Appendice rite sunt inscripti, qui ad dioecesim peculiaribus modis / pertinent, ut sunt origo, commoratio longior, obitus, cultus ab immemorabili traditus et adhuc perseverans. 654

10. Celebrationes propriae cuiusque loci seu oppidi aut civitatis sunt: sollemnitas Patroni principalis; memoria Patroni secundarii.

11. Celebrationes propriae cuiusque ecclesiae sunt: sollemnitas anniversarii Dedicationis, si est consecrata; sollemnitas Tituli; memoria Sancti aut Beati, in Martyrologio vel eius Appendice descripti, cuius corpus ibi asservatur.

12. Celebrationes propriae cuiusvis familiae religiosae sunt:

a) Pro universa familia religiosa: sollemnitas vel festum Tituli; sollemnitas vel festum Fundatoris inter Sanctos relati; sollemnitas vel festum Patroni principalis Ordinis vel Congregationis; festum Fundatoris in Beatorum album adscripti; memoria Patroni secundarii; celebrationes Sanctorum et Beatorum, qui Ordinis vel Congregationis sodales fuerunt, ad normam n. 17 *a*;

b) Pro singulis Provinciis: festum Tituli vel Patroni principalis; memoria Patroni secundarii; celebrationes Sanctorum et Beatorum, qui cum Provincia praecipue coniuncti sunt, ad normam n. 17 *b*.

Ad celebrationes autem Tituli, Fundatoris canonizati, et Patroni principalis quod attinet, meminerint unam tantum ex his ad modum sollemnitatis posse Calendario inscribi, alias vero ut festa agendas esse. Electio autem ad supremam familiae religiosae auctoritatem spectat, eadem ratione atque Calendarii particularis recognitio.

B) *De Calendario particulari et de celebrationibus in illud referendis*

13. Calendarium particulare conficitur, cum in Calendarium generale celebrationes particulares inseruntur. Potest autem esse nationale vel regionale, dioecesanum, aut religiosum.

14. Calendarium nationale vel regionale pro opportunitate conficitur pro universa natione vel regione, et in eo celebrationes inscribuntur illi propriae et indultae, quae in Calendario generali non inveniuntur aut gradu superiore in Calendario proprio sunt recolendae. / 655

Hoc modo congrua celebratione donari possunt, singulis in nationibus vel regionibus, Sancti qui magnum momentum in earum religiosa historia habuerunt, praesertim ob doctrinam vel apostolicam actuositatem.

15. *a)* Calendarium dioecesanum habet quaeque dioecesis et territorium ecclesiasticum dioecesi aequiparatum (cfr. C. I. C. can. 293, 1 et 319).

b) Calendarium dioecesanum conficitur inferendis Calendario generali: celebrationibus universae nationi et regioni necnon ampliori territorio propriis et indultis; celebrationibus universae dioecesi propriis et indultis.

c) Secundum huiusmodi Calendarium dioecesanum conficiuntur Calendaria cuiusque loci, cuiusque ecclesiae vel oratorii, necnon Congregationum religiosarum et Institutorum, quae Calendario religioso carent, addictis celebrationibus propriis et indultis.

16. *a)* Calendarium religiosum habent: Ordines virorum, quorum Calendarium adhibere debent etiam moniales et sorores eiusdem Ordinis, si quae sunt, necnon tertiarii aggregati in communi viventes et vota simplicia emittentes. Congregationes religiosae, Societates et Instituta iuris pontificii, si celebratione divini Officii, quovis modo, tenentur.

b) Calendarium religiosum conficitur inferendis Calendario generali celebrationibus propriis et ipsi Ordini vel Congregationi indultis.

c) Secundum huiusmodi Calendarium religiosum conficiuntur Calendaria cuiusque provinciae religiosae, cuius-

[4] Cfr. *Normae universales de anno liturgico et de calendario*, n. 49. [5] *Ibidem*, n. 50. [6] *Ibidem*, n. 6. [7] *Ibidem*, n. 56 f. [8] *Ibidem*, n. 50 c. [9] *Ibidem*, n. 50 b.
[10] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 23 [LE 3141].

http://www.obrascatolicas.com

que ecclesiae aut oratorii Ordinis vel Congregationis, additis celebrationibus propriis et indultis.

d) Sodales autem familiarum religiosarum cum Ecclesia locali iunguntur in celebrandis die anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis et Patronis principalibus loci et amplioris dicionis ubi degunt [11].

17. Quando aliqua dioecesis vel aliqua familia religiosa pluribus Sanctis et Beatis decoratur, cavendum est ne Calendarium universae dioecesis vel Instituti plus aequo gravetur. Proinde:

a) Singularis celebratio in Calendario destinatur tantummodo Sanctis vel Beatis, qui peculiare momentum praese ferunt pro universa dioecesi (ex. gr. qui Ecclesiam locum fundaverunt aut suo sanguine vel praeclaris meritis illustraverunt), aut pro universa familia religiosa (ex. gr. praecipui martyres, aut Sancti vel Beati qui familiam religiosam praeclaris meritis ornaverunt). /

656

b) Ceteri Sancti et Beati celebrentur tantum iis in locis, quibuscum arctiores habent necessitudines, aut ubi eorum corpus asservatur [12], addita, pro opportunitate, in Calendario dioecesis vel familiae religiosae, celebratione communi vel omnium Sanctorum et Beatorum vel alicuius ordinis eorum (ex. gr. martyrum, episcoporum, etc.).

Quae supra statuuntur, serventur etiam, debitis inductis mutationibus, in conficiendis Calendariis nationalibus aut ad amplius territorium pertinentibus.

18. De singulis Sanctis et Beatis Calendario inscribendis criticum examen instituatur, ita ut eorum vita et acta necnon cultus origo et diffusio fide historica comprobentur. Quem ad finem consulantur viri quaestionum ad hagiographiam loci pertinentium periti, atque collectiones hagiographicae critico studio recentius editae. Si quae dubia nihilominus supererunt, tota res poterit huic Sacrae Congregationi remitti.

19. In Calendariis particularibus recognoscendis expungantur nomina Sanctorum de quibus, praeter nomen, parum vel nihil historice constat. Insuper eorum Sanctorum nomina expungantur, quae ratione peculiarium circumstantiarum olim in calendario inscripta, nunc ad dioecesim vel familiam religiosam nullo pacto vel levissime solum pertinent.

20. Cum vero recentiore aetate dioecesium fines saepius mutati sint, ne serventur in Calendario omnium Sanctorum nomina cuiusque territorii e quibus nova dioecesis constat, nisi hi Sancti momentum universale habent pro universa nova dioecesi.

C) *De celebrationum die proprio*

21. Sanctis proprius dies natalis, quantum fieri potest, assignetur. Si vero dies natalis ignoratur, celebratio indicatur in diem alia ratione eiusdem Sancti proprium, ex. gr. diem inventionis, elevationis aut translationis corporis, vel etiam diem canonizationis; secus diem qui in Calendario particulari liber fuerit ab aliis celebrationibus [13].

Si tamen Sanctus iam est Calendario inscriptus et eius dies celebrationis cum devotione fidelium, traditionibus popularibus aut consuetudinibus civilibus adeo arcte est conexus, ut absque incommodo mutari nequeat, servetur dies translaticius.

22. Celebrationes, quae indultae vocantur, instituantur
657 die ad rationem pastoralem aptiore. /

23. Quotiescumque celebrationes propriae cum universalibus composite sunt iungendae, haec serventur:

a) sollemnitates Calendario generali inscriptae eodem die retinentur etiam in Calendariis particularibus, nisi aliter cavetur (c. n. 36).

b) Festa in Calendario generali inscripta eodem die retineantur etiam in Calendariis particularibus, festo proprio in eundem diem forte incidente ad proximum diem liberum translato, nisi dies festi proprii ita cum more loci aut cultu populari conectitur, ut nequeat absque gravi incommodo transferri.

c) Memoria propria praeferatur memoriae generali, quae non est obligatoria. Aliquando tamen etiam memoriae generali obligatoriae praeferri poterit, aut hac in memoriam non obligatoriam mutanda et cum memoria particulari eiusdem generis eodem die in Calendario coniungenda, aut ipsa pro opportunitate in alium diem differenda.

D) *De celebrationum gradu*

24. Celebrationes in Calendariis particularibus ut sollemnitates vel festa ipso iure inscribendae, in tabula die-

[11] *Normae universales de anno liturgico et de calendario*, n. 52 c. [12] *Ibidem*, n. 53 c. [13] *Ibidem*, n. 56 c. [14] *Ibidem*, n. 54. [15] *Ibidem*, n. 54. [16] *Ibidem*, n. 57.

rum liturgicorum expresse designantur. De iisdem supra, nn. 8-12, iam actum est.

Aliae celebrationes propriae, nisi peculiares rationes obstent historicae aut pastorales, ut memoriae obligatoriae vel memoriae ad libitum inscribantur [14].

Memoria enim ad libitum, cum facultatem praebeat eligendi Officii et Missae aut de feria aut de Sancto, minime impedit celebrationem Sanctorum, sed permittit ut ordinatio celebrationis diei liturgici ad necessitates spirituales, pietatem, praeparationem et ingenium participantium aptius accommodetur. Eius usus proinde magnam utilitatem afferet componendis calendariis, praesertim si plurimi Sancti sunt in ea referendi.

25. Nihil impedit quin aliquae celebrationes alicubi modo sollemniore fiant quam in universa dioecesi vel familia religiosa [15]. Hac prudenter adhibita distinctione, Calendaria peculiaribus necessitatibus et opportunitatibus magis convenient.

26. Si qui Sancti vel Beati una simul in Calendario commemorantur simul semper celebrantur, quoties eodem gradu sunt celebrandi, etsi unus aut aliqui eorum sunt magis proprii. Si vero unus aut aliqui ex his Sanctis vel Beatis gradu superiore sunt celebrandi, fit Officium de his tantum, / omissa celebratione ceterorum, nisi expedit eis 658
alium diem assignare, ad modum memoriae obligatoriae [16].

E) *De titulis Sanctorum*

27. Demptis titulis qui sequuntur: «Confessor Pontifex», «Confessor non Pontifex», «Nec Virgo nec Martyr», «Vidua», nominibus Sanctorum hi tituli apponantur, ut in Calendario generali: *a)* Tituli usu recepti: Apostolus (Evangelista), Martyr, Virgo. *b)* Tituli gradum in hierarchia sacra habitum indicantes: Episcopus (Papa), Presbyter, Diaconus. *c)* Tituli qui Sanctum indicant familiae religiosae ascriptum fuisse: Abbas (Monachus), Religiosus, Religiosa.

Titulus *Abbas* tribuitur omnibus Sanctis qui ad Ordinem religiosum pertinuerunt, abbatiale munus habentem etiamsi presbyteri fuerunt, ex. gr. S. Bernardus; titulus *Religiosus* religiosis non presbyteris assignatur; titulus *Religiosa* datur ei quae ante ingressum in religionem vitam matrimonialem duxerat; ceterae religiosae titulo traditionali *Virginis* nominantur.

Etsi in Calendario generali nomina sanctorum laicorum qui non sunt martyres aut virgines nullus peculiaris titulus sequitur, nihil tamen impedit quin in Calendariis particularibus appellationes serventur, quae conditionem eius vitae quodammodo in mentem revocant (ex. gr. rex, paterfamilias, materfamilias, etc.).

Caput III – De quibusdam Celebrationibus singillatim

A) *De Patronis et Titulis*

28. In Patronos nationum, regionum, dioecesium, locorum, familiarum religiosarum, sodalitatum, et moralium personarum Sancti solummodo, id est qui hoc titulo rite coluntur, eligi possunt; non vero Beati, absque Apostolicae Sedis indulto [17]. Semper tamen excluduntur divinae Personae.

29. Ad celebrationem liturgicam quod attinet, haec competit solummodo Patronis secundum antiquum usum electis ac constitutis, vel ex / immemorabili traditione ac- 659
ceptis. Ceteris vero, qui Patroni, sensu latiore dicuntur, merae pietatis causa propositi, nullum competit peculiare ius liturgicum.

30. Patroni eligendi sunt a clero et populo, et Episcopo vel alii competenti auctoritati ecclesiasticae sunt approbandi. Electio autem et approbatio Sacrae Congregationi pro Cultu Divino confirmandae sunt [18].

Si vero agitur de Patronis Ordinis vel Congregationis vel Instituti religiosi eiusve Provinciae, electio ab iis facta ad quos spectat necnon approbatio a competente auctoritate familiae religiosae data eidem Sacrae Congregationi pro Cultu Divino confirmandae sunt.

31. Patronus principalis posthac unus tantum sit. Ob peculiares rationes, alius, tamquam secundarius, addi potest. Idem servetur, quantum fieri potest, pro Patronis iam constitutis, attentis iis quae nn. 32 et 33 statuuntur.

Licebit tamen duos vel plures Sanctos in Patronos principales eligere, si idem Sanctus una simul calendario inscribantur.

[17] C. I. C. can. 1278; cf. S. Rituum Congregatio, *Decreta authentica*, n. 526, diei 23 martii 1630, n. 1. [18] Cfr. *Ibidem*, nn. 2-3.

32. Patroni, sive principales sive secundarii, olim constituti propter peculiares circumstantias historicas, itemque Patroni olim propter extraordinaria rerum adiuncta, v. gr. pestem, bellum, aliamve calamitatem, vel propter cultum specialem nunc remissum electi, in posterum uti patroni amplius ne colantur.

33. Sicubi vero cultus et pietas erga Patronum rite constitutum vel ab immemorabili acceptum decursu temporis nulla evaserunt, aut de eodem Sancto nil certum agnoscitur, minime impeditur quin, re mature perpensa, auditis iis ad quos spectat, novus constituatur Patronus, servatis iis quae n. 30 statuuntur.

34. Ecclesiae in Titulum habere possunt SSmam Trinitatem, Dominum nostrum Iesum Christum sub invocatione mysterii vitae eius aut nominis in sacram liturgiam iam inducti; vel Spiritum Sanctum; vel B. M. V. item sub aliqua appellatione in sacram liturgiam iam assumpta; vel sanctos Angelos; vel demum Sanctum in Martyrologio Romano inscriptum aut rite canonizatum, non vero Beatos, sine Apostolicae Sedis indulto [19].

Titulus ecclesiae, eadem ratione ac Patronus principalis posthac unus tantum sit, nisi agitur de Sanctis qui una
660 simul Calendario inscribuntur. /

Sicubi visum fuerit Titulum ecclesiae mutare, ea servetur quae supra, n. 33, de Patronis edicuntur.

35. Sollemnitas Titulorum B. Mariae Virginis, qui in Calendario generali vel particulari non inveniuntur, fiat aut die 15 augusti, aut alio die quo in iisdem Calendariis habetur celebratio ad honorem B. Mariae Virginis, quae cum titulo particulari aptius componitur, ex. gr. ob tempus frequentiorum peregrinationum fidelium, ob populares traditiones, etc.

Eadem ratione, eligatur dies sollemnitatis Titulorum Domini, qui in Calendario generali vel particulari non recensentur.

B) *De sollemnitatibus quarum praeceptum festivum ablatum est*

36. Sollemnitates quae iure generali secum ferunt praecepti festivi obligationem, etsi huiusmodi praeceptum fuerit amotum ab Apostolica Sede, die celebrantur quo in Calendario generali inscribuntur, nisi, iuxta normas generales de anno liturgico et de Calendario in alium diem trasferri debent aut possunt [20].

Si qua vero Conferentia Episcopalis opportunius iudicet alicui ex his sollemnitatibus, ex. gr. sollemnitati Omnium Sanctorum, alium diem assignare, qui melius congruat traditionibus localibus aut populi ingenio, poterit rem Apostolicae Sedi proponere.

37. Cum ad sollemnitates, quarum praeceptum festivum est abrogatum, alius dies atque in Calendario generali, tamquam proprius, fuerit destinatus, illae eo ipso die in Calendario particulari indicari debent.

C) *De Rogationibus et Quattuor anni temporibus*

38. Conferentiae Episcopalis est statuere pro universa sua dicione quomodo eae celebrationes agantur quae respondent Rogationibus et Quattuor anni Temporibus. Statuat proinde quando et per quot dies Rogationes sint habendae; itemque quando et quot diebus peragendae sint celebrationes Quattuor Temporibus respondentes, et quod propositum illis tribuatur.

Pariter statuat quaenam Missae, ex his quae in nova editione Missalis Romani reperiuntur inter Missas ad di-
661 versa, sint his diebus adhibendae [21]. /

Caput IV – De recognoscendis Missarum atque Officiorum Propriis

A) *De Propriis Missarum*

39. In textibus propriis Missarum recognoscendis, opportune distinguantur textus ad Missale pertinentes ab aliis ad Lectionarium spectantibus.

40. Ad Missale pertinet: antiphona ad introitum, collecta, oratio super oblata, praefatio, antiphona ad communionem, oratio post communionem. His addi possunt benedictio sollemnis aut oratio super populum.

a) Antiphonae ad introitum est congregatorum mentes in significationem celebrationis introducere [22]. Talis debet esse textus, ut etiam recitari possit quoties non cantetur, immo talis ut a sacerdote aptari possit tamquam fundamentum admonitionis praeviae. Antiphona vero ad communionem debet nexum cum mysterio eucharistico aliquo modo significare.

b) Ex orationibus, solummodo collecta rationem directam habet cum Sancto qui celebratur; expedit ipsam in lucem proferre indolem propriam ipsius Sancti, aspectum ipsius vitae spiritualis vel actuositatis apostolicae, vitatis tamen locutionibus quae semper eadem inculcant, ex. gr. miracula aut familiae religiosae institutionem. Contra, orationes super oblata et post communionem, directo ad mysterium eucharisticum referuntur; si in his mentio de Sancto inicitur, hoc fiat forma indirecta tantum. In novo Missali Romano exempla inveniuntur etiam orationum super populum et benedictionum sollemnium, quae ordinariae benedictioni postremae, quibusdam diebus vel occasionibus, praeponi possunt.

c) Praefatio exprimere debet argumentum proprium gratiarum actionis, quod Eucharistiam pervadit diebus aut temporibus, quibus ipsa praefatio adhibetur. Eius forma litteraria non est supplicatio, sed glorificatio Dei per Christum Dominum ob peculiarem aliquem aspectum mysterii salutis.

Si qua praefatio propria habeatur, inseratur Missae ad quam pertinet.

41. Ad lectiones quod attinet, diligenter animadvertatur: sollemnitates tres lectiones habere; Vetus Testamentum non legi tempore paschali; lectiones proprias, quoties hae statuantur, requirere etiam proprium / psalmum cum 662
populi responso, atque propriam acclamationem seu versum ante Evangelium [23].

42. Missale atque Lectionarium, nuper instaurata, plures formulas exhibent in Communibus, quae opportune usurpari poterunt in Propriis recognoscendis, praesertim cum haec non continent textus qui, ob suum momentum spirituale aut pastorale vel ipsam antiquitatem, sunt servandi.

B) *De Officiorum Propriis*

43. Elementum summi ponderis notaque propria Officii divini est lectio hagiographica vel de scriptoribus ecclesiasticis, quae conficienda vel eligenda est pro singulis sollemnitatibus, festis et memoriis. Haec autem lectio depromi potest vel e scriptis Patrum aut scriptorum ecclesiasticorum; si vero agitur de Sanctis vel Beatis, esse potest vel excerptum ex eorum scriptis, vel declaratio notarum eorum vitae spiritualis aut apostolicae actuositatis. Lectioni autem praeponatur brevis narratio biographica, quae tamen in Officii celebratione non est legenda.

Cum parantur autem vel recognoscuntur lectiones hagiographicae, provideatur ut breves et sobriae sint (ex. gr. centum et viginti verba plerumque ne excedant); loci communes vitentur; falsa aut minus apta demantur vel emendentur.

Lectioni demum aptum apponatur responsorium, proprium vel de Communi, quod meditationem textus in lectione prolati opportune foveat.

44. Alia elementa, quae indolem propriam Officio valent afferre, imprimis autem in sollemnitatibus et in festis, sunt invitatorium, antiphonae, praesertim vero in Laudibus et in Vesperis, et preces. Hymni proprii, si qui sint, retineri possunt, cum emendationibus quae forte postulantur. Oratio autem semper eadem sit atque in Missa.

Ad has partes recognoscendas vel ex integro componendas, complures textus in Breviario instaurato inveniri poterunt, quibus uti fas erit.

C) *De Officiis et Missis disponendis*

45. In disponendis Propriis Officiorum atque Missarum, sive quoad generalem ordinationem sive quoad rationem scribendi textus et titulos atque modum indicandi libros Sacrae Scripturae vel operum Patrum, prae oculis habeatur usus quem sequuntur editiones typicae Breviarii et Missalis tum lingua latina tum lingua vernacula exaratae.

46. Convenit, ut in Missali et Breviario imprimendis pro aliqua na/tione vel ampliore dicione, celebrationes quae 663
universae nationi vel ampliori dicioni sunt propriae suo

[19] *Pontificale Romanum* (ed. 1961), *Ordo ad ecclesiam dedicandam et consecrandam*, n. 1.
[20] *Normae universales de anno liturgico et de calendario*, nn. 7 et 56 f in fine. [21] *Ibidem*, nn. 46-47.

[22] Cfr. *Missale Romanum*, *Institutio Generalis*, nn. 25, 26, 29. [23] *Ibidem*, nn. 37-38.

http://www.obrascatolicas.com

loco celebrationibus Calendarii generalis inserantur; quae vero alicui tantum earum parti, ex. gr. regioni vel dioecesi sunt propriae, in Appendice particulari locum habeant.

47. Ut textus, qui in Missa et in Officio canendi sunt apte peragi valeant, opportunae melodiae indicentur, quae usurpari possint, attentis normis quae rationem exsequendi cuiusque cantus regunt, et facultatibus aliquos textus pro aliis substituendi. Ad Missam autem quod attinet, indicentur psalmus adhibendus ad introitum et ad communionem, atque antiphona et psalmus canendi ad offertorium.

CAPUT V—DE PRIVILEGIIS ET INDULTIS IN RE LITURGICA

48. Privilegia et indulta, quae novis normis liturgicis obstant, ut revocata sunt existimanda. Si quis tamen Ordinarius necessarium censuerit unum alterumve ex his privilegiis et indultis iterum renovare, convenienter illud petat, rationibus adductis, quae id suaserunt.

Privilegia autem et indulta quae iisdem normis non obstant, in suo robore perseverant; attamen necesse erit ut et ipsa recognoscantur, quo certius servari possint.

49. Proinde curae sit unicuique Ordinario elenchum privilegiorum de re liturgica, una cum Calendario et Officiorum atque Missarum Proprio, ad hanc Sacram Congregationem transmittere, ut congruenter recognoscantur aut renoventur, addito quoque exemplari praecedentis concessionis.

50. In Propriis typis imprimendis, addatur elenchus privilegiorum liturgicorum, ut prae manibus sit cuique eodem Proprio utenti.

* * *

Summus vero Pontifex Paulus VI, die 23 iunii 1970, hanc Instructionem in omnibus et singulis approbare dignatus est, atque sanxit ut eam omnes ad quos spectavisset diligenter exsequerentur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 24 iunii 1970. –Benno Card. GUT, *Praef.* H. Bugnini, *a Secr.*

Adn. C. BRAGA in EL (1970) 366-379; Notit. 6 (1970) 348-368.

3877

1970 IUN 24.-VICARIATUS URBIS, NORMAE. PART.*

NORMAE DANTUR CIRCA ADMINISTRATIONEM BAPTISMATIS IN URBE IUXTA NOVUM RITUM PROMULGATUM

Il 29 giugno entra in vigore, per tutte le diocesi italiane, il nuovo rito del battesimo dei bambini. Se si pensa che il rito sino ad ora in uso era stato preparato con elementi presi dalla liturgia battesimale per adulti, si avverte l'importanza di questo altro passo della riforma liturgica, che ci dona una celebrazione battesimale adatta alla situazione dei battezzandi bambini, secondo le disposizioni del Vaticano II (*Sacrosanctum Concilium* n. 67) [LE 3141].

I genitori vengono ora ad acquistare nella celebrazione il posto conveniente che loro compete per l'impegno che si assumono nella educazione cristiana del figlio battezzato. Si comprende subito il grande aiuto che questo rito offre ad una azione pastorale, che voglia valorizzare adeguatamente il primo sacramento della iniziazione cristiana per dare alla comunità ecclesiale e alle famiglie il senso della loro responsabilità nella educazione alla fede di coloro che sono battezzati in tenera età.

Perché nella diocesi di Roma venga orientata pastoralmente l'applicazione delle norme premesse al rito (*Rito del Battesimo dei bambini*) [LE 3749] e perché si curi la celebrazione in modo da renderla partecipata attivamente e consapevolmente, si danno le seguenti disposizioni.

1. Fra la richiesta del battesimo da parte dei genitori e la celebrazione vi sia un congruo tempo in modo da poter curare una vera preparazione. Questa si compia nei modi che verranno sperimentati secondo le situazioni delle varie parrocchie, tenendo conto di quanto detto al n. 1 del paragrafo 5 [LE 3749].

2. Per il tempo del battesimo si considerino i paragrafi 8-9, in modo da trovare il giusto equilibrio fra la doverosa premura di battezzare un neonato e la necessità di una conveniente preparazione e di una dignitosa celebrazione. Si raccomanda vivamente la proposta di fare una celebrazione comune di più battesimi alla domenica, in orario conveniente.

3. Il luogo del battesimo sia normalmente la chiesa parrocchiale (cfr. paragrafo 10), a meglio significare che il battezzato entra a far parte della comunità ecclesiale, e che la famiglia accetta e vuole che un suo figlio diventi membro della famiglia dei figli di Dio. Perciò non si celebrino battesimi nelle case private (paragrafo 12) e nelle cliniche, se non in caso di necessità o per altra ragione pastorale davvero impellente. Si riveda la prassi vigente nelle cliniche e negli ospedali; i parroci avvertano di ciò i cappellani e le superiore delle comunità religiose presso le cliniche, chiedendo anche la loro collaborazione per spiegare ai genitori i motivi delle nuove disposizioni.

4. Nello svolgimento della celebrazione si curi la liturgia della parola nel suo aspetto catechetico: i presenti siano fatti sedere in modo da poter ascoltare tranquillamente; si scelga la lettura biblica più adatta; si faccia una breve omelia catechetica per introdurre l'assemblea a comprendere nella fede il significato del sacramento celebrato. Dalle parole dette dal sacerdote, ciascuno dovrebbe essere aiutato a comprendere meglio la propria esistenza cristiana fondata sul battesimo e la responsabilità ecclesiale che ne deriva verso il nuovo battezzato.

5. I momenti del rito che prevedono una maggior spontaneità di dialogo fra celebrante e genitori-padrini siano convenientemente usati per dare alla celebrazione un aspetto meno artificioso e per aiutare i presenti ad una partecipazione veramente personale. Comunque il sacerdote non pretenda mai di improvvisare senza una adeguata preparazione.

6. In alcune domeniche dell'anno, specialmente del tempo pasquale, è pastoralmente conveniente inserire il battesimo nelle Messe delle varie assemblee, per offrire di volta in volta a tutti i fedeli praticanti la possibilità di comprendere la loro responsabilità nei confronti dei nuovi battezzati. Si cerchi di offrire ad ogni assemblea domenicale almeno una di queste celebrazioni battesimali all'anno. Si eviti però di portare troppi battesimi sempre in una stessa assemblea domenicale.

Roma, dalla sede del Vicariato nel Palazzo Apostolico Lateranense, nella Solennità di San Giovanni Battista 1970.—ANGELO Card. DELL'ACQUA, *Vicario.*

* Riv. dioc. Roma 11 (1970) 853-854.

3878

1970 IUN 26.-SIGNATURA APOSTOLICA, RESPONS. PART.*

SOLVITUR DUBIUM CIRCA COMPETENTIAM TRIBUNALIS REGIONALIS SECUNDAE INSTANTIAE, ET CIRCA CUMULATIONEM MUNERIS NOTARII IN EADEM PERSONA ET CAUSA PRO DIVERSIS INSTANTIIS, VEL CUM DEFENSORE VINCULI AUT ADVOCATO PARTIS PRO DISTINCTIS CAUSIS

STATUS QUAESTIONIS.—Decreto S. T. Signaturae Apostolicae diei 8 novembris 1968 [LE 3697], constituta sunt apud Curiam Lugdunensem duo Tribunalia Ecclesiastica Regionalia, quorum unum in prima, alterum vero in secunda instantia pertractant causas separationis coniugum necnon causas contentiosas et criminales, pro dioecesibus Lugdunen., Camberien., Anicien., Annecien., Augustodunen., Bellicien., Claramontan., Gratianopolitan., et Valentinen.

Cum Tribunal Divionense hucusque habuerit tamquam Tribunal Appellationis Tribunal Lugdunense, quamquam non sit pars regionis Lugdunensis primae instantiae, sequentia quaesita proposita sunt:

Q.—I. Utrum nempe Tribunalibus Regionalibus Lugdunensibus competat munus iudicandi appellationes et recursus adversus decisiones a Tribunali Divionensi in prima instantia latas?

Q.—II. An notarius primae instantiae, ob penuriam sacerdotum idoneorum, fungi possit eodem munere etiam in secunda instantia?

Q.—III. An notarius secundae instantiae, item ob penuriam sacerdotum idoneorum, fungi possit munere Defensoris Vinculi in causis in quibus partes non habuerit uti notarius?

Q.—IV. An notarius primae instantiae, ob eandem rationem, munus advocati suscipere possit in casibus in quibus partes non habuerit uti notarius?

DECISIO.—In Congressu diei 26 iunii 1970, quaesitis a dicto Officiali Lugdunensi litteris diei 9 maii 1970 propositis, S. Signaturae Apostolicae Tribunal respondendum esse censuit:

Ad I.—Hoc munus competere Tribunali Lugdunensi secundae instantiae, incolumi semper manente facultate recurrendi ad S. R. Rotam ad normam can. 1599 § 1 n. 1.

Ad II.—Affirmative, seu notarium primae instantiae fungi posse eodem munere etiam in secunda instantia.

Ad III.—Cuilibet notario sive primae sive secundae instantiae committi posse in singulis casibus munus exarandi animadversiones pro vinculo, dummodo idoneus et capax sit.

Ad IV.—In nulla causa expedire ut notarius, sive primae sive secundae instantiae, munus advocati suscipiat, etiamsi partes in causa non habeat uti notarius.

* Officiali Tribunalis regionalis Lugdunensis primae instantiae: Apoll. 43 (1970) 519-520.

3879

1970 IUN 29.-SC CULTUS, INSTR. AAS 62 (1970) 664-666

DE AMPLIORE FACULTATE SACRAE COMMUNIONIS SUB UTRAQUE SPECIE ADMINISTRANDAE

Sacramentali Communione fideles perfectius inseri in celebrationem eucharisticam universa traditio Ecclesiae docet. Hoc enim modo Sacrificii eucharistici plene fiunt participes, id est non tantum fide et externa precatione, neque Christo super altare oblato sese spirituali tantummodo affectu iungentes, sed etiam Eum ipsum sacramentaliter sumendo, ut sibi sanctissimi huius Sacrificii fructum comparent uberiorem.

Quo autem clarius plenitudo signi in convivio eucharistico fidelibus pateret [1], firmis principiis dogmaticis a Concilio Tridentino statutis, quibus docetur etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi [2], Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum II censuit ut, quibusdam in casibus ab Apostolica Sede definiendis, fideles sacram Communionem sub utraque specie recipere possent [3].

Haec autem Concilii voluntas gradatim ad effectum deducta est [4], progrediente fidelium praeparatione, quo uberiores pietatis et spiritualis emolumenti fructus ex immutata Eucharistiae disciplina securius evenirent.

Exinde vero magis magisque optatum est, ut casus, cum sub utraque specie Communionem ministrari licet, ulterius multiplicarentur pro diversis tum regionum tum personarum adiunctis.

Haec porro Sacra Congregatio pro Cultu Divino, attentis petitionibus plurium Episcoporum, immo et Conferentiarum Episcopalium, necnon Superiorum familiarum religiosarum, de mandato Summi Pontificis, circa facultatem sacrae Communionis sub utraque specie ministrandae ea quae sequuntur decernit:

665 1. Communio sub utraque specie distribui potest, secundum iudicium / Ordinarii, in casibus ab Apostolica Sede definitis, prout in adnexo elencho recensentur.

2. Insuper Conferentiae Episcopales statuere possunt quatenus quibusque iudiciis et condicionibus Ordinarii Communionem sub utraque specie concedere valeant in aliis casibus, qui magnum momentum habent in vita spirituali alicuius communitatis vel coetus fidelium.

3. Intra hos fines, Ordinarii casus particulares indicare possunt, ea tamen lege ne facultas indiscriminatim concedatur, sed ut celebrationes bene definiantur, atque res cavendae indicentur; vitentur praeterea occasiones cum magnus est communicantium numerus. Coetus quoque, quibus haec facultas conceditur, sint bene circumscripti, ordinati et eiusdem naturae.

4. Has facultates tribuere potest Ordinarius loci pro omnibus ecclesiis et oratoriis in suo territorio; Ordinarius vero religiosus pro suis domibus.

Ipsorum autem est curare ut normae ab Apostolica Sede vel a Conferentia Episcopali statutae serventur. Antequam vero facultatem concedant, ipsis constare debet omnia ita reapse peragi posse, ut sanctitas sacramenti in tuto collocetur.

5. Antequam vero fideles ad sacram Communionem sub utraque specie admittantur, semper debita catechesis praecedat, quae huius ritus significationem plane eos edoceat.

6. Ut autem Communio sub utraque specie congruenter ministretur, sedulo curare oportet omnia debita cum reverentia agenda ritumque servandum, qui in Institutione generali Missalis romani nn. 244-251, describitur.

Modus eligatur, quo praevidetur ipsam cum dignitate, pietate et decore ministrari posse atque minoris reverentiae pericula vitari, attentis indole cuiusque coetus liturgici et aetate et condicionibus ac praeparatione suscipientium.

[1] Cfr. *Institutio generalis Missalis romani*, n. 240 [LE 3840]. [2] Cfr. Conc. Trid., Sess. XXI, *Decr. de Communione eucharistica*, c. 1-3: Denz. 929-932 (1725-1729). [3] Cfr. Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 55 [LE 3141]. [4] S. Congr. Rituum, Decretum generale quo ritus concelebrationis et Communionis sub utraque specie promulgatur, *Ecclesiae semper*, 7 martii 1965: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 411-412 [LE 3270]; Instructio de cultu Mysterii eucharistici, *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 32: *A. A. S.* 59 (1967) [LE 3562]; *Institutio generalis Missalis romani*, nn. 76-242 [LE 3840].

Inter modos Institutione generali Missalis romani praestitutos, Communio quae sumitur ex ipso calice primum locum obtinet; attamen haec eligenda est tunc solummodo cum omnia consentaneo ordine neque ullo cum periculo irreverentiae erga Sanguinem Christi fieri possunt. Eligantur igitur, cum praesto sunt, alii sacerdotes vel diaconi, aut acolythi, qui calicem porrigant. Probanda contra non videtur ratio agendi, qua ita fit ut calicem alter alteri tradat, aut communicantes directe ad calicem accedant Sanguinem sumpturi.

Quotiescumque ministri, de quibus supra, haberi nequeant, si pauci / sunt communicandi, et sacra Communio 666
sub utraque specie fit bibendo directe e calice, sacerdos ipse Communionem distribuat antea sub specie panis ac postea sub altera specie.

Aliter praeferatur ritus Communionis sub utraque specie quae fit per intinctionem, quo melius occurri poterit difficultatibus practicis et aptius reverentiae Sacramento debitae consulatur. Hoc modo facilior et tutior redditur accessus ad Communionem sub utraque specie fidelibus cuiusvis aetatis et condicionis, et simul servatur veritas signi plenioris.

Praesentem Instructionem Summus Pontifex Paulus VI, die 26 mensis Iunii anno 1970, ratam habuit et confirmavit, atque foras dari iussit.

Ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 29 iunii 1970, in sollemnitate Ss. Petri et Pauli, Apostolorum. —Benno Card. GUT, *Praef.* H. Bugnini, *a Secr.*

Adn. Notit. 6 (1970) 328-333; C. BRAGA in EL 84 (1970) 383-387; E. F. REGATILLO in Sal terrae 59 (1971) 133-147. Vide «Casus Institutione generali Missalis Romani definitos (n. 242), quibus Communio sub utraque specie administrari potest» apud AAS 62 (1970) 666-667 vel apud LE 3840 col 5782.

3880

1970 IUN .. -SC CULTUS DIVINI, RESPONSUM. PART.*

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA: 1 –AD INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI. 2 –AD ORDINEM MISSAE. 3 –AD DIVERSA

1. AD INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI

1. *Quid intelligendum sit sub nomine «peculiaris celebratio sollemnior», in qua* Gloria *cantari debet*? RESP. «Peculiaris celebratio sollemnior», iuxta locutionem n. 31 *Institutionis generalis* [LE 3840] in qua *Gloria* cantari debet, intelligenda est celebratio, quae fit cum sollemnitate vel cum concursu populi.

2. *Utrum facienda sit consecratio alicuius altaris, cuius mensa e materia lignea vel ferrea conficiatur*? RESP. *Affirmative.* In n. 263 *Inst. gen.* dicitur: «Iuxta traditum Ecclesiae morem et significationem, mensa altaris fixi sit lapidea... Attamen etiam alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio Conferentiae Episcopalis, adhiberi potest». Consecratio peragenda est secundum morem acceptum, donec novus ritus promptus sit.

3. *Utrum formula benedictionis altarium mobilium parata sit et ubinam inveniatur*? RESP. Ad normam n. 265 *Inst. gen.* altaria mobilia benedici tantum possunt. Formula benedictionis nondum parata est.

4. *Num in consecratione vasorum sacrorum, quae non e materia aurea sint confecta, adhiberi debeant formulae Pontificalis Romani*? RESP. *Affirmative.* Vasa sacra, e quacumque materia confecta, dummodo sit solida et nobili, de iudicio Conferentiae Episcopalis, sunt benedicenda vel consecranda iuxta ritus in libris liturgicis receptos (cfr. *Inst. gen.* n. 296). Formulae adhibendae sunt adhuc e Pontificali Romano, adiuncta unctione chrismatis pro consecratione.

5. *Utrum Missa exsequialis celebrari possit in octava Nativitatis et Paschatis*? RESP. *Affirmative.* Ad normam n. 336 *Inst. gen.* inter Missas defunctorum Missa exsequialis celebrari potest omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus de praecepto et dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae. Ergo etiam in octavis Nativitatis et Paschatis.

6. *Num Missae pro defunctis, de quibus in n.* 337 *a* Inst. gen., *celebrari possint etiam in feriis Quadragesimae*? RESP. *Affirmative.* Nam Missae defunctorum, de quibus in supradicto numero (post acceptum mortis nuntium, vel in ultima sepultura defuncti, vel in primo anniversario die), possunt celebrari in *omnibus* feriis, exceptis tantummodo Feria IV Cinerum et feriis Hebdomadae sanctae.

2. AD ORDINEM MISSAE

7. *An in ecclesiis, ubi altare versus populum non habetur, sacerdos in Missae celebratione dicens: «Pax Domini sit semper vobiscum» et «Offerte vobis pacem», se vertere debeat ad populum*? RESP. *Affirmative.* Rubrica, quae habetur in n. 128 *Ordinis Missae cum populo* [LE 3840] in novo Missali, statuit ut locutiones illae, populum respicientes, versus populum fiant.

http://www.obrascatolicas.com

3. AD DIVERSA

8. *Num formulae adhibendae in Communione extra Missam (p. gr. «Confiteor»; «Ecce Agnus Dei»...) sint variatae?* RESP. *Negative.* In distribuenda Communione extra Missam adhiberi debent formulae, quae inveniuntur in *Ordine Missae* (nn. 133-135), «*Confiteor*» et absolutione non omissis (*Ordo Missae*, n. 3), usque dum aliter provideatur.

* Notit. 6 (1970) 283-284.

3881

1970 IUL 7.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

DIOECESIS P. - IURIUM - MASSAE CAPITULARIS: VIGOR STATUTORUM USQUE DUM EORUM RECOGNITIO APPROBETUR

FACTI SPECIES. - Pius Pp. IX, anno 1855, Dioecesim X erigens, Capitulum Collegiale, inde iam ab anno 1660 ibidem exsistens, suppressit et in eius locum Capitulum Cathedrale constituit. Cui Capitulo attributa sunt omnia iura, quibus olim Capitulum Collegiale, iuxta systema massae communis capitularis, fruebatur. Secundum hoc systema praebendae aequali modo inter Membra Capituli, i. e. inter Dignitates et simplices Canonicos, dividebantur.

At, cum vi legum civilium dd. 15 februarii 1867 et 11 augusti 1870 omnia bona Capituli Cathedralis publicata seu usurpata fuerint ex parte Status civilis, in locum singularum praebendarum sic dictum supplementum congruae institutum est. Quae substitutio naturam ipsam massae communis capitularis nullo modo mutavit. Permansit, igitur, systema massae communis, non autem systema singularum praebendarum. Quare, Dignitates et Officiales eiusdem Capituli Cathedralis nullam aliam differentiationis summam, dignitatis causa, percipiebant, praeter supplementum congruae.

Huiusmodi systema confirmarunt etiam Capituli Cathedralis Statuta, ab Ordinario loci die 4 aprilis 1900 approbata.

Etiam postquam Gubernium Italicum auxit congruam Dignitatum et Officialium, et post decreta a S. C. Concilii diebus 16 mali et 4 iulii 1925 lata (*A. A. S.* 17, 1925, p. 382) [LE 651 et 665], usque ad diem 31 decembris 1963 viguit systema massae communis capitularis, cum integratione specialis aliquotae, quam Dignitates et Officiales Capituli recipiebant.

Anno 1967 Ordinarius loci edidit hoc Decretum: «... *decretiamo* che nel Capitolo di X sia ripristinata la massa comune alla quale i singoli Beneficiati devono versare il proprio supplemento di congrua e che la medesima sia distribuita ai singoli in qualità differenziate in proporzione alle quote di immissione. *Annulliamo* qualsiasi consuetudine contraria perchè non è ammissibile che la differenza tra semplici canonici, dignità ed offici, sia solo differenza 'honoris causa'».

Contra hoc Decretum nonnulli canonici, die 9 novembris 1967, ad S. Congregationem Concilii recursum fecerunt, additis congruentibus documentis, deductionibus et animadversionibus.

Sacra Congregatio pro Clericis litteris die 29 novembris 1968 datis Decretum Ordinarii loci confirmavit atque edixit, ut supra allata Statuta Capituli Cathedralis reformentur ad mentem Decretorum Concilii *Christus Dominus* [LE 3332], n. 27, *Presbyterorum Ordinis* [LE 3365], n. 20 et M. P. *Ecclesiae Sanctae* [LE 3457], nn. 8, 15-18, ita ut ab Ordinario ad experimentum et ad tempus usque ad reformationem C. I. C. confirmari possint.

Episcopus, acceptis supracitatis litteris S. Congregationis pro Clericis, die 1 iunii alterum dedit Decretum, quo decisionem eiusdem Congregationis exsecutioni mandavit.

Tandem die 1 iulii 1969 canonicus D. F. recursum interposuit apud Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae adversus Decretum episcopale diei 1 iunii 1969.

Patronus recurrentis die 17 iulii 1969 a Signatura Apostolica petiit suspensionem exsecutionis impugnatae decisionis. In Congressu diei 23 iulii 1969, Signatura Apostolica decrevit: «*Instantiam pro suspensione exsecutionis impugnatae decisionis non esse a limine reiciendam*».

IN IURE ET IN FACTO. 1. Unumquodque Capitulum sua statuta habere debet. Quae statuta condenda sunt per legitimum actum capitularem, ad normam can. 101 § 1, 397, n. 4, et approbationi Episcopi subiicienda. Immo si, post mandatum Episcopi, Capitulum statuta non conficiat, exacto sexto ab intimatione mense, Episcopus eadem conficiat Capituloque imponat. Statuta iam condita et approbata, sine auctoritate Episcopi nec abrogari nec mutari possunt (can. 410).

Ipsa autem statuta de rebus ad Capitulum spectatibus agunt secundum et praeter, non vero contra ius commune. Itaque statuta, quae post Codicem emendata non sunt nec eiusdem praescriptionibus sunt contraria, abrogata dici non possunt.

Proinde si Capitulum X de quo agitur, propria statuta, praesertim circa distributiones capitulares, non mutavit, eadem statuta abrogata dici non possunt. Immo ipsa S. Congregatio pro Clericis litteris diei 28 novembris 1968 expresse ceclarat: «Il Capitolo X si regge ancora con gli statuti del 1900».

2. Mutatio autem, quae a die 1 ianuarii 1964 systema distributionum capitularium adfecit, ex eo tantum manat, quod Canonicus Archidiaconus hac in causa resistens una cum ceteris Dignitatibus et Officialibus Capituli, ab illa die recusavit supplementum auctae congruae ab Italico Gubernio tributum in massam communem immittere.

Idem vero Canonicus mense octobris 1963 propositionem hoc sensu Episcopo exhibuerat; sed non constat huiusmodi propositionem per decisionem actus capitularis nec ab Episcopo approbatam fuisse. Ipsa igitur normas statutorum Capituli ad illud tempus vigentes mutare non valuit.

4. Decreta quoque tum S. Congregationis pro Clericis tum Episcopi intenderunt, normas peculiares statutorum Capituli X mutare, quin tamen via iuris ordinaria, canone 410 praescripta atque indicata Litteris Circularibus diei 25 iulii 1923 (AAS, 1923, p. 453) [LE 532] ab eodem S. Dicastero edictis, adiretur, h.e. quin ageretur per actum capitularem ab Episcopo approbatum vel per nova statuta in forma iuris condita.

Praeterea, id quod declaratum est ab illo S. Dicastero: «Il Capitolo X si regge ancora con gli statuti del 1900», ab ipso Episcopo confirmatur: «Un giurista sta preparando la revisione dello statuto del Capitolo e appena sarà pronta verrà approvata ad experimentum. Intanto resta in vigore, per quanto è possibile il vecchio statuto».

Donec igitur nova statuta emendata et approbata vigere inceperint, status quo veterum statutorum, non exclusis distributionibus, in Capitolo X sustinendus est.

DECISIO. - Die 7 iulii 1970, in Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, de recursu a canonico D. F. interposito adversus decisionem a S. C. pro Clericis die 28 novembris 1968 latam, decretum est: *Recursum esse admittendum ad disceptationem.*

* Apoll. 43 (1970) 524-526.

3882

1970 IUL 10.-SECR. NON-CREDENTIBUS, INSTR. PART.*

NOTA CIRCA STUDIUM ATHEISMI ET INSTITUTIONEM AD DIALOGUM CUM NON CREDENTIBUS HABENDUM, CANDIDATIS SACERDOTII IMPERTIENDAM

Prooemium

1. Ampliores rationes suscipiens de studiis ecclesiasticis novo aptioreque modo ex integro ordinandis ac de magis congrua formatione candidatis sacerdotii impertienda, Sacra Congregatio pro Institutione Catholica, in Instructione cui titulus «*Ratio Fundamentalis Institutionis sacerdotalis*» [LE 3817], peculiare quoque momentum tribuit urgenti necessitati iuvenes mature informandi ad dialogum cum non credentibus atque diligentius considerandi, quod attinet sive ad docentes sive ad alumnos, progredientem atheismi vim et saecularizationem, quae in hominum nostrae aetatis consortionem inducuntur.

2. Secretariatus pro non Credentibus cum Sacra Congregatione pro Institutione Catholica plane conspirat in hunc finem renovandi studia ecclesiastica, quem postulationi et exspectationi hodiernae societatis plene congruere arbitratur; potissimum vero assentitur illi parti documenti eiusdem Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica, ubi speciali modo de atheismo et dialogo agitur.

3. Rationem ipsam attingere nolens, qua statutum studiorum programma ad ipsum usum deducatur —hoc enim dumtaxat ad competentiam Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica et Conferentiarum Episcopalium pertinet— idem Secretariatus maxime expedire aestimat, ut momento insistat, quod, in studiis ecclesiasticis renovandis et clero formando, inest altius cognoscendis formis saecularizationi faventibus et atheis hodierni cultus humani, atque admodum responsabili praeparationi cleri ad dialogum cum non credentibus ineundum. Quapropter vehementer exoptat, ut Commissiones, quae a Conferentiis Episcopalibus instituentur ad conficiendam et necessitatibus dioecesium accommodandam Rationem Studiorum, ad suasiones respiciant, quae circa studium atheismi et formationem ad dialogum habendum, infra praebentur, singulis in casibus expendentes, quomodo ea

consilia in regionibus propriis utilia evadant, atque ut diligenter ponderent alios aspectus, qui, utpote magis consentanei postulatis cuiusque regionum, in componenda Ratione Studiorum prae oculis sint habendi.

I. *De exsistentia atheismi et saecularizationis.*

4. Ad hoc quod attinet, expedit imprimis recogitare saecularizationem et atheismi propagationem esse his temporibus factum quoddam *reale* in societate, quod paulatim vigescat non solum apud delectos homines doctrina ornatos, sed etiam in vulgo latissime pervageturr.

pronuntiandam esse non dubi/temus. Spe enim ducimur ac fore confidimus, ut Teresia a Iesu, sollemni decreto christianae vitae magistra declarata, hodierni etiam temporis homines vehementer excitet, ut ea in primis colant, quae ad fovendam animi pietatem ad supernarumque rerum contemplationem et adeptionem conducant.

Teresia nata est Abulae, in Hispaniarum finibus, die XXVIII mensis Martii, anno MDXV. Quae vero esset aliquando futura, parvula praenuntiavit, cum in domus hortulis abditam vitam agere conaretur, consilio sibi proposito ea ad exitum perducendi, quae de priscae Ecclesiae martyribus saepe legebat. Matre immature mortua, ipsam Dei Genetricem in auxilium sibi ac praesidium comparavit. Aequum ei igitur fuit, ut ab ineunte adulescentia Deo se totam vovere optaret seque in Carmelitidum mulierum coenobium conferret, viginti annos nata. Quae multis haud dubiis indiciis quamquam in virtutes colendas studium impendebat, de pristino tamen animi fervore aliquantulum remittere coepit a suoque proposito declinare. Feliciter vero ei cessit, ut, Petro Alcantarensi, Ludovico Bertrando, Francisco Borgia, Ioanne Abulensi aliisque sanctis viris cohortantibus, ad caelestium rerum considerationem vehementer alliceretur et ad perfectiora Deoque acceptiora semper agenda. Quod consilium alto animo fovit ac perfecit, testibus tam eius spiritus moderatoribus quam iis, qui cum ea vitae operumque consuetudine coniuncti fuerunt.

Ad peculiaria tamen capessenda munia vocari videbatur, ad quae suopte ingenio ac naturali quadam voluntatis propensione inclinabat. Constanti enim mente et firma movebatur sui Ordinis coenobium condendi, quod altiore ratione, quam suetus mos ferebat, regeretur; idque Sede Apostolica probante absolvit, septem cum esset et quadraginta annorum, doctis usa sanctisque consiliariis. Obortas autem undique difficultates tam intrepide superavit coeptumque iter tam constanter institit, ut brevi annorum spatio alia in Hispaniae regionibus non pauca coenobia constituerit. Quo aptius praeterea renovatis sororum coenobiis prospiceret atque ad Ecclesiae incrementum apostolicis operibus prodesset, religiosos etiam viros, Carmeli Ordini addictos, ad altiorem vitae disciplinam restituere cogitavit suumque propositum ad effectum deduxit, maxime favente et adiutricem operam praebente sancto Ioanne a Cruce.

Sic ergo instaurata et aucta sodalitate, ad id mentem intendit, ut pias, quas frequentiores sibi in dies asciverat, mu-
187 lieres ad sanctae vitae rationem informaret; ut videlicet abditae et solae cum Deo viverent, / assiduas pro Ecclesia preces ei adhiberent, corpus suum crebris et voluntariis cruciatibus afflictarent, studiosa inter se affabilitate caritateque jungerentur, Christi praecipuo parentes mandato. Illa autem in omnium virtutum exercitatione spectatissimo erat incitamento et exemplo. Anteibat enim prudentia et evangelica simplicitate, animi demissione, erga praepositos in rebus etiam arduis oboedientia, sui contemptu aliorumque utilitatis studio singulari, quibus iuvandis se suaque impendere non dubitabat. Austeram praeterea et asperam vitam ducebat, in adversis patiens, in prosperis maximopere Deo grata. Praeludebat quoque flagranti in Deum pietate, eius amore penitus devincta. In vicem innumerabilibus a Deo gratiis aucta, ad Ecclesiae tamen prorsus monita adhaerescebat, cum pluris admodum faceret fidelem et humilem Dei ministris obtemperationem quam visiones, revelationes et exstases. Cuiusmodi ob assiduum cum Domino commercium, luminosum quiddam, ut ferunt, eius in vultu nitere videbatur, summae cunctis admirationis et laetitiae causa.

Huc addendum humanas, quae dicuntur, Teresiam coluisse virtutes, utpote quae valde contenderet, ut verum diceret, fidem servaret, staret promissis, familiarem usque sermonem sereret laetitiae atque humanitatis plenum. In rebus vero agendis ac sustinendis animi magnitudine praestabat, simul vero comitate et aequa in unumquemque existimatione et observantia. Neque est obliviscendum eam suas inter curas continentesque labores tempus etiam invenisse et vires ad praeclara opera conscribenda, quae totam vel operosissimi hominis vitam omnino requirere ac detinere viderentur, altissimarum de Deo deque supernis rebus quaestionum subtilem et acutam disceptatricem.

Tam diu denique tamque actuose laborantem brevis et letalis morbus in urbe Alba corripuit et, ut alia incepta aggredi desisteret, coegit. Suum erga Christi Ecclesiam amantissimae filiae obsequium iterum iterumque obstentans, magna mater piissime obiit die IV mensis Octobris, anno MDLXXXII.

Quae vivens est propter singulares virtutes undique dilaudata, ea luculentius mortua emicuit estque exculta. Merito ergo factum, ut a Paulo V ei beatorum Caelitum, a Gregorio vero XV sanctorum decernerentur honores eaque in christianae religiosaeque vitae proponeretur exemplum, in quod omnes respicerent. Quodsi huius Dei famulae sanctitate ad imitandum trahimur, eius doctrinae excellentia in summam movemur admirationem. Suam enim et intellegendi et docendi imperitiam etsi pluries est testata, res tamen altissimas et percipere et docere et scriptis mandare, Deo affiante, valuit, Christum arbitrata unum esse / sibi sapientiae fontem et 188
quasi librum vivum. Ad hoc quod attinet, mirum censendum in primis est sanctam Teresiam tanta subtilitate tantaque sollertia in mysterium Christi inque animi humani cognitionem penetrasse, ut eius doctrina haud dubiam praesentiam vimque singularis charismatis Spiritus demonstraret. In hac siquidem doctrina excellunt altissimi rerum sensus, mysterii Dei viventis, Christi Salvatoris et Ecclesiae intima comprehensio, acris experientia gratiae, quae naturam, tot dotibus exornatam, nobilitat atque dilatat. Inde summa efficacitas perennisque doctrinae eius auctoritas, quae ultra fines Ecclesiae catholicae protenditur ipsosque non credentes attingit.

Eius magisterium non solum ad vitam fidelium momentum habuit, verum etiam, et quidem efficienter, ad illam magni ponderis electamque cognitionis theologicae provinciam, quae theologiae spiritualis nomine hodie appellatur. Teresiae enim scripta uberrimus fons sunt multiplicis experientiae, testificationis, perspicientiae spiritualis, unde copiose omnes huius theologiae cultores hauserunt. Eadem scripta, etsi varias ob causas rerumque adiuncta neque secundum praestitutam rationem exarata, concors tamen et solidum doctrinae spiritualis corpus efficiunt. Sic in volumine, quod *Libro de su vida* inscribitur, summa eorum, quae in ipsa misericors Deus operatus est, enarrat, eorum aperit sensum eademque ante lentium oculos instar mirabilis cuiusdam «historiae salutis» proponit. In commentario autem, cuius est titulus *Camino de Perfección*, ascetica vitae theologalis fundamenta, scilicet primarias virtutes, itidem necessitatem et gradus orationis, etiam contemplativae, exquisita educandi arte persequitur. In libro deinde, cui *Castillo Interior* est index, plenam perfectamque progressionem vitae divinae in homine rimatur, qui ad altissimos usque gradus experientiae mysticae, particeps esse potest mysterii Trinitatis et Christi. In opere, vulgo *Libro de las Fundaciones* appellato, apostolica coepta sua Teresia describit laboresque, quos ad Ordinis sui reformationem pro Christi Ecclesia exantlavit. Eius praeterea Epistulae, humanitatis plenae, versatile eius ingenium animumque ostendunt, quippe quae constitutam sibi vitam contemplativam actuose vivere nitatur ac simul cum suae aetatis hominibus religiosas humanasque vicissitudines participare. In commentariis denique *Relaciones* inscriptis eminent eius studium et religio, ut dona sua superna Ecclesiae auctoritati omnino subiciat. Veluti centrum spiritualis Teresiae doctrinae est Christus, qui Patrem revelat eique nos coniungit sibique consociat; eiusdem vero doctrinae potiora capita sunt oratio christiana ut vita amoris, et Ecclesia, qua regnum Dei in nobis efficitur. Con- 189
iunctio nostra cum Christo insti/tuitur in mensa verbi Dei, per continuam Evangelii meditationem, et in mensa Corporis ac Sanguinis eius, per convivium sacrificiale Eucharistiae; in utraque hac mensa humanitas Christi Iesu hominem, qui eidem se totum committit, intime assumit in mysterium mortis ipsius, resurrectionis et gloriosae vitae apud Patrem. Eam ob causam sacratissima Christi humanitas omne bonum nostrum continet et salutem. Quam doctrinam Teresia in libro de vita sua his exprimit verbis: «nos Deo placere non possumus, nec Deus solet sua dona nobis impertire, nisi per sacratissimam humanitatem Christi, in quo ipsemet sibi complacet» (22, 6). Summam enim perfectionem homo tunc tantum attinget, cum ei dicere licebit cum Christo: *mihi vivere Christus est* (cf. *Mansiones*, VII, 2, 5). Vita autem orationis, quae a Teresia in eodem vitae suae libro docetur (8, 5), existimari potest vita amoris, quatenus oratio ea est amicitiae necessitudo, qua diu solique cum Deo loquimur, a quo scimus nos amari. Deus hominem invitat nec desinit sollicitare, ut suam amicitiam amplectatur atque in dies artiorem secum habeat communionem. Huiusmodi autem amicitiae cum Patre, per Christum, in Spiritu Sancto, respondere eaque dignus invenitur per gratiam nititur. Magnitudo autem orationis et contemplationis hominem nedum ab iis, quae regnum Dei Ecclesiamque

http://www.obrascatolicas.com

respiciunt, alienet, in eadem maiore consortione et ardore eum compellit. Hoc quidem demonstratur tum vita mirisque factis, quae Teresia, ipsius contemplationis plenitudine acta, in utilitatem Ecclesiae peregit, tum eius testificatione, quam veluti doctrinae suae fundamentum edixit, quamque sincera veritate et cordis laetitia moriens his verbis iteravit: «gratias tibi ago, Domine, quod ut Ecclesiae filia morior».

Quae cum ita sint, iam die XV mensis Octobris, anno MCMLXVII, propositum palam significavimus in albo Ecclesiae doctorum sanctam Teresiam a Iesu scribendi. Quae sententia, non solum Nostra consuetudine cum eiusdem sanctae mulieris doctrina, sed magna etiam nitebatur aestimatione, quam Nostri in Romano Pontificatu decessores iterum iterumque de eius doctrinae excellentia verbis declararunt, qui profecto esset, anno MDCLVII palam scripserunt: «habet autem doctricis aureolam matriarcha nostra beata Teresia, cuius singularem doctrinam... tamquam e caelo emanatam recipit et approbat Ecclesia».

Quapropter, valde cupientibus, ut tantae mulieris sanctitas et doctrina in omnium magis utilitatem cederent, visum est, Nobis posse doctoris Ecclesiae titulum atque cultum eidem tribui, qui sanctis tantum viris usque adhuc praestiti sunt. Hoc tamen de negotio ut quam diligentissime disceptaret
191 Sacrae Rituum Congregationi mandavimus. Quae, peritissimorum virorum opera et sententia antea usa, in ordinario coetu, die XX mensis Decembris, anno MDCCCCLXVII habito, id dubium excutiendum proposuit, an titulus et cultus doctoris Ecclesiae praeterquam viris, tribui etiam mulieribus posset, quae, iuxta Benedicti XIV Pont. Max. normas et decreta, sanctitate et eximia doctrina ad commune fidelium bonum contulissent. Sententiam autem eorum, qui aderant, Patrum Cardinalium Praelatorumque Officialium, id fieri posse asseverantem, ratam Nos habuimus et confirmavimus, die XXI mensis Martii, anno MCMLXVIII. Cumque dilectus Filius Michael Angelus a Sancto Ioseph, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Praepositus Generalis, sua ipsius suique Ordinis vota declarans, enixe a Nobis postulavisset, ut Teresiam a Iesu doctorem Ecclesiae pronuntiaremus, idque plurimi etiam petivissent S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Moderatores Religiosorum Ordinum, Congregationum Institutorumque saecularium aliique doctissimi e Studiorum Universitatibus et altioris ordinis Institutis viri, huiusmodi preces et vota Sacrae Rituum Congregationi perpendenda misimus, quae peculiarem positionem, ut dicunt, eandemque magni ponderis, paravit, totum negotium explorate accurateque pertractantem. Quae cum S. R. E. Cardinales Sacrae Congregationi pro Causis Sanctorum, interea constitutae, praepositi diligentissime recognovissent, sententiam suam in ordinario eiusdem Congregationis coetu, in Vaticanis Aedibus habito die XV mensis Iulii, anno MCMLXIX, significaverunt, post auditam sive relationem Venerabilis Fratris Nostri Arcadii S. R. E. Cardinalis Larraona, huius causae Ponentis, sive Praelatorum Officialium iudicia; omnesque uno ore affirmaverunt sanctam Teresiam a Iesu dignam omnino esse, quae in doctorum Ecclesiae album asscriberetur. De his denique die XXI mensis Iulii, superiore anno, certiores facti, omnibus attente perpensis, eiusdem Sacrae Congregationis consultum approbavimus et confirmavimus, statuentes, ut sollemni id ritu conficeretur.

Quod hodie, Deo iuvante cunctaque plaudente Ecclesia, factum est. In Petriano enim templo, undique gentium maximeque ex Hispania fidelium turmis confluentibus, plurimis astantibus S. R. E. Cardinalibus sacrisque et Romanae Curiae et catholicae Ecclesiae Praesulibus, acta omnia confirmantes expostulationibusque concedentes sodalium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum ceterorumque petitorum vota perlibenter implentes, haec inter divinum sacrificium pronuntiavimus verba: *«certa scientia ac matura deliberatione deque Apostolicae potestatis plenitudine Sanctam Teresiam a Iesu, Virginem Abulensem, Ecclesiae universalis Doctorem declaramus».* /

192

Quibus verbis prolatis Deoque una cum astantibus gratias actis, de mira huius Ecclesiae doctoris sanctitate et doctrina sermonem habuimus, ad aramque templi maximam caelesti victima litavimus.

Hac autem super re decernimus, ut haec Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nunc sive in posterum plene habeant; atque praeterea sic sit rite iudicandum ac definiendum, irritumque et inane fiat, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die septimo et vicesimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri octavo.—PAULUS PP. VI.

3903

1970 SEP 29.-VICARIATUS URBIS, NORMAE. PART.*

NORMAE CONFIRMANTUR ET APPLICANTUR CIRCA ADMINISTRATIONEM BAPTISMATIS IN URBE IUXTA NOVUM RITUM

Facendo seguito alla nostra Notificazione del 24 giugno ultimo scorso [LE 3877] sul nuovo rito del Battesimo ed alla lettera della S. Congregazione per il Culto Divino in data 19 agosto 1970 [LE 3894], affinché in tutta la Diocesi di Roma vengano applicate con più sollecita attenzione le norme pastorali circa la preparazione e la celebrazione del Sacramento del Battesimo per i bambini:

1. Concediamo il fonte battesimale alle chiese dei seguenti luoghi di ricovero e cura della Diocesi: Policlinico Umberto I; Policlinico A. Gemelli; S. Camillo de Lellis; SS.mo Salvatore in S. Giovanni in Laterano - Villa Irma; S. Giacomo; S. Filippo - Villa Verde; Istituto Provinciale per l'Assistenza all'Infanzia (Brefotrofio); Istituto Materno Regina Elena; Regina Margherita dell'I.R.A.O.; Villa S. Pietro; S. Anna.
2. Confermiamo che nelle Cliniche il Battesimo potrà celebrarsi in caso di necessità o per altra ragione pastorale impellente;
3. Confermiamo che nelle case private il Battesimo potrà celebrarsi soltanto in caso di vera necessità;
4. Disponiamo che per i casi cui ai nn. 2-3 i Parroci siano opportunamente e tempestivamente informati;
5. Raccomandiamo ai Cappellani degli Ospedali di curare con diligenza la preparazione dei genitori alla celebrazione del Sacramento in «responsabile collaborazione con i rispettivi Parroci»; in tale modo la loro azione pastorale risulterà più efficace;
6. Ricordiamo a tutti i Parroci, ai Cappellani degli Ospedali e delle Case di cura ed ai sacerdoti il compito di istruire convenientemente i laici — in particolare i genitori, i catechisti, le ostetriche, le assistenti familiari e sociali, le infermiere, i medici ed i chirurghi — sul modo esatto di dare il Battesimo nei casi di necessità (il pericolo o il momento della morte).

Dal Vicariato di Roma, 29 settembre 1970.—ANGELO Card. DELL'ACQUA, *Vicario Generale di Sua Santità.*

* Riv. dioc. Roma 11 (1970) 1101-1102. Vide documenta sub diebus 24 iun. et 19 aug. 1970 posita: LE 3877, 3894.

3904

1970 SEP 30.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 62 (1970) 627-632

Allocutio die 30 sept. 1970 habita Rev.mis Abbatibus et Prioribus Conventualibus universae Confoederationis Congregationum Ordinis S. Benedicti, ad communia consilia habenda Romae congregatis:

DE SENSU NOTISQUE PROPRIIS VOCATIONIS BENEDICTINAE

Vi siamo assai grati della vostra presenza, carissimi e venerati Abati della Confederazione Benedettina. In occasione della celebrazione del Congresso, svoltosi nei giorni

scorsi, vi siete fraternamente uniti in preghiera e in studio su particolari problemi della vostra vita monastica; e avete voluto coronare queste feconde giornate con la visita al Successore di Pietro. Salutiamo voi, e, in ciascuno di voi, tutte le vostre famiglie religiose, che nei vetusti monasteri di ogni parte del mondo, nel diligente, attento, raccolto servizio divino, nella carità operosa, nel lavoro ordinato e faticoso, secondo le linee maestre della Regola del vostro grande Patriarca San Benedetto, continuano ad offrire al mondo, agitato e inquieto e febbrile, l'esempio della «vita nella pace» [1], l'invito alla piena autenticità umana e spirituale, l'oasi refrigerante, adatta alle indagini interiori, al raccoglimento fruttuoso, alla coraggiosa revisione di vita.

Salutiamo voi, dunque, con la immutata grandissima gioia che proviamo ogniqualvolta ci è dato di incontrarci con membri dell'Ordine Benedettino; salutiamo altresì gli osservatori di diversa denominazione cristiana, che avete invitato al Congresso, avendo trattato, tra gli altri problemi, anche quello dell'ecumenismo; e ci fa piacere che abbiate così messo in pratica l'augurio che a voi rivolgemmo, nell'incontro del 30 settembre di quattro anni fa, di «studiare il colloquio con i Fratelli separati» [2].

Vi siete riuniti per considerare assieme, con l'apporto formidabile della vostra dottrina ed esperienza, alcuni problemi che, oltre a quello accennato e all'incremento delle missioni, si possono tutti riassumere nel significato, nelle prerogative, nei doveri della vita monastica, in ordine all'aggiornamento voluto dal Concilio nei vari settori in cui essa si dispiega. Mancheremmo ad un nostro preciso dovere, come alla vostra legittima attesa, se non ribadissimo qui, davanti a voi, la nostra fiducia, la nostra speranza, diciamo la nostra certezza che tutti voi siete fermamente decisi a salvaguardare la concezione benedettina della vita religiosa. Ne tracciammo i capisaldi nella splendida giornata,
628 tuttora per noi indimentica/bile, quando salimmo a Montecassino, sul monte sacro alle vostre memorie, e per le spoglie mortali di San Benedetto e di Santa Scolastica, e per le orme lasciate dal Fondatore, e per la ricchezza di vita religiosa, spirituale, culturale, artistica che sempre rifiorì, nonostante le ingiurie sanguinose degli eventi, passati come un turbine, nel corso dei secoli, su quel famoso Cenobio, vero faro che illumina il vostro Ordine, suo cardine e fulcro inconcusso. Confidammo a voi, in quell'occasione, il nostro desiderio «di avere sempre nella nobile e santa Famiglia benedettina la custodia fedele e gelosa dei tesori della tradizione cattolica, l'officina degli studi ecclesiastici più pazienti e severi, la palestra delle virtù religiose, e soprattutto la scuola e l'esempio della preghiera liturgica, che amiamo sapere da voi, Benedettini di tutto il mondo, tenuta sempre in altissimo onore, e che speriamo sempre lo sarà, come a voi si conviene, nelle sue forme più pure, nel suo canto sacro e genuino, e per il vostro divino officio nella sua lingua tradizionale, il nobile latino (se è possibile), e specialmente nel suo spirito lirico e mistico» [3].

Quibus dictis nunc expedire nobis videtur paucis verbis praecipua capita vocationis vestrae religiosae in memoriam revocare, ut vos, nova et vetera inter se coniungere nitentes, felices exitus assequi valeatis.

1) Imprimis loquendum est de auctoritate Abbatis, qui in monasterio Pater appellatur, cum auctoritatem, bonitatem, discretionem, exemplum Christi monachis repraesentet: «Abbas... Christi agere vices in monasterio creditur» [4]. «Abbas, quia vices Christi agere videtur, et sic se exhibeat ut dignus sit tali honore» [5]. Ipse enim suavi cum caritate, quae firmae voluntati ac menti perspicaci iungatur oportet, filios suos ducere sciat per semitas obscuras ac difficiles, sed etiam laetificantes et pacificantes, quibus Deum in humilitate, silentio, oboedientia exquirant. Circa haec Regula Legiferi Patris vestri multa tradit praecepta: id est Abbatem monet, ut pressius «Pastoris boni plum imitetur exemplum» [6]; ab eo postulat sapientiam: «Oportet... eum esse doctum lege divina, ut sciat et sit unde proferat nova et vetera» [7]; exigit «meritum vitae», eumque difficilem artem iubet exercere cuncta moderandi ac tem-
629 perandi [8] praescriptionibus, amabilitate et sapientia plenis, per quas, ut eximius vitae eius scriptor, / Sanctus Gregorius, affirmat, non aliter docuit, quam ipse vixit [9]. Qua in re Sanctus Benedictus probe meminit necessarium auctoritatis ministerium secum ferre asperrimam abnegationem; ait enim: «Sciatque quam difficilem et arduam rem suscipit, regere animas et multorum servire moribus» [10].

Hae profecto virtutes firmiter sunt memorandae, ac quidem hac praesertim aetate, qua fere ubique circa oboedientiam, opiniones ad indulgentiam eo procliviores, faciliores, levioresque serpunt, quo severius, superbius, arrogantius auctoritati ipsi refragantur; nam vita religiosa in quavis Communitate integra minime servatur, nisi adsit munus moderans et vigil, sapiens et patiens, Abbatis, qui egregiam illam vivendi formam a Sancto Benedicto propositam perfecte absoluteque exprimat oportet.

2) Alterum elementum, quo spiritualis disciplina Ordinis Sancti Benedicti constituitur, est ratio eius coenobialis seu, ut aiunt, communitaria; vita scilicet multorum fratrum, qui, sub ductu Superioris, sui officii conscii, simul Deum eiusque voluntatem quaerunt et simul hanc ad vitae usum deducunt in fraternitate, cum sinceritate, cum mutuo inter se auxilio, cum alterna aedificatione, in caritate Christi, quam exercent eius definitionem a Sancto Paulo prolatam omnino amplectentes: «Caritas patiens est, benigna est; caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet» [11]. Ad hoc quod attinet in Regula vestra nonnulla humanissime significantur, quibus res a praecelso Patriarcha vestro in vita praeclarissime gestae respondent; qui quidem paterno amore erga monachos suos ducebatur iisque eundem hunc animi habitum, obsequentissimum, modestissimum, in agendo generosum, inculcare cupiebat; «nullus» inquit, «quod sibi utile iudicat sequatur, sed quod magis alii; caritatem fraternitatis caste impendant» [12]. Ipsa professio votorum evangelicorum, severitas studiorum, labor manuum nova quadam fragrantia perfunduntur, singulari dulcedine delectant, novum vigorem virilem ad tolerandum accipiunt, cum huic concordi vitae fratrum inserantur, quam singuli monachi sincero animo et ascetico nisu perficiunt.

3) Oratio vero liturgica est praecipuum quoddam bonum, pro quo nihil substitui potest et quo vita interior continenter quasi contexitur et indesinenter alitur; ad
630 hanc orationem, quae quasi centro nititur celebratione / Sacrificii Eucharistici et recitatione divini Officii, id est laudis divinae, quam opus Dei per excellentiam vocant, monachus Benedictinus incumbit, quasi agatur de re praestantissima et optatissima, in qua speciali prorsus ratione versetur. Quodsi unusquisque homo Deo consecratus oportet sit, si vulgari licet vocabulo uti, «specialista Dei», hoc imprimis ad vos pertinet, dilectissimi nobis sodales Ordinis Sancti Benedicti, qui per longas horas, divino Officio impensas, vos ita exercere debetis, ut animo, a fluxis rebus libero, tacito, austero, ad divinam Maiestatem accedatis et cum ea sponte, laetantes et adorantes colloquamini, quasi ipsius Christi precationem, vos trahentem, secuti. Quemadmodum enim Pius XII, Decessor noster recolendae memoriae, in Encyclicis Litteris, a verbis *Mediator Dei* incipientibus, dixit, «Verbum Dei, humanam naturam assumens, terrestri huic exsilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipse sibi coagmentat, eamdemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat. «Quid oremus, sicut oportet, nescimus», sicut nobis humiliter confitendum est, 'sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus' [13]. Ac Christus quoque per Spiritum suum in nobis Patrem effligitat... Excelsae dignitatis eiusmodi Ecclesiae precationis intenta animi nostri pietas respondeat oportet...». In iisdem Encyclicis Litteris haec verba sequuntur de vestra Regula deprompta: «'Sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostrae' [14]. Non igitur de recitatione tantum agitur vel de cantu, qui, quamvis ex musicae artis sacrorumque rituum normis sit perfectissimus, aures tamen solummodo attingat, sed potissimum de ascensu mentis animique nostri ad Deum, ut eidem nosmet ipsos, omnesque actiones nostras, Iesu Christo coniuncti, penitus addicamus» [15].

4) Hic vero mentis animique ascensus ad Deum, quem precatio liturgica praestat, numquam congruenter efficietur, nisi adiungatur cotidiano ac familiari cuidam usui Sacrae Scripturae, cuius gustus sive in enixo cuiusque vestrum studio sive in actibus Communitatis capiatur. Lectio enim divina est officium, solacium, refugium monachi Ordinis Sancti Benedicti, eademque alimonia, nervi viresque spiritualis eius disciplinae. E Sacris Scripturis consuetudinem haurit vitam suam ad Christum referendi, significationem, quae in consecratione Deo ab ipso facta inest, rationem, ad quam totum opus suum dirigat. Ad eum re-
631 vera haec monitoria verba / Sancti Ambrosii spectant: «Bibe Christum, ut bibas sermones eius; sermo eius testamentum est vetus, sermo eius testamentum est novum,

1 D. Idelbaldo van Houtryve, OSB. 2 *Cfr. Insegnamenti di Paolo VI*, 4, 1966, p. 438. 3 24 ottobre 1964; *Insegnamenti di Paolo VI*, 2, 1964, p. 605. 4 C. 2. 5 C. 63. 6 C. 27. 7 C. 64. 8 «Omnia temperet», ibid. 9 Cfr. Dial. 6 36. 10 C. 2.

11 *1 Cor.* 13, 4-5, 7. 12 Cfr. cc. 72, 71. 13 *Rom.* 8, 26. 14 C. 19. 15 *A. A. S.* 39 (1947), pp. 573-574 [LE 1963].

http://www.obrascatolicas.com

bibitur scriptura divina et devoratur scriptura divina, cum in venas mentis ac vires animae sucus Verbi descendit aeterni»[16].

5) Haec celebris est sententiola vestra: «Ora et labora». Ex illo veluti principatu precationis, id est illius voculae «ora», oriri debet et manare id, quod verbo «labora» significatur, non quidem ita, ut utraque inter se seiungantur aut hoc illi opponatur, sed sic, ut plures quidem sint formae. Hoc diversae singulorum personae congruit et vitam communem roborat et efficit, ut egregio illi proposito vitae Benedictinae penitus inhaereatur et fratres intra unius familiae fines concorditer operentur. In variis hisce formis externae navitatis —sive agitur de studiis, sive de munere docendi, sive de labore manuum, sive de apostolatu inter iuvenes, in paroeciis, in missionibus exercendo— spiritus interior semper et solummodo per communem fontem vitae, id est per orationem consequetur, ut, fecundum se praebens apud Deum et apud homines, ad unum contendat et conservetur.

Nel dipingere davanti ai nostri sguardi, sia pure a brevi pennellate, gli elementi principali della spiritualità del vostro Ordine, non è chi non veda quale fecondità esso sia chiamato ad esercitare davanti al mondo moderno. Ne abbiamo parlato nel nostro citato discorso a Montecassino, e non è il caso di ripeterci: ma —come avvenne al tempo di San Benedetto, sia pure in circostanze tanto dissimili, ora che il mondo è tanto perfezionato e orgoglioso di sé— quale campo di salutare efficacia e di profondo influsso non potrà ancora e sempre non esercitare il vostro esempio, la vostra vita che è chiamata alla perfezione, al «culmina virtutum»[17], come li chiama ancora la vostra Regola, facendo ben capire che l'Ordine è fatto per le anime forti, vittoriose, risolute, ardenti. Il mondo odierno ha bisogno di questi «culmina virtutis», perché ha bisogno di essere salutarmente scosso e turbato da esempi che lo trascinino e lo facciano pensare. Di fronte alle contestazioni dell'autorità, all'isolamento e all'egoismo che raggela i rapporti umani, alla negazione di Dio, o per lo meno alla freddezza davanti a Lui, nel sospetto che la sua affermazione significhi menomazione dell'uomo, quanto dice oggi la vostra vita, come l'abbiamo più sopra descritta! Come potete aiutare quest'uomo odierno, ribelle e incomprensibile e sfuggente, è vero, ma anche tanto desideroso di fraternità, di verità, di luce, di pace; dire a lui che solo in Dio, in
632 Cristo, è la risposta ai suoi problemi. /

A tanto noi vi incoraggiamo; vi dicemmo, nell'incontro del 1966, che molto ci aspettavamo da voi; vi tracciammo un piano di azione, che dalla vita liturgica, impostata secondo le direttive della nostra Lettera «*Sacrificium Laudis*», andava agli studi, biblici e storici specialmente, alle pubblicazioni di qualche bel libro di spiritualità cattolica, all'ospitalità, all'ecumenismo, alla costituzione delle Congregazioni Nazionali, all'aiuto reciproco nella carità e nell'obbedienza, in rapporto filiale con l'autorità dell'Abate Primate[18]. Nel lasciarvi, vorremmo chiedere a voi tutti, perché a vostra volta ne interroghiate i vostri figli: a che punto stiamo? Che fanno di bello e di buono i carissimi Monaci benedettini? Muovono speditamente il passo nella direzione tracciata? Sono fedeli alle indicazioni conciliari e alle direttive della Chiesa? Siamo sicuri che voi ci darete sempre piena assicurazione a queste nostre speranze, e che saprete sempre guidare le vostre famiglie religiose in quella via maestra, tuttora valida e necessaria, sia pure con gli opportuni aggiornamenti, che è quella di amore divino e di civiltà umana, segnata dal solco profondo del vostro Santo Patrono e Fondatore.

A Lui vi affidiamo; ed a Lui chiediamo la forza dell'intercessione perché a questi voti corrisponda sempre la realtà. Con la nostra particolare Benedizione Apostolica.

[16] *Esp.* pt. 1, 33. [17] C. 73. [18] Cfr. *Insegnamenti di Paolo VI*, 4, 1966, p. 438.

3905

1970 SEP 30.-SC CULTUS, DECR. AAS 63 (1971) 710

LATINA EDITIO LECTIONARII MISSALIS ROMANI EVULGATUR ET TYPICA DECLARATUR NOVUSQUE ORDO LECTIONUM MISSAE CUM NORMIS PROPRIIS STATUITUR

I—Decretum

Ordine lectionum Missae approbato per Constitutionem Apostolicam *Missale Romanum*, a Summo Pontifice Paulo VI die 3 aprilis 1969 datam, Sacra haec Congregatio pro Cultu Divino, quae decreto diei 25 mali 1969 elenchum lectionum biblicarum iam evulgaverat, curavit ut Lectionarium quoque conficeretur, quod omnium lectionum integrum textum lingua latina exhiberet.

Praesentem nunc editionem latinam Lectionarii Missalis Romani haec Sacra Congregatio evulgat, eandemque typicam esse declarat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 30 septembris 1970, in festo S. Hieronymi.—Benno Card. Gut, *Praef.* H. Bugnini, *a Secr.*

II—De Ordine Lectionum Missae
Praenotanda generalia *

I. DE LECTIONARII MISSAE ORDINATIONE GENERALI

1. *Principia generalia*

1. Sacrae Scripturae affectum, quo Ecclesia studet e sacris textibus profundiorem agnitionem veritatis et uberius suae vitae nutrimentum haurire, haud semel Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum II quasi fontem innuit interioris renovationis populi Dei. Quapropter statuit ut in celebrationibus liturgicis recognoscendis «abundantior, varior et aptior lectio Sacrae Scripturae instauretur».[1] Et de Missa pressius edixit: «Quo ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus, thesauri biblici largius aperiantur, ita ut, intra praestitutum annorum spatium, praestantior pars Scripturarum Sanctarum populo legatur».[2]

Nec quidem mirum est Sacrosanctum Concilium huiusmodi principia statuisse. In lectione enim Sacrae Scripturae, quae in liturgia verbi recitatur et per homiliam exponitur, «Deus populum suum alloquitur, mysterium redemptionis et salutis patefacit, atque spirituale nutrimentum affert; et ipse Christus per verbum suum in medio fidelium praesens adest».[3] Unde fit, ut in Missa Ecclesia «non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere».[4]

2. Quae Concilii mandata nunc servanda veniunt per praesentem Ordinem Lectionum, a «Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia» apparatum, quibus textus praebentur legendi in dominicis et festis diebus, in feriis per totum anni decursum, necnon in celebrationibus Sanctorum atque in aliis peculiaribus rerum adiunctis.

Mens in hac textuum ordinatione conficienda ea fuit, ut diebus dominicis et festis, quibus nempe populus christianus tenetur eucharisticam celebrationem participare, proponerentur loci maioris momenti, quo adstantes fideles possent partes praestantiores verbi Dei revelati, intra congruum temporis spatium, audire. Altera deinde series textuum Sacrae Scripturae, quae praecedentem quodammodo complet, proponitur pro feriis. Neutra tamen pars lectionarii ab altera pendet; unde lectionarium dominicale-festivum independens procedit a lectionario feriali, et vicissim.

Cursus quoque lectionum pro celebrationibus Sanctorum aut pro Missis ritualibus, votivis vel ad diversa propositus propriis legibus regitur.

2. *De ordinatione Lectionarii pro dominicis et festis diebus*

3. Notae Ordinis Lectionum pro dominicis et festis diebus sunt hae:

a) Quaelibet Missa tres exhibet lectiones: primam ex Antiquo Testamento, alteram ex Apostolo (idest aut ex Epistolis, aut ex Apocalypsi, iuxta diversa tempora anni), tertiam ex Evangelio. Hac ratione optime illustratur unitas utriusque Testamenti et historiae salutis, cuius centrum est Christus in suo paschali mysterio recolendus: quod unum ex praecipuis obiectis catecheseos esse debet. Ceterum, haec distributio respondet antiquae traditioni, quae diu etiam in Occidente servata fuit.

b) Varior et abundantior Sacrae Scripturae lectio in dominicis et festis diebus ex eo etiam provenit quod pro his diebus cyclus trium annorum proponitur, ita ut lidem textus solummodo quarto quoque anno legantur.

Singuli anni notantur litteris A, B, C. Ad statuendum autem quinam sit annus A, vel B, vel C, hoc modo proceditur. Per litteram C designatur annus cuius numerus in tres partes aequales dividi potest, quasi cyclus ab anno primo computi christiani initium sumpsisset. Sic annus 1 fuisset annus A, annus 2 annus B, annus 3 annus C, et anni 6, 9, 12... iterum annus C. Ita v. g. annus 1968 est annus C, annus vero sequens scilicet annus 1969, est annus A, annus vero 1970 est annus B, et annus 1971 est iterum annus C. Et sic deinceps.

Patet tamen singulos cyclos decurrere iuxta dispositionem anni liturgici, nempe a prima hebdomada Adventus, quae cadit in anno civili praecedente.

[1] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 35: *A. A. S.* 56 (1964), p. 109 [LE 3141]. [2] *Ibidem*, n. 51, p. 114. [3] *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 33 [LE 3540].
[4] Conc. Vat. II, Const. dogm. de divina Revelatione, *Dei verbum*, n. 21: *A. A. S.* 58 (1966), p. 827 [LE 3345].

* Missale Romanum ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli Pp. VI promulgatum: Lectionarium, ed. typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1970, p. 5-23.

c) Principia quae regunt ordinem lectionum pro diebus dominicis et festis ea sunt quae «harmonisationis ex themate» vel «lectionis semi-continuae» vocantur. Unum vel aliud principium adhibetur, secundum diversa anni tempora et cuiusque temporis liturgici notas peculiares.

Optima compositio harmonica inter lectiones Veteris et Novi Testamenti tunc habetur, quando eadem ab ipsa Scriptura innuitur, quatenus scilicet doctrina et facta quae exponuntur in textibus Novi Testamenti ralationem plus minusve explicitam habent ad doctrinam et facta Veteris Testamenti. In praesenti Ordine Lectionum, textus Veteris Testamenti seliguntur imprimis ob eorum respondentiam ad textus Novi Testamenti, praesertim vero ad Evangelium, qui in eadem Missa leguntur.

Alterius generis compositio inter textus lectionum singularum Missarum, idest «ex themate», invenitur tempore Adventus, Quadragesimae et Paschae, idest iis temporibus, quae colore vel nota peculiari pollent.

E contra, in dominicis «per annum», quae notam peculiarem prae se non ferunt, textus tum Epistolarum tum Evangeliorum iuxta ordinem lectionis semi-continuae disponuntur, dum lectio e Vetere Testamento harmonice componitur cum Evangelio.

3. *De ordinatione Lectionarii feralis*

4. Lectionum ordinatio pro feriis hac ratione facta est:

a) Cyclus pro tempore Quadragesimae principiis peculiaribus ordinatur, quae rationem habent notarum ipsius temporis, eius nempe indolis baptismalis et paenitentialis.

b) Pro feriis aliorum temporum, lectiones evangelicae unico disponuntur cyclo, qui singulis annis resumitur. Prima vero lectio, in triginta-quattuor hebdomadis «per annum» duplici cyclo ordinatur, alternis annis legenda. Annus I adhibetur annis imparibus (ex. gr. 1969, 1971, etc.); annus II vero annis paribus (ex gr. 1970, 1972, etc.).

c) Principia compositionis harmonicae aut lectionis semi-continuae eadem ratione ac in lectionario dominicali usurpantur, prout agitur de temporibus notas peculiares prae se ferentibus vel non.

4. *De Lectionario pro celebrationibus Sanctorum*

5. Pro celebrationibus Sanctorum duplex proponitur series lectionum:

a) Altera in Proprio, pro sollemnitatibus, festis vel memoriis, praesertim si pro unoquoque ex iis textus proprii inveniuntur. Aliquando tamen aliquis textus, qui magis congruit, ex iis qui in Communi ponuntur, indicatur ut aliis praeferendus.

b) Altera vero, et quidem amplior, continetur in Communi Sanctorum. In hac parte, prius proponuntur textus magis proprii pro diversis ordinibus Sanctorum (Martyrum, Pastorum, Virginum), deinde vero plurimi textus qui de sanctitate in genere agunt, quique ad libitum valent, quoties, remittitur ad Commune pro lectionibus seligendis.

Ad ordinem textuum quod attinet in hac parte, notare iuvabit, eos omnes una simul inveniri, secundum ordinem quo recitandi sunt. Prius igitur inveniuntur textus ex Antiquo Testamento, deinde textus ex Apostolo, postea psalmi et versus inter lectiones occurrentes, denique, textus ex Evangelio. Ea autem ratione ita disponuntur, quod inter eos selectio fit ad libitum celebrantis, prae oculis habitis necessitatibus pastoralibus coetus qui celebrationem participat, nisi aliter expresse notetur.

5. *De Lectionario pro Missis ritualibus, ad diversa et votivis*

6. Eadem dispositio textuum lectionum invenitur pro Missis ritualibus, ad diversa et votivis. Plures nempe textus simul proponuntur, sicut in Communi Sanctorum, facta celebranti facultate lectiones inter eos eligendi, ratione habita omnium adiunctorum et praesertim necessitatis pastoralis coetus qui participat.

6. *De potioribus criteriis in seligendis et ordinandis lectionibus adhibitis*

7. Praeter haec principia, quae ordinationem lectionum in singulis partibus Lectionarii regunt, alia ordinis magis generalis habentur quae sic possunt enunciari:

a) Ex momento intrinseco ipsius rei et ex traditione liturgica in praesenti Ordine *quidam libri Scripturae Sacrae reservantur certis temporibus liturgicis*. Servatur, ex. gr., traditio tam occidentalis (ambrosiana et hispanica) quam orientalis legendi *Actus Apostolorum* tempore paschali. Exinde optime illustratur totam vitam Ecclesiae a mysterio paschali initium sumere. Servatur pariter traditio sive occidentalis sive orientalis de legendo Evangelio Ioannis ultimis hebdomadis Quadragesimae et tempore paschali: est Evangelium «spirituale» quo mysterium Christi altius exponitur.

Lectio Isaiae, praesertim primae partis, ex traditione assignatur tempori Adventus. Quidam tamen textus eiusdem prophetae leguntur tempore Nativitatis. Etiam prima Epistola Ioannis eidem tempori assignatur.

b) Circa *longitudinem textuum* via media servatur. Distinctio facta est inter narrationes, quae aliqua extensione textus indigent et de more a fidelibus attente audiuntur, et textus quo, propter doctrinae altitudinem, in longum protrahere non licet.

Pro quibusdam vero textibus satis longis, duplex forma praevidetur, longior et brevior, pro opportunitate. In huiusmodi breviationibus faciendis magna cautela adhibita est. In ipso textu impresso versiculi qui omitti possunt opportunis signis typographicis indicari debent.

c) Ex ratione pastorali vitantur in lectionibus diebus dominicis et sollemnitatibus *textus biblici qui revera difficiliores sunt*, sive obiective eo quod altiora problemata litteraria, critica aut exegetica movent, sive etiam, quadamtenus saltem, eo quod a fidelibus difficilius intellegi possunt. Attamen divitias spirituales textuum non licuit fidelibus abscondere, ex specie quod ab eis difficilius capiantur, quando haec difficultas provenit sive ex insufficienti institutione christiana, qua nullus bonus fidelis carere potest, sive ex insufficienti institutione biblica, qua omnis bonus pastor animarum pollere debet. Non raro aliqua lectio difficilior redditur facilior ex harmonia cum alia lectione eiusdem Missae.

d) Traditio multarum liturgiarum, ipsa liturgia romana minime exclusa, aliquando consuevit in lectionibus Scripturae *quosdam versiculos omittere*. Ultro fatendum est huiusmodi omissiones non leviter fieri posse, ne sensus textus aut mens et quasi stilus Scripturae mutilentur. Attamen, cauto quod sensus revera in sua essentia integer maneat, visum est, ex ratione pastorali, etiam in praesenti Ordine praedictam traditionem servare. Secus enim quidam textus plus aequo protraherentur, aut lectiones quae pro fidelibus non parvae, immo quandoque magnae utilitatis spiritualis existunt, integre omitti debuissent, eo quod contineant unum alterumve versiculum qui, sub aspectu pastorali, est minoris utilitatis aut quaestiones revera nimis difficiles implicat.

7. *De facultate seligendi quosdam textus*

8. In Lectionario facultas quandoque relinquitur celebranti seligendi unum vel alterum textum legendum, vel seligendi unum textum e pluribus qui simul pro eadem lectione proponuntur. Quod raro evenit in dominicis, in sollemnitatibus et festis, ne color proprius alicuius temporis liturgici evanescat, aut lectio semi-continua alicuius libri indebite abrumpatur e contra, huiusmodi facultas facilius datur in celebrationibus Sanctorum et in Missis ritualibus, ad diversa, vel votivis.

Ut omnia debito ordine procedant, attendatur oportet ad ea quae sequuntur:

a) In Missis in quibus tres lectiones proponuntur, valde optandum est ut tres lectiones revera fiant. Attamen, si Conferentia Episcopalis, ob rationes pastorales, permiserit ut duae tantum lectiones habeantur, electio inter duas priores tali ratione fiat, ne consilium plenius docendi fideles mysterium salutis evacuetur. Quapropter, nisi aliter suo loco caveatur, praeferenda est e duabus prioribus lectionibus ea quae magis harmonice componitur cum Evangelio, vel ea quae, iuxta praefatum consilium, magis adiuvat ad organicam catechesim per aliquod tempus tradendam, vel ea quae potest lectionem semi-continuam alicuius libri permittere.

Ex. gr., tempore Quadragesimae, continuitas lectionum Veteris Testamenti proponitur secundum evolutionem historiae salutis; vel in dominicis «per annum», proponitur lectio semi-continua alicuius Epistolae. Tunc expedit ut pastor animarum seligat unam vel alteram lectionem modo systematico per plures dominicas subsequentes, ut rationem harmonicam catecheseos statuat; minime vero decet ut sine ordine nunc e Vetere Testamento nunc ex Epistola legat, absque harmonica ordinatione textuum subsequentium.

b) Criterium item pastorale ducere debet ad electionem inter duas formas, quibus idem textus praebetur. Datur enim aliquando forma longior et forma brevior eiusdem textus. Tunc attendatur oportet ad facultatem audientium auscultandi cum fructu lectionem magis vel minus longam; ad eorum facultatem bene intellegendi aliquos textus difficiliores; ad eorum facultatem audiendi textum magis completum, per homiliam explicandum.

Quando huiusmodi licentia tribuitur, singulis in casibu notatur, per opportunam indicationem ex modo imprimend textum.

c) Quando autem facultas tribuitur seligendi inter unum vel alium textum iam definitum, attendendum erit ad utilitatem participantium, prout nempe agitur de adhibendo textu, qui facilior est vel magis conveniens coetui congregato, vel de textu iterando vel reponendo, qui alicui celebrationi tamquam proprius assignatur, alteri vero tamquam ad libitum adhibendus, quoties utilitas pastoralis id suadeat.

Quod evenire potest aut quando timeatur ne aliquis textus quasdam gignat difficultates in aliquo coetu, aut quando idem textus diebus proximioribus iterum legi debeat die dominica et in feria subsequenti.

d) In Lectionario feriali adhibendo, animadvertere oportet utrum ex aliqua celebratione ea hebdomada occurrente, una alterave lectio eiusdem libri sit omittenda. Tunc praevideat sacerdos, prae oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadae, aut partes omittendas utpote minoris momenti, aut opportuniorem modum easdem partes cum aliis componendis, quando ipsae utilitatis sint ad integrum conspectum totius argumenti praebendum.

e) Pro celebrationibus Sanctorum proponuntur, quando revera adsunt, *lectiones propriae*, idest quae de ipsa persona Sancti agunt, vel de mysterio de quo Missa celebratur: quod accidit, ex gr., in festo Conversionis S. Pauli, in memoria S. Mariae Magdalenae. Hae lectiones, etsi agatur de memoria, dici debent loco lectionum in lectionario feriali occurrentium.

Dantur aliquando *lectiones appropriatae*, quae, scilicet, aut peculiarem aspectum vitae spiritualis aut actuositatis Sancti in lucem produnt. Quibus in casibus, usus harum lectionum non videtur urgendus, nisi ratio pastoralis id revera suadeat. Plerumque enim praeferenda videtur lectio semi-continua alicuius libri, singulis temporibus liturgicis assignata.

Dantur praeterea *lectiones communes*, idest quae ponuntur in Communi aut pro determinato aliquo ordine Sanctorum

http://www.obrascatolicas.com

(ex. gr. Martyrum, Pastorum, Virginum) aut pro Sanctis in genere. Cum, his in casibus, plures textus pro eadem lectione proponantur, sacerdotis celebrantis erit illum seligere, qui audientibus magis conveniat. Attamen:

1) in sollemnitatibus, quando nempe tres lectiones proponuntur, prima seligi debet e textibus Veteris Testamenti, altera ex Apostolo, tertia ex Evangelio, nisi Conferentia Episcopalis statuerit duas tantum esse habendas lectiones.

2) In festis et in memoriis, quando nempe duae tantum habentur lectiones, prior lectio eligi potest aut e Vetere Testamento aut ex Apostolo; altera vero ex Evangelio. Attamen tempore paschali, iuxta traditum in Ecclesia morem, prior lectio seligatur ex Apostolo, altera, quantum fieri potest, ex Evangelio Ioannis.

f) In Missis ritualibus, ad diversa et votivis, cum plures proponantur textus pro eadem lectione, electio fit iisdem criteriis supra relatis pro eligendis lectionibus e Communi Sanctorum.

8. *De cantibus inter lectiones occurrentibus*

9. Post singulas lectiones cantus profertur, iuxta normas in Institutione generali Missalis Romani (nn. 36-40) propositas.

Magni momenti est, inter hos cantus, psalmus, qui primam lectionem sequitur. De more sumatur psalmus qui lectioni assignatur, nisi agatur de lectionibus pro Communi Sanctorum, pro Missis ritualibus, ad diversa et votivis, in quibus electio committitur ipsi sacerdoti celebranti, qui principio utilitatis pastoralis adstantium utetur.

Attamen, ut populus responsum psalmodicum facilius proferre valeat, textus aliqui psalmorum et responsorum pro diversis temporibus anni aut pro diversis Sanctorum ordinibus electi sunt, qui adhiberi valent loco textus lectioni respondentis, quoties psalmus cantu profertur.

Alter cantus, post secundam lectionem ante Evangelium proferendus, aut in unaquaque Missa statuitur et componitur cum Evangelio, aut relinquitur eligendis intra seriem communem alicuius temporis vel Communis.

In Quadragesima, ante et post Versum ante Evangelium, pro opportunitate adhiberi potest una ex his acclamationibus, aut alia his similis: *Laus tibi, Christe, Rex aeternae gloriae; Laus et honor tibi, Domine Iesu; Gloria et laus tibi, Christe; Gloria tibi, Christe, Verbo Dei.*

9. *In quem finem Ordo lectionum redactus sit*

10. Finis in quem redactus est Ordo Lectionum, ex ipsa mente Concilii Vaticani II, est imprimis pastoralis. Ad quem finem attingendum non solum principia quibus novus Ordo inaitur, sed ipsi quoque elenchi textuum qui infra ponuntur, iterum iterumque discussa et perpolita sunt cooperantibus ex toto orbe terrarum permagno numero virorum in re exegetica, pastorali, catechetica et liturgica peritorum. Ordo est fructus huius communis laboris.

Spes arridet ut diuturna lectio et explanatio Sacrae Scripturae populo christiano in celebratione eucharistica ex novo Ordine Lectionum facienda, magna cum efficacia conferat ad finem obtinendum a Concilio Vaticano II iterum atque iterum propositum, et a Summo Pontifice Paulo VI his verbis expressum: «Quae sane omnia hoc modo ordinata sunt, qua, magis ac magis in christifidelibus ea verbi Dei fames excitemuletur, qua, Spiritu Sancto duce, novi foederis populus ad perfectam Ecclesiae unitatem veluti urgeri videatur. Hisce ita compositis, illud etiam vehementer fore confidimus, ut sacerdotes et fideles simul sanctius animum suum ad Cenam Domini praeparent, simul, Sacras Scripturas altius meditati, verbis Domini uberius in dies alantur. Exinde denique sequatur, ut, iuxta Concilii Vaticani II monita, divinae Litterae quasi quidam spiritualis vitae fons perennis, sive praecipuum christianae doctrinae tradendae argumentum, sive demum cuiusvis theologicae institutionis medulla ab omnibus habeantur.»[1]

II. Descriptio Ordinis lectionum

Quo autem clarior appareat ordinatio totius lectionarii eiusque compositio cum anno liturgico, en descriptio ipsius Ordinis lectionum in diversis anni temporibus.

1. *Tempus Adventus*

11. 1. *In dominicis.* Lectiones Evangelii notam propriam habent: referuntur ad Adventum Domini in fine temporum (dominica prima), ad Ioannem Baptistam (dominicae secunda et tertia), ad eventus qui Nativitatem Domini proxime praeparaverunt (dominica quarta).

Lectiones Veteris Testamenti sunt prophetiae de Messia et tempore messianico, praesertim ex libro Isaiae.

Lectiones Apostoli exhortationes et praeconia secundum diversas notas huius temporis praebent.

2. *In feriis.* Duplex praebetur series lectionum, altera ab initio usque ad diem 16 decembris adhibenda, altera a die 17 ad diem 24.

In priore parte Adventus habetur lectio libri Isaiae, secundum ordinem libri distributa, haud exclusis textibus maioris momenti qui etiam in dominicis occurrunt. Evangelia horum dierum respectu habito ad primam lectionem selecta sunt.

A feria quinta hebdomadae secundae incipiunt lectiones Evangelii de Ioanne Baptista; prima vero lectio est sive continuatio libri Isaiae, sive textus selectus respectu habito ad Evangelium.

Hebdomada ultima ante Nativitatem Domini, ex Evangelio Matthaei (cap. 1) et Lucae (cap. 1) proponuntur eventus qui Nativitatem Domini immediate praeparaverunt. In prima lectione, selecti sunt respectu habito ad Evangelium textus ex diversis libris Veteris Testamenti, inter quos habentur aliqua vaticinia messianica magni momenti.

2. *Tempus Nativitatis*

12. 1. *In sollemnitatibus, festis et dominicis.* Pro vigilia et tribus Missis in Nativitate Domini, lectio prophetica desumpta est ex Isaia propheta: hi textus selecti sunt e traditione romana et usque adhuc in pluribus ritibus particularibus permanent. Aliae lectiones, duabus exceptis, e Missali Romano derivantur.

Dominica infra octavam Nativitatis, pro festo Sanctae Familiae, Evangelium spectat ad infantiam Iesu, aliae lectiones ad vitam domesticam.

In Octava Nativitatis et Sollemnitate Sanctae Dei Genetricis Mariae lectiones agunt et de Virgine Dei Genetrice (Evangelium et secunda lectio) et de impositione Ssmi Nominis Iesu, quod festum non iam habetur in calendario (Evangelium et prima lectio).

Dominica secunda post Nativitatem, lectiones tractant de mysterio Incarnationis.

In Epiphania Domini, pro lectione apostolica, textus legitur de vocatione gentium ad salutem.

Dominica post Epiphaniam, in festo Baptismatis Domini, textus selecti sunt de hoc mysterio.

2. *In feriis.* A die 29 decembris, fit lectio continua totius Epistolae I Ioannis, quae legi iam coepit die 27 decembris, in festo ipsius S. Ioannis et die sequenti in festo Ss. Innocentium.

Evangelia spectant ad manifestationes Domini. Leguntur enim eventus infantiae Iesu ex Evangelio Lucae (diebus 29 et 30 decembris), caput primum Evangelii Ioannis (31 dec.-5 ian.), et praecipuae manifestationes Domini, e tribus Synopticis (7-12 ian.).

3. *Tempus Quadragesimae*

13. 1. *In dominicis.* Lectiones Evangelii sic dispositae sunt:

In dominicis prima et secunda, servantur narrationes de Tentatione et de Transfiguratione Domini, quae tamen secundum tres synopticos leguntur.

In tribus dominicis sequentibus restituta sunt, pro anno A, Evangelia de Samaritana, de caeco nato et de Lazaro; quae Evangelia, cum sint maioris momenti, respectu ad initiationem christianam, adhiberi possunt etiam anno B et C, praesertim ubi catechumeni habentur.

Attamen, iuxta votum plurimorum pastorum anno B et C praebentur etiam alii textus, scilicet: anno B, textus Ioannis de futura glorificatione Christi per Crucem et Resurrectionem; anno C, textus Lucae de conversione.

Lectiones Veteris Testamenti ad historiam salutis referuntur, quae est unum ex obiectis propriis catecheseos quadragesimalis. Singulis annis habentur series textuum quibus praebentur praecipua elementa illius historiae ab initio usque ad promissionem novi foederis; praesertim vero lectiones de Abraham (dominica secunda) et de exitu populi ex Aegypto (dominica tertia).

Lectiones Apostoli ita selectae sunt, ut lectionibus Evangelii ac Veteris Testamenti respondeant et, quantum fieri potest, inter eas aptior connexus habeatur.

2. *In feriis.* Lectiones ex Evangelio et Vetere Testamento cum mutua relatione ad invicem selectae sunt, ac diversa «themata» catecheseos quadragesimalis tractant. Maior pars lectionum Missalis Romani servata est, quoties fieri potuit. Opportunum etiam visum est ordinem magis congruentem restituere inter lectiones Evangelii Ioannis, cuius pars magna, sed sine ordine, hucusque legebatur. Ideo proponitur, inde a feria secunda hebdomadae quartae, lectio semi-continua Ioannis, in qua habentur textus huius Evangelii qui notis Quadragesimae plenius respondent.

Cum lectiones de Samaritana, de caeco nato et de Lazaro nunc in dominicis legantur, sed tantum anno A (et ceteris annis ad libitum tantum), provisum est ut et in feriis resumi possint: ideo, initio hebdomadarum tertiae, quartae et quintae, «Missae ad libitum» cum illis textibus insertae sunt; quae lectiones, loco lectionum diei, quavis feria illius hebdomadae adhiberi possunt.

4. *Tempus paschale*

14. 1. *In dominicis.* Usque ad dominicam tertiam Paschae, lectiones Evangelii apparitiones Christi suscitati referunt. Ne series narrationum de Domini apparitionibus abrumpatur, lectiones de Bono Pastore, quae hucusque dominicae secundae post Pascha occurrebant, nunc dominicae quartae Paschae (idest tertiae post Pascha) assignantur. In dominicis quinta, sexta et septima Paschae, excerpta e sermone et oratione Domini post ultimam cenam habentur.

Prima lectio desumitur ex Actibus Apostolorum, in cyclo trium annorum, modo parallelo et progressivo: ita quaedam de primaevae Ecclesiae vita, testimonio et progressu singulis annis praebentur.

Pro lectione apostolica, anno A Epistola I Petri legitur, anno B Epistola I Ioannis, anno C Apocalypsis: hi textus cum laetae fidei et firmae spei spiritu, qui huic tempori prius est, maxime consonare videntur.

[1] Paulus VI, Constitutio Apostolica *Missale Romanum*, die 3 aprilis 1969 data: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 220-221 [LE 3735].

2. *In feriis.* Lectio prima ex Actibus Apostolorum desumitur ut in dominicis, modo semi-continuo.

Pro Evangelio, infra octavam Paschae, narrationes apparitionum Domini leguntur, servatis tamen conclusionibus Synopticorum in sollemnitate Ascensionis. Deinde lectio semi-continua Evangelii Ioannis, de quo nunc textus indolis potius paschalis sumuntur, ut lectio tempore Quadragesimae iam habita compleatur. In hac lectione paschali, sermo et oratio Domini post cenam magnam partem habent.

5. *Tempus «per annum»*

A. De ordinatione et electione textuum

15. Tempus «per annum» complectitur 33 vel 34 hebdomadas, quae extra tempora iam memorata occurrunt. Incipit feria secunda quae sequitur dominicam post diem 6 ianuarii occurrentem, et protrahitur usque ad feriam tertiam ante Quadragesimam inclusive; iterum incipit feria secunda post Dominicam Pentecostes et explicit ante I Vesperas dominicae primae Adventus.

Lectionarium exhibet lectiones pro 34 dominicis et subsequentibus hebdomadis. Attamen aliquando hebdomadae «per annum» sunt tantum 33. Praeterea aliquae dominicae aut ad aliud tempus pertinent (dominica in qua fit festum Baptismatis Domini et Dominica Pentecostes), vel ab occurrente sollemnitate impediuntur (ex. gr. Ssma Trinitate, D. N. I. C. universorum Rege).

1. Dominica in qua fit festum Baptismatis Domini locum tenet dominicae I «per annum»; proinde, lectiones hebdomadae I inchoantur feria secunda post dominicam quae post diem 6 ianuarii occurrit.

2. Dominica quae sequitur festum Baptismatis Domini est secunda «per annum». Reliquae ordine progressivo numerantur, usque ad dominicam quae praecedit initium Quadragesimae. Lectiones hebdomadae in qua occurrit feria quarta Cinerum, post diem quae illam praecedit intermittuntur.

3. Quando lectiones temporis «per annum» post Dominicam Pentecostes resumuntur, ordinantur hoc modo:

a) Si dominicae «per annum» sunt 34, ea sumitur hebdomada quae immediate sequitur hebdomadam cuius lectiones ultimo loco adhibitae sunt ante Quadragesimam. Ita, ex. gr., si hebdomadae ante Quadragesimam fuerunt sex, feria secunda post Pentecosten incipitur ab hebdomada septima. Sollemnitas Ssmae Trinitatis locum tenet dominicae «per annum».

b) Si dominicae «per annum» sunt 33, omittitur prima hebdomada quae sumenda esset post Pentecosten, ut retineantur in fine anni textus eschatologici qui ultimis duabus hebdomadis assignantur. Ita, ex. gr. si hebdomadae ante Quadragesimam fuerunt quinque, feria secunda post Pentecosten, omissa hebdomada sexta, incipitur ab hebdomada septima.

B. De lectionibus pro diebus dominicis

16. 1. *Lectiones Evangelii*: Dominica II «per annum» Evangelium adhuc refertur ad manifestationem Domini, quam celebravit sollemnitas Epiphaniae, per pericopam traditionalem de nuptiis in Cana et duas alias item ex Evangelio Ioannis desumptas.

A dominica III incipit *lectio semi-continua* trium Evangeliorum synopticorum; haec lectio ita ordinatur ut praebeat doctrinam unicuique Evangelio propriam dum evolvitur vita et praedicatio Domini.

Insuper obtinetur ex hac distributione aliqua harmonia inter sensum cuiusque Evangelii et evolutionem anni liturgici. Nam post Epiphaniam leguntur initia praedicationis Domini, quae optime cohaerent cum Baptismate et primis manifestationibus Christi, uti habebatur in lectionibus Epiphaniae et dominicarum sequentium. In fine autem anni liturgici sponte devenitur ad thema eschatologicum ultimis dominicis proprium: capitula enim Evangeliorum quae praecedunt narrationem Passionis de hoc themate modo plus minusve extenso tractant.

In anno B inseruntur, post dominicam XVI, quinque lectiones ex capitulo 6 Ioannis («sermo de pane vitae»); haec insertio fit modo connaturali, quia multiplicatio panum ex Evangelio Ioannis locum sumit eiusdem narrationis in Marco. In lectione semi-continua Lucae anno C primo textui (i. e., dom. III) praemissus est prologus Evangelii, qui auctoris intentionem pulcherrime manifestat, nec alibi locum invenire videbatur.

2. *Lectiones Veteris Testamenti* in relatione cum singulis pericopis evangelicis selectae sunt, ad vitandam nimiam diversitatem inter lectiones singularum Missarum ac praesertim ad manifestandam unitatem utriusque Testamenti. Relatio autem inter lectiones eiusdem Missae ostenditur per accuratam selectionem titulorum qui singulis lectionibus praeponuntur.

Selectio, in quantum fieri potuit, ita facta est ut lectiones sint breves et faciles. Sed provisum est etiam ut legantur in dominicis quamplurimi ex textibus Veteris Testamenti qui sunt maximi momenti. Qui quidem secundum opportunitatem lectionis evangelicae, i. e. sine logico ordine, distribuuntur; attamen thesaurus verbi Dei ita aperietur ut paginae Veteris Testamenti notae fiant.

3. *Pro Epistolis* proponitur lectio semi-continua Epistolarum Pauli et Iacobi (Epistolae Petri et Ioannis leguntur tempore paschali et tempore Nativitatis Domini).

Epistola I ad Corinthios, cum sit sat longa, et de quaestionibus diversis tractet, distributa est inter tres annos cycli, initio huius temporis «per annum». Item opportunum visum est dividere Epistolam ad Hebraeos in duas partes, quarum prior anno B, altera anno C legatur.

Notetur selectas esse tantum lectiones sat breves et haud nimis difficiles ut a fidelibus intellegantur.

Tabella II infra posita indicat distributionem Epistolarum inter dominicas «per annum» pro tribus annis cycli.

4. Lectiones dominicae XXXIV et ultimae celebrant Christum universorum Regem, typo Davidis adumbratum, inter humiliationes Passionis et Crucis proclamatum, in Ecclesia regnantem, et in fine temporum rediturum.

C. De lectionibus pro feriis

17. 1. *Evangelia* sic ordinantur ut legatur primo Marcus (hebd. I-IX), deinde Matthaeus (hebd. X-XXI), denique Lucas (hebd. XXII-XXXIV). Capitula autem 1-12 Marci integre leguntur, praetermissis tantum illis duabus pericopis capituli sexti quae aliis temporibus in feriis leguntur. De Matthaeo et Luca leguntur omnia quae in Marco non habentur. Bis vel ter leguntur ea omnia quae sive in diversis Evangeliis colorem omnino proprium habent, sive necessaria sunt ad decursum Evangelii bene intellegendum. Sermo eschatologicus habetur totus in Luca, et sic legitur in fine anni liturgici.

2. *Lectio prima* sic fit ut habeatur per aliquot hebdomadas alterum Testamentum, deinde alterum, secundum longitudinem librorum qui leguntur.

a) Ex libris *Novi Testamenti* leguntur partes sat amplae, ut detur quasi substantia singularum Epistolarum. Attamen omittuntur loci in quibus tractantur quaestiones minus utiles sub aspectu pastorali pro nostra aetate, ex gr.: de glossolalia vel de antiquiore disciplina Ecclesiae.

b) De *Vetere Testamento* haberi non possunt nisi loci selecti qui singulorum librorum indolem, quantum fieri potest, manifestent. Textus historici sic selecti sunt ut habeatur conspectus historiae salutis ante Incarnationem Domini. Narrationes vero nimis longae vix dari poterant: aliquando selecti sunt versus qui lectionem non nimis longam efficerent. Insuper significatio religiosa eventuum historicorum aliquoties illustratur per quosdam textus ex libris Sapientialibus usurpatos, ad modum prooemii vel conclusionis cuidam seriei historicae insertos.

Paene omnes libri Veteris Testamenti in Lectionario feriali Proprii de Tempore locum invenerunt. Praetermissi sunt tantum libri prophetici brevissimi (Abdias, Sophonias) et liber poeticus qui lectioni parum aptatur (Canticum). Inter narrationes ad aedificationem scriptas quae lectionem sat longam exigerent ut intellegantur, leguntur Tobias et Ruth, omissis ceteris (Esther, Iudith). Ex quibus tamen habentur textus in dominicis aut feriis aliorum temporum.

Tabella III infra posita indicat distributionem librorum utriusque testamenti inter ferias per annum pro duobus annis.

c) In fine anni liturgici leguntur libri qui respondent colori eschatologico huius temporis, i. e., Daniel et Apocalypsis.

III. De singularum lectionum apparatu

In hoc volumine dantur pro singulis lectionibus indicatio textus, titulus et «incipit»; de quibus sequentia sunt animadvertenda:

18. A. *Indicatio textus* (i.e., capituli et versuum) datur semper secundum Vulgatam editionem, addita tamen altera indicatione secundum textum originalem (hebraicum vel aramaeum vel graecum) quoties adest discrepantia. In versionibus popularibus dari poterit sive prior sive altera numeratio, secundum decreta Auctoritatum pro singulis linguis competentium. Oportet vero ut habeatur semper accurata indicatio capitulorum et versuum, quae etiam in ipso textu vel ipsius margine opportune referatur.

Ex hac indicatione fit ut in libris liturgicis habeatur «inscriptio» textus in celebratione legenda, quae in hoc volumine omittitur. Fiet vero secundum normas sequentes, quae tamen immutari poterunt ex decreto Auctoritatum competentium iuxta locorum aut linguarum consuetudines et opportunitates:

1. Dicatur semper «*Lectio* libri», vel Epistolae, vel Evangelii, non autem «Initium» (nisi forte in casibus peculiaribus opportunum videatur) aut «Sequentia».

2. *Nomina librorum* serventur quae hucusque in Missali Romano habebantur, praeter sequentia:

a) ubi sunt duo libri eiusdem nominis, dicatur «Liber primus» et «Liber secundus» (v. g. Regum, Macchabaeorum), vel «Epistola prima», «Epistola secunda»;

b) nomen hodie magis usuale adhibeatur pro sequentibus libris: «Libri I et II Samuelis», pro Libris I et II Regum, «Libri I et II Regum», pro Libris III et IV Regum. «Libri I et II Chronicorum», pro Libris I et II Paralipomenon, «Libri Esdrae et Nehemiae», pro Libris I et II Esdrae;

c) distinguantur libri sapientiales, hucusque sub uno nomine «Libri Sapientiae» designati, cum sequentibus nominibus: Liber Iob, Proverbiorum, Qohelet (idest Ecclesiastae), Cantici Canticorum, Sapientiae, Siracidae (idest Ecclesiastici);

d) pro omnibus libris qui in Vulgata inter Prophetas numerantur dicatur «Lectio libri Isaiae, Ieremiae... prophetae», etiam pro illis qui a quibusdam non habentur ut vere prophetici;

e) dicatur «Liber Lamentationum» et «Epistola ad Hebraeos», sine mentione Ieremiae vel Pauli, cum hodie omnes consentiant Ieremiam et Paulum non esse auctores illorum librorum.

http://www.obrascatolicas.com

19. B. *Titulus* datur pro singulis textibus attente selectus (plerumque ex ipsis verbis textus) ut et praecipuum thema lectionis indicetur et, ubi necessarium est, nexus inter lectiones eiusdem Missae ex ipsis titulis appareat.

In versionibus popularibus textus ne dentur sine titulis. Auctoritatis competentis erit decernere utrum tituli huius voluminis vertendi sint an alii conficiendi singulorum populorum ingenio aptiores. Titulo addatur etiam, ubi opportunum videbitur, monitio qua sensus generalis pericopae apertius explicetur.

20. C. «*Incipit*» habet primum *verba introductoria* consueta: «In illo tempore», «In diebus illis», «Fratres», «Carissimi», «Haec dicit Dominus», quae tamen omittuntur ubi in ipso textu adest sufficiens indicatio temporis aut personarum, vel ubi ex natura textus talia verba non sunt opportuna. Pro singulis linguis popularibus, tales formulae mutari vel omitti possunt ex decreto Auctoritatum competentium.

Post illa verba datur proprium *initium lectionis*, demptis vel additis aliquibus verbis prout fert necessitas intellegendi textus a suo contextu separati. Item dantur congruae indicationes ubi textus ex versibus non continuis constat, si propter hoc mutationes faciendae sunt.

21. D. In fine lectionum, ad faciliorem reddendam acclamationem populi, ponantur verba, a lectore proferenda: *Verbum Domini*, vel alia locutio eiusdem generis, iuxta locorum consuetudines.

IV. De interpretationibus popularibus lectionarii conficiendis

22. Praeter ea quae supra dicta sunt, praesertim nn. 18-20, serventur pro editione interpretationum popularium Lectionarii normae sequentes:

In omnibus editionibus habeantur textus quibus explicatur *structura et finis* Lectionarii, id est saltem caput I horum «Praenotanda».

23. Propter molem Lectionarii editiones necessario *pluribus voluminibus* constabunt, pro quibus nulla praescribitur divisio.

Non excluditur antiqua consuetudo edendi librum separatim pro Evangeliis et alterum pro Epistolis, i. e. lectionibus Veteris Testamenti et Apostoli.

Sed melius videtur habere separatim Lectionarium dominicale — in quo includi poterunt opportuna excerpta ex Sanctorali — et Lectionarium feriale. Dominicale autem congrue dividi poterit secundum cyclum trium annorum ut pro singulis annis omnia modo continuo praebeantur.

At aliae dispositiones quae forte invenientur ad libitum adhiberi poterunt.

24. Textus *cantuum* semper adiungantur lectionibus, praesertim pro celebratione Missarum lectarum; fieri tamen poterunt libri separati in quibus cantus tantum habeantur. Commendatur ut textus imprimatur, in strophas divisus.

Quoties lectio diversis partibus constat, clare manifestetur haec *structura textus* in dispositione typographica. Item commendatur ut textus, etiam non poëtici, imprimantur in stichos divisi, ut proclamatio lectionum facilior fiat, praesertim pro lectoribus parum peritis.

Ubi *longior et brevior* adsunt formae, dentur separatim ut facile legi possit utraque; ubi vero talis separatio non videbitur opportuna, inveniatur modus quo uterque textus sine errore proclamari valeat.

In omnibus libris detur *index biblicus* pericoparum ad instar illius qui in volumine *Ordinis Lectionum Missae* habetur.

25. Principia, quae regunt opus interpretationis popularis lectionum biblicarum et cantuum inter eas occurrentium, reperiuntur in Instructione die 25 ianuarii 1969, *De popularibus interpretationibus conficiendis*, data a «Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia» Praesidibus Conferentiarum Episcopalium et Commissionum liturgicarum nationalium [LE 5799], et explicata per Declarationem *circa interpretationes lectuum liturgicorum ad interim paratas*, edita in *Notitiae* 5 (1969), p. 69 [LE 3747], quoad obligationem ad Sacram Congregationem pro Cultu Divino transmittendi pro confirmatione etiam interpretationes populares ad *interim* approbatas pro usu liturgico.

3906

1970 OCT 1.-VICARIATUS URBIS, DECRETUM. PART.*

Constitutur Consilium Administrationis bonorum temporalium Dioeceseos Romanae, et eiusdem Statuta promulgantur

I—*Decretum constitutivum*

La sollecitudine per il maggior bene spirituale del popolo di Dio e per lo sviluppo religioso, morale e sociale della Diocesi, configurata ad immagine e somiglianza della Chiesa Universale, e in intima partecipazione della sua vita cattolica, non Ci dispensa dalle responsabilità e dalla vigilanza sulla retta amministrazione dei beni ecclesiastici, che abbiamo ricevuto in custodia dall'Augusto Pastore di questa Diocesi.

Ce lo ricorda anche il Concilio Vaticano II nei Decreti *Christus Dominus* e *Presbyterorum Ordinis*.

Inoltre le nuove condizioni sociali del mondo, nella cui realtà si svolgono la vita e l'azione delle comunità sia diocesana che parrocchiali, esigono più vigile attenzione, più accurata precisione, agilità di metodi, revisioni di sistemi amministrativi e, in particolare, maggior collaborazione tra i diversi Enti ecclesiastici sia per l'utilità di ciascuno, sia per il bene di tutti, sia anche per la carità verso le altre Chiese sorelle.

Né si può dimenticare, come insegna il recente Concilio Ecumenico, che anche i laici possono e devono, nell'ambito delle loro specifiche competenze, contribuire alla retta amministrazione dei beni ecclesiastici.

Ci è sembrato perciò necessario e doveroso rivedere tanto la funzione e i compiti, quanto la composizione dell'attuale Consiglio Diocesano di Amministrazione, che affianca con la consulenza gli Uffici Amministrattivi del Vicariato, cosicché ne possa risultare un organismo più agile e nello stesso tempo più rappresentativo della Comunità Diocesana.

Pertanto mentre vivamente ringraziamo i membri del precedente Consiglio per la loro apprezzata collaborazione, col presente Decreto costituiamo il nuovo *Consiglio Amministrativo Diocesano*, la cui composizione, natura e competenze risultano dall'allegato Statuto.

Dal Vicariato di Roma, 1° ottobre 1970.

II. *Statuta Consilii administrativi*

1. Con decreto dell'Eminentissimo Cardinale Vicario di Sua Santità, Angelo Dell'Acqua, in data 1° ottobre 1970, si è costituito il nuovo *Consiglio Amministrativo Diocesano*, in sostituzione del precedente Consiglio Diocesano di Amministrazione.

2. Il Consiglio Amministrativo Diocesano assiste con funzioni di consulenza tecnica l'Amministrazione del Vicariato di Roma nello svolgimento dei suoi compiti specifici per la custodia, la gestione, e l'incremento tanto dei beni diocesani quanto dei beni parrocchiali.

Per disposizione superiore dell'Eminentissimo Cardinale Vicario, in casi particolari, tanto al Consiglio, quanto a singoli suoi membri possono essere affidati, con speciale mandato, anche compiti esecutivi.

3. Il Consiglio Amministrativo Diocesano presieduto dal Cardinale Vicario o dal Vicegerente si compone di membri di diritto e di esperti, ecclesiastici e laici, alcuni nominati dal Cardinale Vicario e alcuni scelti da organismi diocesani qualificati.

4. Sono *membri di diritto*, oltre l'Em.mo Presidente: *a)* il Segretario o il Sostituto degli Uffici I e II del Vicariato; *b)* il Segretario della Pontificia Opera della Preservazione della Fede; *c)* l'Economo del Vicariato, che svolge anche le funzioni di Segretario del Consiglio.

5. Sono *membri designati da organismi qualificati* della Diocesi; *a)* un membro del Consiglio Episcopale Diocesano; *b)* tre sacerdoti designati dal Consiglio Presbiterale Diocesano, anche all'infuori dei suoi membri, e precisamente: un Prefetto, un Parroco, un Vice-parroco; *c)* un rappresentante del Comitato Romano dei Superiori Religiosi.

6. Sono *membri scelti dal Cardinale Vicario*: *a)* un sacerdote scelto tra il Clero romano; *b)* tre laici esperti in materie economiche ed amministrative.

7. Il Consiglio Amministrativo Diocesano si riunisce d'ordinario una volta al mese in riunione collettiva, per esaminare, salve sempre le competenze dell'Autorità Superiore, *le pratiche di amministrazione straordinaria* pendenti, relative ai beni immobili e mobili gestiti dal Vicariato stesso, o gestiti dalle Parrocchie e dagli Enti Ecclesiastici dipendenti dal Vicariato; come pure le pratiche amministrative di interesse comune (assicurazioni, convenzioni ecc. ...). Le singole pratiche sono presentate al Consiglio dall'Economo del Vicariato, dopo essere state debitamente istruite dai competenti uffici finanziari, tecnici e legali del Vicariato stesso. Il voto è sempre consultivo, salvo diverse disposizioni dell'Em.mo Cardinale Presidente.

8. Il Consiglio può anche operare per Commissioni tanto permanenti, come temporanee e per casi particolari. Le Commissioni dovranno sempre essere presiedute dal Vicegerente con l'assistenza dell'Economo del Vicariato.

a) Una Commissione permanente sarà formata da tre membri del Consiglio, uno scelto dal Cardinale Vicario e due scelti dal Consiglio stesso per la *revisione annuale del Bilancio consuntivo e preventivo* dell'Amministrazione del Vicariato prima della loro trasmissione ai competenti Organi Superiori, e per la consultazione nei casi più gravi ed urgenti, a giudizio dell'Economo del Vicariato.

b) Una Commissione permanente sarà composta nel medesimo modo per la costituzione, sviluppo e gestione di un *Fondo speciale per l'assistenza del Clero anziano e bisognoso.*

c) Le Commissioni temporanee, per casi particolari, possono essere nominate di volta in volta dal Cardinale Vicario su suggerimento dell'Economo del Vicariato.

9. A ciascuno o a più membri del Consiglio, possono essere affidate dal Consiglio stesso singole pratiche, come a consultori, per un più approfondito esame, con l'impegno di riferire nell'adunanza successiva.

10. I membri del Consiglio Amministrativo Diocesano durano in carica per un triennio alla cui scadenza possono anche essere riconfermati.

Se durante il triennio un Consigliere venisse a mancare, sarà sostituito da altra persona col medesimo criterio, usato per la sua aggregazione al Consiglio.—Angelo Card. Dell'Acqua, *Vicario di Sua Santità.*

* Riv. dioc. Roma 11 (1970) 1103-1105.

3907

1970 OCT 5.-SC. RELIGIOSORUM, RESCRIPTUM. PART.*

Facultas datur percipiendi eleemosynam pro Missis bis aut ter litatis

Preces.—*Beatissime Pater*, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum a Sanctitate Tua humillime petit indultum quo sacerdotibus totius Ordinis facultatem concedere valeat percipiendi eleemosynam Missarum binarum ac trinatarum, ad subveniendum necessitatibus Provinciarum et Missionum, praesertim ad graves expensas in candidatorum formatione sustinendas. Et Deus, etc. . .

Resch.—Vigore facultatum a Summo Pontifice tributarum, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, attentis expositis, annuit pro gratia ad quinquennium, exceptis parocho et vice-parocho (stricte dicto) si Ordinarius loci id exegerit, salvo iure particulari, ceterisque servatis servandis. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 5 octobris 1970.—E. Heston, C. S. C., *a Secretis.*

* Magistro Generali O. P., Prot N. 30975/70: AOP 39 (1969-70) 645.

3908

1970 OCT 12.-SC RELIGIOSORUM, NOTIFICATIO. PART.*

Circa facultatem administrandi baptismum ex parte religiosorum laicalium et religiosarum

Roma, 12 ottobre 1970

Reverendo Padre, Mi pregio informare la Paternità Vostra che il Santo Padre si è degnato di approvare, che fuori dei territori di Missione, nell'assenza abituale del ministro ordinario del Battesimo, religiosi laici e religiose possano amministrare il detto Sacramento, seguendo il «ritus a catechistis adhibendus», contenuto nell'*Ordo Baptismi Parvulorum*, promulgato dalla Sacra Congregazione per il Culto Divino il 15 maggio 1969 [LE 3749].

L'indulto è concesso previa richiesta degli Ordinari del luogo, i quali dovranno inviare la relativa istanza alla Sacra Congregazione per i Sacramenti. La concessione della facoltà è subordinata alle seguenti condizioni:

a) che nel luogo vi sia assenza del ministro ordinario (sacerdote o diacono) del Battesimo. Il giudizio sul verificarsi dell'assenza abituale (fisica o morale) del ministro ordinario in tutto od in parte del territorio nazionale è domandato alla Conferenza Episcopale Nazionale;

b) che i religiosi laici e le religiose abbiano raggiunto il 18° anno di età ed abbiano emesso la prima professione religiosa od abbiano assunto un equivalente obbligo, ed inoltre abbiano ricevuto un'adeguata istruzione catechistica.

Nella concessione dell'indulto viene ricordato che la Conferenza Episcopale Nazionale ed i singoli Ordinari del luogo dovranno richiamare l'osservanza delle vigenti norme del Codice di Diritto Canonico circa i padrini, il luogo, il tempo e la registrazione del Battesimo che non siano state espressamente abrogate dall'*Ordo Baptismi Parvulorum* [LE 3749].

Infine è fatto obbligo al religioso laico o alla religiosa, che ha amministrato il Battesimo di registrare opportunamente e premurosamente il relativo atto a norma del C. I. C. e dell'Istruzione *Sacrosanctum* della Sacra Congregazione per i Sacramenti [LE 1626].

Prego la Paternità Vostra di voler notificare la predetta sovrana concessione ai Superiori Generali interessati.

Profitto della circostanza per professarmi con sensi di religiosa stima devotissimo in Domino.—Edoardo Heston, C. S. C., *Segretario.*

* Praesidi Unionis Superiorum Generalium: CpR 52 (1971) 188-189.

3909

1970 OCT 22.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECL. PART.*

Competentia determinatur S. Congr. de disciplina Sacramentorum et Signaturae Apostolicae circa «quaestiones» de validitate matrimonii

Ante Constitutionem Apostolicam *Regimini Ecclesiae Universae* [LE 3588], ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, vi can. 249 § 3 poterant deferri «quaestiones de validitate matrimonii, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittat».

Interpretatio extensiva huius canonis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum data, cum praevalentem haberet iurisdictionem super causis de nullitate matrimonii, gravem inter ipsam et S. R. Rotam provocavit controversiam.

Quam ob rem quaestio proposita fuit Pontificiae Commissioni ad Codicis canones authentice interpretandos, quae die 8 iulii 1940, assertam iurisdictionis praevalentiam exclusit, atque competentiam Sacrae Congregationis circumscripsit ad «ius dirimendi quaestiones de validitate matrimonii, quae ad eam deferuntur, dummodo eaedem accuratiorem disquisitionem aut investigationem non exigant ad normam canonis 249 § 3» [LE 1551].

Constitutio autem *Regimini Ecclesiae Universae* voluit in unum colligere competentias circa nullitatis matrimonii declarationem, quam ad illud tempus poterant pronuntiare S. C. de disciplina Sacramentorum via administrativa, S. C. Sancti Officii, S. C. pro Ecclesiis Orientalibus, S. C. de Propaganda Fide.

Constitutio igitur statuit exclusivam competentiam S. R. Rotae «in causis nullitatis matrimonii ad Sedem Apostolicam rite delatis», et quaestiones mere doctrinales Fidem attingentes Sacrae Congregationi pro Doctrina Fidei commisit (*Const.* cit., n. 109). Ceterum etiam in *Praeambolo* idem dicitur: «... quod pertinet ad Sacram Romanam Rotam, cuius potestatem seu competentiam extendimus in omnes causas ad Sanctam Sedem rite delatas seu deferendas de nullitate matrimonii».

Quodnam ergo Dicasterium cognoscere debet «quaestiones de validitate matrimonii», de quibus loquitur can. 429 § 3?.

Constitutio *Regimini Ecclesiae Universae*, quae in definienda singulorum Dicasterium competentia «totam de integro ordinavit legis prioris materiam» (can. 22), nullam facit mentionem de competentia S. Congregationis de disciplina Sacramentorum quoad huiusmodi quaestiones, dum *ad verbum* refert ultimam partem canonis 249, § 3, de competentia seu munere examinandi «quaestiones de validitate sacrae ordinationis».

Decanus S. R. Rotae, in sua epistula die 4 augusti 1970 (Rep. N. 273/70) Secretariae Status missa, asserit quod obiectum causae alienum est omnino a competentia et praxi iudiciaria illius Tribunalis. Et merito quidem, quia S. R. Rota iudicialiter procedit.

Ergo iustitia, ad casus similes quod attinet, in quibus matrimonii nullitas evidens videtur, non debet recte administrari quando recursus fit ad Sanctam Sedem?

Huic quaestioni responsum praebet n. 105 Const. *Regimini Ecclesiae Universae*, qui Signaturae Apostolicae tribuit munus vigilandi «pro munere suo» rectae administrationi iustitiae. Ex his igitur normis ad Supremum Tribunal translatae sunt omnes functiones administrativae, quae cum munere vigilandi conectuntur; functiones autem connexae cum dispensatione super matrimonio rato et non consummato, pertinent exclusive ad competentiam S. C. de disciplina Sacramentorum.

His super rebus Signatura Apostolica et supradicta S. Congregatio plane consentiunt.

Superfluum videtur addere quod Signatura Apostolica, attente perpensis casibus ad eam delatis, videbit an sufficiat praescribere ut processus summarius servetur, vel, attenta quaestionis evidentia, alio modo definiatur.

In utroque casu suas resolutiones approbationi Summi Pontificis subicit. Unde vere dici potest quod extrema decisio ab Ipso promanat.

* Apoll. 44 (1971) 17-19. Adn. O. ROBLEDA in PrM 61 (1972) 104-106.

3910

1970 OCT 25.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

Dioecesis R. - Nullitatis matrimonii ex capite metus utrique nupturienti incussi

Facti species. - Anna, duodeviginti annos nata, apud matrem amplius vivere non valens, urbem petiit ubi pater munere officialis exercitus fungebatur. Ne onere filiae sustentandae plus quam optabat gravaretur, pater officium ei procuravit in quadam societate commerciali. Huius societatis vices moderatoris gerens erat Petrus, iuvenis viginti quattuor annorum, qui praestantia captus Annae, eam assidue colere coepit.

Sola cum esset, et a patre in diversorio derelicta, quia

http://www.obrascatolicas.com

frequenter ipse aberat, ut vias in deserto extrueret, libenter puella amicales relationes a suo superiore sibi oblatas acceptavit.

De iisdem certior factus pater, institit primum ut Petrus vel relationes abrumperet vel filiam in uxorem duceret; postea nuptias minitanter imposuit. Ad has minas vitandas, acceptavit vir matrimonium. Anna matrimonio in illis circumstantiis reluctans, declaravit se nolle viro nubere, at pater, certam summam pecuniae ei proiciens, minatus est eam esse se derelicturum, ita ut ea summa in posterum sibi providere cogeretur.

Tum iuvenis tum puella aegro animo obtemperaverunt patri, qui omnia celeriter ad matrimonium paravit. Nuptiae celebratae sunt, at vita communis, statim instaurata, ab initio fuit infelix et, biennio nondum exacto, definitive cessavit.

Separatio coniugum a Tribunali civili declarata fuit, et coram Tribunali ecclesiastico matrimonium accusatum fuit nullitatis ob vim et metum a patre utrique coniugi incussum. Edictum est autem constare de nullitate matrimonii, at S. R. Rota negative respondit.

Non quievit actrix, quae a Summo Pontifice petivit ut causa deferretur N. S. T. - Hac de re interrogata, Signatura Apostolica votum protulit oratrici favorabile. SSmus Pater causam proinde commisit N. S. T., quod suppletivam instructoriam concessit.

In Iure—Sicut duplex est praesuppositum consensus ex metu praestiti, duplex est medium probationis: indirectum ex aversione, directum ex malo comminato, quorum unum alterum perficit, et quorum unum sine altero non sufficit. Cum coactio consentientis ne intelligatur quidem (cfr. e. g. I. De Lugo, *De iustitia et iure*, Disput. XXII, n. 150; I. D'Annibale, *Summula Theologiae Moralis*, ed. 4, vol. I, n. 138. nota 16), ideoque praesupponat reluctantiam in patiente metum, logice probatio incipitur ab aversione. Haec aversio debet esse erga matrimonium, non contra personam tantum alterius contrahentis, quia in casu agitur de probando consensu coacto, et obiectum consensus est vinculum.

Non requiritur tamen probatio contrarietatis perpetuae in nuptias, sed sufficit gravis aversatio, quae nonnisi gravi et iniusta coactione superari potuit tempore quo matrimonium celebratum est. Vinculum enim perficitur libero consensu eo momento praestito, et ideo si tunc voluntas graviter et iniuste coacta erat, libere consensum non dedit, sed ex metu.

Metus potest esse iniustus sive *ratione medii* (id est mali imminentis), sive *ratione finis*, (quia medium aliquod potest quidem esse iustum respectu finis ad quem a lege ordinatur vel permittitur, at vero iniustum respectu alterius finis ad quem a lege neque ordinatur neque permittitur).

Respectu matrimonii, metus est iniustus sive si malum imminens sit ab iure prohibitum; sive si malum imminens sit a lege permissum, sed ab agente ordinatur ad matrimonii celebrationem, seu ad finem diversum ab illo, quem ex iure quis consequi potest; sive si malum imminens sit actus iuridicus proprie dictus (e. gr. denuntiatio ad Iudicem), quoties actus ipse iuridicus falso fundamento nitatur, vel a minitante ordinetur ad finem diversum ab illo ad quem ordinatur a iure. Etenim «metum, qui iuste incutitur ob unum finem, non semper licite incutitur ob alium. Aliquis habet ius accusandi Titium ob iniuriam sibi illatam per contumeliam, vel per furtum, vel per homicidium; iste potest metum accusationis incutere Titio, ut ab eo extorqueat debitam sibi satisfactionem, et in hoc casu dicitur metum iuste incutere, non tamen potest ob iniuriam sibi illatam per contumeliam e.g. minari accusationem, ut extorqueat consensum matrimonii. Unde si minetur accusationem, ut extorqueat consensum matrimonii, dicitur metum iniuste incutere, nam metus repugnat libertati matrimonii, et est iniuriosus Sacramento; quamvis igitur ille metus accusationis possit esse iustus ob altos fines, nihilominus ob finem extorquendi matrimonium est iniustus» (M. Bonacina, *De Matrimonio*, quaest. III, punct. VIII, n. 10. Cfr. etiam B. Pontius, *De matrimonio*, l. IV, c. XIX, n. 12 ss., etc.).

In facto—In primis constare videtur de aversione actricis a nuptiis. Aversio a nuptiis idem non est ac aversio ab altero nupturiente, et ad probandam aversionem, ac propterea metum, sufficit aversio a matrimonio et quidem a matrimonio celebrando eo momento, quo de facto celebratum est.

Si quis enim ita graviter infensus est nuptiis nunc celebrandis, ut necessarius sit metus gravis ad hanc contrarietatem superandam, matrimonium dicendum est meticolosum, etsi qui metum patitur, esset animo dispositus ad illud celebrandum tempore posteriore.

Ita videtur evenisse actrici, quae relationes amicales cum Petro acceptavit et forte propositum fovit eidem nubere. Possumus quidem admittere quae in altera depositione fassus est testis, ulterius quam alii progrediens in hac parte: «Un giorno — ipse narrat — li trovai ambedue sulla spiaggia e, domandando loro cosa facessero, mi risposero che avevano una vaga idea di sposarsi».

Haec tamen non impediunt aversionem actricis a matri, monio cum Petro. Cum enim vir, minitante actricis patre, matrimonium acceptavit, propositum iam antea expressum iterum confirmavit excludendi prolem.

Anna, sicut iam dixerat, repetivit: «Io protestai davanti a mio padre e a Pietro che non intendevo sposarlo e che con quelle sue idee poteva andarsi a trovare un'altra donna».

Hanc animi sui aversionem, factis Anna confirmavit, Petrum evitando et per aliquot dies officium deserendo, ne ei occurreret.

Depositionem actricis non modo vir conventus confirmat, qui etiam de absentia temporanea illius ab officio testatur, sed et actricis pater ac testes Paulus et Josephus.

Filiae contrarietatem in nuptias superavit pater minis eam derelinquendo: «Mio padre — ait ipsa — indignato per la mia dichiarazione, gettò infuriato sul tavolo un libretto di banca in cui era depositata la somma di cinque o seimila lire e mi disse: «Ebbene giacchè non vuoi ubbidire e vuoi fare di tua testa, ecco quello che ti appartiene. Da oggi in avanti non sarò più tuo padre, perchè mi disinteresserò di te e tu ti arrangerai».

Eadem enarrant pater, qui metum incussit, et testes Paulus et Josephus.

Circumstantiae subsequentes cum his plene concordant. Nuptiae paratae sunt non ab actrice, sed a patre; et dum agebatur caeremonia nuptialis, sponsa visa est tristis et flens; vita coniugalis numquam pacifica fuit.

Anna tunc erat puella undeviginti annorum, in urbe sibi ignota, tempore belli, nec in Italiam redire poterat apud matrem, quae, a marito seiuncta, rebus non erat praedita quibus filiam sustentaret.

Minae ergo a matre eidem illatae graves dicendae sunt et quidem iniustae. Nihil enim filia commiserat, quod honorem suum poneret in discrimen. Quod si etiam egisset, non poterat pater eam graviterre luctantem ad nuptias his minis impellere.

Videtur proinde matrimonium ab ea initum esse nullum ob metum gravem et iniustum; item nullum esse hoc vinculum ratione metus illati viro convento.

Quamquam enim Petrus puellae amorem, ob eius physicam praestantiam, cuperet et forte eam mutatis circumstantiis ducturus fuisset uxorem, nonnisi tamen metu compulsus matrimonium contraxit, cum illud celebravit: «era questo — ipse ait — un matrimonio impostomi e in un tempo in cui non avrei potuto provvedere a due famiglie». Item actrix: «Pietro ...dichiarandomi che non avrebbe potuto fino a quando le condizioni della sua famiglia non glielo avessero consentito».

Haec viri contrarietas nonnisi gravi metu superata est.

«Mio padre — ait actrix — preoccupatissimo e adiratissimo ... abbordò prima Pietro e, non credendo alle dichiarazioni di questi essere stata la nostra amicizia e relazione del tutto innocente, giordin ò di provvedere al mio onore sposandomi, diversamente l'avrebbe danneggiato provocando il suo richiamo alle armi».

Graviora refert vir conventus: «Nel fervore della discussione uscì in minacce che mi spaventarono. Mi avrebbe denunziato alla Società, provocando il mio licenziamento... e mi avrebbe fatto richiamare sotto le armi».

Eadem testatur, praeter patrem actricis. Maria R. Marius paulo aliter rem narrat: «In seguito a questa azione di coercizione e nel timore di dover perdere il posto, in quanto il padre di Anna, ufficiale dell'esercito, comunque persona molto autoritaria, minacciava denuncia contro Pietro, qualora non si fosse deciso a sposare la figliola... Queste minacce durarono fino al tempo del matrimonio. In considerazione dello stato della famiglia di Pietro e del carattere violento del padre della signorina, capace di tutto, occorreva da parte di Pietro una forza di volontà superiore che non possedeva».

Josephus deponit: «I due protestavano la loro innocenza, asserendo che i reciproci rapporti si erano limitati a qualche passeggiata sia pure in luoghi non molto frequentati. Ma il militare era irremovibile nel suo sdegno e fece capire chiaramente, ove il giovane non avesse riparato col matrimonio, che egli avrebbe preso nei suoi riguardi delle misure che, a quanto potei capire, consistevano nel farlo inviare al fronte di combattimento».

Vir qui metum incussit a testibus praedicatur irascibilis et imperiosus, capax nempe exsequendi minas illatas quae, cum in amissione officii consisterent et iussu eundi in aciem tempore belli, graves absque dubio dicendae sunt; itemque iniustae.

Ius enim erat patri suadendi viro nuptias, et filiae, si periculum eidem imminere putabat, suadendi dimissionem officii et consequenter vitandi occasionem cotidie videndi et loquendi cum Petro, non autem hunc minis tam gravibus compellere ad nuptias.

Propterea: «Il giorno delle nozze — refert viri conventi soror — i due sposi non apparivano contenti»; immo «dopo il pranzo — ait viri conventi frater — mio fratello si chiuse nel suo studio fino a sera»; «Pietro — ait pater actricis — quel giorno presentava il volto di un uomo insoddisfatto».

Decisio. - Emi Patres Cardinales membra S. T. Signaturae Apostolicae, in eiusdem S. Tribunalis sede, die 25 octobris 1970, congregati ad decidendam causam nullitatis matrimonii de qua agitur, proposito dubio responderunt: *Affirmative*, seu *constare de nullitate matrimonii in casu ex capite metus utrique nupturienti incussi*.

* Apoll. 43 (1970) 504-508. Adn. O. Robleda in PrM 61 (1972) 96-98.

3911

1970 OCT 30.-SC CLERI, LIT. CIRC. AAS 63 (1971) 314-315

De reformatione vestium choralium ad simpliciorem formam redigendarum

Per Instructionem *Ut sive sollicite* [LE 3734], a Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis die 31 mensis Martii anno 1969, Summi Pontificis iussu, emissam, huic Sacrae Con-

gregationi pro clericis mandatum est [1], ut aptas ederet praescriptiones, quae tamen ad eiusdem Instructionis rationes accommodarentur, quod attinet ad canonicorum, beneficiariorum et parochorum vestes chorales ac titulos.

Quapropter haec Sacra Congregatio, auditis Conferentiis Episcoporum ritus Latini, quarum interest, earumque votis comparatis atque Secretariae Papalis consideratione propositis, iisdem Conferentiis Episcoporum per praesentes Litteras Circulares committit, ut vestes chorales ad simpliciorem formam redigant, prae oculis habentes rationes generales, quae sequuntur:

1) Omnia privilegia, etiam centenaria et ab immemorabili, praesentibus Litteris abolentur iuxta statuta, quae in Litteris Apostolicis *Pontificalia insignia* die 21 mensis Iunii anno 1968 [2], motu proprio datis et in Instructione *Ut sive sollicite* die 31 mensis Martii anno 1969 [3] edita, continentur.

2) Usus mozetae violacei coloris tantum canonicis charactere episcopali praeditis permittitur. Ceteri canonici utantur mozeta nigra vel cineracea cum torulo violaceo; beneficiarii deferant mozetam nigram vel cineraceam, parochi autem solum stolam adhibeant.

3) Interdicantur praeterea canonicis, beneficiariis et parochis omnia insignia, quae adhuc vigent in aliquibus locis, scilicet: mantelletum, zona cum flocculis, tibialia rubra, calcei cum fibulis, pallium talare violacei coloris, rochetum, mitra, baculum, anulus, crux pectoralis.

4) Quae in praedictis documentis Apostolicae Sedis de Cardinalibus atque Episcopis dicta sunt, vim habent, congrua congruis referendo, etiam ad ceteros coetus ecclesiasticorum virorum. /

315

Singulis Conferentiis Episcoporum facultas committitur agendi, ut, servatis servandis, gradatim ea ad usum deducant, quae in memoratis documentis Apostolicae Sedis et praesentibus Litteris statuuntur.

Datum Romae, die 30 mensis Octobris anno 1970.—Ioannes Card. Wright, *Praef.* Petrus Palazzini, *a Secr.*

[1] N. 35. [2] *A. A. S.* 60 (1968), pp. 374-377 [LE 3668]. [3] *A. A. S.* 61 (1969) pp. 334-340 [LE 3734].

3912

1970 OCT 31.-SC EPISCOPORUM, DECLARATIO. PART.*

Episcopi dimissionarii ritus latini non amplius transferuntur in ecclesias titulares, sed titulum retinent dioeceseos residentialis dimissae

Madrid, 24 Nov. 1970

Excelencia Reverendísima: Por venerado encargo de la S. Congregación para los Obispos, me honro en comunicar a Vuestra Excelencia Reverendísima que, en la Audiencia del 31 de octubre último, el Santo Padre, habida cuenta de las conclusiones de la Congregación plenaria del referido Sagrado Dicasterio, celebrada los días 22-23 del mes antedicho, se ha dignado disponer que los Obispos diocesanos dimisionarios de rito latino no sean *en lo sucesivo* transferidos a una iglesia titular, continuando, en vez de ello, llamándose de la Sede a la cual han renunciado (con la que conservan todavía cierto vínculo de espiritual afecto), permitiéndoseles la expresión: «*olim*», «*quondam*» (retirado, antiguo, u otras equivalentes).

Vuestra Excelencia, al tener la bondad de informar a la Excelentísima Conferencia de cuanto precede, puede asegurar a todos los Rvdmos. Obispos que el Anuario Pontificio continuará consignando los nombres y datos de los Obispos Diocesanos dimisionarios bajo el nombre de su última Sede (confróntese «Anuario Pontificio para 1970», p. 461, en la palabra «Strasbourg»).

Con afectuoso saludo, me reitero gustoso de Vuestra Excelencia Reverendísima, atto. s. s.—Luigi Dadaglio, *Nuncio Apostólico.*

* Textus datur iuxta notificationem Nuntii Ap. in Hispania datam die 24 nov. 1970 Praesidi Conferentiae Episcopalis Hispaniae: Boletín del Arzobispado de Barcelona, ann. 1971 p. 102-103.

3913

1970 OCT 31.-COM. INTERP. CON., RESP. AAS 62 (1970) 793

Responsum ad propositum dubium circa participationem presbyterorum, religiosorum et laicorum in Conferentiis episcopalibus

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, proposito in plenario coetu quod sequitur dubio, respondendum esse censuerunt ut infra:

D.—Utrum praeter Episcopos alii quoque, presbyteri, religiosi et laici, Conferentiam Episcopalem participare possint.

R.—Cum Conferentiae Episcopales sint coetus Episcoporum, eaedem ex Episcopis et viris ecclesiasticis in iure ipsis aequiparatis tantum constant, iuxta praescriptum Decreti de pastorali episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 38, 2: alii vero, presbyteri, religiosi et laici invitari possunt a Conferentia Episcopali, ad normam statutorum, singulis tamen in rebus et causis et cum voto consultivo tantum.

SSmus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 31 Octobris 1970 infrascripto impertita supradictam decisionem ratam habuit, adprobavit et publicari iussit.—Pericles Card. Felici, *Praeses.*

Adn. V. Carbone in ME 96 (1972) 344-350.

3914

1970 NOV 1.-PAULUS VI, CONST. AP. AAS 63 (1971) 527-535

Officium divinum ex decreto Concilii Oecumenici Vaticani II instauratum, promulgatur

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei - Ad perpetuam rei memoriam

Laudis canticum, quod in supernis sedibus omne per aevum concinitur, quodque Summus Sacerdos Christus Iesus huic exsilio invexit, Ecclesia per tot saeculorum decursum mira formarum varietate praeditum constanter fipeliterque est prosecuta.

Liturgia igitur Horarum paulatim ita processit, ut Ecclesiae localis evaderet oratio, quae statutis temporibus et locis, sacerdote praesidente, fiebat quasi necessarium quoddam complementum, quo illa divini cultus summa, quae in Eucharistico Sacrificio continetur, ad horas vitae humanae redundaret et extenderetur.

Liber autem divini Officii, qui pluribus additamentis sensim decursu temporum crevit, effectus est instrumentum aptum sacrae illi actioni, cui destinatur. Quoniam vero per hominum aetates in modum celebrationis mutationes satis amplae sunt inductae, in quibus etiam singularis divini Officii celebratio numeratur, mirum non est, si idem liber, Breviarium aliquando appellatus, ad multimodas formas est accommodatus, quae ipsas compositionis rationes interdum afficiebant.

Concilium Tridentinum, cum propter angustias temporis reformationem Breviarii absolvere non potuisset, eam rem ad Sedem Apostolicam detulit. Breviarium Romanum, quod a Decessore Nostro Sancto Pio V anno MDLXVIII promulgatum est, ante omnia, ut vehementer postulabatur, uniformitatem orationis canonicae in Ecclesia Latina importavit, quae tunc temporis erat dilapsa./ 528

Subsequentibus saeculis plura a Summis Pontificibus Xysto V, Clemente VIII, Urbano VIII, Clemente XI aliisque recognita sunt.

Sanctus Pius X novum Breviarium suo iussu apparatum anno MCMXI edidit. Instaurato antiquo more CL psalmos unaquaque hebdomada recitandi, tota Psalterii dispositio est innovata, quod omnes amotae sunt repetitiones atque facultas data componendi Psalterium feriale necnon cursum lectionis biblicae cum Officiis Sanctorum. Praeterea Officium diei dominicae ita elatum est et auctum, ut festis Sanctorum plerumque anteponeretur.

Totum rursus liturgicae instaurationis opus susceptum est a Pio XII, qui, ut nova Psalterii interpretatio a Pontificio Instituto Biblico confecta tam in privata quam in publica recitatione adhiberetur, concessit, itemque peculiari coetui, a se anno MCMXLVII constituto, mandavit, ut hanc Breviarii quaestionem expenderet. Eadem de re ab anno MCMLV universi per orbem Episcopi interrogati sunt. Huius operae et sollertiae fructus coepti sunt percipi ex Decreto de rubricis ad simpliciorem formam redigendis, die XXIII mensis martii anno MCMLV edito, atque ex normis, quas de Breviario Ioannes XXIII in Codice Rubricarum anno MCMLX emisit.

At cum partem tantum renovationis liturgicae sanciret,

http://www.obrascatolicas.com

idem Summus Pontifex Ioannes XXIII perspiciebat altiora principia, quibus res liturgica inniteretur, maiore investigatione egere; quod quidem opus Concilio Oecumenico Vaticano II mandavit, quod interea convocaverat. Sic factum est, ut illa Synodus de Liturgia universim ac de precibus horariis particulatim tam copiose ac diserte, tam religiose et valide ageret, ut vix simile quicquam in tota Ecclesiae historia inveniatur.

Dum Concilium Vaticanum adhuc celebrabatur, Nobis curae fuit, ut statim, post promulgatam Constitutionem
529 de sacra Liturgia, eius statuta ad effectum deducerentur/

Qua de causa in ipso Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia, a Nobis condito, peculiaris coetus est institutus, qui, viris doctis peritisque disciplina liturgica, theologica, spirituali, pastorali adiutricem operam praebentibus, septem annos summa cum diligentia et navitate in novo libro Liturgiae Horarum conficiendo elaboravit.

Principia totiusque operis contexendi ratio necnon singulae eius partes a praedicto Consilio atque etiam a Synodo Episcoporum, anno MCMLXVII coacta, sunt probata, consultis totius Ecclesiae Episcopis et permultis animarum pastoribus, religiosis et laicis.

Iuvat igitur ea, quae ad novam Liturgiae Horarum rationem ordinationemque pertinent, singillatim exponere.

1. Quemadmodum Constitutione a verbis *Sacrosanctum Concilium* incipiente postulatur, ratio est habita condicionum, in quibus hac aetate sacerdotes operibus apostolicis addicti versantur.

Ita autem Officium est concinnatum et instructum, ut idem, cum sit oratio totius populi Dei, participare possint non solum clerici, sed etiam religiosi, quin etiam laici. Diversi ordinis et gradus hominibus ac peculiaribus eorum postulatis eo consultum est, quod variae formae celebrationis sunt inductae, quibus oratio accommodari potest variis coetibus ad Horarum Liturgiam incumbentibus, secundum eorum condicionem atque vocationem.

2. Cum vero Liturgia Horarum sit sanctificatio diei, ordo orationis sic est recognitus, ut Horae canonicae facilius componi possent cum horis diei naturalibus, iis rerum adiunctis attentis, in quibus vita hominum nostris temporibus degitur.

Quapropter Hora Prima abolita est; Laudes vero matutinae et Vesperae, utpote quasi quidam cardines totius Officii, maximum acceperunt momentum, siquidem iis inest
530 indoles verae / orationis matutinae et vespertinae; Officium lectionis, dum pro iis, qui vigilias celebrant, indolem nocturnam servat, cuilibet tamen horae diei accommodatur; quoad ceteras, Hora media ita disposita est, ut qui ex Tertia, Sexta, Nona unam tantum eligant Horam, hanc diei tempori, quo eam celebrent, aptent ac de cursu Psalterii per hebdomadas distributo nihil omittant.

3. Ut in Officio celebrando mens voci facilius concordet et Liturgia Horarum vere fiat *fons pietatis et orationis perennalis nutrimentum* [1], in novo libro Horarum onus cotidianum est nonnihil deminutum, textuum autem varietas insigniter aucta, plura adiumenta ad psalmorum meditationem praebentur, cuiusmodi sunt tituli, antiphonae, orationes psalmicae, atque tempora silentii pro opportunitate servandi proponuntur.

4. Secundum ordinationem Concilii [2], Psalterium, hebdomadario cyclo ablato, in quattuor hebdomadas distribuitur, nova recepta interpretatione latina, quam Commissio pro nova Vulgata Bibliorum editione a Nobis condita apparavit. Qua in nova psalmorum distributione pauci quidam psalmi et versiculi asperiores omissi sunt, ratione ducta praesertim difficultatum, quae in celebratione lingua vulgari peragenda inde essent orturae. Praeterea nova quaedam cantica, ex libris Veteris Testamenti deprompta, Laudibus matutinis, ad earum spiritualem ubertatem augendam, addita sunt; in Vesperas etiam cantica sunt inducta ex Novo Testamento, quibus veluti margaritis ornantur.

5. Verbi divini thesaurus copiosior effunditur in novo ordine lectionum e sacra Scriptura sumptarum, qui ita compositus est, ut cum ordine lectionum, quae in Missa fiunt, congruat.

Pericopae quandam unitatem argumenti universe prae
531 se / ferunt et ita selectae sunt, ut praecipua historiae salutis momenta per anni cursum repraesentent.

[1] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 90, *A. A. S.* 56 (1964) p. 122 [LE 3141]. [2] *Ibid.*, n. 91, pp. 122-123.

6. Secundum normas a Concilio oecumenico statutas, lectio cotidiana ex operibus sanctorum Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum peragenda ita instaurata est, ut optima quaeque e scriptis christianorum auctorum, maxime sanctorum Patrum, proponantur. Praeterea, ut spirituales divitiae horum Scriptorum abundantius suppeditentur, alterum parabitur Lectionarium ad libitum, unde uberiores fructus percipi possint.

7. E textu libri Liturgiae Horarum ea omnia ablata sunt, quae cum fide historiae non conveniunt, atque adeo lectiones praesertim hagiographicae ita recognitae, ut singulorum Sanctorum imprimis effigies spiritualis et momentum, quod ad vitam Ecclesiae habuerunt, exponantur in suaque luce collocentur.

8. Ad Laudes matutinas additae sunt Preces, quibus consecratio diei et supplicationes pro inchoando opere enuntientur. Ad Vesperas vero brevis fit supplicatio, in modum orationis universalis concinnata.

In fine autem huiusmodi precum resumpta est Oratio dominica; quo fit, ut, cum eadem in Missa etiam dicatur, nostris tandem temporibus mos redeat Christianitatis primaevae orationem illam ter in die proferendi.

Renovata igitur atque ex integro instaurata sanctae Ecclesiae oratione secundum perantiquam eius traditionem et ratione habita necessitatum huius temporis, summopere optandum esse videtur, ut ea totam precationem christianam penitus pervadat, vivificet, regat, exprimat atque vitam spiritualem populi Dei efficaciter alat.

Prorsus ergo fore confidimus, ut sensus illius orationis *sine / intermissione* faciendae [3], quam Dominus noster Iesus 532
Christus Ecclesiae suae mandavit, reviviscat, siquidem liber Liturgiae Horarum, apta per tempora partitus, eam iugiter fulcit et adiuvat, ipsa vero actio, praesertim cum aliqua communitas eius causa est congregata, veram Ecclesiae orantis naturam exprimit eiusque admirabile signum apparet.

Oratio christiana est imprimis precatio universae hominum communitatis, quam Christus sibi coagmentat [4]; hanc scilicet orationem singuli participant estque haec unius corporis propria, dum preces funduntur, quae ideo vocem dilectae Sponsae Christi, optata et vota totius populi christiani, supplicationes et imprecationes pro omnium hominum necessitatibus significant.

Ex corde autem Christi haec oratio accipit unitatem. Voluit enim Redemptor noster, *ut quam in mortali corpore supplicationibus suis suoque sacrificio inierat vitam, eadem per saeculorum decursum non intermitteretur in Corpore suo mystico, quod est Ecclesia* [5]; ita fit, ut oratio Ecclesiae sit simul *oratio Christi cum ipsius Corpore ad Patrem* [6]. Agnoscamus igitur oportet, dum Officium persolvimus, in Christo resonantes voces nostras et voces eius in nobis [7].

Quo autem apertius haec orationis nostrae indoles eluceat, necesse est, ut *ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus* [8], quem Liturgia Horarum aspirat, in omnibus reviviscat, ita ut sacra Scriptura fons praecipuus totius orationis christianae reapse evadat. Oratio praesertim psalmorum, quae actionem Dei in historia salutis iugiter prosequitur ac praedicat, novo affectu comprehendatur oportet a populo Dei; quod facilius / eveniet, si psalmorum altior 533
intellectus, secundum eum sensum, quo in sacra Liturgia canuntur, diligentius apud clerum promovebitur et apta catechesi omnibus fidelibus impertietur. Haec vero sacrae Scripturae ditior lectio non solum in Missa, sed etiam in nova Liturgia Horarum efficiet, ut historia salutis indesinenter recolatur eiusque continuatio in vita hominum efficaciter annuntietur.

Cum vero vita Christi in eius Corpore Mystico vitam etiam cuiusque fidelis propriam seu personalem perficiat et elevet, quaevis repugnantia inter orationem Ecclesiae et orationem personalem prorsus est reiicienda; atque rationes, quae inter utramque intercedunt, maiorem vim accipiant magisque dilatentur oportet. Oratio mentalis ex lectionibus, psalmis ceterisque Liturgiae Horarum partibus indeficiens hauriat alimentum. Ipsa Officii recitatio necessitatibus orationis vivae et personalis, quantum fieri potest, accommodetur oportet, eo quod, prout in Institutione generali cavetur, rhythmi et modi adhibentur atque cele-

[3] Cf. *Lc.* 18, 1; 21, 36; 1 *Th.* 5, 17; *Eph.* 6, 18.
[4] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 83; *A. A. S.* 56 (1964) p. 121. [5] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*, 20 nov. 1947, n. 2; *A. A. S.* 39 (1947) p. 522 [LE 1963]. [6] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 85; *A. A. S.* 56 (1964) p. 122. [7] Cf. S. Augustinus, *Enarrationes in ps.* 85, n. 1. [8] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 24; *A. A. S.* 56 (1964) pp. 106-107.

brationis formae seliguntur, quae orantium spirituali condicioni magis congruant. Quodsi oratio divini Officii vera efficitur oratio personalis, nexus etiam illi magis patescunt, quibus Liturgia ac tota vita christiana inter se coniunguntur. Est enim universa fidelium vita, per singulas diei ac noctis horas, quasi quaedam *leitourgia*, qua illi se ipsos in ministerium amoris erga Deum et homines tradunt, actioni Christi inhaerentes, qui cunctorum hominum vitam conversatione et oblatione sua sanctificavit.

Hanc altissimam veritatem, quae in vita christiana inest, Liturgia Horarum plane significat et efficaciter confirmat.

Qua de causa horariae preces omnibus christifidelibus proponuntur, iis etiam, qui eas recitandi lege non tenentur.

Il vero, qui mandatum ab Ecclesia acceperunt Liturgiam Horarum celebrandi, integrum eius cursum cotidie religiose persolvant, horarum veritate, quantum fieri potest, ser-
534 vata; / ac debitum imprimis momentum tribuant Laudibus matutinis et Vesperis.

Ad hoc autem peragendum ii, qui, Ordine sacro aucti, signum Christi Sacerdotis speciali modo prae se ferunt, aut qui per vota religiosae professionis Dei et Ecclesiae servitio peculiariter consecrati sunt, non sola legis observantia adducantur, sed perspecta rei intima praestantia necnon convenientia pastorali et ascetica impelli se sentiant. Est enim valde optandum, ut apud omnes oratio publica Ecclesiae ex renovatione spiritus procedat atque ex agnita necessitate interna totius corporis Ecclesiae, quae ad imaginem Capitis sui aliter describi nequit quam ut Ecclesia orans.

Resonet ergo, ope novi libri Liturgiae Horarum, quem nunc Apostolica auctoritate Nostra sancimus, approbamus et promulgamus, magnificentior et pulchrior laus Dei in Ecclesia huius aetatis; societur ei, quae a Sanctis et Angelis in aula caelesti canitur, et per dignos progressus diebus huius terrestris exsilii celerior occurrat illi laudi plenae, quae per omne aevum tribuetur *Sedenti in throno, et Agno* [9].

Statuimus autem, ut novus hic Liturgiae Horarum liber statim usurpari possit atque in lucem editus fuerit. Episcopales interea Conferentiae editiones eiusdem liturgici operis lingua vernacula apparandas curent atque, post datam a Sancta Sede approbationem seu confirmationem, diem definiant, quo eaedem, sive ex toto sive ex parte, in usum recipi possint vel debeant. A die autem quo populares huiusmodi interpretationes in celebrationes, lingua vernacula peragendas, assumi debebunt, iis etiam qui lingua Latina uti pergunt, instaurata tantum Liturgiae Horarum forma adhibenda erit.

Iis vero, qui, ob provectam aetatem vel ob peculiares causas, graves experiuntur difficultates in novo Ordine servando, licet, de consensu sui Ordinarii ac tantummodo
535 in recitatione a solo / peragenda, Breviarium Romanum, quod antea in usu erat, sive ex toto sive ex parte retinere.

Nostra vero haec statuta et praescripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque praescriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 1 mensis novembris, in sollemnitate Omnium Sanctorum, anno MCMLXX, Pontificatus Nostri octavo.

[9] Cf. *Ap.* 5, 13.

Adn. Vide sub die 1971 Apr. 11: LE 3967.

3915

1970 NOV 1.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

DE RECURSU CONTRA DECRETUM REMOTIONIS A PAROECIA ET DE PRINCIPIO «LITE PENDENTE, NIHIL INNOVETUR» IN PROCESSU ADMINISTRATIVO CORAM SIGNATURA AP.

Pendente recursu apud Signaturam Apostolicam contra decretum remotionis a paroecia, Episcopus parochi recurrentis, iuxta praxim apud H. S. Tribunal vigentem, paroeciam alii stabiliter valide conferre nequit (can. 2146, § 3).

Analogice enim cum processu iudiciali, etiam in processu administrativo servandum est principium: «*Lite pendente, nihil innovetur*» (can. 1725, 5°). «Cum iura enim in controversiam veniunt, in eo statu servanda sunt, quo condicio veri domini non minuatur» (VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, t. III, n. 147).

Siquidem «a definitivo decreto» Ordinarii, «recursus ad Sedem Apostolicam» ut «unicum datur iuris remedium» (can. 2146, § 1), hoc remedium effectum in processu administrativo similem illi, quem recursus seu appellatio in processu iudiciali, obtinet, nempe in suspensivo quoad attributionem iuris quod in controversia est.

Verum est quod haec vis suspensiva recursus parochi amoti solummodo partialis est, sed radicalis quatenus suspendit ipsam stabilem alii clerico collationem paroeciae, quae proinde iure vacans considerari non potest.

* Apoll. 43 (1970) 521-522.

3916

1970 NOV 3.-CONV. CUM BAVARIA. AAS 62 (1970) 825

RATIHABITIO CONVENTIONIS INTER APOSTOLICAM SEDEM ET BAVARICAM CIVITATEM CIRCA SECTIONEM THEOLOGIAE CATHOLICAE IN UNIVERSITATE STUDIORUM AUGUSTANA

Vide *textum* sub die 1970 sep. 17: LE 3898.

3917

1970 NOV 7.-SC SACRAMENTORUM, RESCRIPTUM. PART.*

FACULTAS DATUR ORDINARIO LOCI INSTRUENDI IMMEDIATE CAUSAM DE MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO, SINE PRAEVIO RECURSU AD S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Vide *textum* infra sub die 1970 Nov 10: LE 3920.

* Conferentiae Episcopali Belgicae: C. LEFEBVRE, Il motu proprio 'Causas matrimoniales', Roma 1972, p. 74.

3918

1970 NOV 9.-SC CULTUS, DECR. AAS 63 (1971) 710-711

BENEDICTIONIS ABBATIS ET ABBATISSAE RITUS RECENS INSTAURATUS PROMULGATUR, UNA CUM NOVI ORDINIS NORMIS GENERALIBUS

I—DECRETUM

Abbatem et Abbatissam monasterii, post eorum electionem canonice factam, benedicere, traditum est in usu liturgico Ecclesiae, ut hac ratione manifestum sit universam religiosam familiam supernam gratiam invocare super eum, quem ducem sibi elegit in via perfectionis percurrenda. Volventibus autem saeculis ritus Benedictionis Abbatis et Abbatissae saepius formas singulis temporibus et locis proprias induit. Nostris ergo diebus opportunum visum est traditas formas recognoscere, ut ritus munus spiritale in clariore luce collocaret illius, qui religiosae familiae praeest, iis demptis partibus, quae ingenio hominum nostrae
711 aetatis minus congruerent. /

Praesentem igitur ritum Benedictionis Abbatis et Abbatissae, instauratum, et a Summo Pontifice Paulo VI die 19 octobris huius anni 1970 approbatum, haec Sacra Congregatio pro Cultu Divino promulgat, ut pro ritu in Pontificali Romano nunc exstante adhibeatur.

Permittitur autem, ut editio latina statim ac in lucem edita fuerit in usum assumi possit.

Conferentiae Episcopales curent, ut editiones lingua vernacula apparentur atque diem statuant, quo eaedem editiones, ab Apostolica Sede rite confirmatae, vigere incipiant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 9 novembris 1970.—Benno Card. GUT, *Praef.* H. Bugnini, *a Secretis*.

II—ORDO BENEDICTIONIS ABBATIS

PRAENOTANDA *

1. Benedictio Abbatis fiat cum religiosorum et fidelium, si casus fert, frequentia, die dominico vel festivo, nisi rationes pastorales aliud suadeant.

* Pontificale Romanum ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli Pp. VI promulgatum: Ordo benedictionis Abbatis et Abbatissae, Editio typica Typis Polyglottis Vaticanis 1970, p. 5-8 et 20.

http://www.obrascatolicas.com

2. Benedictio Abbatis de more celebratur ab Episcopo loci in quo exstat monasterium. Sed, iusta interveniente causa et Episcopo loci consentiente, ab alio Episcopo, vel ab alio Abbate, Electus benedictionem recipere potest.

3. Electo assistant duo religiosi sui monasterii.

4. Expedit ut religiosi Electo assistentes, Abbates et religiosi sacerdotes et etiam alii sacerdotes praesentes cum Praelato qui benedictionem confert et cum Electo Missam concelebrent.

5. Si Electus in sua Abbatia et ab alio Abbate benedicitur, hic Electum modo benedictum invitare potest ut praesideat concelebrationi in liturgia eucharistica; secus Praelatus qui benedictionem contulit praesidet concelebrationi; quo in casu Abbas modo benedictus primum locum tenet inter ceteros concelebrantes.

6. Praelatus qui benedictionem confert necnon omnes concelebrantes sacras vestes induunt quae ad Missae celebrationem requiruntur. Electus induit omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam. Religiosi Electo assistentes, si non concelebrant, induunt vestem choralem vel superpelliceum.

7. Benedictio anuli, baculi pastoralis et mitrae, tempore opportuno, ante ipsam benedictionem Electi de more peraguntur.

8. Praeter ea quae ad Missae concelebrationem et ad communionem sub utraque specie ministrandam necessaria sunt, parentur: *a)* Pontificale Romanum; *b)* Regula; *c)* baculus pastoralis; *d)* anulus et mitra pro Electo, si ipsi sunt tradenda.

9. In liturgia verbi Praelatus qui benedictionem confert sedeat in cathedra; Electus vero inter religiosos sibi assistentes in presbyterio, loco aptiore.

10. Benedictio Electi fit de more ad cathedram. Si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Praelato qui benedictionem confert ante altare vel loco aptiore; sedes autem pro Electo et religiosis ei assistentibus sic parentur, ut actio liturgica a religiosis et fidelibus bene conspici possit. [*Sequitur ritus liturgicus*].

III—ORDO BENEDICTIONIS ABBATISSAE

PRAENOTANDA

1. Benedictio Abbatissae fiat cum religiosarum et fidelium, si casus fert, frequentia, die dominico vel festivo, nisi rationes pastorales aliud suadeant.

2. Benedictio Abbatissae de more celebratur ab Episcopo loci in quo exstat monasterium. Sed, iusta interveniente causa et Episcopo loci consentiente, ab alio Episcopo, vel ab aliquo Abbate, Electa benedictionem recipere potest.

3. Electa, cui assistunt duae religiosae sui monasterii, locum obtinet in presbyterio, extra clausuram, ita ut facile ad Episcopum vel Praelatum, qui benedictionem confert, accedere possit, et sacra celebratio ab omnibus, monialibus et fidelibus, videri et participari possit.

4. Praeter ea quae ad Missae celebrationem necessaria sunt, parentur: *a)* Pontificale Romanum; *b)* Regula et anulus, si hic est tradendus; *c)* calix aut calices sufficientis magnitudinis pro communione sub utraque specie ministranda.

5. Benedictio Electae fit de more ad cathedram. Si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Episcopo vel Praelato qui benedictionem confert ante altare vel loco aptiore; sedes autem pro Electa et religiosis ei assistentibus sic parentur, ut actio liturgica a monialibus et fidelibus bene conspici possit.

DE BENEDICTIONE ABBATISSAE

Liturgia verbi

6. Antequam incipiat celebratio, Praelatus cum ministris et clero accedit ad portam clausurae. Electa, cum duabus monialibus sibi assistentibus, exit et locum obtinet in processione ad ecclesiam immediate ante Praelatum.

7. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur ad normam rubricarum.

8. Lectiones sumi possunt sive ex toto sive ex parte vel e Missa diei vel e Missa rituali pro benedictione Abbatissae, iuxta rubricas. [*Sequitur ritus liturgicus*].

Acta S. S. in Notit. 7. (1971) 35-36.

3919

1970 NOV 9.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECL. PART.*

DECLARATIO DE RECURSU ADVERSUS DECISIONEM DICASTERII CURIAE ROMANAE DEQUE MODO PROCEDENDI IN RECURSIBUS SOLVENDIS APUD SIGNATURAM APOSTOLICAM

Quicumque putat se iniuste gravatum actu aliquo administrativo proprii Ordinarii vel Superioris, potest recursum interponere ad competens Dicasterium Curiae Romanae.

Contra decretum quo Dicasterium recursum relicit, pars novum potest interponere recursum ad Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae, «quoties allegetur legis violatio» (*Normae Speciales*, art. 96, n. 1) [LE 3636]. Recursus fit ad normam art. 106 Const. *Regimini Ecclesiae Universae* [LE 3588], et sequitur iter quod *Normae Speciales*, art. 96-123, determinant. Has enim Normas in Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae servandas, ipse Summus Pontifex ad experimentum adprobavit.

Attamen, ex hoc non sequitur quaestionem modo solvendam esse inter Signaturam Apostolicam et Dicasterium quod recursum ipsi exhibitum relecit. Verum est recursum duas supponere partes: recurrentem et resistentem. Pars vero resistens, in casu, non est Dicasterium quod impugnatam decisionem tulit, sed Ordinarius vel Superior qui actum administrativum posuit, ex quo *contentio* orta est.

Recursus Signaturae Apostolicae factus semper communicatur cum Dicasterio quod decisionem dedit, et a quo exigitur ut acta omnia et documenta spectantia ad casum, de quo controvertitur, transmittere indulgeat (*Normae Speciales*, art. 112) [LE 3636].

Recurrens et altera pars possunt in iudicio stare coram Sectione Altera Tribunalis «solummodo per Patronum» (*Normae Speciales*, art. 99, § 1). Si alterutra pars, quavis de causa non constituerit sibi Patronum, «ipse Secretarius ex officio ad nominationem procedit» (*Normae Speciales*, art. 99, § 3). Omnibus adiunctis consideratis, nominatur Patronus persona quae magis idonea ad causam defendendam censetur, eiusque nomen cum parte communicatur.

Perpensis ergo argumentis, quae *hinc inde* a Patrono utriusque partis illustrantur, recursus vel a limine reicitur, si manifesto careat fundamento, vel ad disceptationem admittitur, si fundatus appareat.

Cum ratio pastoralis numquam seiungatur ab iustitiae administratione, Supremum Tribunal saepe nititur ut partes de compositione agant. Ad hunc finem assequendum potest novas exigere informationes ab Ordinario vel a Superiore qui actum administrativum posuit; huiusmodi vero informationes, attento fine pro quo exquiruntur, ad Supremum Tribunal transmitti debent.

In quolibet casu Signatura Apostolica exitum quaestionis statim communicat non modo cum partibus quarum interest, verum etiam cum Dicasterio quod impugnatam decisionem tulit.

* Apoll. 44 (1971) 28-29.

3920

1970 NOV 10.-SIGNATURA APOSTOLICA, RESCR. PART.*

NONNULLAE FACULTATES TRIBUUNTUR CONFERENTIAE EPISCOPALI BELGICAE QUOAD MODUM PROCEDENDI IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS RELATE AD NUMERUM TESTIUM, AD PERITOS ET AD PROCESSUM IN GRADU APPELLATIONIS

1) Ad certitudinem moralem acquirendam, iudiciali depositioni concordi partium fide dignarum, omni specie collusionis absente, vis probativa contra valorem matrimonii deneganda non est, *dummodo saltem unus testis omni exceptione maior habeatur* atque praesumptiones, indicia aliaque adminicula concurrant.

2) Iudex, audito defensore vinculi, de necessitate interrogationis iuratae peritorum iudicat, si eorundem relationes scriptae concordes apertaeque sint, *et dummodo constet de authenticitate subscriptionis peritalis relationis.*

3) Ad mulieris inspectionem corporalem duo gynaecologi vel duae obstetrices ex officio designentur. Quae inspectio, servatis christianae modestiae regulis, peragatur, *praesente aliqua honesta muliere si id, attentis conditionibus loci et moribus populorum, vel iudex prudenter existimaverit vel mulier inspicienda petierit.*

4) Appellatione a defensore vinculi prioris instantiae interposita, iudices secundae instantiae, post debitum examen, interveniente defensore vinculi secundae instantiae, pro natura causae, *aut intra brevissimum terminum, collegialiter sententiam ferant, allatis, saltem summario modo, motivis decidendi,* aut iuxta praxim communem *procedant.*

5) Servatur ius commune canonum 1768, 1769, 1780.

Praeter has immutationes iuris processualis, sequens petitio facta est a Conferentia Episcopali Belgica: «Permittatur Ordinario loci ut, sine praevio recursu ad S. Congregationem, causa inconsummationis immediate instruatur in Curia episcopali ac dein omnia acta et documenta huius causae S. Congregationi transmittantur». S. Congregatio de disciplina Sacramentorum, rescripto diei 7 novembris 1970, gratiam concessit.

Ex sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 10 novembris 1970.—Dinus Card. STAFFA, *Praefectus.* Joannes M. Pinna, *Secr.*

* Conferentiae Episcopali Belgicae, Prot. N. 805/70 V. Tr. C. LEFEVRE, «Il motu proprio 'Causas matrimoniales'», Roma 1972, p. 74. Acta, vide sub die 1971 martii 28: LE 3980.

3921

1970 NOV 16.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 62 (1970) 830-838

Allocutio a Beatissimo Patre, die 16 nov. 1970 Romae habita, in aede Consilii v. d. «Food and Agriculture Organization» (F. A. O.), vigesimo quinto volvente anno ab illo instituto condito, in qua:

LAUDAT FINES ET ACTIVITATEM HUIUS INSTITUTIONIS ET CRITERIA MORALIA IN ILLIS OBTINENDIS ET EXPLICANDIS PROPONIT SEQUENDA

Monsieur le Président, Monsieur le Directeur général, Messieurs:

1. C'est pour Nous une joie profonde —un honneur aussi— de venir porter à notre tour à cette tribune la dette de gratitude et le cri d'angoisse et d'espérance de millions d'hommes, en ce vingt-cinquième anniversaire de la FAO. Quel chemin parcouru depuis ce lointain 16 octobre 1945 où les représentants de quarante-quatre Etats étaient invités à signer l'acte constitutif de l'Organisation des Nations Unies pour l'alimentation et l'agriculture. Les historiens relèveront les réalisations remarquables accomplies par la FAO, son rayonnement progressif, son dynamisme constant, la hardiesse de ses vues, la variété et l'ampleur de son action —car «elle est avant tout une institution faite pour agir»— [1] le courage de ses pionniers, l'amour de l'homme enfin et le sens de la fraternité universelle qui sont les moteurs de ses entreprises. Ils souligneront aussi l'extraordinaire défi qui vous est lancé aujourd'hui: au fur et à mesure que vos efforts progressent et s'organisent, les hommes se multiplient, la misère de beaucoup s'accroît, et, tandis qu'un petit nombre regorge de ressources sans cesse croissantes et diversifiées, une portion toujours plus considérable de l'humanité continue d'avoir faim de pain et d'éducation, d'avoir soif de dignité. La première décennie du développement, il serait vain de se le dissimuler, a été marquée par un certain désenchantement de l'opinion publique devant des espérances frustrées: faudrait-il donc, comme Sisyphe, se fatiguer de
831 rouler le rocher et se laisser aller au désespoir? /

2. Un tel mot ne saurait être prononcé dans cette enceinte, en cette réunion d'hommes tournés vers l'avenir pour l'aménager au service des hommes, quels que soient les obstacles qui se dressent sur le chemin. Notre prédécesseur le Pape Pie XII, au reste, dès sa première rencontre avec la FAO, louait hautement l'ampleur de vues «de votre institution spécialisée pour l'alimentation et l'agriculture, la largeur d'âme qui en caractérise l'économie et l'application, la sagesse enfin et la méthode avisée qui président à sa réalisation» [2]. Son successeur le bon Pape Jean XXIII saisirait à son tour chaque occasion de vous exprimer sa sincère estime [3]. Quant à Nous, Nous avons d'abord connu l'Institut international d'agriculture dans sa modeste résidence de la villa Borghese, avant de voir la FAO «parcourir tout le chemin qui l'a conduite aux magnifiques développements qu'elle connaît aujourd'hui» [4]. Nous n'avons cessé depuis lors de suivre avec sympathie vos initiatives généreuses et désintéressées, en particulier la campagne contre la faim, de rendre hommage à votre activité polyvalente et d'appeler les catholiques du monde entier à y collaborer généreusement, en union avec tous les hommes de bonne volonté [5]. Aujourd'hui, Nous sommes heureux de venir au siège de votre Organisation, sur le territoire même de notre diocèse de Rome, et de rendre ainsi à la FAO les si nombreuses visites faites au Vatican par les participants à vos sessions de travail.

Comment l'Eglise, soucieuse du véritable bien des hommes, pourrait-elle en effet se désintéresser d'une action aussi visiblement dirigée comme la vôtre vers le soulagement des plus grandes détresses et engagée dans un combat sans merci pour donner à chaque homme de quoi manger pour vivre, ce qui s'appelle vivre une véritable vie d'homme, capable, par son travail, d'assurer la subsistance des siens, et apte, par son intelligence, à participer au bien commun de la société, par un engagement librement consenti et une activité volontairement assumée? [6]. C'est à ce plan supérieur que l'Eglise entend vous apporter son 832
adhésion désintéressée pour l'oeuvre grandiose et complexe que vous réalisez: stimuler une action internationale pour fournir à chacun les aliments dont il a besoin, tant en quantité qu'en qualité, et faire ainsi progressivement reculer, avec la famine, la sous-alimentation et la malnutrition [7], éliminer la cause de mainte épidémie, préparer une main-d'oeuvre qualifiée et lui procurer les emplois nécessaires, afin que la croissance économique s'accompagne de ce progrès social sans lequel il n'est pas de véritable développement.

3. Ces buts que Nous approuvons de tout coeur, par quelles méthodes entendez-vous les atteindre? L'étude passionnante, Nous pouvons bien le dire, des nombreux dossiers qui Nous ont été remis sur votre activité multiforme, Nous a révélé la prodigieuse et croissante complexité de votre effort organisé à l'échelle du monde entier. Une utilisation plus rationnelle des ressources physiques de base, une exploitation mieux conçue des terres et des eaux, des forêts et des océans, une productivité accrue des cultures, de l'élevage, de la pêche, fournissent certes des denrées en plus grande quantité et de meilleure qualité. Mais tout aussitôt les besoins alimentaires augmentent, sous la double pression d'une montée démographique parfois galopante et d'une consommation dont la courbe suit la progression des revenus. L'amélioration de la fertilité des sols, l'aménagement rationnel de l'irrigation, le remembrement des parcelles de terrain, la mise en valeur des marécages, l'effort de sélection végétale, l'introduction de variétés de céréales à haut rendement semblent presque accomplir la prévision de l'ancien prophète des temps agraires: «Le désert refleurira» [8]. Mais la mise en oeuvre de ces possibilités techniques à un rythme accéléré ne va pas sans retentir dangereusement sur l'équilibre de notre milieu naturel, et la détérioration progressive de ce qu'il est convenu d'appeler l'environnement risque, sous l'effet des retombées de la civilisation industrielle, de conduire à une véritable catastrophe écologique. Déjà nous voyons se vicier l'air que nous respirons, se dégrader l'eau que nous buvons, se polluer les rivières, les lacs, voire les océans, jusqu'à faire craindre une véritable «mort biologique» dans un avenir rapproché, si des mesures énergiques ne sont sans retard courageusement adoptées et sévèrement mises en oeuvre. Perspective redoutable qu'il vous appartient d'explorer avec soin, pour éviter l'engloutissement du fruit de 833
mil/lions d'années de sélection naturelle et humaine [9]. Bref, tout se tient, et il vous faut être attentifs aux conséquences à grande échelle qu'entraîne toute intervention de l'homme dans l'équilibre de la nature mise dans sa richesse harmonieuse à la disposition de l'homme, selon le dessein d'amour du Créateur [10].

4. Ces problèmes vous sont certes familiers, Nous n'avons voulu les évoquer brièvement devant vous que pour mieux souligner l'urgence et la nécessité d'un changement presque radical dans le comportement de l'humanité, si elle veut assurer sa survie. Il a fallu des millénaires à l'homme pour apprendre à dominer la nature, «à soumettre la terre» selon le mot inspiré du premier livre de la Bible [11]. L'heure est maintenant venue pour lui de dominer sa domination, et cette entreprise nécessaire ne lui demande pas moins de courage et d'intrépidité que la conquête de la nature. La prodigieuse maîtrise progressive de la vie végétale, animale, humaine, la découverte des secrets même de la matière aboutiraient-elles à l'antimatière, et à l'explosion de la mort? En cette heure décisive de son histoire, l'humanité oscille, incertaine, entre la crainte et l'espoir. Qui ne le voit désormais? Les progrès scientifiques les plus extraordinaires, les prouesses techniques les plus étonnantes, la croissance économique la plus prodigieuse, si elles ne s'accompagnent d'un authentique progrès social et moral, se retournent en définitive contre l'homme.

5. Le bonheur est entre nos mains, mais il faut vouloir le construire ensemble, les uns pour les autres, les uns avec les autres, et jamais plus les uns contre les autres. Par delà les réalisations magnifiques de ces vingt-cinq années d'activités, n'est-ce pas l'acquisition essentielle de

[1] FAO, son rôle, sa structure, ses activités, Rome, Pub. FAO, 1970.
[2] Allocution du 21 février 1948, *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, t. IX, Tipografia Poliglotta Vaticana, p. 461.
[3] Cf., en particulier, Encyclique *Mater et Magistra*, 15 mai 1961, *A. A. S.* 53 (1961), p. 439 [LE 2984].
[4] Allocution du 23 novembre 1963 à la 12e Conférence internationale de la FAO; *Insegnamenti di Paolo VI*, t. I, Tipografia Poliglotta Vaticana, 1963, p. 343; cf. *Documentation catholique*, t. 61, Paris, 1964, col. 19.
[5] Cf., en particulier, Encyclique *Populorum Progressio*, 26 mars 1967, n. 46 *A. A. S.* 59 (1967), p. 280 [LE 3546].
[6] Cf., par exemple, R. P. L.-J. Lebret, O. P., *Développement - Révolution solidaire*, Paris, Ed. Ouvrières, 1967.
[7] Cf., par exemple, Josué de Castro, *La faim dans le monde*, Paris, Ed. Ouvrières, 1961.
[8] Cf. *Is.* 35, 1.
[9] Cf. *Cérès*, Revue FAO, vol. 3, n. 3, Rome, mai-juin 1970: *Environnement: les raisons de l'alarme.*
[10] Cf., par exemple, *Ps.* 64, 10-14. [11] *Gen.* 1, 28.

http://www.obrascatolicas.com

votre Organisation: la prise de conscience, par les peuples et leurs gouvernements, de la solidarité internationale? N'êtes-vous pas, parfois sans le savoir, les héritiers de la compassion du Christ devant l'humanité en détresse: «J'ai pitié de cette foule» [12]. Ne constituez-vous pas, par votre seule existence, un puissant démenti à la pensée désabusée de la sagesse antique: «Homo homini lupus» [13]. Non, l'homme n'est pas un loup pour l'homme, il est son frère, son frère compatissant et bienfaisant. Jamais, au long des mil-
834 lénaires de'émouvante aventure humaine, tant de peuples,/ tant d'hommes n'avaient délégué tant de représentants, avec une seule mission: aider les hommes, tous les hommes, à vivre, à survivre. C'est là pour Nous, au milieu de tant de menaces qui dèsent sur le monde, un des meilleurs motifs d'espoir. Ceux qui porteront en l'an 2000 la responsabilité du destin de la grande famille humaire, naissent dans un monde qui a, tant bien que mal, découvert son interdépendance, sa solidarité dans le bien comme dans le mal, son devoir de s'unir, pour ne pas périr, bref «d'oeuvrer ensemble pour édifier l'avenir commun de l humanité» [14]. Puisse un jour prochain votre cercle de famille s'élargir, et les peuples qui manquent encore au rendez-vous s'asseoir eux aussi à votre table, pour que les hommes, enfin, contribuent, tous ensemble, à ce même but désintéressé.

6. Certes la tentation est grande, devant les difficultés à surmonter, de s'employer avec autorité à diminuer le nombre des convives plutôt qu'à multiplier le pain partagé. Nous n'ignorons rien des opinions qui, dans les organismes internationaux, prônent un contrôle des naissances planifié, de nature, croit-on, à apporter une solution radicale aux problèmes des pays en voie de développement.

Nous le répetons aujourd'hui: l'Eglise, pour sa part, en tout domaine de l'agir humain, invite au progrès scientifique et technique, mais en revendiquant toujours le respect des droits inviolables de la personne humaine, dont les pouvoirs publics sont au premier chef les garants. Fermement opposée à un contrôle des naissances qui, selon la juste expression de notre vénéré prédécesseur, le pape Jean XXIII, se ferait par «des méthodes et des moyens qui sont indignes de l'homme» [15], l'Eglise appelle tous les responsables à oeuvrer avec audace et générosité pour un développement intégral et solidaire, qui, parmi d'autres effets, favorisera sans nul doute une maîtrise raisonnée de la natalité par des couples devenus capables d'assumer librement leur destin [16]. Quant à vous, c'est l'homme que
835 vous secourez, c'est l'homme que vous soutenez. Comment pourriez-vous jamais agir contre lui, puisque vous n'existez que par lui et pour lui, et ne pouvez réussir qu'avec lui? /

7. C'est en effet l'une des constantes les mieux assurées de votre action: les plus belles réalisations techniques comme les plus grands progrès économiques sont impuissants à provoquer par eux-mêmes le développement d'un peuple. Pour nécessaires qu'ils soient, le plan et l'argent ne suffisent pas. Leur apport indispensable, comme celui des techniques qu'ils mettent en oeuvre, demeurerait stérile, s'il n'était fécondé par la confiance des hommes, et leur conviction progressivement établie qu'ils peuvent peu à peu sortir de leur condition misérable par un travail dont la possibilité leur est fournie, avec des moyens à leur portée: l'évidence immédiate des résultats suscite, avec une légitime satisfaction, l'engagement décisif dans la grande oeuvre du développement. En définitive, si l'on ne peut à long terme rien faire sans l'homme, on peut, avec lui, tout entreprendre et tout réussir, tant il est vrai que ce sont d'abord l'esprit et le coeur qui remportent les vraies victoires. Dès lors que les intéressés ont la volonté d'améliorer leur sort, qu'ils ne doutent pas de leur capacité d'y parvenir, ils se donnent à cette grande cause, avec tous les trésors d'intelligence et de courage, toutes les vertus d'abnégation et de sacrifice, tous les efforts de persévérance et d'entraide dont ils sont capables.

8. Les jeunes en particulier sont les premiers à se donner avec tout l'enthousiasme et l'ardeur de leur âge à une entreprise qui est à la mesure de leurs forces et de leur générosité. Jeunes des pays riches qui s'ennulent faute d'un idéal digne de susciter leur adhésion et de galvaniser leurs énergies, jeunes des pays pauvres qui désespèrent de ne pouvoir oeuvrer d'une manière utile, faute de connaissances adaptées et de la formation professionnelle requise: nul doute que la conjonction de ces forces juvéniles ne soit de nature à changer l'avenir du monde, si les adultes que nous sommes savent les préparer à ce grand oeuvre, leur en montrer l'enjeu, leur fournir les moyens de s'y consacrer avec succès. N'y a-t-il pas là un projet de nature à susciter l'adhésion unanime de tous les jeunes, riches et pauvres, à transformer leurs mentalités, à surmonter les antagonismes entre les peuples, à remédier aux divisions stériles, à réaliser enfin l'instauration d'un monde nouveau, fraternel, solidaire dans l'effort, parce qu'uni dans la poursuite d'un même idéal: une terre féconde pour tous les hommes?

9. Il y faudrait, certes, beaucoup d'argent. Mais le monde comprendra-t-il, enfin, qu'il y va de son avenir? «Quand tant de peuples ont faim, quand tant de foyers souffrent de la misère, quand tant d'hommes demeurent plongés dans l'ignorance, quand tant d'écoles, d'hôpitaux, d'habitations dignes de ce nom demeurent à construire, tout gaspillage public ou privé, toute dépense d'ostentation nationale ou personnelle, toute course / épuisante aux arme- 836
ments devient un scandale intolérable. Nous Nous devons de le dénoncer. Veuillent les responsables Nous entendre avant qu'il ne soit trop tard» [17]. Comment se défendre en effet d'un sentiment de profonde tristesse devant la tragique absurdité qui pousse les hommes —des nations entières – à consacrer des sommes fabuleuses à des armes de guerre, à entretenir des foyers de discorde et de rivalité, à réaliser des opérations de pur prestige, alors que les sommes d'argent prodigieuses ainsi gaspillées auraient, bien employées, suffi à tirer nombre de pays de la misère? Triste fatalité qui dèse si lourdement sur la race humaine, pauvres et riches pour une fois engagés sur un même chemin! Nationalisme exacerbé, racisme fauteur de haine, appétit de puissance illimité, soif de domination intempérante: qui convaincra les hommes de sortir de pareils errements? Qui osera le premier rompre le cycle de la course aux armements, toujours plus ruineuse, toujours plus inutile? Qui aura la sagesse de mettre un terme à des pratiques aussi aberrantes que le frein apporté parfois à certaines productions agricoles, à cause du manque d'organisation des transports et des marchés? L'homme qui a su domestiquer l'atome et vaincre l'espace saura-t-il enfin maîtriser son égoïsme? L'UNCTAD –Nous voulons l'espérer – réussira à faire cesser ce scandale de l'achat, à des prix minimes, de la production des pays pauvres par les pays riches, qui vendent eux-mêmes bien cher leurs produits à ces mêmes pays pauvres. C'est toute une économie, trop souvent marquée par la puissance, la gaspillage et la peur, qu'il faut convertir en une économie de service et de fraternité.

10. Devant les dimensions mondiales du problème, il ne peut y avoir de solution adaptée qu'au plan international. Ce disant, Nous n'entendons nullement bannir le nombreuses et généreuses initiatives privées et publiques —qu'il nous suffise de citer notre inlassable *Caritas internationalis*— dont l'éclosion spontanée tient en éveil et stimule tant de bonnes volontés désintéressées, bien au contraire. Mais, Nous le disions déjà à New York, avec la même conviction que notre vénéré prédécesseur Jean XXIII dans son encyclique *Pacem in terris*: «Qui ne voit la nécessité d'arriver ainsi progressivement à instaurer une autorité mondiale en mesure d'agir efficacement sur le plan juridique et politique?» [18] Vous l'avez du reste compris, en vous engageant dans ce Plan indicatif mondial pour le développement agricole (PIM) dont le projet intègre l'ensemble des pers/pectives en ce domaine dans une prospective 837
aux dimensions mondiales. [19] Nul doute que des accords librement consentis entre Etats n'en favorisent la mise en oeuvre. Nul doute aussi que le passage d'économies de profit égoïstement cloisonnées à une économie solidaire des besoins volontairement asumés ne requière l'adoption d'un droit international de justice et d'équité, au service d'un ordre universel vraiment humain [20].

Il faut donc oser, avec audace et persévérance, hardiesse et alacrité. Tant de terres sont encore en friche, tant de possibilités inexplorées, tant de bras inoccupés, tant de jeunes désoeuvrés, tant d'énergies gaspillées. Votre tâche,

[12] *Matth.* 15, 32. [13] Plaute, *Asinaria*, II, 4, 88.
[14] Cf. appel à Bombay, le 3 décembre 1964, *A. A. S.* 57 (1965), p. 132, repris par l'Encyclique *Populorum Progressio*, n. 43, *A. A. S.* 59 (1967), pp. 278-279 [LE 3345].
[15] Encyclique *Mater et Magistra*, *A. A. S.* 53 (1961), p. 447.
[16] Cf., par exemple, J.-M. Albertini, *Famine, contrôle des naissances et responsabilités internationales*, dans *Economie et Humanisme*, n. 172, Lyon, 1966, p. 1-10; P. Pravreland, *Les Pays nantis et la limitation des naissances dans le Tiers-Monde*, dans *Développement et Civilisation*, n. 39-40, Paris, 1970, pp. 1-40.

[17] Encyclique *Populorum Progressio*, n. 53, *A. A. S.* 59 (1967), p. 283.
[18] Allocution à l'Assemblée générale de l'ONU, le 4 octobre 1965, *A. A. S.* 57 (1965), p. 880 [LE 3322].
[19] Cf. *Une stratégie de l'abondance*, Collection FAO, L'alimentation mondiale, Cahier n. 11, Rome, 1970.
[20] Cf. M. F. Perroux, *De l'usurpe des nations à une économie du genre humain*, dans 39e Semaine Sociale de France, *Richesse et Misère*, Paris, Gabalda, 1952, pp. 195-212.

votre responsabilité, votre honneur, seront de féconder ces forces latentes, de réveiller leur dynamisme et de l'orienter au service du bien commun. C'est dire l'ampleur de votre rôle et sa grandeur, c'est dire son urgence et sa nécessité. Auprès des hommes d'Etat responsables, des publicistes, des éducateurs, des hommes de science comme des fonctionnaires, auprès de tous, il vous faut inlassablement promouvoir l'étude et l'action, à l'échelle du monde, cependant que tous les croyants y ajoutent la prière à «Celui qui donne la croissance, Dieu» [21]. Déjà d'importants résultats apparaissent, hier encore inespérés, mais aujourd'hui garants d'un solide expoir: qui, ces derniers jours, n'a salué comme un symbole l'attribution du prix Nobel de la paix à Norman Borlaug, «le père de la révolution verte», comme on l'appelle? Ah certes, si toutes les bonnes volontés se mobilisaient à travers le monde dans une pacifique conspiration, la tentation tragique de la violence pourrait alors être surmontée!

11. Plus d'un, peut-être, hochera la tête devant pareilles perspectives. Permettez-Nous pourtant de le dire sans ambages, au plan humain, moral et spirituel qui est le nôtre: aucune stratégie, d'ordre mercantile ou idéologique, n'apaisera la plainte qui monte, de tous ceux qui souffrent «d'une misère imméritée» [22], comme des jeunes dont «la protestation retentit comme un signal de souffrance et comme un appel de justice» [23]. Si la nécessité, si l'intérêt sont pour les hommes des mobiles d'action puissants, souvent déterminants, la crise actuelle ne saurat être surmontée que par l'amour. Car, si «la justice sociale nous
838 fait respecter le bien commun, / la charité sociale nous le fait aimer» [24]. «La charité, c'est-à-dire l'amour fraternel, est le moteur de tout le progrès social» [25]. Jamais des préoccupations d'ordre militaire ni des motivations d'ordre économique ne permettront de satisfaire aux graves requêtes des hommes de notre temps. Il y faut l'amour de l'homme: l'homme se dévoue pour l'homme, parce qu'il le reconnaît comme son frère, comme le fils d'un même Père, —le chrétien ajoute: comme une image du Christ souffrant, dont la parole ébranle l'homme en ses profondeurs les plus secrètes: «J'ai eu faim et vous m'avez donné à manger...» [26]. Cette parole d'amour est la nôtre. Nous vous la livrons humblement comme notre trésor le plus cher, la rampe de la charité dont le feu brûlant dévore les coeurs, dont la flamme ardente éclaire le chemin de la fraternité et guide nos pas sur les sentiers de la justice et de la paix [27].

[21] 1 *Cor.* 3, 6-7. [22] Encyclique *Populorum Progressio*, n. 9, *A. A. S.* 59 (1967), p. 261.
[23] Discours prononcé à Genève, pour le 50e anniversaire de l'OIT, le 10 juin 1969, *A. A. S.* 61 (1969), p. 502 [LE 3759].
[24] R. P. J.-T. Delos, O. P., *Le bien commun international*, dans 24e Semaine Sociale de France, *Le désordre de l'économie internationale et la pensée chrétienne*, Paris, Gabalda, 1932, p. 210.
[25] Cardinal P.-E. Léger, dans *Le pauvre Lazare est à notre porte*, Paris Montréal, SOS-Fides, 1967, p. 13. [26] *Matth.* 25, 35. [27] *Ps.* 85, 11-14.

3922

1970 NOV 17.-SIGNATURA APOST., DECISIO. PART.*

NULLITATIS MATRIMONII - INDICENTIS: DE IURE APPELLANDI A PRONUNCIATIONE CIRCA EXPENSAS ET, SUBORDINATE, DE CAUSAE COMMISSIONE AD S. R. ROTAM

FACTI SPECIES.—Titius, actor in causa, nullitatem sui matrimonii accusavit; sed mulier conventa sese opposuit intentioni viri.

Tribunal primae instantiae sententiam *affirmativam* tulit. Adversus hanc sententiam tum conventae Patronus, tum vinculi Defensor ligitimam interposuerunt appellationem apud Tribunal diocesanum secundae instantiae.

Interim actor quoque per suum Patronum appellavit ad S. R. Rotam *a pronuntiatione circa expensas*, simulque petiit ut Apostolicum Tribunal *etiam de merito* seu de nullitate sui matrimonii in secundo gradu cognosceret, confirmando sententiam primi gradus.

Tribunal vero S. R. Rotae decreto diei 5 martii 1970 reiecit actoris petitionem; consequenter appellatio prosequenda est ad Tribunal dioecesanum secundae instantiae.

Adversus hoc decretum actoris Patronus recursum interposuit ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, petens «ut, considerata violatione legis, Decretum illud informetur et declaretur totam causam, sive *de merito* sive *de expensis*, pertractadam esse apud Tribunal R. S. Rotae.

Nihilominus, ex copia, ut vocatur, tutiorismi, infrascriptus exponit petitionem subordinatam *ex gratia*».

Promotor Iustitiae-vinculi Defensor Supremi Tribunalis votum exaravit, et quidem sensu *negativo*, quoad utrumque. Actoris Patronus tamen respondit insistendo in sua petitione, idest de iure appellandi a pronuntiatione circa expensas et, subordinate, de causae commissione ad S. R. Rotam.

IN IURE ET IN FACTO.—Actoris Patronus asserit recursum ab ipso factum duplicem habere respectum: unum *iuris processualis*, alterum subordinatum *gratiae* seu commissionis ad S. R. Rotam.

I. Sub respectu *iuris* argumenta Patroni ad haec reducuntur:

a) In causis matrimonialibus ius appellandi non modo vinculi Defensori seu parti succumbenti competit, verum etiam *actori*, qui in prima instantia obtinuit sententiam sibi favorabilem seu declarationem nullitatis, quia prima sententia affirmativa non habet plenum effectum nisi per alteram sententiam confirmetur. Ideo non est deneganda actori vincenti facultas prosequendi ius suum in iudicio.

b) Actor, victor in causa principali, qui putat se gravatum esse decisione circa expensas, potest appellare adversus hanc decisionem; sed haec *appellatio partialis* secumfert appellationem etiam adversus *causam principalem* seu de nullitate vel minus matrimonii. Consequenter, appellatio in casu ad S. R. Rotam adversus decisionem de expensis, praevalere debet super appellationem factam ad Tribunal dioecesanum circa causam principalem; aliis verbis, S. R. Rota etiam causam principalem in secundo gradu cognoscere debet.

Nec obstat can. 1913 et art. 236 Instructionis *Provida Mater* [LE 1347], qui dicunt: «A pronuntiatione circa expensas non datur *distincta appellatio*; sed pars quae se gravatam putat, *oppositionem* intra decem dies facere potest coram eodem iudice... Appellatio a sententia circa causam principalem secumfert appellationem a pronuntiatione circa expensas»; nam huiusmodi normae valent quando decisio transit in rem iudicatam vel quasi iudicatam, non autem quando sententia nondum est definitiva quoad meritum. In hoc postremo casu, appellatio contra expensas sequitur normas communes de appellatione, et necessario secumfert appellationem etiam adversus causam principalem; secus, iudex primi gradus cognosceret et decerneret de expensis, iudex autem alterius gradus de merito causae videret, quod iuridice esset aliquid «monstruosum».

Nec dicatur appellationem de expensis esse quid accessorium respectu appellationis de merito causae, eiusque sedem sequi debere. Hoc valet pro parte quae appellat de merito causae, non vero pro altera parte, nisi haec suam propriam appellationem proponat. Actor victor in casu, ut remedium seu favorem appellationis de expensis obtinere possit, debet ipse appellationem interponere, quod fecit in forma appellationis principalis apud S. R. Rotam, et non incidenter (sicut quoque poterat), apud Tribunal dioecesanum.

Immo, etiam si incidenter solummodo proposuisset appellationem contra decisionem de expensis coram S. R. Rota, cum haec suapte natura sit vera appellatio in causis matrimonialibus, vi privilegii huius Tribunalis, actor ius habet petendi ut omnes appellationes devolvantur S. R. Rotae.

Praeterea, inter appellationem de expensis et appellationem circa meritum causae adest conexio causarum; porro, ad normam can. 1567 causae inter se conexae «ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt». Iam autem, in casu, iste *unus idemque iudex* debet esse S. R. Rota, et non iudex dioecesanus secundi gradus, sive ratione praeventionis, sive et praesertim ratione dignitatis et naturae Tribunalium.

Hisce tamen non obstantibus. Turnus rotalis reiecit actoris petitionem. Re quidem vera:

1. Appellatio est remedium ordinarium *contra sententiam*, illi parti concessum, quae se *gravatam* putat ex ipsa sententia; ideoque appellatio interponitur non ad confirmandam sententiam — quod esset contra instituti appellationis naturam —, sed ad illam *infirmandam* vel *reformandam*, et praecise ad vitandum gravamen. Ideo pars quae obtinuit sententiam favorabilem, non potest remedio appellationis uti petendo sententiae reformationem, nam ageret contra seipsam (cfr. can. 1879 et art. 212 Instr. *Provida Mater*).

Verum est quod actoris victoria, post unam sententiam favorabilem, est partialis tantum, quia in causis matrimonialibus duplex sententia conformis pro effectu pleno requiritur; sed ex hoc minime sequitur actorem habere facultatem prosequendi ius suum in iudicio, quia lex ipsa obligationem appellandi vinculi Defensori imponit, qui, si suum officium negligat, auctoritate iudicis compellendus est (can. 1968 et art. 212, § 2 Instructionis). Immo etiam actor victor exigere potest ut vinculi Defensor appellationem interponat, sic ius suum continuatum in iudicio vindicans.

Ex art. 216, § 3 Instructionis sat clare apparet quod in causis matrimonialibus *appellatus* petere nequit ut causa extans apud Tribunal secundae instantiae ob interpositam appellationem a parte succumbente, transmittatur ad aliud Tribunal appellationis et praecise ad S. R. Rotam. Equidem, solummodo «*parti*, quae ad tribunal appellationis dioecesanum tempore utili provocavit, ius est petendi ut de sua appellatione videat S. R. Rota... nisi tamen a tribunali appellationis dioecesano citationes iam legitimae factae fuerint. Itidem dicendum de vinculi defensore». Unde transmissio causae (quae

http://www.obrascatolicas.com

legitime extat apud aliquod tribunal appellationis) ad aliud tribunal appellationis non conceditur parti *appellatae*.

2. Quod actor victor in casu non habeat ius appellandi ad S. R. Rotam adversus decisionem de expensis, nec possit petere ut etiam appellatio circa causam principalem huic Tribunali devolvatur, sat clare eruitur e praescripto can. 1913 et art. 236 Instructionis, quod applicationem habet etiam quando sententiam nondum est definitiva quoad meritum; canon enim et articulus citati nullam faciunt distinctionem, et ideo admittunt appellationem adversus sententiam principalem, qua haec nondum transiit in rem iudicatam vel quasi iudicatam: seu «a pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio»; ergo praescriptum canonis *valet* quando sententia nondum est definitiva quoad meritum (Cfr. J. Noval, *De processibus*, p. 452, n. 693; F. Roberti, *Codicis I. C. Schemata*, Lib. IV, p. 460-461).

Consequenter non est iuridice «monstruosum», si iudex «ad quem» agit de appellatione, iudex vero «a quo» suam reconsiderat pronuntiationem circa expensas, quia agitur de quaestione incidente, a qua non admittitur distincta appellatio. Causa de expensis non potest considerari a iudice appellationis, nisi appellatio de expensis facta fuerit una simul cum appellatione a sententia circa causam principalem, sed non independenter ab ista. Ex altera parte, appellatio circa expensas facta a reo, propter appellationem circa causam principalem, prodest quoque actori (cfr. can. 1887, § 1), ita ut «iura quae actor expertus est et est prosecutus in prima instantia, eadem experitur et prosequitur in altera sive sit appellans sive sit appellatus» (Lega-Bartocetti, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, vol. II, p. 999, n. 1).

3. Ex supradictis sequitur argumentum ex conexione causarum desumptum, non habere fundamentum, cum appellatio circa expensas, distincta ab appellatione circa causam principalem, non admittatur. Quam ob rem, si actor victor non potest appellare ad S. R. Rotam circa expensas, logice non potest hanc appellationem invocare pro delatione *causae principalis* ad idem Tribunal. Obstaret etiam principium quod «appellatio incidentalis semper sequitur substantialem et, ideo in eadem sede pertractanda, non autem apud aliud Tribunal, licet superius» (I. Torre, *Processus matrimonialis*, p. 419).

Cum ergo in casu non constet legis praescriptum evidenter neglectum fuisse (can. 1905, § 4), recursus adversus Decretum rotale sub aspectu iuris processualis admitti nequit.

II. Sub respectu *gratiae*, actoris Patronus putat quod «non ob mera motiva opportunitatis seu convenientiae, sed quasi ex iustitia» causae commissio ad R. S. Rotam admitti debeat, eo quod Tribunal Apostolicum, si non in littera et praescripto legis, saltem in eius spiritu et merito praevalere debet Tribunali dioecesano ratione hierarchiae.

Haec tamen ratio non est nimis urgenda, cum semper Tribunalium ordo servandus sit. Ideo, si appellatio ab aliqua sententia legitime interposita fuerit ad Tribunal dioecesanum, non sufficit invocare dignitatem alterius Tribunalis, eo quod sit Apostolicum, ut causa ab illo auferatur et huic committatur.

Instat actoris Patronus quod ambae partes non videntur fidere Tribunalibus inferioribus; attentis praeterea sive moris quibus causae apud Tribunal dioecesanum pertractantur, sive iure Tribunalium Sedis Apostolicae videndi in omnibus quaestionibus in secunda instantia, sufficiens ratio haberetur ut petita Commissio concedatur.

Sed mulier conventa credit Tribunali dioecesano, ideoque sese opponit delationi causae. Tribunal dioecesanum moneri potest, ut expeditius procedat. S. R. Rota ius habet videndi de omnibus quaestionibus in secunda instantia, interposita tamen legitima appellatione, et de hoc in casu disputatur, quia mulier conventa ad Tribunal appellationis dioecesanum tempore utili provocavit, et modo declarat: «Io non intendo per nulla rinunciare al Tribunale diocesano, anche per le seguenti ragioni», idest: desiderat ut testes magni momenti directe, non per rogatorias, audiantur; ipsa autem, paupertatis causa, non potest Romam adire et matrimonii validitatem defendere.

Ideo, rationes ab actoris Patrono allatae pro causae commissione ad S. R. Rotam non videntur sufficientes.

Decisio.—In Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto die 17 novembris 1970, proposito recursu a patrono partis actricis in causa de qua supra, adversus decretum a S. R. Rota die 5 martii 1970 latum circa appellationem in eadem causa necnon subordinata petitione ab eoden patrono exhibita ad causae Commissionem S. R. Rotae obtinendam, decretum est: *Recursum reiciendum esse et Commissionem concedendum non esse.*

* Apoll. 44 (1971) 19-24.

3923

1970 NOV 21.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 62 (1970) 810-813

Patrum Cardinalium aetas ad maioris momenti munera exercenda statuitur

PAULUS PP. VI

Ingravescentem aetatem inter et aptitudinem ad quaedam maioris momenti officia, veluti Episcopi dioecesani

et parochi, implenda naturalis ratio intercedens a Concilio Oecumenico Vaticano II tractata est in Decreto a verbis *Christus Dominus* incipiente [1]; atque Nosmet ipsi, vota Patrum Concilii ad effectum deducentes, per Apostolicas Litteras *Ecclesiae Sanctae*, die vi mensis Augusti anno mcmlxvi motu proprio datas Episcopos et parochos invitavimus, ut munere regendae dioecesis aut paroeciae *non ultra expletum septuagesimum quintum annum* sponte se abdicarent [2].

Eadem res ad aetatis annos spectans in Generali Ratione Romanae Curiae administrandae, vulgo *Regolamento Generale della Curia Romana* appellata, attingitur, quam die xxii mensis Februarii anno mcmlxviii approbavimus edique iussimus, ubi statuitur, ut Officiales maiores et minores septuagesimo anno expleto, Praelati vero Superiores septuagesimo quinto anno inito de munere decedant [3].

Nunc vero supremum Ecclesiae bonum videtur Nobis exposcere, ut ingravescens aetas consideretur etiam quod ad praeclarum officium Cardinalium attinet, cui non semel peculiares curas impendimus. Re quidem vera est officium, cuius partes sunt speciali modo graves multumque prudentiae postulantes, sive propter singularem omnino coniunctionem cum summo Nostro munere ad totius Ecclesiae servitium pertinente, sive propter gravissimum momentum, quod, Sede Apostolica vacante, eidem officio pro universa Ecclesia accedit.

Itaque, omnibus diu et mature perpensis, semperque con/siliis et precibus cunctorum, sine discrimine, Patrum 811
Cardinalium in posterum etiam fidentes, haec, quae sequuntur, statuimus:

I. Patres Cardinales sive Dicasteriis Curiae Romanae (de quibus in art. 1 Rationis Generalis Romanae Curiae seu *Regolamento Generale della Curia Romana* agitur) sive ceteris permanentibus Apostolicae Sedis et Civitatis Vaticanae Institutis praepositi rogantur, ut, cum septuagesimum quintum aetatis annum expleant, renuntiationem ab officio sua sponte Summo Pontifici exhibeant, qui, omnibus in unoquoque casu rite consideratis, iudicabit, num renuntiationem statim accipere conveniat.

II. Patres Cardinales, cum octogesimum aetatis annum conficiunt:

1) desinunt esse Membra Dicasteriorum Romanae Curiae ceterorumque Institutorum, quae in superiore articulo memorantur;

2) ius amittunt Romanum Pontificem eligendi atque adeo etiam ius in Conclave ingrediendi. Si quis vero Cardinalis inter Conclave octogesimum aetatis annum compleat, iure Romanum Pontificem eligendi frui hac vice pergit.

III. Quae superioribus articulis I et II, n. 1) statuuntur, vim obtinent etiam, cum quinquennium, de quo in art. 2, § 5 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae universae* agitur [4], nondum est absolutum.

IV. Praescriptum art. II, qui supra dictus est, iis pariter Patribus Cardinalibus applicatur, qui, expleto octogesimo aetatis anno, pergant, in modum exceptionis, dioecesi alicui praeesse aut solum eius titulum, absque regendi munere, servare.

V. Patres Cardinales, licet octogesimum aetatis annum confecerint, Membra manent Sacri Collegii, ad ceteros omnes effectus quod attinet, et cuncta cetera iura et praerogativas / cum Cardinalis officio coniuncta retinent, 812
non excepta facultate participandi generales vel particulares Congregationes, quas, Sede Apostolica vacante, ante Conclavis initium haberi contingit.

VI. Quodsi propter extraordinaria rerum adiuncta accidit, ut Cardinalis S. R. E. Camerarius et Cardinalis Paenitentiarius Maior usque ad octogesimum aetatis annum in munere suo pergant versari, haec statuuntur:

1) si octogesimus annus completur tempore mortem Romani Pontificis praecedente, quo tamen utriusque successor nondum sit nominatus, aut tempore mortem eiusdem Romani Pontificis insequente et ante Conclavis initium, Sacrum Collegium, Sede Apostolica vacante rite congregatum, successorem per suffragia eligit, qui in munere manebit usque ad electionem novi Summi Pontificis;

2) si autem octogesimus annus expletur inter Conclave, munus ipso iure usque ad electionem novi Summi Pontificis prorogatur.

VII. Si Decanus Sacri Collegii Conclavi non interest eo quod octogesimum aetatis annum confecit, eius muneris

[1] Cf. nn. 21 et 31: *A. A. S.* 58 (1966), p. 683 et p. 690 [LE 3332].
[2] Cf. nn. 11 et 20, § 3: *A. A. S.* 58 (1966), p. 763 et pp. 768-769 [LE 3457].
[3] Cf. art. 101, § 1: *A. A. S.* 60 (1968), p. 161 [LE 3629].
[4] Cf. *A. A. S.* 59 (9671), p. 891 [LE 3588].

partibus in Conclavi fungitur Subdecanus aut, si hic etiam abest, alius ex antiquioribus Cardinalibus secundum generalem ordinem praecedendi.

VIII. Ratio similis ei, quae praecedente art. VII continetur, sequenda erit, si casus ferat, in exercendis muneribus, quae tribus Cardinalibus Ordinum Capitibus in Conclavi iure tribuuntur.

Norma temporaria. Iis, qui nunc sunt Membra Sacri Collegii et octogesimum aetatis annum iam compleverunt quo die hae Litterae Apostolicae vigere incipient, pergere licebit, si id cupiant, interesse cum iure suffragii, Congregationibus plenariis et ordinariis Romanae Curiae Dicasteriorum.

Ea autem, quae per has Apostolicas Litteras decrevimus, a Kalendis Ianuariis anno mcmlxxi vigere incipient.

Quae igitur a Nobis hisce Litteris motu proprio datis
813 de/creta sunt, ea omnia rata ac firma esse iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxi mensis Novembris, anno mcmlxx, Pontificatus Nostri octavo.—Paulus PP. VI.

3924

1970 NOV 28.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

Nullitas matrimonii inter Orthodoxos absque ritu sacro initi declaratur, et modus procedendi in iisdem similibusque causis statuitur

Decisio.—Paulo Papa VI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno viii, die 28 novembris 1970, Patres Cardinales membra Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, in eiusdem sede legitime congregati ad decidendam causam nullitatis matrimonii inter D.num N. N. et D.nam N. N., ambo orthodoxos ritus byzantini-romeni, coram magistratu civili tantum initi, proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii ob defectum formae seu ritus sacri, in casu*, respondendum decreverunt atque respondent: *Affirmative*, seu *constare de nullitate matrimonii ob defectum formae* seu *ritus sacri, in casu.*

SSmus autem D. N. Paulus, Divina Providentia Papa VI, in audientia diei 28 decembris 1970 Cardinali Praefecto Supremi Tribunalis concessa nihil obstare declaravit quominus publicetur decisio a Signatura Plenaria die 28 novembris 1970 lata, iuxta quam invalida habenda sunt matrimonia inter orthodoxos inita absque interventu ministri sacri adsistentis ac benedicentis.

Quoad autem applicationem huius decisionis perpendendae sunt uniuscuiusque casus circumstantiae, praesertim an revera defuerit benedictio sacerdotis et, quatenus defuerit, an defectus benedictionis sacerdotis tribuendus sit impossibilitati inveniendi sacerdotem.

Cum Supremo Tribunali plures Excmi Ordinarii de ratione procedendi in similibus casibus instructiones petierint, eisdem responsum fuerat exspectandam esse decisionem supra relatam. Qua obtenta Supremum Tribunal litteras misit quae infra referuntur.

«Hisce adiunctum litteris mitto Excellentiae Tuae exemplar huius decisionis, quam istud Tribunal sequi potest in causa de qua supra definienda, prae oculis tamen habens quae SSmus in audientia infrascripto die 28 decembris 1970 impertita, statuere ad rem dignatus est.

«Animadvertatur insuper oportet huiusmodi causas processu ordinario pertractandas esse: i.e. praevia citatione partium et dubii concordatione, excutiantur eaedem partes, audiantur testes si qui sint, colligantur documenta. In causa instruenda inquiratur praesertim an matrimonium celebrari potuisset coram sacerdote citra grave incommodum. Expleta instructoria, causa discutiatur inter partium patronos et defensorem vinculi, dein ad sententiam deveniatur, quae si pro nullitate matrimonii feratur, executioni ne mandetur, nisi antea obtenta fuerit approbatio Signaturae Apostolicae. Hunc in finem, post latam sententiam pro nullitate matrimonii, praevio voto defensoris vinculi, exemplar authenticum actorum et sententiae ad hoc Supremum Tribunal quam citius mittatur.—Dinus Card. Staffa, *Praef.* Ioannes M. Pinna, *a secretis.*

* Apoll. 44 (1971) 24-25. Adn. J. Weitzel in AKKR 139 (1970) 482-492; O. Robleda in PrM 61 (1972) 98-102.

3925

1970 DEC 1.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

Crediti et damnorum:
De commissione causae Sacrae Romanae Rotae

Facti species.—Domina E. C. affirmat se esse creditricem Ordinis X pro summa X, prout haeredem defuncti sui patris, qui «olim» mutuum concessit sodali M. istius Ordinis, titulo activitatis missionariae quam explebat qua commissarius Provinciae L. V. sui Ordinis. Idem sodalis M., elevatus ad dignitatem Vicarii Apostolici et Episcopi, post breve tempus, officio renuntians, dicitur admisisse summam initialem, non restitutam, integrandam fuisse cum calculo anatocistico proventuum maturatorum a die concessi mutui, et pro tempore, interesse annuum 10 % concedendum esse pro nova summa concordata. Idem Episcopus M. asseritur plures tentavisse vias ut obtineret a Suo Ordine restitutionem summae pro qua agnoscebat E. C. esse creditricem. Quibus tentaminibus frustra peractis, Episcopus M. interpellavit S. C. de Religiosis. Ordo nolebat agnoscere debitum, et, ad summum, considerabat tamquam onere obligatum Vicariatum Apostolicum, in cuius favorem mutuum dicebatur contractum. Agnita difficultate solvendi casum, S. C. de Religiosis concessit Episcopo M. licentiam conveniendi Ordinem suum coram S. Romana Rota. Episcopus M. mortuus est antequam istam actionem incipere potuerit. Unde E. C. convenit Ordinem X, coram S. R. Rota in persona Supremi Moderatoris. S. R. Rota autem in limine litis reiecit actionem «ob certam N. S. T. incompetentiam» quia «si assertum ius probaretur, pars conventa non esset Supremus Ordinis X Moderator» et «actio instituenda esset coram P. Provinciali Provinciae L. V.»

Contra decisionem rotalem E. C. fecit recursum ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae petens «aperitionem oris» vel Commissionem Pontificiam, ut liceat convenire Ordinem X apud S. R. Rotam.

In Iure et in Facto.—Casus solvendas praebet duas quaestiones arcte inter se conexas, prima refertur ad succesiva negotia iuridica quae primum pater actricis et postea ipsa contraxissent cum sodali, postea Episcopo M., altera respicit competentiam ad diiudicandum casum.

a) Iuxta normam can. 1529 C.I.C., condiciones validitatis et probatio contractus de mutuo reguntur legislatione civili loci in quo contractus stipulatur, salvis dispositionibus canonicis quae exigunt tutelas particulares pro personis moralibus et praevident tutelam aequitativam tertii.

In specie, lex loci quae regit actum, constituitur complexu normarum civilium italicarum circa materiam et peculiaribus dispositionibus statutis in vigente legislatione concordataria. Codex civilis italicus definit mutuum: «un contratto col quale una parte consegna all'altra una determinata quantità di danaro o di altre cose fungibili, e l'altra si obbliga a restituire altrettante cose della stessa specie» (art. 1813, 1814).

Talis contractus, in genere, non requirit formam iuridicam particularem quoad validitatem et quoad probationem, implicat tantum certitudinem de re fungibili realiter concredita cum animo hanc dandi pro mutuo (Fragali, *Del Mutuo*, in *Commentario del Codice Civile*, Scialoja - Branca, Bologna-Roma 1967, pp. 168, 171).

Forma scripta in re contractus de mutuo vel aliae sollemnitates possent requiri tantum ob motiva suae naturae extrinseca et quae ad contractum pertinent ob rationes mere formales, sicut, v.g., specialis qualificatio iuridica subiectorum contrahentium et modus determinatarum obligationum pecuniariarum (Fragali, *o.c.*, p. 168 s).

Specialis qualificatio subiecti urget quando unus vel ambo contrahentes sunt personae morales canonicae qua tales admissae in regimine civili Italiae. Re vera, quia autonomia administrativa talium subiacet disciplinae concordatariae (art. 30 Concordati, art. 9 s. Legge 27-5-1919 n. 848 art. 18 ss. R. D. 2-12-1929 n. 2262), personae morales canonicae obligatione tenentur servandi, in stipulando tali genere contractuum, iuridicas sollemnitates quae deducuntur ex composita littera citatorum articulorum legislationis concordatariae et canonum: 100 § 3, 532, 534, 1527, 1531 s., 1543 C.I.C.

In praxi requiritur saltem documentum scriptum, sive privatum sive publicum, redactum modo apte descripto et delimitato, ut valeat constituere titulum certum et inoppugnabilem, quo constet declarationem negotii in eo contenti vere esse imputabilem enti, cuius nomine fuit expressa et subsignata. Peculiaris tutela publica qua gaudent personae morales canonicae in virtute classici principii: «minoribus aequiparantur» (can. 100, § 3, 1687, 1688 C.I.C.), exigit debitum gradum certitudinis circa obligationes, eorum nomine contractas; quae certitudo in tuto ponitur sollemnitatibus iuridicis quae modo et institutionali et statutario (can. 531, 532, 534, 536, 1527, 1531, 38, 56 C.I.C.) in tuto ponunt «interesse» personae moralis et quoad proprios administratores et quoad tertios extraneos, quibus simul procurant medium certum, idoneum ad exigendum a persona morali executio-

http://www.obrascatolicas.com

nem obligationum suo nomine contractarum. Insuper, ad tuenda iura personae moralis canonicae agnitae in Italiae ordine civili, qualecumque documentum successivum, suppletivum documenti originalis stipulantis contractum, ut valeat constituere recognitionem debiti, omnino redigendum est iuxta compositas clausulas art. 1988 et 2720 cod. civ. ital. et can. 1817 C. I. C.; et, qua constituit veram declarationem negotialem (Messineo F., *Manuale di Diritto Civile e Commerciale*, Milano 1957, I, parag. 48, p. 645), subscribendum est a persona verificante condiciones de quibus in art. 2431 cod. civ. ital., ut agnitio istarum obligationum imputabilis sit ipsi personae morali. Quae formalitates semper necessariae, strictius adhuc urgent, si admissioni debiti adiungitur modificatio substantialis contractus originarii, sicut v.g. *pactum calculi anatocistici* proventuum maturatorum non solutorum (art. 1283 cod. civ. ital.) et calculus proventuum relativorum novae summae capitalis statutorum cum taxa superante taxam legalem (art. 1284, cod. civ. ital.); talis enim actio constituit novam *dispositionem negotialem*.

Attamen, habita ratione principii aequitatis (can. 20, 1529 C.I.C.), defectus formalitatum iuridicarum necessariarum, etiam si excindit imputabilitatem personae morali *declarationis negotialis* illegitime nomine suo expressae, non tamen praejudicat, in damnum tertii, obligationem forte exortam in eadem persona morali propter realia beneficia quae ipsi procuravit haec eadem *declaratio negotialis*. Tertius nempe semper invocare potest beneficium «actionis de in rem verso» contra personam moralem (can 536 § 4 e 1527 § 2 C.I.C.) duplici titulo sive negotiorum gestionis (art. 2028 s. cod. civ. ital.; Lega, *Commentarias in iudicia ecclesiastica*, I, Romae 1950, p. 314 s) sive divitiarum augmenti sine causa (art. 2041 s. cod. civ. ital.; Lega, *op. cit.*, p. 313; Reg. iuris 48 in VI).

b) Ad mentem can. 1609, § 1, iudex non potest «in limine litis» declarare propriam incompetentiam, si talis declaratio involvit, etiam si solum implicite, iudicium de merito et si, in omni casu, subsistit dubium, etiam si solum modo praeliminari et per incidens, solubile unice per contradictorium inter partes. Quod obtinet: 1) ubi, etsi subsistit sufficiens fumus boni iuris, qualificatio litis indicatur in libello modo nimis generico (can. 1708 § 2 C.I.C.); 2) ubi, forsan hypothetice tantum, valere posset competentia peculiaris, diversa ab ea invocata in libello introductorio (can. 1708 § 1 C.I.C.), qualis est competentia tribunalium religiosorum (can. 1579 § 3 C.I.C.; Roberti, *De processibus* I, in Civitate Vaticana 1956 pp. 198, 199: «Tribunalia religiosorum inniturntur in exceptione personali, ideo possunt cognoscere tantum actiones taxative definitas»); 3) ubi demonstratio legitimationis passivae solummodo ab ipsa parte conventa dari potest; qui casus valet pro personis moralibus religiosis in temporalibus (can. 531 C.I.C.: «Non modo religio, sed etiam provincia et domus sunt capaces adquirendi et possidendi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis, nisi earum capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur»);

aa) Actrix E. C. non possidet scriptum originale quocum stipulatus fuit contractus inter patrem suum et religiosum M. postea factum Episcopum. Neque possidet qualemcumque probationem contemporaneam traditioni pecuniae, quae confirmet hanc traditionem et indicare valeat titulum negotii. Neque E. C. exhibet documentum circa restitutionem alicuius partis capitalis vel circa «interesse» sibi misso ab Episcopo M. nomine Ordinis X, vel directe ab ipso Episcopo.

E. C. e contra exhibet: 1) scriptum successivum in quo invenitur recognitio debiti initialis ex parte Ep. M. (ast, sine mentione praecisa diei); 2) *integrationem negotialem* quacum M. se obligat ad restituendam summam parem sorti initiali, integratae proventibus maturatis *anatocistice calculandis*. Episcopus M. se obligat ad correspondendum interesse annui 10 % pro nova summa. Ad confirmandum hoc scriptum, E. C. exhibet *effectus cambiarios* datos ab Ep. M. in authenticitatem negotii. Ast neque documentum scriptum neque *effectus cambiaris* subsignantur ab Ep. M. nomine Ordinis X. Quando M. subsignabat citata documenta nullum ius habebat ad faciendam *declarationem negotialem* imputabilem Ordini X.

Quare deest principalis probatio qua certo constet E. C. exigere posse ab Ordine X. summam circa quam huius causae.

Attamen, quamquam desit probatio de qua supra, concurrunt quaedam circumstantiae quae inducunt ad concedendum valorem indiciarium confessioni scriptae ab M. Tali modo concurrunt et tenor confessionis Episc. M. et interventus personalitatem qualificatarum S. Sedis faventium solutioni *transactionis* casus, et praecipue, declarationes factae ab auctoritatibus responsabilibus ipsius Ordinis. Quae auctoritates, dum indicant tamquam beneficiarium crediti, Vicariatum Apostolicum in cuius favorem summa accepta fuisset adhibita, ex altera parte, non probant adaequatam distinctionem inter «interesse» Vicariatus Apostolici et «interesse» Provinciae L. V. Ordinis, neque quoad aspectum subiectivationis iuridicae neque quoad aspectum administrativum. Insuper admittunt mutuum ab ipso recenter factum Episcopo M, ut M. posset tacitam reddere E. C.; asserunt tamen hoc negotium repraesentantis Provinciae fuisse exclusive personale et nullo modo intendisse illigare neque Provinciam neque Ordinem. Ultimatim, dum auctoritates Ordinis conqueruntur quod Episc. M., relicto suo officio, negotia egerit contra praescripta can. 629, § 1 C.I.C., ipse Ep. M. obtinet a S. C. de religiosis scriptam licentiam adeundi S. R. Rotam.

bb) Admitti non potest decisio quacum S. R. Rota relecit in *limine litis* libellum introductorium praesentatum ab E. C. Primum, motivum relectionis, etsi per se refertur ad competentiam, tamen implicat iudicium de merito propter intimam conexionem inter aspectum substantivum et processualem hulus casus; quare tantum procedere licebat cum contradictorio inter partes. Contra, iudices rotales non solum affirmaverunt via hypothetica «si assertum ius probaretur, pars conventa non esset Supremus Ordinis X. Moderator», sed addunt: «actio instituenda esset coram Rev.mo P. Provinciali Provinciae L. V.» qua decisione elegerunt practice extra disceptationem iudicialem tanquam unicam viam possibilem in casu reductionem controversiae ad conflictum personalem inter Ep. M. et E. C. Etenim excludunt pro E. C., possibilitatem tentandi contra Ordinem saltem actionem de *in rem verso* quam ipsa modo subordinato proposuerat; non enim licet supponere iudices rotales, in difformitate a statuto «ex analogia» in can. 1572, § 2, et contra can. 1579, § 3, C.I.C. opinatos esse Provincialem posse agere iudicem in causa involvente conflictum inter ipsam Provinciam et tertium extraneum. Neque iudices rotales minime examini subiecerunt hypothesim legitimationis passivae ipsius Vicariatus Apostolici pro ista actione. Iudices rotales non poterant cum tali firmitate decidere circa propriam competentiam, quando nondum praesto erant probationes relativae factis quae potuissent constituere in sensu positivo vel negativo fundamentum pro «actione de in rem verso».

Aliunde etiam notandum est, ratione habita limitum et significationum competentiae de quibus in can. 1579 C.I.C., admitti non posse affirmationem categoricam iudicum rotalium, secundum quam competentia attribuenda est Superiori Provinciae L. V. Considerata taxativitate casuum quibus alludit iste canon, talis affirmatio non erat possibilis quando adhuc dubia erat individuatio subiectiva et obiectiva litis.

Ultimum: iudices rotales non explicant cur et quomodo in casu Ordinis X, non posset valere hypothesis nominata in can. 531 C.I.C. circa confusionem subiectivam inter Ordinem et suam Provinciam L. V., saltem ubi respicitur capacitas acquirendi et possidendi bona temporalia et, propterea, hoc titulo, non posset subsistere legitimatio passiva Superioris Generalis (can. 1557, par. 2, n. 2 C.I.C.); tantum in contradictorio cum actrice superior Generalis potuisset contendere et demonstrare contrarium.

Decisio.—Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, precibus perpensis, consideratis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus necnon informationibus habitis et voto competentium in re administrativa, in Congressu diei 1 Decembris 1970 decrevit: «*Consulendum SSmo pro commissione causae S. Romanae Rotae*».

* Apoll. 44 (1971) 29-34.

3926

1970 DEC 1.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART*

De factorum iuridicorum declaratione per decisionem iudicialem deque damnis ex actibus administrativis secutis

Facti species.—1. Consilium permanens Episcopatus nationis W., die 23 iunii 1966 exaravit *Communicationem* quandam, in qua primo commemorabat esse aliquam fidelium minoritatem, quae, appellans se ad tempus ante actum et sumens ansas ex quibusdam erroneis assertis —quae quidem ipsi Episcopi necnon ceteri catholici condemnant—, conqueritur contra Episcopatum et sacerdotes, quasi deviarent; dein monebat fideles ut sibi caverent a quibusdam articulis, qui praesertim in ephemeridibus X, Y et Z editi fuerant; ac denique optabat ut haec monitio illas personas illuminaret, quae praefatorum articulorum erant responsabiles.

Membra Consilii permanentis statuerunt ut textus Communicationis tempestive cum Moderatoribus ephemeridum X, Y et Z communicaretur; sed ob negligentiam (sic saltem in actis asseritur) Revmi Dñi A, Secretarii Generalis Episcopatus, Communicatio prius publici iuris facta est, quam Moderatores eiusdem textum recepissent. Immo, praedictus Secretarius in adiuncta textui epistola asserebat plures Episcopos repetitis vicibus dialogum cum auctoribus articulorum, de quibus supra, frustra instaurare voluisse.

Communicationis publicatio facta est mane diei 27 eiusdem mensis in quadam «conferenza stampa» habita a Revmo Dño B, Directore Secretariatus pro opinione publica et mediis communicationis, qui in documenti praesentatione asseruit Episcopos: 1.° inutiliter tentasse dialogum cum praefatis auctoribus habere, 2.° ideoque decrevisse supra indicatam Communicationem publici iuris facere, cuius textus tamen antecedenter cum Moderatoribus ephemeridum X, Y et Z communicatus fuerat.

Diebus subsequentibus nonnullae ephemerides civiles et dioecesanae (*Bollettini diocesani*) Communicationem sive

solam, sive additis notitiis, a Secretario pro publica opinione datis, aliisque commentariis divulgarunt.

2. *Actio iudicialis coram Tribunalibus dioecesanis.* Moderatores ephemeridum X, Y et Z, cum se iniuste gravatos sentirent ob Communicationem Episcopatus et ob rationem agendi assertaque Secretarii eiusdem Episcopatus et Directoris Secretariatus pro publica opinione, sub finem anni 1966 et initio sequentis libellos exhibuerunt —quisque unum vel plures— coram octo Tribunalibus ecclesiasticis primae instantiae nationis W., in quibus petebant ut declarentur plura *facta iuridica*, in elencho ad calcem addito recensita, inter quae inveniuntur asserta posita sive a Consilio permanente Episcopatus in sua Communicatione, sive a Revmis Dñis A et B, quae omnia asserta alias falsa et damnosa dicuntur.

Actores adiungebant se ad hanc petitionem faciendam ius habere fundatum in can. 1552, § 2, 1.°; rationem autem cur declarationem ab his octo Tribunalibus dioecesanis peterent, esse quia earumdem dioecesium ephemerides Communicationem saltem ediderant.

Verumtamen octo illa Tribunalia unanimiter libellos per totidem decreta reiecerunt, praesertim quia agebatur de actibus administrativis Episcoporum, quae, ad normam can. 1601, Tribunalibus nequaquam subici possunt.

3. *Recursus ad S. R. Rotam et ad S. T. Signaturae Apostolicae.* Adversus haec decreta, libellos reicientia, praedicti Moderatores ephemeridum X, Y et Z, exeunte adhuc anno 1966 vel ineunte 1967, totidem recursus ad S. R. Rotam fecerunt, asserentes Decretorum nullitatem, tum propter violatum can. 1587, tum ob rationum defectum.

Turnus rotalis constitutus fuit die 2 augusti 1968, et die 22 ianuarii anni 1970 decrevit recursus contra Decreta Tribunalium octo dioecesanorum non esse admittendos.

Contra hoc Decretum rotale Advocatus Moderatorum ephemeridum X, Y et Z, die 9 martii 1969 fecit recursum ad hoc S. T. Signaturae Apostolicae, proponens querelam nullitatis simul cum appellatione. Rationes hae afferuntur, quae praesertim nullitatem comprobare intendunt: 1.ª Decretum mutavit obiectum iudicii; 2.ª pronuntiavit «extra petita»; 3.ª violavit can. 1891 et incidit in nullitates can. 1855, § 1, et 1892, 2.°; 4.ª mutavit facti speciem; et 5.ª nequaquam solvit argumenta propter quae Decreta, libellos reicientia, ut nulla habenda sunt.

In iure.—1. *De actibus administrativis Tribunali non subiciendis. a)* Actus administrativi canonici intelliguntur illi, qui ad ecclesiasticam gubernationem spectant, ideoque ponuntur a legitimis in Ecclesia Superioribus, sive sint personae physicae, sicut Romanus Pontifex, Episcopi eorumque vicarii ac delegati, sive sint personae morales, sicut Conferentiae Episcopales aut Consilium permanens Episcopatus eorumve organa, v. g., Secretarius Generalis Episcopatus, qua talis agens.

Actus administrativi bene dicuntur pastorales, quia per illos exercetur ministerium pascendi gregem Dei, auctoritatis ecclesiasticae proprium (cf. *Christus Dominus*, n. 11 [LE 3332]; *Presbyterorum Ordinis*, n. 7) [LE 3365].

b) Principium sollemne est in Iure Canonico actus administrativos non esse Tribunalibus iudicialibus subiciendos. Haec norma, quod attinet ad Episcoporum actus administrativos (ut Congregationes Romanas praetermittamus), expressa fuit in lege, quam S. Pius X Tribunalibus S. R. Rotae et Signaturae Apostolicae noviter instauratis dedit: «Contra dispositiones Ordinariorum, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed eorum cognitio Sacris Congregationibus reservatur (can. 16, *A.A.S.* 1 [1909] 24), et hinc transivit in can. 1601 vigentis Codicis I. C.

Ratio huius prohibitionis nititur praesertim in natura publica et in indole ut plurimum discretionali actus administrativi, cuius cognitio proinde subducenda erat Tribunali et procedurae pro cognitione actuum privatorum institutis.

c) Nihilominus hoc principium impugnatum est indirecte, quia dicebatur per citatum canonem non prohiberi quominus Tribunalia iudicialia cognoscant de damnis quae fortasse ab his decretis causata sunt. Atque in confirmationem huius opinionis adducebatur ipsa iurisprudentia S. R. Rotae, quae de eiusmodi damnis semel et iterum cognovisset.

Cui obiectioni respondetur: 1° In comperto esse quam facile fiat transitus ex cognitione damnorum, quae illata asseruntur, ad ipsam decretorum seu actuum administrativorum cognitionem contra prohibitionem can. 1601. Ideo interrogatus Praeses Commissionis Interpretum Codicis I. C., respondit die 22 maii 1923: «exclusive competere SS. Congregationibus cognitionem tum eiusmodi decretorum, actuum, dispositionum [Episcoporum], tum damnorum quae quis praetendat ex iis sibi illata esse» (*A.A.S.* 16 [1924] 251) [LE 518].

Atque idem a fortiori respondendum est si quis, subtiliter distinguendo genus remotum a differentia specifica in unica entitate actus administrativi, assereret hunc actum, quatenus est «factum iuridicum» (seu secundum genus remotum), subici posse Tribunali iudiciali, ea tamen cautela adhibita ut idem actus, quatenus habet indolem «pastoralem seu administrativam» (seu secundum differentiam specificam), ab eodem Tribunali iudiciali substrahatur.

De cetero, confirmatio supra allata ex iurisprudentia rotali nihil efficit, siquidem, ut animadverit Card. Roberti, Rota illas causas cognovit vigore specialis commissionis pontificiae (*De processibus*, in Civitate Vaticana 1956, vol. I, p. 115 et nota 6), idque ut plurimum ex ipso decisionum rotalium textu luculenter constat.

2° Efficacius adhuc respondetur obiectionis supra indicatae ex const. *Regimini*, diei 15 augusti 1967 [LE 3588], in qua Paulus VI, inhaerens principio supra exposito ac canonicae traditioni, statuit ut actus administrativi Ordinariorum, postquam cogniti sunt *via hierarchica* a Sacris Congregationibus, possint adhuc cognosci a Signatura Apostolica *via contentiosa*, verumtamen non in Tribunali iudiciali seu in 1ª Sectione, sed in Tribunali administrativo, quod simul cum 2ª Sectione per hanc suam constitutionem creavit (n. 106).

Similiter prima Synodus Episcoporum approbavit principium propositum a Commissione Codici I. C. recognoscendo, vi cuius pro tutela iurium subiectivorum fidelium contra actus administrationis ecclesiasticae creanda sunt *Tribunalia administrativa* (cf. *Principia*, n. 7).

2. *De prohibitis in gradu appellationis. a)* Principium statuitur in can. 1891. § 1, vi cuius litis contestatio et totum iudicium «in eo tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur vel reformetur sive ex toto sive ex parte». Hoc principium proinde laederetur, v.g., quando admitteretur in gradu appellationis «nova petendi causa» seu titulus, aut adderetur novum obiectum.

Ratio prohibitionis est illa indicata a Card. Roberti: «quia semper haberetur nova petitio, quae careret primo gradu iurisdictionis» (*De processibus*, Romae 1926, vol. II, p. 217, n. 480).

b) Mutatio alicuius elementi subiectivi, sc., actoris vel rei, pariter in gradu appellationis fieri non potest, quia ageretur de nova causa, et quidem manifeste; ac fortasse propter casus claritatem, ne mentio quidem de illo fit in can. 1891.

A mutatione elementi subiectivi totaliter differt ulterior determinatio rei conventi, a iudice appellationis facta, propterea quod persona physica vel moralis hanc partem sustinens, aliquatenus incerta ab actore et a Tribunali primi gradus relicta est.

3. *De necessitate partium in iudicio. a)* De essentia iudicii est controversia saltem implicita ideoque partes, sine quibus conflictus esse non potest (can. 1552, § 1). Verum est aliquando non esse facile determinare quaenam persona in concreto sit pars; quod praesertim evenire potest in iudiciis declaratoriis relate ad reum, cum actor nempe declarationem petit, non contra quamdam definitam personam sed contra quasdam personas in genere, quae ius in facto declarando fundatum impugnare possent (Card. Roberti, *De processibus*, in Civitate Vaticana 1956, vol. I, nn. 211, III; 212).

In his casibus accidere potest ut reus vel pars implicite indicata reddatur quasi explicita in persona Promotoris iustitiae, si bonum publicum, Ordinarii iudicio, in discrimen vocaretur (can. 1586), v. g., propter defectum rei conventi, qui *de facto* petitioni actoris se opponat.

b) Ex dictis sustineri non potest opinio quae asserat in iudicio declaratorio non haberi, praeter iudicem, partes duas, seu in hoc iudicio instaurari «simplicem relationem inter duos, sc., inter petitorem declarationis et iudicem», exclusa quavis tertia persona (nisi forte Promotor iustitiae intervenire debeat). Atque ad firmandam hanc opinionem frustra affertur una c. Massimi, diei 18 augusti 1921. Nam etsi in hac decisione mentio de reo non fit explicite, fit tamen implicite. Recurrens enim petit declarationem propriae immunitatis ab excommunicatione contra illos a quibus «haud semel [...], uti ipse affirmat, pro excommunicato habitus est» (S. *R. Rotae decisiones*, vol. 13, p. 257, n. 4).

4. *De carentia «personae standi in iudicio» ac de incompetentia.* Hi duo conceptus, etsi valde affines, non sunt correlativi. Incompetentia Iudicis universalis non est (secus nullus Iudex); nam etsi restringitur ad determinatas causas ratione sive subiecti sive obiecti sive gradus cognitionis, tamen supponit eiusdem Iudicis competentiam. E converso, qui caret «persona standi in iudicio», caret ea universaliter, seu coram nullo tribunali sistere se potest, neque ut actor neque ut reus, v. g., minores vel ii qui rationis usu sunt destituti, ad normam can. 1648.

Ideo dici non potest illos viros esse orbatos «persona standi in iudicio», quorum aliquae saltem causae, propter eorumdem dignitatem, Summo Pontifici vel eius Tribunalibus reservantur (can. 1557); unde sequitur quod aliqua saltem Tribunalia in certis vel in omnibus eorum causis sint absolute incompetentia (can. 1558), saltem si ipsi ut rei interveniant. Quamobrem si quoddam Tribunal aliquem ex praefatis viris indebite citet atque ad dandam sententiam in causa perveniat, sententia quidem erit nulla, at non quia reus careat «persona standi in iudicio» (can. 1892, 2°), sed quia Tribunal in casu est absolute incompetens (ib., 1°).

Propter similem rationem dici nequit Ordinarios locorum carere «persona standi in iudicio» ex eo quod omnia Tribunalia iudicialia sunt incompetentia ad eorum actus administrativos cognoscendos (cf. supra, *In iure*, n. 1). Ordinarii enim, ut obvium est, pollent plena capacitate processuali, sed eorum actus administrativi, propter rationes supra allatas (ib., b), a competentia cuiuslibet Tribunalis iudicialis substracti sunt.

http://www.obrascatolicas.com

IN FACTO.—Nunc examinandae veniunt rationes propter quas Decretum rotale dicitur nullum esse vel saltem appellationi obnoxium.

1. Decretum dicitur nullum primo et principaliter quia in ipso substituitur vel mutatur obiectum causae proprium. Libelli enim petunt ut quaedam facta iuridica declarentur, et quidem abstrahendo ab eorumdem qualitate administrativa seu pastorali. Nam evidens est quod haec facta iuridica, «qua pastoralia, huic substrahuntur sedi iudiciali». Tamen Decretum rotale, sicut prius fecerant Decreta Tribunalium dioecesanorum, considerat facta iuridica praecise ut pastoralia. Ita Advocatus.

Agnoscendum est tum Decreta appellata tum Decretum rotale considerare facta iuridica, quorum declaratio petitur, *secundum id quod sunt*. Iudices enim adquiescere non poterant artificiosae distinctioni ab Advocato propositae, quin agerent contra absolutam prohibitionem can. 1601 et contra claram mentem legislatoris, quam Praeses Commissionis interpretum Codicis I. C. clarius in luce posuit (cf. supra, *In iure*, n. 1, c, 1°).

2. Addit Advocatus Decretum pronuntiare extra petita, Aula nullam habuit rationem reductionis obiecti ab eodem qdvocato in suis scriptis factae. Institerat enim Advocatus apud Turnum rotalem ut petitio in libellis exhibita circa fere 50 *facta iuridica* declaranda, ad quattuor tantum reduceretur.

Sed contra est Decretum rotale de «ferme 50 factis iuridicis» verba facere solummodo in facti specie, non autem in parte quae dicitur «in iure et in facto». Immo, etiamsi Decretum ne in hac parte quidem rationem habuisset de reductione ab Advocato inducta, cum facta iuridica in casu sint omnia eiusdem naturae, sc. administrativae, indifferens est ad validitatem vel nullitatem Decretorum appellatorum quod fuerint ferme quinquaginta aut quattuor tantum. Constat igitur rationem allatam Decreti rotalis validitati minime officere.

3. Asseritur etiam nullitas quia, cum in libellis nulla mentio fiat de reo convento (siquidem haec pars, iuxta opinionem Advocati, ab iudicio declarativo exulat), tamen Decretum rotale Ordinarios locorum octo tamquam reos inducit, ideoque aliquid addidit in altera instantia contra praescriptum can. 1891; immo haec additio est attentatum ad normam can. 1854, et insuper inducit tanquam reos Ordinarios locorum, sc., viros qui carent «persona standi in iudicio». Consequenter Decretum est nullum saltem propter has duas ultimas rationes, ad normam can. 1855, § 1 et 1892, 2°.

Singulis assertis respondere oportet: *a)* Et imprimis dicendum est duas partes esse de essentia iudicii etiam declaratorii, prout supra expositum est contra opinionem Advocati (*In iure*, n. 3). Tamen ex hac erronea opinione hoc consecutum est, ut personae sustinentes partem rei incertae manerent. Bene igitur Turnus rotalis, praesumptione hominis usus est ad reddendum certum conventum, sc., confectando ex libellis quaenam essent personae contra quas declaratio factorum iuridicorum probabiliter peteretur. Sane persona rei omnino una ex his tribus esse debet: aut octo Ordinarii locorum, prout aestimavit Turnus rotalis; aut Moderatores ephemeridum dioecesanorum (in quos inclinat Advocatus, si tamen reus in casu esset indicandus, quod ipse negat); aut auctores factorum iuridicorum, quod videtur magis veritati consonum. Sed certo certius Decretum rotale, propter praesumptionem quae fit in eius inscriptione: «Directores ephemeridum - Exmi Ordinarii», ad auferendam incertitudinem rei conventi ab Advocato productam, non mutavit naturam causae, nec multo minus violavit can. 1891 (cf. *In iure*, n. 2, b).

b) Neque dici potest Decretum per illam maiorem rei conventi determinationem induxisse talem innovationem quae naturam attentati induat ad normam can. 1854, prout ex eius textu sufficienter constat.

Iostat Advocatus attentatum saltem commissum fuisse tum a Praeside Turni rotalis invitando Ordinarios ad Patronum sibi constituendum, tum ab ipso Turno et a Decano S. R. Rotae eiusdem Patronum ex officio nominando. Sed respondetur quod, dato et non concesso quod illi actus attentata constituerint, exinde sequeretur tum invitationem tum subsequentem constitutionem fuisse nullas iuxta praescriptum can. 1855, § 1; non tamen ipsum Decretum rotale, de quo tantum nunc est quaestio.

c) Quoad assertam nullitatem Decreti rotalis ex can. 1892, 2°, liceat imprimis animadvertere sententiam vel decretum latum a Tribunali iudiciali in causa circa actus administrativi Episcopi esse quidem semper nullum, non tamen quia Episcopus careat «persona standi in iudicio», sed quia Tribunal est absolute incompetens in casu (cf. can. 1892, 1°, coll. cum can. 1601; et supra, *In iure*, n. 4).

Datur tamen unica exceptio, sc., decretum quo Iudex vel Tribunal se in tali causa absolute incompetentem declarat, necnon confirmatio huius decreti a Tribunali superiori per novum decretum facta. Utrumque decretum, sed praesertim prius, licite et valide, ut obvium est, editur, immo edi debet, tum cum libellus offertur (can. 1709, § 1), tum etiam deinde, in quovis stadio causae, sc., vix Iudex se absolute incompetentem agnoscat (can. 1611).

Itaque de valore Decreti rotalis, sive propter indolem rei conventi sive propter competentiam Rotae, dubitari nequit.

4. Additur Decretum esse nullum quia mutavit facti speciem plura omittendo, quae Advocatus in suo Memoriali pro appellantibus indicaverat.

Verum est Decretum haec omisisse, sicut etiam alia quae in libellis reperiuntur. Sed satis est in facti specie ea narrare, quae ad illustrandum tum decisionem hic et tunc dandam tum eius rationes spectant; quod certo certius Decretum facit. Immo, dummodo constet de causa in qua fertur decisio, tota quanta facti species omitti potest, quin ideo sententia vel decretum nullitate laboret. Hanc enim nullitatem nec ius naturae postulat, nec ulla lex afferri potest, quae illam expresse vel aequivalenter statuat.

5. Ultimo asseritur Decreti rotalis nullitas, quia non solvit argumenta propter quae Decreta, libellos reicientia, ut nulla impugnata sunt.

Sed etiamsi rationes a Decreto rotali allatae non essent efficaces ad solvenda Advocati argumenta, exinde sequeretur quidem Decretum esse appellabile, non autem nullitate laborare.

De facto tamen Decretum bene solvit argumenta quibus Advocatus contendit ostendere nullitatem Decretorum dioecesanorum. Etenim *primum* argumentum desumit ex eo quod in reiectione libellorum inauditus mansisset Promotor Iustitiae contra praescriptum can. 1587. Sed frustra, nam prout bene animadvertit Decretum, citatus canon respicit «stadium 'citationis', non vero stadium antecedens seu 'admissionis libelli'»; quod assertum ex ipso textu can. 1587 constat. Reponitur Promotorem Iustitiae in applicanda lege *quaque vice* audiendum esse, qua natum legis tutorem, idque haberi ex can. 1586. Sed eiusmodi assertum in citato canone non continetur; immo, si res se haberet sicut asseritur, esset otiosa praescriptio can. 1709, § 3, iubens nempe ut in appellatione contra reiectionem libelli audiatur Promotor Iustitiae.

Discrimen imprimis habetur quia tum reiectio libelli tum appellatio contra reiectionem dici solent quaestiones incidentes. At in casu sermo esse potest saltem de negotio seu quaestione antecedente et subsequente. Iam vero, iuxta maximam rotalem, si Promotor Iustitiae interfuit negotio antecedenti, interesse quoque debet subsequenti; quod est omnino contrarium intento Advocati, qui, ex eo quod Promotor interesse debeat negotio subsequenti (can. 1790, § 3), concludere vult ad necessarium eius interventum etiam in antecedente.

Alterum argumentum nititur in eo quod Decreta considerarent facta iuridica *qua pastoralia*, nulla ratione habita substractionis huius qualitatis ab actoribus factae. Sed inanitatem huius argumenti — quod iterum affertur ad ostendendam nullitatem Decreti rotalis —, iam supra ostendimus (*In iure*, n. 1, c).

Ex expositis igitur constat Decretum rotale ex una parte esse validum, et ex altera efficaciter diluisse rationes allatas pro nullitate Decretorum dioecesanorum adstruenda. Consequenter contra illud nec querela nullitatis consistit, nec possibilitas appellationis datur.

DECISIO.—Die prima decembris 1970, in Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, proposito dubio: utrum recursus adversus Decretum a S. R. Rota in causa latum die 22 ianuarii 1970, admittendus sit necne ad disceptationem, decretum est: *Negative, seu recursum in casu non esse admittendum ad disceptationem.*

* Apoll. 44 (1971) 610-619.

3927

1970 DEC 1.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

DE QUERELA NULLITATIS CONTRA DECRETUM DECANI S. R. ROTAE NEGANTIS CONNEXIONEM CAUSARUM ET DAMNA INDE SECUTA

FACTI SPECIES.—Moderatores ephemeridum X, Y et Z, decem mensibus postquam recursus contra decreta dioecesana ad S. R. Rotam detulerant (cf. supra [LE 3926] A, *Facti species*, 3), novum et unicum libellum eidem Apostolico Tribunali die 9 novembris 1967 exhibuerunt, quo: 1.° instaurabant causam contra Consilium permanens Episcopatus nationis W., quippe responsabile dammorum, quae eius organa, sc., Revmi DD. Secretarii tum Episcopatus tum opinionis publicae actoribus intulerant, 2.° petebant ut, ratione connexionis, haec nova causa (B) coniungeretur cum praecedentibus (A) [sc. LE 3926] in novo et unico Turno rotali quinque Iudicum (propter rei momentum) et sub nova inscriptione *(intestazione)* processuali, ita ut tanquam causa principalis haberetur causa tunc proposita (B).

Ab hoc tempore instantiae ac decreta ita se interserunt, ut, nisi singula distincte persequantur, via ad exitum inveniendum impervia evadat.

1. Decanus S. R. Rotae die 2 augusti 1968, nullam rationem habens de petita causarum coniunctione in unico Turno quinque Iudicum, designavit Turnum M, trium sc. Auditorum, pro *sola* causa A.

2. Advocatus autem, qui sibi psychologice persuaserat de acceptatione quam eius petitio habitura esset, vix notitiam turni alicuius constituti accepit, in tres errores vel luti sua sponte incidit: 1.° Existimavit utramque causam A et B unitam fuisse in Turno M; 2.° ideoque libellum causae B implicite acceptatum fuisse; 3.° tamen Advocaot

non placuit inscriptio causarum, propterea quod silebat de causa B, et consequenter videbatur causa principalis (B) incidenti (A) indebite subordinari.

Itaque die 11 octobris 1968 Decano instantiam obtulit, quae fere tota versabatur in exponendo errores inscriptionis et in petendo ut corrigerentur. In fine ac paucis verbis (vel sibi contradicens, vel ostendens superius exposita non esse sibi adeo certa) rogabat Decanum ut emitteret Decretum, quo tandem causam B aut acceptaret, Turnum eidem constituendo, aut reiceret.

3. Decanus, die 21 eiusdem mensis, Decretum edidit, quo libellum causae B reiecit ob indubiam Rotae incompetentiam in casu.

4. Denique Advocatus, die 28 octobris, querelam nullitatis contra illud Decretum proposuit coram 1.ª sectione H. S. T. Signaturae Apostolicae.

IN IURE ET IN FACTO.—Querela nullitatis contra Decretum Decani exhibita nititur tribus rationibus, quarum duae primae habent ut fundamentum erroneas illas suppositiones Advocati, quae supra (n. 2) indicatae sunt. De singulis nunc agendum est.

1. Prima ratio asserit Decretum extra thema decidendum pronuntiasse. Nam, iuxta Advocatum, Decanus intendit respondere instantiae exhibitae ab ipso die 11 octobris 1968, qua nempe petebat ut reformaretur causarum inscriptio *(intestazione)*, ita ut clare appareret utriusque causae sive unio sive debita subordinatio; et tamen Decretum, praetermissa hac quaestione, reiecit libellum causae B.

Sed animadvertere oportet Decanum voluisse responsum dare solummodo alteri petitioni, quam in fine suae instantiae proposuerat Advocatus cum dixit: «Voglia V. E. emettere il Decreto di costituzione del Turno [per la causa] B, o di rifiuto». Iam vero, haec petitio coincidit re cum petitione in libello facta, prout ex textu ipsius Decreti constat. Consequenter Decanus, reiciendo libellum, nequaquam extra thema decidendum pronuntiavit.

2. Altera ratio petitur ex incompetentia qua laboraret Decanus ad Decretum reiectionis ferendum. Nam Decanus, coniungendo causam B cum causa A in Turno rotali M, huic Turno totam iurisdictionem super causa B transmisit, cuius libellum proinde ipse reicere iam non potest.

Ruit tamen tota argumentatio, quia in falso supposito nititur. Iam enim supra diximus Decanum talem causarum coniunctionem numquam fecisse (n. 1).

3. Tertia denique ratio affertur quod canones in Decreto allegati (sc., 1601, una cum interpretatione authentica diei 22 maii 1923; 1599, § 1, 1°; 1557, § 1, 3°, coll. cum 1558) neque ad instantiam neque ad libellum reiciendum pertinent.

Tamen contrarium dicendum est, seu canones omnino pertinere ad ostendendum quomodo petitio contenta sive in libello, sive in fine instantiae, extra competentiam S. R. Rotae indubie vagetur.

Nam petitur a Rota: 1° ut declaret actus administrativos et iudicet circa damna ex ipsis secuta; quod certo certius prohibetur per can. 1601 et per allegatam authenticam interpretationem, prout supra iam ostensum est (A. [LE 3926] *In iure*, 1, b et c);

2° ut iudicet in 1° instantia causam B; quod est extra eius competentiam ordinariam, cum Rota sit Tribunal appellationis, prout constat ex allegato can. 1599, § 1, 1°;

3° ut conveniat Consilium permanens Episcopatus ratione falsitatum, quas eius organa protulerunt; cum aperte constet ex can. 1557, § 1, 3°, coll. cum can. 1558 Rotam hac in re esse omnino incompetentem.

Ex dictis igitur apparet rationes allatas ad ostendendam creditam nullitatem Decreti Decani S. R. Rotae nullatenus consistere. Inde tamen non sequitur quod petitio de sarcindis damnis fumo boni iuris careat, ideoque actores, si velint, possunt via hierarchica ad S. C. pro Episcopis recurrere, ac dein, si casus id ferat, ad Sectionem alteram H. S. T. Signaturae Apostolicae, iuxta normas datas in const. *Regimini* (cf. supra, A. [LE 3926], *In iure*, 1, c, 2°) [LE 3588].

DECISIO.—Die prima decembris 1970, in Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, proposito dubio: «utrum recursus adversus decretum a Decano S. R. Rotae, die 21 octobris in causa latum, admittendus sit necne ad disceptationem», decretum est: *Negative, seu recursum in casu non esse admittendum ad disceptationem.*

* Apoll. 44 (1971) 619-622.

3928

1970 DEC 3.-SC CULTUS DIVINI, DECR. AAS 63 (1971) 711

RECOGNITUS ORDO BENEDICENDI OLEUM CATECHUMENORUM ET INFIRMORUM ET CONFICIENDI CHRISMA PROMULGATUR, UNA CUM NOVI ORDINIS NORMIS GENERALIBUS

I—DECRETUM PROMULGATIONIS

Ritibus Hebdomadae sanctae in Missali romano opportune recognitis, congruum visum est, ut etiam Ordo benedicendi oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi chrisma, qui exstat in Pontificali romano, in Missa chrismatis adhibendus, necessariis accommodationibus subiceretur.

Praefatum ergo Ordinem Sacra haec Congregatio pro Cultu Divino recognovit, eundemque, a Summo Pontifice Paulo VI Auctoritate Sua Apostolica approbatum, promulgat, statuens ut pro Ordine in Pontificali romano exstante posthac adhibeatur.

Curae autem Conferentiarum Episcopalium committitur editiones lingua vernacula apparare et huius Sacrae Congregationis confirmationi subicere.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 3 decembris 1970.—BENNO Card. GUT, *Praef.* H. BUGNINI, *a Secretis.*

II—NORMAE GENERALES*

PRAENOTANDA

1. Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis est habendus, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet.[1]

Missa chrismatis, quam ipse cum presbyteris e diversis regionibus dioecesis concelebrat et intra quam sanctum chrisma consecrat aliaque olea benedicit, inter praecipuas manifestationes plenitudinis sacerdotii Episcopi et signum arctae coniunctionis presbyterorum cum ipso existimatur. Nam sacro chrismate ab Episcopo consecrato, noviter baptizati liniuntur iique confirmandi consignantur. Oleo autem catechumenorum ad Baptismum praeparantur et disponuntur ipsi catechumeni. Oleo denique infirmorum aegroti suis in infirmitatibus alevantur.

2. Liturgia christiana usum Veteris Testamenti sibi ascivit, cum reges, sacerdotes et prophetae oleo consecrationis ungerentur, quoniam ipsi Christum praefigurabant, cuius nomen Unctum Domini significat.

Similiter autem sacro chrismate demonstratur christianos per Baptismum paschali Christi mysterio insertos, commortuos, consepultos et conresuscitatos,[2] eius regalis et prophetici sacerdotii esse participes atque per Confirmationem recipere spiritualem unctionem Spiritus Sancti, qui eis datur.

Oleo catechumenorum effectus exorcismorum extenditur, dum baptizandi roborantur ut diabolo et peccato renuntiare valeant, antequam ad fontem vitae accedant et renascantur.

Oleum infirmorum, cuius usum S. Iacobus testificatur,[3] aegrotis remedium praestat infirmitatis animae et corporis, ut mala fortiter tolerare et impugnare possint veniamque peccatorum consequantur.

I. *De materia*

3. Materia apta sacramenti est oleum olivarum, aut, pro opportunitate, aliud oleum e plantis.

4. Chrisma conficitur oleo et aromatibus, seu materia odorifera.

5. Praeparatio chrismatis fieri potest sive privatim ante consecrationem, sive ab Episcopo in ipsa actione liturgica.

II. *De Ministro*

6. Consecratio chrismatis soli Episcopo competit.

7. Oleum catechumenorum, si eius usus de iudicio Conferentiae Episcopalis retinetur, ab Episcopo una cum aliis oleis, in Missa chrismatis benedicitur.

Attamen, facultas tribuitur sacerdotibus oleum catechumenorum benedicendi, quando agitur de baptismate adultorum, ante unctionem in gradu respectivo catechumenatus.

8. Oleum in Unctione infirmorum adhibendum debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis Sanctae Sedis hac facultate gaudet.

Ipso iure oleum adhibendum in Unctione infirmorum benedicere possunt: *a)* qui iure Episcopo dioecesano aequiparatur; *b)* in casu verae necessitatis, quilibet presbyter.

III. *De die benedictionis*

9. Beneditio olei infirmorum et olei catechumenorum, et consecratio chrismatis de more fit ab Episcopo feria V Hebdomadae sanctae, in Missa propria horis matutinis celebranda.

10. Si vero eo die clerus et populus difficilius congregari possunt cum Episcopo, haec benedictio anticipari potest alio die, sed prope Pascha, Missa propria semper adhibita.

IV. *De loco benedictionis in ipsa actione liturgica*

11. Iuxta morem in liturgia latina traditum, benedictio olei infirmorum fit ante finem Precis eucharisticae, benedictio autem olei catechumenorum et consecratio chrismatis post Communionem.

12. Attamen, propter rationes pastorales, licet universum ritum benedictionis post liturgicam verbi peragi, servato ordine infra descripto. [*Sequitur ritus liturgicus*].

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 42 [LE 3142]. [2] *Ibid.*, n. 6. [3] *Iac.* 5, 14.

* Pontificale Romanum ex decreto sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, autoritate Pauli Pp. VI promulgatum: Ordo benedicendi Oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi chrisma, Editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1971, p. 5-8. Adn. P. JOUNEL in La maison-Dieu n. 112 (1972) 70-83.

http://www.obrascatolicas.com

3929

1970 DEC 3.-SECR. CHRIST. UNITAT., RESP. PART.*

DE PATRINIS CHRISTIANIS NON CATHOLICIS ADMITTENDIS IN BAPTISMO CATHOLICORUM

Roma, 3 dicembre 1970

Eccellenza Reverendissima, La Sacra Congregazione per il Culto Divino ha trasmesso, per competenza, a questo Segretariato la Sua lettera del 12 settembre, indirizzata al Cardinale Benno Gut, in cui Vostra Eccellenza scrive che il N. 10 delle premesse al rito del battesimo nel nuovo rituale «sobrepasa las normas de la «Instrucción sobre Ecumenismo» que prevén la posibilidad de ser padrino para un hermano de Iglesia oriental, pero lo descarta en caso de hermanos separados de otros grupos, con la razón poderosa de que «el padrino se hace responsable de la fe del neófito en calidad de representante de la comunidad de fe» (n. 57); por ello lo más que llega a tolerar es que sea «testigo cristiano» del bautismo».

L'obiezione sollevata da Vostra Eccellenza è stata attentamente esaminata. Ma il N. 10, 3 delle premesse del nuovo rituale in effetti afferma:

«Baptizatus autem, ex ecclesia vel communitate seiuncta ortus et Christi fide imbutus, simul cum patrino catholico (vel cum matrina catholica) admitti potest ut patrinus vel testis christianus Baptismi, si id optaverint parentes, ratione habita normarum in re oecumenica pro variis casibus statutarum».

Come Vostra Eccellenza potrà notare, vengono espressamente richiamate «pro variis casibus» le norme del Direttorio Ecumenico. Queste norme si trovano nel N. 48 [1] del Direttorio per quanto riguarda la possibilità di ammettere «un fedele *orientale* come *padrino* assieme con padrino cattolico» e nel N. 57 [2] per quanto concerne la possibilità di ammettere un fedele delle altre Chiese e Comunità ecclesiali come *testimone* del battesimo, «assieme al padrino cattolico». Pertanto il N. 10 delle premesse del nuovo rituale del battesimo non va al di là delle norme del Direttorio. Anche se l'espressione sintetica del N. 10 delle premesse del nuovo rituale potrebbe non sembrare chiara, viene tuttavia esplicitamente richiamato il Direttorio, che dà le norme in modo preciso e chiaro, e in maniera diversificata a seconda che si tratti di un membro delle Chiese d'Oriente o delle altre Chiese e Comunità ecclesiali, che si vuole ammettere assieme al padrino cattolico come padrino (nel primo caso) o come testimone (nel secondo caso).

Lieto per averLe potuto dare queste delucidazioni e facendo voti che la retta applicazione di queste norme possa contribuire ad una migliore comprensione tra Cristiani di diverse confessioni, Le porgo le espressioni del mio profondo ossequio e mi confermo. Suo devotissimo nel Signore.—G. HAMMER, O. P., *Segretario*.

[1] *Directorium de re quae a Concilio Vaticano Secundo de re oecumenica promulgata sunt exsequenda*, *A. S. A.* 59, 1967, pp. 588-589, n. 58 [LE 3558]: Propter arctam communionem, in n. 40 expressam, inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orientales a nobis seiunctas, iusta de causa licet admittere fidelem orientalem ad munus patrini, simul cum catholico (vel matrina catholica), in baptismate catholici infantis vel adulti, dummodo de educatione catholica baptizati satis provisum sit et de idoneitate patrini constet. Catholicus munere patrini ad baptisma in ecclesia orientali collatum non prohibeatur, si ad id invitatus est. His in casibus educationi christianae vigilandi obligatio pertinet imprimis ad patrinum (vel matrinam) fidelem Ecclesiae in qua infans baptizatus est.

[2] *Ibidem*, p. 591, N. 57: Patrini munus, sensu liturgico et canonico accepto, in Baptismatis et Confirmationis sacramentis exerceri non licet a Christiano Communionis seiunctae, salvo praescripto numeri 48. Patrinus enim non solum ut familiae cognatus vel ut amicus baptizandi vel confirmandi eius christianae educationis curam agit, sed etiam communitatem fidei representantes neophyti fidei sponsor est. Pariter Catholicus hoc munere, quod attinet ad membrum Communitatis seiunctae, fungi nequit. Attamen, propter cognationis vel amicitiae rationes, Christianus diversae Communionis, Christi fide imbutus, cum patrino catholico (vel matrina catholica) admitti potest ut testis christianus huius baptismatis. Similibus in rerum adiunctis, Catholicus hoc munere fungi potest erga membrum Communitatis seiunctae. His in casibus educationi christianae vigilandi obligatio per se pertinet ad patrinum (vel matrinam) fidelem Ecclesiae vel Communitatis ecclesialis in qua infans baptizatus est. Sedulo curent pastores ut fideles de ratione evangelica et oecumenica huius normae edoceantur, ad omnem interpretationem minus rectam vitandam.

* Ordinario Garronensi in Columbia: Notit. 7 (1971) 92-93.

3930

1970 DEC 8.-PAULUS VI, EPISTULA APOST. PART.*

OPUS ECCLESIAE IN EDUCATIONE ET CULTURA UNIVERSAE CONSORTIONIS HUMANAE CURANDA ET OBTINENDA

I. EPISTULA PONTIFICIA

A maintes reprises nous avons eu l'occasion de vous exprimer toute notre sympathie pour l'action entreprise par l'UNESCO au service de l'éducation, de la science et de la culture.

L'heureuse initiative d'une Année internationale de l'éducation a été accueillie avec satisfaction par le Saint-Siège, et les catholiques entendent pour leur part collaborer généreusement aux grands objectifs de cette campagne, convaincus que toute oeuvre éducative est génératrice de développement et source de paix entre les hommes et entre les peuples.

En cette circonstance, le Saint-Siège a estimé opportun de souligner quelques orientations majeures en la matière, et nous espérons vous être agréable en vous les transmettant, dans la seule préoccupation d'apporter une utile contribution à cette grande cause.

De grand coeur nous formons le voeu de voir l'UNESCO, dans la fidélité à ses nobles orientations, développer son oeuvre pacifique de promotion de l'homme, capitale pour l'avenir du monde.

Du Vatican, le 8 décembre 1970.—PAULUS PP. VI.

II. DOCTRINA ECCLESIAE DE HUMANA EDUCATIONE

1. Tous les hommes et tous les peuples ont toujours eu le souci de transmettre aux générations montantes, avec la vie et des moyens d'existence, des modes de vivre. Aussi, l'éducation a-t-elle toujours été considérée comme une oeuvre de première importance, assurant la transmission du savoir et du faire, et «tendant à rendre l'homme plus humain en le faisant participer à tout ce qui peut l'enrichir dans la nature et dans l'histoire..., et à faire des forces du monde physique des instruments de sa liberté [1]».

2. Cette tâche primordiale s'exerce aujourd'hui de mille manières, chez les peuples anciens comme chez les nations jeunes. Mais la mutation profonde qui ébranle notre temps rend plus difficile la communication entre les générations, cependant qu'elle exige ce qu'on a pu appeler une formation permanente, pour aider les adultes à mettre à jour leurs connaissances et à profiter du progrès du savoir et des techniques, dans leur vie quotidienne aussi bien que dans leur activité professionnelle.

3. Alors que s'accroît la distorsion entre riches et pauvres dans un univers rétréci par les moyens modernes de communication sociale, le déséquilibre s'accentue devant «l'hypertrophie des moyens et l'atrophie des fins [2]». Entre la peur et l'espoir, l'humanité oscille, inquiète, dans la sourde conscience qu'une brillante réussite matérielle et technique peut aller de pair avec une sorte d'échec moral [3], et les adultes paraissent bien souvent désemparés devant «l'attente anxieuse et impatiente des jeunes: qui ne saisit, dans les pays riches, leur angoisse devant la technocratie envaissante, leur refus d'une société qui ne réussit pas à les intégrer, et, dans les pays pauvres, leur plainte de ne pouvoir, faute de préparation suffisante et adaptée, apporter leur concours généreux aux tâches qui les sollicitent [4]»

4. «La faim d'instruction n'est pas moins déprimante que la faim d'aliments [5]». Aussi la création, par l'Organisation des Nations Unies, de l'UNESCO, agence spécialisée pour l'éducation, la science et la culture, a-t-elle fait naître de légitimes espoirs, et l'Eglise, pour sa part, n'a cessé de collaborer avec cette méritante institution, tout particulièrement en cette Année internationale de l'éducation. C'est ainsi, par exemple, qu'en plus des activités traditionnelles d'enseignement, en étroit accord avec les pouvoirs publics, auxquels il convient de rendre hommage, on a vu se développer, dans de jeunes chrétientés, l'alphabétisation fonctionnelle et l'emploi des moyens modernes de communication sociale au service de plus larges secteurs de la population rurale. Les progrès techniques sont du reste constants en ce domaine, et rendront possible demain ce qui, hier encore, apparaissait chimérique: qui ne voit, par exemple, les possibilités immenses offertes aux éducateurs par les satellites de transmission et les vidéocassettes?

[1] J. MARITAIN, *l'Humanisme intégral*, Paris, Aubier, 1936, p. 10-11.

[2] Allocution de Paul VI au Séminaire international de périodiques catholiques européens et de la Société africaine de culture, *Osservatore Romano*, 2 octobre 1969, ou *Documentation Catholique* 66 (1969), Paris, Bayard-Presse, p. 1059.

[3] Cf. Allocution de Paul VI à la FAO, le 16 novembre 1970, n. 4, dans *l'Osservatore Romano*, 17 novembre 1970 [LE 3921].

[4] Allocution de Paul VI à l'OIT, à Genève, le 10 juin 1969, n. 23, dans *A. A. S.* 61 (1969), p. 502 [LE 3759].

[5] Encyclique *Populorum progressio*, 26 mars 1967, n. 35 [LE 3546].

5. C'est dire que l'actuelle mutation scientifique et technique et ses répercussions en chaîne sur la vie quotidienne appellent une recherche incessante de formes d'éducation toujours mieux adaptées aux nécessités changeantes d'un monde en perpétuelle évolution. Le savoir n'est plus un acquis constitué une fois pour toutes. La quantité des informations disponibles s'accroît sans cesse, cependant que méthodes et techniques se transforment continûment. Et l'étudiant d'aujour-d'hui sait qu'il sera demain affronté à des nouveautés dont ses maîtres soupçonnent à peine l'émergence. En plus de la nécessaire transmission d'un savoir, l'éducation doit tout mettre en oeuvre pour développer les facultés de jugement et de discernement, et donner aux intéressés le goût et les moyens de poursuivre par eux-mêmes plus tard leur propre éducation: en un mot, apprendre à apprendre.

6. Dans cette heure si importante pour l'avenir de l'humanité, l'Eglise entend, pour sa part, à sa manière propre, et sans jamais perdre de vue sa raison d'être qui est l'annonce de la Bonne Nouvelle du Christ Sauveur [6], poursuivre sa tâche de «mère et éducatrice» [7] dans les pays où elle s'est enracinée depuis ses origines: c'est là une exigence de «la foi qui agit avec amour [8]». Soucieux de venir en aide aux jeunes et aux adultes, aussi bien dans les nécessités de leur vie physique et intellectuelle que dans celles de leur vie morale et spirituelle, «ses missionnaires ont construit, avec des églises, des hospices et des hôpitaux, des écoles et des universités [9]». Bien loin du reste de se limiter aux établissements d'enseignement, l'Eglise a fondé de nombreuses communautés éducatives —qu'il suffise de rappeler, à des titres divers, l'oeuvre d'un don Bosco ou d'un cardinal Cardijn, à côté de celle d'un saint Jean-Baptiste de la Salle— destinées à aider les jeunes à épanouir leur personnalité en s'intégrant librement dans la vie sociale.

7. Cet effort éducatif, très diversifié à travers le temps et l'histoire, s'est particulièrement appliqué aux pauvres de tous ordres, tout spécialement aujourd'hui aux déficients physiques et mentaux et aux inadaptés. De nombreux éducateurs —religieux et religieuses en tout premier lieu— ont largement contribué pour leur part, en maints pays, à la promotion des plus défavorisés, et notamment de la femme. Ainsi, de mille manières, la tâche éducatrice de l'Eglise se poursuit à travers le monde, où elle contribue au «vral développement qui est le passage, pour chacun et pour tous, de conditions moins humaines à des conditions plus humaines [10]». Ce faisant, comme le déclarait le Pape Paul VI lors de la clôture à Rome du récent Concile oecuménique, elle ne vise qu'un seul but: «Servir l'homme [11]».

8. S'il est vrai, selon le mot fameux d'un grand philosophe, «que le corps agrandi attend un supplément d'âme, et que la mécanique exigerait une mystique [12]», l'Eglise estime que son apport éducatif, dans ce qu'il a de spécifique [13], peut aider les hommes de ce temps à réaliser en plénitude leurs meilleures aspirations: construire un monde fraternel où tous les membres de la grande famille humaine, des plus jeunes aux plus anciens, communiant avec enthousiasme à la réalisation de ce projet bien digne de galvaniser les énergies, parviennent à maîtriser progressivement les forces de la nature, à développer harmonieusement les possibilités de la culture et, dans le respect des légitimes diversités, à promouvoir une civilisation de l'universel où tous les enfants des hommes puissent vivre, libres et responsables, à l'image du Dieu d'amour qui est leur Père.

9. «C'est un humanisme plénier qu'il faut promouvoir. Qu'est-ce à dire, sinon le développement intégral de tout l'homme et de tous les hommes?... Il n'est d'humarisme vrai qu'ouvert à l'Absolu, dans la reconnaissance d'une vocation, qui donne l'idée vraie de la vie humaine... L'homme ne se réalise lui-même qu'en se dépassant [14].» Ces affirmations de l'encyclique *Populorum progressio* marquent clairement les objectifs fondamentaux de l'action éducatrice de l'Eglise, soucieuse de respecter l'équilibre de la nature et de la grâce, et d'aider les hommes à se reconnaître comme frères dans une humanité en marche vers son plein accomplissement.

10. «Conduisez-vous en enfants de lumière [15]»: cette recommandation de l'Apôtre Paul engage les chrétiens dans une quête ardente de la vérité. Bien loin de les en détourner, la foi stimule leur recherche dans tous les domaines. Ils y découvrent l'action multiforme de l'homme dans le prolongement de celle du Créateur. Celui-ci ne peut en effet apparaître comme un gênant concurrent pour sa créature, puisque les prouesses scientifiques et techniques de cette dernière se réalisent en conformité avec ses desseins [16]. L'emprise croissante de l'homme sur les forces de la nature n'est-elle pas dans le droit fil de sa vocation, tout comme la maîtrise de l'économie et l'aménagement politique de la société? N'est-ce pas l'une des tâches primordiales de l'éducation que de communiquer cet enthousiasme créateur, de partager «ce patrimoine de civilisation acquis au prix d'immenses sacrifices [17]», et d'ouvrir ainsi généreusement les chemins de l'avenir?

11. Une telle découverte des manifestations culturelles et des progrès techniques qui ont marqué la vie de l'humanité ouvre l'esprit, enrichit le coeur, forme au respect et à l'admiration raisonnée, et devient école de liberté responsable. Dans ce processus vers la conquête du vrai, la personnalité de l'éducateur est irremplaçable, car il ne s'agit plus seulement de savoir à transmettre, mais de valeur à communiquer et de vérité à découvrir, ce domaine infini dont la saisie progressive dilate l'intelligence et épanouit la personne en quête de plénitude.

12. Assoiffée d'authenticité et soupçonneuse devant toute autorité, souvent rebelle aux leçons du passé, surtout le plus proche, la génération montante en quête de vérité ne recherche-t-elle pas, plus qu'un avoir en perpétuelle évolution dont elle perçoit les limites avec acuité, une sagesse qui soit maîtresse de vie? Qui demeurerait indifférent devant cette requête? Il ne suffit pas pour y répondre des meilleures réformes pédagogiques, par ailleurs indispensables, il y faut un témoignage de vie. Toujours prêts, selon la recommandation de l'apôtre Pierre, «à répondre à quiconque vous demande raison de l'espérance qui est en vous [18]», les maîtres feront avec joie l'expérience de la parole du Christ à Nicodème: «Qui fait la vérité vient à la lumière [19]».

13. Enracinée dans une expérience vivante qui se communique, l'éducation poursuit inlassablement son but: former des hommes, leur apprendre à vivre, leur faire découvrir qu'il serait certes imprudent d'agir sans savoir, mais que savoir sans agir serait une lâcheté. Car l'acquisition du savoir et l'apprentissage du vouloir sont directement tournés vers l'agir personnel et social. Il n'est pas de véritable éducation sans mise en oeuvre de toutes les facultés humaines, de l'intelligence à la sensibilité, ni sans développement harmonieux de l'esprit et du corps. Au reste, son premier bénéficiaire n'est-il pas son agent principal, dont il s'agit d'éveiller, d'alimenter et d'orienter le dynamisme intérieur? Loin de le cantonner dans une situation de passivité, il faut donc l'initier sans tarder aux responsabilités, en lui confiant progressivement des tâches à exercer et des décisions à prendre.

14. Il n'y a donc pas d'éducation pour soi, mais un effort entrepris par des hommes concrets pour aider d'autres hommes à prendre la place qui leur revient dans leur communauté de vie, et à y exercer à leur tour leur action libre et responsable. Eduquer n'est pas transmettre une culture abstraite, mais enraciner un projet de vie dans une civilisation déterminée, en donnant les moyens de le réaliser: alphabétiser certes, mais pour ouvrir les voies à une formation adaptée, qui permettra d'apprendre un métier, d'accomplir une tâche professionnelle utile, d'oeuvrer en citoyen. Il ne saurait donc y avoir d'éducateurs figés dans un savoir sans prise sur la vie et des recettes stéréotypées, mais des maîtres habités par un constant souci de recherche et d'adaptation, préoccupés de préparer un avenir, et toujours disponibles aux requêtes des

[6] Cf. Constitution dogmatique *Lumen gentium*, 21 novembre 1964, n. 1 et 8 [LE 3232].

[7] Expression familière aux Pères de l'Eglise et reprise par Jean XXIII comme titre de l'encyclique *Mater et Magistra*, 15 mai 1961, dans *A. A. S.* 53 (1961), p. 401-464 [LE 2984].

[8] Gal. 5, 6. [9] *Populorum progressio*, n. 12. [10] *Ibid.*, n. 20. [11] *A. A. S.* 58 (1966), p. 55-59 [LE 3362].

[12] H. BERGSON, *Les Deux Sources de la morale et de la religion*, Paris, Alcan, 17e éd., 1934, p. 325.

[13] Parmi les documents de référence en la matière: BENOIT XV, lettre apostolique *Communes litteras*, 10 avril 1919, dans *A. A. S.* 11 (1919), p. 172 s.; PIE XI, lettre encyclique *Divini Illius Magistri*, 31 décembre 1929, dans *A. A. S.* 22 (1930), p. 49 s. [LE 939]; PIE XII, nombreux documents dont les plus importants sont dans *A. A. S.* (1939-1958) et commodément réunis jusqu'en 1954 dans *les Enseignements pontificaux*, *l'Education*, Paris, Desclée, 1955, ou PIE XII, *l'Education, la science et la culture*, Paris, Fleurus, 1956; JEAN XXIII, Message pour le 30e anniversaire de *Divini Illius Magistri*, 30 décembre 1959, dans *A. A. S.* 52 (1960), p. 57 s.; Concile du Vatican, Déclaration *Gravissimum educationis*, 28 octobre 1965, dans *A. A. S.* 58 (1966), p. 728 s. [LE 3333]; PAUL VI, nombreux textes dans *A. A. S.* 55 s. (1963 s.).

[14] *Populorum progressio*, n. 42.

[15] Ep. 5, 8. [16] Cf. Gn. 1, 8. [17] PAUL VI, Message de Noël 1968, dans *A. A. S.* 61 (1969), p. 56.

[18] 1 P 3, 15. [19] Jn 3, 21.

http://www.obrascatolicas.com

événements: inventions, initiatives, contestations même, pour leur donner une issue positive, sans leur enlever leur fonction stimulatrice.

15. Pour remplir convenablement leur tâche, les éducateurs ont donc besoin de s'insérer profondément dans la communauté, pour se pénétrer «de ses traditions, de ses besoins, de son niveau de culture, de l'orientation de ses tendances... et de ses exigences... interprétées, au niveau de l'école, par des individus, des groupes organisés, des institutions culturelles ou religieuses, qui se proposent précisément, comme fin propre, la formation des jeunes gens à leurs tâches futures [20]». Un certain individualisme intellectualiste a opéré trop de ravages pour qu'on ne sente impérieusement le besoin d'ouvrir largement l'éducation sur le monde [21].

16. Plus que jamais, l'éducation est en effet une oeuvre commune qui doit mobiliser à son profit toutes les forces vives de la grande communauté des hommes: la famille, certes, au premier chef, les enseignants de tous ordres avec leur apport spécifique, les groupements socioculturels et les associations professionnelles, les communautés ecclésiales enfin, toutes oeuvrant avec générosité et désintéressement pour la poursuite de ce grand oeuvre au service du bien commun dont les pouvoirs publics sont le garant [22].

17. Premiers éducateurs de leurs enfants [23], les parents ne peuvent être tenus à l'écart des orientations maîtresses données à l'enseignement. Capitale et irremplaçable, leur influence doit se conjuguer harmonieusement avec celles des spécialistes pour assurer le succès de cette tâche ardue et difficile qu'est l'éducation d'un petit d'homme et sa préparation à affronter les tâches de demain. Car l'éducation, pour réussir, doit se concevoir non comme une substitution, mais comme un complément de celle de la famille. N'est-ce pas le rôle pratiquement unique des parents d'assurer l'épanouissement harmonieux des facultés affectives de l'enfant? L'intégrité morale dont il a été le témoin chez les siens n'imprime-t-elle pas chez l'homme, pour la vie, une marque indélébile en même temps qu'un point de référence auquel il ne cesse de recourir? Dans le désarroi croissant des adultes devant les revendications impérieuses et parfois contradictoires des générations montantes, il faut que parents et enseignants définissent ensemble un projet commun, capable d'assurer l'indispensable transmission du patrimoine culturel, apte à assumer l'acquis sans cesse croissant des sciences et des techniques, en mesure enfin de préparer l'enseigné d'aujourd'hui à prendre demain en adulte responsable ses tâches professionnelles et son engagement civique dans le monde qui se construit [24].

18. Les cloisonnements qui, trop souvent, séparent les hommes, sont le fruit d'une histoire marquée par l'égoïsme, l'ambition, l'esprit de domination, le péché personnel et collectif. L'enfant et l'adolescent ne demandent qu'à vivre en symbiose avec leurs semblables, quelles que soient leur race et leur origine sociale, par-delà les différences dues à toutes les ségrégations de l'avoir et du pouvoir. Il est donc de première importance que toute ségrégation soit bannie du milieu éducatif et que celui-ci épanouisse les meilleures virtualités d'un chacun, dans une fervente atmosphère d'émulation fraternelle et de féconde amitié.

19. L'enracinement dans une culture propre va ainsi de pair avec le respect qui est dû aux autres. En se découvrant différents, les hommes prennent conscience d'être complémentaires, et leur ouverture sur l'universel est une composante essentielle de leur formation, tant il est vrai que la maîtrise du jugement et la capacité d'adaptation sont des marques propres de la vraie culture [25]. D'un bout du monde à l'autre les échanges se multiplient, des relations se nouent, des solidarités se créent, et des univers étrangers hier encore se découvrent soudain familiers. Du même coup se révèlent des inégalités blessantes et des injustices criantes qui suscitent la tentation de répondre aux carences des institutions par la révolte. Ne voit-on pas en effet des personnes et des groupes sociaux, voire des peuples entiers, continuer égoïstement à s'enrichir cependant que d'autres —le plus grand nombre— se trouvent condamnés à la stagnation ou même à la régression?

20. L'année internationale de l'éducation, conjugué avec le lancement de la deuxième décennie du développement, fournit l'occasion providentielle d'une prise de conscience responsable de ce phénomène indigne d'une humanité civilisée. Au moment où le développement de l'éducation mobilise des forces de plus en plus grandes, celles-ci manqueraient à leur tâche si elles ne favorisaient par tous les moyens en leur pouvoir l'éducation au développement. L'indifférence et la passivité ne sont plus de mise devant ce drame de notre temps dénoncé avec angoisse par l'encyclique *Populorum progressio*. Une «conscientisation», comme on l'a dit à bon droit, s'avère indispensable, et l'on peut espérer qu'elle jaillisse à travers ce monde assoiffé de justice comme une source irrépressible d'espérance.

21. En fécondant les intelligences et en forgeant les volontés, l'éducation éveille en même temps les consciences et appelle à l'action. Un tel effort requiert l'harmonieuse conjugaison des diverses communautés humaines. L'Eglise pour sa part n'a d'autre ambition que de continuer à y contribuer. Ne revendiquant rien d'autre que la liberté de servir [26], les éducateurs catholiques souhaitent travailler en symbiose étroite avec tous les éducateurs, dans une loyale collaboration avec les responsables du bien commun de la cité. Et ils s'efforcent de bannir de leur action toute tentation de particularisme étroit ou de rivalité agressive. Il n'est pas de trop de toutes les bonnes volontés pour réussir la tâche éducative qui impose son urgence aux hommes d'aujourd'hui, s'ils veulent assurer l'harmonieusepro motion de l'humain dansl'ho mme et dans la société.

22. A une heure où l'on aspire de toutes parts à un renouveau du projet éducatif et à un renouvellement des méthodes pédagogiques, l'Eglise, dans la fidelité aux exigences spirituelles qui l'animent, exhorte tous ses fils à oeuvrer avec compétence et discernement, chacun avec la responsabilité qui lui revient —parents, éducateurs, animateurs, responsables civiques, —a une authentique formation humaine. Dans ses propres centres d'éducation, elle s'efforce, tout en donnant les connaissances nécessaires et en développant les aptitudes socio-professionnelles, d'inculquer une juste notion des vraies valeurs, de former aux vertus personnelles et sociales, et de transmettre, avec la foi au Christ, l'amour de l'homme. Partout où les catholiques sont employés dans des tâches éducatives, elle leur demande de ne se distinguer que par leur généreuse contribution à l'oeuvre commune, leur désintéressement, leur souci de susciter des communautés ouvertes et fraternelles, leur préoccupation d'épanouir harmonieusement toutes les virtualités des personnes qui leur sont confiées, dans le respect des vocations propres, et la promotion des vraies valeurs.

23. Une immense tâche sollicite les hommes d'aujourd'hui. Ce n'est pas dans le désenchantement qu'ils pourraient l'accomplir. En prenant une vue plus exacte des besoins d'un avenir dont la prospective permet de discerner les orientations majeures, et en recherchant les moyens d'y répondre, l'année internationale de l'éducation est une occasion, pour tous les responsables, d'approfondir leurs convictions et de repartir de l'avant avec enthousiasme. Par-delà les légitimes différences de conviction qui habitent les hommes, il leur faut s'accorder sur un projet commun: bâtir ensemble une société d'hommes libres et responsables, tant il est vrai que le problème le plus crucial auquel notre système éducationnel a affaire n'est pas un problème d'éducation, mais un problème de civilisation [27]. Le terme ultime de toute éducation authentique est la sagesse, faite de science et de conscience. Par la science, l'homme, dernier venu sur la terre mais seul être doué d'intelligence, pénètre les secrets de la nature et, par la conquête humaine; constitué gérant de la création, il découvre, dans sa collaboration à l'oeuvre divine et dans la domination de la matière, sa dignité de personne humaine, fondement d'une société vraiment fraternelle. Quelle tâche exaltante pour tous les éducateurs: mettre les hommes en mesure d'accomplir, en hommes, leur merveilleuse destinée!

[20] Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 43e Semaine sociale de France sur «L'enseignement, problème social», dans le compte rendu de la Semaine, Lyon, *Chronique sociale de France*, 1958, p. 6.
[21] Cf. Message de René Maheu, directeur général de l'UNESCO, pour l'Année internationale de l'éducation.
[22] Cf. JEAN XXIII, encyclique *Pacem in terris*, 11 avril 1963, dans *A. A. S.* 55 (1963), p. 301 s. [LE 3128].
[23] PAUL VI, Discours aux Equipes Notre-Dame, 4 mai 1970, n. 10-11, dans *A. A. S.* 62 (1970), p. 432-433.
[24] Cf. JEAN XXIII, encyclique *Mater et magistra*, 15 mai 1961, dans *A. A. S.* 53 (1961), p. 450 s. [LE 3984].
[25] Cf. Constitution pastorale *Gaudium et spes*, 7 décembre 1965, n. 53-62 [LE 3366].
[26] Déclaration *Dignitatis humanae*, 7 décembre 1965, n. 13 [LE 3363].
[27] J. MARITAIN, *Pour une philosophie de l'éducation*. Paris, Fayard, 1969, p. 155.

* Directori Generali sUnesco: Doc. Cath. 68 (1971) 213-217.

3931

1970 DEC 8.-SC RELIG., DECR. AAS 63 (1971) 318-319

NOVAE NORMAE CIRCA USUM ET ADMINISTRATIONEM SACRAMENTI PAENITENTIAE, PRAESERTIM APUD RELIGIOSAS, ET CIRCA EXCLUSIONEM A PROFESSIONE PERPETUA EMITTENDA OB INFIRMITATIS CAUSAM

Dum canonicarum legum recognitio perficitur, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus opportunum duxit, ob non paucas instantes causas, in Plenario Coetu suo examini subicere quaestiones quasdam circa usum et administrationem Sacramenti Paenitentiae, praesertim apud Religiosas, necnon circa idoneitatem ad professionem religiosam in quodam casu peculiari.

Omnibus igitur mature perpensis, Patres in Coetu Plenario, diebus 26 et 27 Octobris 1970 celebrato, haec statuenda censuerunt:

1. Religiosi, utpote speciali ratione cum Ecclesia coniuncti, quae «paenitentiam et renovationem continuo prosequitur» (Const. *Lumen gentium*, n. 8) [LE 3232], magni faciant Sacramentum Paenitentiae, quo primarium donum «metanoiae» seu conversionis ad Christi regnum per baptismum olim receptum, in membris Ecclesiae peccantibus restauratur et roboratur (Cfr. Const. Ap. *Paenitemini*, *A. A. S.* 58 [1966], pp. 179-180) [LE 3412], venia offensionis Deo illatae ab eius misericordia obtinetur et simul reconciliatio fit cum Ecclesia, quam peccando vulneramus (Cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 11).

2. Inde pariter magni faciant huius Sacramenti crebrum usum, quo recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, salutaris animarum moderatio procuratur atque gratia uberior efficitur; hi et alii mirabiles fructus non solum ad alacriorem cotidie per virtutis iter progressionem faciendam maxime adiuvant, sed etiam ad commune bonum totius communitatis afferunt incrementum (Cfr. Litt. Encycl. *Mystici Corporis*, *A. A. S.* 35 [1943], p. 235) [LE 1759].

3. Religiosi igitur, de propria coniunctione cum Deo fovenda solliciti, frequenter, i. e. bis in mense ad Paenitentiae Sacramentum accedere satagant; Superiores vero frequentiam huiusmodi promovere studeant atque provideant ut sodales alternis saltem hebdomadis ac etiam saepius, si id cupiunt, sacramentalem confessionem peragere possint.

4. Quod ad confessiones Religiosarum nominatim attinet, statuitur:

a) Religiosae omnes atque novitiae, ut in hac re debita libertate/ fruantur, confessionem sacramentalem valide et licite instituere possunt apud quemcumque sacerdotem ad confessiones audiendas in loco approbatum, neque ad hoc specialis iurisdictio (c. 876) vel designatio requiritur. 319

b) Tamen, quo melius communitatum bono consulatur, monasteriis vitae contemplativae, domibus formationis et communitatibus numerosioribus confessarius ordinarius detur; et saltem monasteriis praedictis necnon domibus formationis etiam extraordinarius, nulla vero facta obligatione ad illos accedendi.

c) Pro aliis communitatibus confessarius ordinarius nominari potest, si adiuncta peculiaria id suadeant, iudicio Ordinarii, ac de praevia communitatis instantia vel consultatione.

d) Ordinarius loci confessarios accurate seligat, qui congruenti maturitate aliisque necessariis qualitatibus polleant; ipse iudicet de numero, aetate et duratione in munere, necnon ad illos nominandos vel ulterius confirmandos procedat collatis consiliis cum communitate cuius interest.

e) Praescripta canonum, quae praecedentibus determinationibus contraria sunt, vel quae cum illis componi nequeunt, vel quae, illis perspectis, ratione et applicatione carent, suspensa manent.

5. Quae praecedenti numero statuuntur, valent quoque pro communitatibus laicalibus virorum quatenus ipsis applicari possunt.

Quoad clausulam finalem can. 637 C. I. C., ea ita intelligenda est, ut a votis renovandis vel a professione perpetua emittenda excludi possit a Superiore competenti de consensu sui Consilii professus a votis temporariis qui, praevio medicorum vel aliorum peritorum iudicio, ob infirmitatem physicam vel mentalem, etiam post professionem contractam, non idoneus comperitur ad vitam religiosam ducendam absque damno sive ipsius religiosi, sive Instituti ad quod pertinet. In his casibus diiudicandis caritate atque aequitate uti oportet.

Has dispositiones Summus Pontifex Paulus PP. VI in audientia die 20 Novembris huius Sacrae Congregationis Secretario concessa, dignatus est approbare, easdemque statim in usum deduci iussit absque ulla exsecutionis formula et donec iuris canonici Codex recognitus vim obtinebit.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 8 Decembris 1970.—HILDEBRANDUS Card. ANTONIUTTI, *Praef.* Eduardus Heston, *Secretarius*.

* **Adn. Vie cons.** 43 (1971) 248; C. BROVETTO in **Vita cons.** 8 (1971) 197-206; M. CABREROS in **Vida rel.** 30 (1970) 358-366; J. M. CILLER in **Vida rel.** 31 (1971) 309-315; J. F. GALLEN in **Review for Religious** 30 (1971) 943-950; E. GAMBARI in **Vita cons.** 8 (1971) 277-289, 359-364; C. GORRICHO in **Vida rel.** 31 (1971) 180-186; J. DE J. ANAYA in **Vinculum** 19 (1971) 182-186; A. PEINADOR in **Vida rel.** 31 (1971) 8-15; E. F. REGATILLO in **Confer** 10 (1971) 701-707 et in **Sal terrae** 60 (1972) 293-301; **Vida rel.** 30 (1970) 358-366; F. TIMMERMANS in **The Clergy Monthly** 35 (1971) 213-215.

3932

1970 DEC 12.-SC PRO CAUSIS SANCT., INSTR. PART.*

INSTRUCTIO SERVANDA IN RECOGNITIONE CANONICA ET TUMULATIONE EXUVIARUM SERVORUM DEI

Receptis Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum Litteris et hac mea Instructione, Ordinarius Sublacensis accerset Promotorem Iustitiae Curiae, qui in hoc expediendo negotio Subpromotoris Fidei vices gerat, et Notarium ecclesiasticum, etiam ad hoc tantum deputandum, eisque negotium hoc pandet, ac rationem constituet, qua omnia religiose impleantur.

Hoc autem opus, quemadmodum et rem totam Ordinarius si lubeat, perficiat per Sacerdotem ad hoc Delegatum.

Die et hora opportune designatis, Ordinarius sublacensis eiusve Delegatus, una cum Subpromotore Fidei et Notario, locum adibit in quo Servorum Dei Francisci a Ghisone et Mariani ab Arce Casali exuviae tumulatae sunt, nempe ecclesiam S. Francisci Bellegrae, Sublacen.

Adstabunt fabri quos opus postulet, qui iuramentum de munere fideliter adimplendo coram Ordinario eiusve Delegato emittent.

Possunt actui assistere sacerdotes, religiosi, religiosae et laici quos Ordinarius vel eius Delegatus, pro sua prudentia, adesse censuerit quorum saltem duo uti testes Acta subscribant, excluso tamen quovis populi concursu.

Emissis praedictis iuramentis, Ordinarius vel eius Delegatus, si aliqui adsunt testes qui ultimae exuviarum Servorum Dei humationi praesentes fuerint et opportunum duxerit eos audire ad sepulcrorum et urnarum exuviarum identitatem in tuto collocandam, eos sub iuramento religionis secreto audiat, et postea Acta postremae repositionis exuviarum, si asserventur, a Notario, coram omnibus, clara voce perlegi iubeat.

Identitate sepulcrorum, etiam testium excussione et Actorum lectione ut supra, in tuto collocata, e tumulo extrahantur exuviarum arcae et Ordinarius vel eius Delegatus cum Subpromotore Fidei diligenter easdem inspiciat ut constet de identitate sigillorum et de omnium congruentia cum iis quae in Actis et a testibus descripta sunt.

Si autem desit Instrumentum ultimae repositionis vel sigilla ipsaeque capsae exuviarum effracta appareant, inspectiones omnesque possibiles industriae adhibeantur, in Actis sedulo inserendae, ut certe constet oblatas exuvias revera esse Servorum Dei de quibus agitur.

Si autem gravis suspicio subsit de identitate exuviarum, rem intermittere oportet, et Ordinarius vel eius Delegatus Sacram Congregationem pro Causis Sanctorum certiorem faciat, rationibus dubii allatis.

Mox aperiantur arcae Servorum Dei exuvias complectentes et exuviae collocentur super duabus mensis, mappa albi coloris coopertis, ut a Peritis a pulvere aliisque sordibus mundentur, adhibita si oportet aliorum Peritorum opera, quibus antea iuramentum deferatur.

http://www.obrascatolicas.com

Quibus peractis, Periti anatomici exuvias Servorum Dei sedulo inspiciant earumque statum describant, praeterea omnes corporis partes quae supersint, religiose determinent in relatione ab ipsis exaranda et subsignanda, quae Actis addenda est.

Si in unica sessione exuviarum recognitio perfici nequeat, locus in quo fit, ita claudatur ac prudentes cautelae adhibeantur ut quodlibet furti aut profanationis periculum vitari possit.

Dein, peractis omnibus necessariis ut exuviarum conservationi consulatur, atque compositis in iisdem urnis vel in novis (si lubeat) Servorum Dei exuviis, in iis reponatur quidquid in veteribus repertum fuerit.

Ordinarius elusve Delegatus, curabit ut nemo aliquid ex urnis subtrahat vel aliquid furtim in ipsas inferat.

Quod si novis vestibus exuviae induantur caveatur ut novae vestes cum repertis, quantum fieri possit, cohaereant.

Mox urnae claudantur et obligentur vittis sigillo Ordinarii Sublacensis obfirmatis.

Tandem exuviarum urnae eorumdem Servorum Dei ad novum locum designatum eiusdem ecclesiae S. Francisci Bellegrae deducantur ibique condantur, dummodo eaedem urnae exuvias complectentes, *e pavimento vel pariete non promineant, atque ab altari quolibet unius metri saltem spatio distent.*

Serventur tamen normae liturgicae, videlicet translatio privata ratione fiat, ulla absque pompa et ullo absque publici cultus indicio vel signo.

Totius vero recognitionis, translationis et novae repositionis adiuncta, pariterque urnarum mensuram ac formam necnon novorum sepulcrorum formam et inscriptiones iisdem appositas, Notarius in Instrumento ab ipso conficiendo referat, cui suam subsignationem apponant Ordinarius elusve Delegatus, Subpromotor Fidei, testes ac ipse Notarius qui et sigillo Curiae Sublacen. signabit.

In Relatione omnium quae gesta sunt a Notario conficiendа, inserantur Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, haec Instructio necnon praecedentis repositionis exuviarum eorumdem Servorum Dei Acta, si asserventur, et authenticum omnium Actorum exemplar, prius cum authographo collatum, ad Sacram Congregationem pro Causis Sanctorum transmittatur.

Cetera vero, si quae occurrunt, pro re nata, commendantur Ordinarii Sublacen. elusve Delegati atque etiam Subpromotoris Fidei religioni, prudentiae et in omnibus gerendis dexteritati, quibus Sanctissimus Dominus Noster Paulus Papa VI et Sacra Congregatio pro Causis Sanctorum plurimum confidunt.

Romae, die 12 decembris 1970.—Fr. Raphael Pérez, O. S. A., *Fidei Promotor generalis.*

* Pro Excmo Ordinario Sublacensi sive pro eius Vicario, vel alio sacerdote, ab eodem Ordinario deputando, qui exuviae Servorum Dei Francisci a Obisono et Mariani ab Arce Casali, clerici professi et laici professi O. F. M., peracta canonica recognitione, in novum locum ecclesiae S. Francisci Bellegrae, ubi hucusque easdem adservantur, tumulari valeant, Prot. N. Var. N. 272/970: AOFM 90 (1971) 48-49.

3933

1970 DEC 15.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

De recursu ad sectionem alteram Signaturae Apostolicae et de remediis contra decisiones Congressus ipsius Signaturae

Facti Species.—Titius sacerdos, officialis Dicasterii Curiae Romanae, cum 62 suae aetatis annum ageret, postulavit ut suo officio renuntiaret, et in pensionem, uti aiunt, mitteretur.

Iuxta normas eiusdem Dicasterii pro integra pensione officiali dimissionario tribuenda, requirebantur 35 anni in munere acti atque aetas 65 annorum. Quum vero Titio deessent 26 menses ad aetatem requisitam, ipsi tribuenda erat pensio minor. Nihilominus, perpensa officialis condicione, Dicasterium integram ei tribuit pensionem.

At Titius maiorem desiderabat pensionem. Ideo, reputans suum officium, ob peculiaria munera ab ipso exepleta, maioris gradus esse quam aliorum officialium gradus eiusdem nominis, petiit ut ascriberetur inter Officiales Maiores primae classis, non autem secundae, prouti caeteri collegae.

Instantia fuit quidem in Congressu disceptata, sed non definita. Cardinalis Praefectus suis litteris notum fecit Titio se non posse ipsius instantiae accedere, quia munus ei commissum non videbatur accensendum illis reservatis Officialibus maioribus primae classis. Ceterum solummodo Romanus Pontifex poterat definire quales Officiales accensendi sint primae classi.

Contra hanc declarationem Titius, praetermisso quovis gravamine apud idem Dicasterium, recursum interposuit ad Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae, Servatis de iure servandis, in Congressu coram Cardinali Praefecto, proposito recursu adversus decisionem Dicasterii, qua Titio denegabatur gradus Officialis Maioris primae classis, decretum est: «*cum ius adquisitum non adsit, petita a Rev.do Sacerdote ex iustitia debita non sunt*».

Adversus hanc decisionem Patronus Titii recursum fecit ad Collegium Cardinalium Iudicum; sed Congressus, recepto actu interpositionis recursus, non transmissit illum ad Collegium, sed decretum edidit: «*recursum ad Collegium Iudicans non esse admittendum cum nullo solido fundamento nitatur*».

Contra hanc alteram decisionem Titii Patronus proposuit *querelam nullitatis*, affirmans decretum fuisse a Congressu latum «nemine petente», nam ipse Collegium Iudicans adiverat, non autem Congressum. Ideo iterum institutit ut Collegium Iudicans de admissione recursus decerneret. Audita altera parte, modo quaeritur: utrum Titius recursus et querelam nullitatis ad normam iuris interposuerit, et utrum Congressus Alterius Sectionis Signaturae Apostolicae hos recursus pariter ad normam iuris reiecerit.

In Iure et in Facto.—1. Attento praescripto art. 106 Const. «*Regimini Ecclesiae Universae*» [LE 3588], «per Alteram Sectionem Signatura Apostolica contentiones dirimit ortas ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae, et ad eam, ob interpositam appellationem seu recursum adversus decisionem competentis Dicasterii, delatas, quoties contenditur actum ipsum legem aliquam violasse. In his casibus videt sive de admissione recursus sive de illegitimitate actus impugnati».

Recurrens, nec in suo recursu nec postea determinavit quales essent in casu leges violatae. Non demonstravit S. Dicasterium errorem iuris in procedendo vel in decidendo commisisse. Ipse quidem asserit se altiore munere functum esse et consequenter se habere ius acquisitum, ut inter Officiales Maiores primi gradus adscribatur; sed quo iure id teneat, nunquam patefecit; deest enim lex quae dicat Officialem Maiorem secundae classis, qui *de facto* munera quaedam in quaestionibus diversae naturae expleverit, ius acquisitum habere ut adscribatur inter Officiales Maiores primae classis. Ceteroqui, solummodo Romanus Pontifex potest definire quales Officiales accensendi sint primae classi, attentis muneribus iisdem commissis; ideoque, ex una parte evidens est incompetentia S. Dicasterii in subiecta materia, ex alia parte non habetur definitio Summi Pontificis in casu.

Nec allegari potest «*Regolamento Generale della Curia Romana*» [LE 3629], quod admittit recursum, in devolutivo tantum, ad Signaturam Apostolicam adversus decisiones definitivas SS. Congregationum; nam hoc in duobus casibus tantum admittitur, in casibus scilicet de quibus mentio habetur in art. 70 et in art. 95; sed neuter casus est ad rem.

Consequenter, cum in casu non habeatur lex seu aliqua norma iuridica, recurrens non potest allegare legis violationem, et merito Altera Sectio decrevit recursum non esse admittendum ad disceptationem.

2. Comma alterum art. 116 *Normarum Specialium* [LE 3636] statuit: «Contra decretum reiectionis, datur recursus ad Collegium Iudicans, intra terminos iure canonico statutos».

Collegium vero Iudicans non debet videre de ipsa legis violatione seu de merito quaestionis, sed tantummodo de illegitimitate actus impugnati: an scilicet recursus sit non destitutus quolibet legitimo fundamento, quolibet fumo boni iuris. Quam ob rem recursus non potest fieri *cum iisdem*, id est nullo adducto novo argumento vel elemento.

Re quidem vera: admissio recursus *cum iisdem*, ex una parte videretur quaedam capitis diminutio Congressus, qui de facto impar semper fieret ad definitive decernendum super simplici fumo boni iuris recursus, seu super admissione vel reiectione recursus. Ex altera parte decisio definitiva super hac quaestione semper deferenda esset Collegio Iudicanti quinque vel minus: Cardinalis Praefectus deberet Collegium constituere, Cardinalem Ponentem designare, Collegium convocare etc.; similiter deberet fieri quaedam disceptatio ad arbitrium partis sese reputantis gravatam propter admissionem recursus disceptationis super admissione recursus, quae diuturnum expostularet tempus pro sua tractatione, quod minime congruit naturae iustitiae administrativae ac spiritui *Normarum Specialium*, quae omnes sunt ordinatae ad sollicitandum curriculum processualem seu ad vitandas moras processuales, quae regimini Ecclesiae frequenter officerent.

Verum est quod ius conditum, id est art. 116 *Normarum Specialium* non determinat, in fine alterius commatis, requisita appellationis, non excludit explicite recursum *cum iisdem*, non exigit expresse rationes suppletivas, quae valeant recursum sustinere. At norma non est in se et per se interpretanda, sed comparanda cum aliis normis; nec omnia exprimit, quae sensus communis requirit. Ex eo autem quod decisiones Signaturae Apostolicae motivis sint destitutae, non sequitur quod sit impossibile nova adducere argumenta et probationes in appellatione, nam pars recurrens, quae iam in curriculo administrativo coram S. Dicasterio peracto sua argumenta et probationes praestitit, optime scit ob quales rationes sua instantia reiecta fuit. Si revera argumenta nova in casu particulari desint, cognitio motivorum locum dare potest iuris disceptationi, non autem ulterioribus probationibus.

Ergo, cum adversus reiectionem recursus, decretam a Congressu, Patronus recurrentis appellaverit *cum iisdem* ad Collegium Iudicans, eius appellatio non est admittenda.

3. An Congressus potuerit praevie iudicare de admissione vel reiectione appellationis ad Collegium Iudicans.

Iuxta opinionem Patroni partis recurrentis, cum ipse appellationem interposuit ad Collegium Iudicans, altera Congressus decisio, quae appellationem reiecit et iterum confirmavit recursum non esse admittendum, lata est *nemine petente*. Ergo Patronus censet appellationem, in casu, interponendam esse *directe* coram Collegio Cardinalium.

Sed haec opinio sustineri non videtur. Non *in facto*, quia ipse interposuit appellationem coram Congressu *a quo*; secus appellatio nullius valoris censenda esset. Non *in iure*, nam in iure canonico omnes appellationes proponendae sunt coram Iudice *a quo* (can. 1881). In S. Romana Rota, ex. gr., appellatio interponitur coram Turno a quo, atque Ponens vel Turnus, si casus ferat, potest eandem admittere vel reiicere. (*Normae S. R. Rotae Tribunalis*, art. 155) [LE 1223].

Ideo Congressus, perpensis novis argumentis a recurrente allatis, potest: *a)* vel admittere recursum ad Collegium Iudicans contra suum reiectionis decretum, agnoscens non esse amplius manifestum defectum fundamenti; *b)* vel iterum reiicere recursum, declarando ipsum adhuc carere manifesto fundamento; *c)* vel, in dubio, remittere recursum ad Collegium Iudicans, quod in eadem sessione decernere debet de illegitimitate vel minus decisionis impugnatae, nisi probationes causae videantur ulteriorem instructionem expostulare.

Consequenter, alterum Congressus decretum nullo modo dici potest «latum a iudice absolute incompetente»; sed censendum est latum a iudice, qui solus erat competens in casu, nempe pollet fundamento.

Sed, cum irritantes et inhabilitantes eae tantum leges habendae sint quibus aut actum esse nullum, aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur (can. 11); cum art. 116 *Normarum Specialium* non statuat appellationem ad Collegium Iudicans cum iisdem seu sine novis argumentis vel elementis esse invalidam, Collegio Iudicanti competit solvere dubium: An constet de iure appellandi in casu, et consequenter de illegitimitate actus impugnati.

Decisio.—In Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto die 15 decembris 1970, propositis recursu et querela nullitatis a Patrono recurrentis adversus decretum Congressus Signaturae Apostolicae die 17 novembris 1970 interpositis, ad obtinendum ut quaestio de admissione vel reiectione causae principalis definiatur a Collegio Iudicante ad normam commatis II art. 116 *Normarum* huius Supremi Tribunalis, decretum est: *Ad Collegium iudicans, si et quatenus.*

* Apoll. 44 (1971) 34-38.

3934

1970 DEC 19.-SC EPISCOPORUM, DECRETUM. PART.*

Statuta Conferentiae Episcopalis Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis approbantur ad quinquennium

Art. I—The National Conference of Catholic Bishops is an assembly of the Hierarchy of the United States and its territories. The purpose of the Conference is to foster the collegial concern of these bishops for the Church and society both in the United States and throughout the world.

Art. II—*a)* The *de iure* members of the Conference are: 1) Local Ordinaries (vicars general excluded), Coadjutors and Auxiliaries of any rite who are in the service of the local diocesan Churches in the United States or its territories; 2) Bishops who are performing a special work entrusted to them by the Episcopal Conference or by the Holy See in the service of the Church in the United States or its territories.

b) Upon retirement, the above mentioned members, whil not considered *de iure* members according to the norms o *Christus Dominus* [LE 3332], retain membership in the Conference. This shall include the right to speak on all issues. The right to vote, however, shall extend to all matters except those which by law are binding when approved by two-thirds of the membership (cf. *Article* XIV) and those involving the acceptance of financial obligations (cf. *Article* XV).

Art. III—Persons enumerated in Article 2 who belong to other episcopal conferences are not eligible for membership in the National Conference of Catholic Bishops.

Art. IV—The Conference shall have as elected officers, a President, Vice President, Treasurer and Secretary; it shall function through a Plenary Assembly, an Administrative Committee, an Executive Committee, other standing and *ad hoc* committees deemed necessary by the Conference, and a General Secretariat.

Art. V—All members of the Conference have the right to vote in Conference elections. Subject to conditions to be established in the bylaws, all *de iure* members of the Conference are eligible for election to any office provided they do not already hold an elected office. Occupancy of an elective office shall not make a member ineligible for the office of President.

Art. VI—A Plenary Assembly of the Conference is to be held at least once a year. Additional sessions may, with approval of the Administrative Committee, be convened by the President when such are deemed necessary or opportune. The President of the Conference presides at the Plenary Assemblies. When in session, this Assembly possesses the full authority of the Conference. All officers and committees of the Conference, therefore, are answerable to it.

Art. VII—In a spirit of collegial concern for the needs of the Church, especially in the United States, all members of the Conference have a responsibility to attend Plenary Assemblies unless impeded for serious reasons.

Art. VIII—Non-members of the Conference may be permitted to attend a Plenary Assembly as observers with the right to speak provided this meets with the express approval of the Administrative Committee of the Conference.

Art. IX—The Apostolic Delegate shall be invited by the President to meet with the general membership during the course of each Plenary Assembly.

Art. X—It is the duty of the Administrative Committee to carry on the work of the Conference between Plenary Sessions, to prepare the programs for these sessions, to review actions taken by the Executive Committee and to moderate the woork of the General Secretariat of the Conference.

Art. XI—It is the duty of the Executive Committee to deal with urgent Conference matters when the Administrative Committee is not in session, to prepare and present for approval by the general membership the actual agenda of the Plenary Assembly, and to make recommendations to the Administrative Committee and the general membership concerning the issuance of Conference statements.

Art. XII—All administrative matters proper to the Conference and its activity shall be coordinated through the NCCB General Secretariat. The Office of the General Secretary will follow closely the work of the Conference committees and will be responsible for the coordination of their activities and staff. The General Secretariat is algo responsible for the preparation and arrangements for meetings of the Administrative Committee and of the general membership and for the maintenance of the Conference files and archives.

Art. XIII—Decisions of the Conference are normally devoid of juridical binding force. Nonetheless, when passed by a two-thirds majority of those voting, they should be observed by all members as an expression of collegial co-responsibility.

Art. XIV—Decisions of the Conference possessing juridical binding force are only those passed by a two-thirds majority of the *de iure* membership (cf. Art. II-a) and clearly called for in general canonical legislation or in special mandates issued by the Holy See either *motu proprio* or at the request of two-thirds of the *de iure* membership.

Art. XV—In the determination of diocesan quotas or of special assessments on individual dioceses, only the local Ordinaries (vicars general excluded) shall have a deliberative vote.

Art. XVI—Two-thirds of the general membership shall constitute a quorum in the Conference.

Art. XVII—The statutes of the National Conference of Catholic Bishops require recognition by the Holy See. Modification and amendments likewise call for similar recognition.

* Jurist 32 (1972) 109-112. Alias Normas addititias huius Conferentiae Episcopalis vide apud Jurist 32 (1972) 112-128.

3935

1970 DEC 26.-PAULUS VI, LIT. AAS 63 (1971) 362-363

Apostolicae Nuntiaturae in Liberiana Republica quaedam territoria aggregantur

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Christi amor, quem Petrus ad mare Tiberiadis apertissime professus est, quique undantium aquarum instar, labentibus saeculis, per prae-

http://www.obrascatolicas.com

decessores Nostros Nobis transmissus est, tam urget in pectore, ut quidquid intellexerimus posse pro Ecclesia aliquid utilitatis habere aut alicui Sedi seu regioni pubblica commoda afferre, id, quantum possumus maxime, sive rebus omnibus anteferamus, sive praecipua et antiquissima cura comparare studeamus.

Quam ob rem, cum Sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando, rebus quo par est studio perpensis, auditisque venerabilibus Fratribus Amelio Poggi, Archiepiscopo titulo Cercinitano et in Africa Media-Occidentali apostolico Delegato; item Ioanne Mariani, Archiepiscopo titulo Missuensi et Africae Occidentalis apostolico Delegato; Francisco Carroll, Archiepiscopo titulo Gabulensi et in Liberia apostolico Pronuntio; Consilio Publicis Ecclesiae Negotiis explicandis; Ordinariis denique quorum interest, declaraverit atque statuerit ut ab apostolica Delegatione Africae/
363 Mediae-Occidentalis distraheretur regio vulgo Sierra Leone, archidioecesim metropolitanam Liberae Urbis et Boënsem, et dioeceses suffraganeas Makenensem et Kenemaënsem complectens, simulque a Delegatione apostolica Africae Occidentalis detraheretur regio vulgo Gambia, quae dioecesim Barthurstensem in Gambia comprehendit, atque Nuntiaturae apostolicae Liberianae Reipublicae aggregarentur, Nos haec omnia probamus rataque habemus, prout descripta sunt.

Qua re Pronuntius in urbe Monrovia commorans postea apostolici Delegati munere pro iis territoriis fungetur.

Quae vero statuimus, sive in posterum firma esse volumus suosque effectus habere.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die sexto et vicesimo mensis decembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri octavo.—Aloisius Card. Traglia, *S. R. E. Cancellarius.*

3936

1970 DEC 28.-SIGNAT. AP., NORM. AAS 63 (1971) 486-492

Normae pro tribunalibus interdioecesanis vel regionalibus aut interregionalibus erigendis et ordinandis

Cap. I—*De tribunalium erectione decernenda*

Art. 1. § 1. Ut causarum iudicialium, praesertim matrimonialium, accuratior et celerior pertractatio evadat, in Ecclesia habeantur Tribunalia interdioecesana, regionalia vel interregionalia; horum erectio a Supremo Signa-
487 turae Apostolicae Tribunali curatur[1], sive ad Episcoporum,/ etiam Ecclesiarum Orientalium, quorum interest, petitionem, sive etiam, si casus ferat, ad eiusdem Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae decisionem.

§ 2. Erectio, constitutio et ratio procedendi horum Tribunalium reguntur normis quae sequuntur, salvo iure Ecclesiarum Orientalium.

Art. 2. § 1. Si erectio fiat petentibus Episcopis, oportet ut Episcopi quorum interest, petito et accepto «nihil obstat» Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, decretum erectionis ferant, quod tamen vim non habebit nisi post Sanctae Sedis approbationem.

§ 2. Ad «nihil obstat» petendum oportet ut Episcopi quorum interest, in respectivo coetu adunati, conveniant inter se et ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae referant:

1) De rationibus propter quas Tribunalia erigenda statuerunt.

2) De iudiciis seu causis pro quibus haec Tribunalia eriguntur, sc., utrum pro solis causis matrimonialibus, sive nullitatis sive separationis, an etiam pro causis iurium et criminalibus.

3) De numero Tribunalium primae et secundae instantiae erigendorum, clare indicatis dioecesibus (proprio suo nomine «de Curia») pro quarum territorio commune Tribunal primae et secundae instantiae sit constituendum.

4) De sede ac territorio uniuscuiusque Tribunalis, adiecta tabula geographica, in qua petita sub art. 2, § 2, n. 3, describantur.

[1] «Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae tribunalium regionalium vel interregionalium erectionem curat» (Paulus VI, Const. Apost. *Regimini Ecclesiae Universae*, 15 aug. 1967, n. 105, in *A. A. S.* 59 [1967], p. 921 [LE 3588]). [2] *A. A. S.* 58 (1966), p. 693 [LE 3332].

§ 3. Quoties agitur de Tribunalibus regionalibus, *coetus*, de quo in § 2, est respectiva Conferentia Episcopalis, ac decisio ferenda est per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum, ad normam decr. *Christus Dominus*, n. 38, 4;[2] si vero agitur de Tribunalibus interdioecesanis, quae regionalia non sunt, *coetus* intelligitur conventus Episcoporum quorum interest, qui quidem unanimes quoad singula puncta supra indicata esse debent.

§ 4. In litteris exsecutoriis decreti erectionis, de quo in art. 2, § 1, mentio fiat de Sanctae Sedis approbatione/. 488

Art. 3. Si erectio fiat promovente ac decidente Signatura Apostolica, haec secundum suum stylum et praxim procedit.

Cap. II. *De tribunalium moderatore, Iudicibus et administris*

Art. 4. Tribunal interdioecesanum, regionale, interregionale subest auctoritati Episcopi Dioecesani loci in quo situm est, vel, si sedes episcopalis vacet, Episcopi senioris respectivae circumscriptionis. Qui Episcopus, utpote Moderator Tribunalis, idem regit nomine omnium Episcoporum pro quorum territorio est constitutum, eique omnia iura et officia attribuuntur quae Ordinariis locorum circa proprium tribunal competunt ad normam sacrorum canonum, necnon ad causas nullitatis matrimonii quos attinet, ad normam Instructionis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, *Provida Mater*, diei 15 augusti 1936 [LE 1347], nisi aliud peculiariter cautum sit, vel subiecta materia aperte exigat.

Art. 5. § 1. Officialis, Iudices, Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi, necnon eorum Substituti, constituuntur ad maiorem partem absolutam suffragiorum, quae conferantur oportet in coetu communi Episcoporum respectivae circumscriptionis territorii, pro quo tribunal est erectum.

§ 2. Ceteri ministri a Moderatore Tribunalis constituuntur ad normam iuris communis.

§ 3. Officialis, Iudicum, Promotoris Iustitiae et Defensoris Vinculi nominatio nota fiat Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae.

Art. 6. Omnes praedicti:

1. sint ordinarie dignitate sacerdotali aucti, integritate morum praestantes et, saltem ad Iudices quod attinet, laurea in iure canonico praediti; / 489

2. scientia et experientia iudiciali vere polleant;

3. debitum tempus impendere valeant muneri sibi collato rite obeundo.

Art. 7. Ildem iusiurandum de officio rite fideliterque implendo praestare tenentur coram Moderatore vel eius delegato.

Art. 8. § 1. Officialis, Iudices, Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi (necnon eorum Substituti, nisi per modum actus sint deputati) removeri nequeunt ab officio nisi gravi de causa et a respectivo coetu communi Episcoporum, eodem modo quo constituti sunt.

§ 2. In casu tamen urgentis necessitatis ipse Moderator Tribunalis eos suspendere potest, sed de eorundem remotione ac substitutione provideatur iuxta art. 5, § 1, harum Normarum.

§ 3. De remotione autem semper edocenda est Signatura Apostolica.

Art. 9. § 1. Nemo iudicis munere fungi poterit qui advocati vel procuratoris munus in eodem Tribunali exercuerit aut in quolibet Tribunali actu exerceat, sive directe sive per interpositam personam.

§ 2. Idem valet quoque de Promotore Iustitiae et Defensore Vinculi.

§ 3. Omnes de quibus in art. 8 districte vetantur in quaslibet causas extra munus suum se quomodolibet ingerere.

Art. 10. Moderator Tribunalis, collatis consiliis cum ceteris Episcopis respectivae circumscriptionis territorii, album conficiat advocatorum et procuratorum; de quibus servanda sunt praescripta can. 1655-1666, itemque si iidem munus exercere debeant in causis nullitatis matrimonii, praescripta art. 47, § 4; 48, §§ 2-4; 53, § 2 praefatae Instructionis *Provida Mater.*/ 490

Cap. III. *De modo procedendi in causis pertractandis*

Art. 11. In causis pertractandis accurate serventur iuris praescripta, his tamen additis vel mutatis quae infra statuuntur.

Art. 12. Libellus porrigatur Moderatori Tribunalis competentis.

Art. 13. Causae ita inscribantur: primum ponatur nomen Tribunalis, videlicet regionalis vel interdioecesani vel interregionalis, dein nomen dioecesis a cuius Tribunali causa pertractanda fuisset in prima instantia ad normam iuris communis; postremo titulus causae; ex. gr. Florentina seu Pistorien. Nullitatis matrimonii (N. N.); Lugdunen. seu Gratianopolitan. Nullitatis matrimonii (N. N.).

Art. 14. § 1. Moderatoris Tribunalis erit tutorem vel curatorem admittere aut designare ad normam can. 1648 et 1651 et salvo praescripto art. 78, § 3, praefatae Instructionis *Provida Mater.*

§ 2. Quoad procuratorem, autem, minorum servetur praescriptum can. 1648, § 3.

§ 3. Idem tamen Moderator de his decernet collatis consiliis cum Ordinario partis cui tutor vel curator vel procurator constituendus est.

Art. 15. Ordinarius loci de quo fit sermo in art. 37-41 Intructionis *Provida Mater* intelligendus est Ordinarius domicilii coniugum; qui quidem antequam proprium iudicium ferat, opportune cum moderatore tribunalis aget.

Art. 16. § 1. In casibus exceptis, de quibus can. 1990-1992, quaelibet petitio remittatur ad Moderatorem
491 Tribunalis, qui, praehabito voto Episcopi / domicilii coniugum, de eadem videat ad normam art. 226-231 superius citatae Instructionis *Provida Mater.*

§ 2. Itemque, Officialis de quo in art. 228 est Officialis eiusdem tribunalis.

Cap. IV. *De ministrorum tribunalium et advocatorum ac procuratorum remuneratione, necnon de taxis et expensis iudicialibus*

Art. 17. Iudicum et ministrorum remuneratio determinetur in coetu Episcoporum respectivae circumscriptionis territorialis, probe consideratis munerum, locorum temporumque adiunctis et causarum numero.

Art. 18. § 1. Eodem modo et iuxta eandem normam praestituatur notula cum taxarum et expensarum iudicialium, tum emolumentorum ad advocatos et procuratores spectantium.

§ 2. Eiusmodi autem notula litigantibus distincte notificari debet inde ab exhibito libello litis introductorio.

Art. 19. Quoties gratuitum vel semigratuitum patrocinium concessum fuerit, onus solvendi expensas devolvitur ad fundum constituendum a respectivo coetu Episcoporum.

Art. 20. In eodem coetu decidendum erit qua mensura seu proportione unaquaeque dioecesis relativis Tribunalibus primae et secundae instantiae opem feret, tum idoneos sacerdotes ad munera Iudicum et administrorum suppeditando, tum pecuniariam contributionem solvendo, ex qua
492 et ex Tribunalium introitibus stipendia personarum ac uniuscuiusque Tribunalis sumptus solvi possint./

Cap. V—*Normae temporaneae seu transitoriae*

Art. 21. Decretum, quo constituuntur Tribunalia interdioecesana vel regionalia aut interregionalia, sive primae sive secundae instantiae, a Sancta Sede approbatum, per Praesidem Conferentiae Episcopalis exsecutioni quamprimum mandetur, die ab eodem statuenda.

Art. 22. Quod attinet ad causas die executionis decreti pendentes apud Tribunalia dioecesana ordinaria respectivae circumscriptionis territorialis, haec serventur:

1. Causae quae agitantur in prima instantia, deferantur ad novum Tribunal primae instantiae si dubia nondum fuerint concordata ad normam iuris communis; deferri vero eidem possunt quae nullitatem matrimonii respiciunt et in phasi instructoria versantur, accedente consensu utriusque coniugis et Defensoris vinculi.

Sin autem iam editum sit praefatum decretum conclusionis in causa, sententia definitiva proferri debet a Tribunali apud quod causa introducta est.

In utroque casu appellatio interponatur apud novum Tribunal appellationis, salva tamen facultate de qua in can. 1599, § 1, n. 1.

2. Idem fiat, congrua congruis referendo, in causis quae agitantur in gradu appellationis.

Praesentes Normae suos plenarios et integros effectus obtinebunt a festo Annuntiationis B. M. V., id est a die xxv martii anni mcmlxxi.

Datum Romae, in Sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die xxviii decembris mcmlxx.—Dinus Card. Staffa, *Praef.* Ioannes M. Pinna, *a Secretis.*

Adn. G. DELGADO in Ius can. 12 (1972) 21-29; L. DEL AMO in REDC 27 (1971) 351-428.

3937

1970 DEC 28.-SIGNAT. AP., CIRC. AAS 63 (1971) 480-486

Litterae Circulares ad Praesides Conferentiarum Episcopalium de Tribunalium Ecclesiasticorum statu et activitate

Inter cetera novae competentiae capita Supremo huic Tribunali concredita vi Constitutionis *Regimini Ecclesiae Universae*, qua, die 15 augusti 1967 [LE 3528], Summus Pontifex Paulus VI Curiam Romanam reformavit, non ultimum locum tenet munus consulendi «rectae administrationi iustitiae» circa omnes causas, non exclusis matrimonialibus, ac propterea curandi Tribunalium regionalium vel interregionalium [1] vel interritualium erectionem [2].

Usque ad Curiae reformationem, Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum [3] tum vigilantiam Tribunalium quoad causas matrimoniales, tum novam eorum ordinationem et pro necessitate aptatam circumstantiis diligenter exegit. Haec autem sollicitudo nunc huic Supremo Tribunali tributa est, quia et muneri suo et competentiae unificandae congruere sapienter visum est. Quae quidem unificatio una fuit ex praecipuis normis in Romanae Curiae reformatione adhibitis, iuxta Concilii Oecumenici Vaticani II optata [4].

I

1. Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, Litteris *In Plenariis*, die 1 iulii 1932 datis [5], Tribunalium «vigilantiam» primum/ ordinavit, ita ut locorum Ordinarii 481
«tenerentur quotannis mittere eidem Sacrae Congregationi relationes de proprii Tribunalis statu et activitate.

2. Sollicitudo et activitas Sacrae Congregationis adeo excrevit ut, die 24 maii 1939 constitueretur «Officium Vigilantiae», cuius praecipuum munus erat expendere relationes atque examinare sententias omnes, quae a singulis Tribunalibus quotannis ferebantur.

3. Constitutioni autem huius Officii praeiverant Pii XI Litterae *Qua cura* Motu proprio datae die 8 decembris 1938 [6], quibus tribunalia ecclesiastica pro causis nullitatis matrimonii in Italia ordinabantur, promovente —ut ipse Romanus Pontifex fatebatur— Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum, quae plurium annorum labore notitias circa causas ac Tribunalia accurate collegerat [7].

Hanc autem primam ordinationem aliae complures in diversis nationibus, per decreta praesertim eiusdem Sacrae Congregationis, subsecutae sunt. Quibus inceptis complementum adiecit Sacra Congregatio Consistorialis, extendendo quaedam decreta Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum ad ceteras causas sive contentiosas sive criminales [8].

4. Inde patet quod, ubi agitur de Iustitiae administratione provehenda, intime inter se conexae sunt Iugis vigilantia et nova accurata Tribunalium ordinatio, prout sapienter indicavit Paulus VI, cum hoc utrumque munus per modum unius assignavit competentiae huius Supremi Tribunalis: «[Signaturae Apostolicae] integrum confirma-

[1] *A. A. S.* 59 (1967), p. 921, n. 105.
[2] Motu proprio *Sollicitudinem nostram*, can. 38 in *A. A. S.* 42 (1950), pp. 13-14 [LE 2098].
[3] Cui competebat et competit quidquid decerni concedique solet in disciplina matrimonii (cfr. C. I. C., can. 249, § 2, Const. Apost. *Regimini Ecclesiae Universae*, n. 55, in *A. A. S.* 59 [1967], pp. 903-904) [LE 3558].
[4] Decr. *Christus Dominus*, n. 9, 1 nA. *A. S.* 58 (1966), p. 676 [LE 3332].
[5] *A. A. S.* 24 (1932) pp. 272-274. Iterum editae sunt hae Litterae *A. A. S.* 28 (1936) pp. 368-370 [LE 1105]. [6] *A. A. S.* 30 (1938) pp. 410-413 [LE 1457]. [7] *A. A. S.* 30 (1938) p. 411 [LE 1457].
[8] Prima extensio facta est in favorem aliquorum Tribunalium Regionalium in Gallia per Decretum diei 18 maii 1965, in *A.A.S.* 57 (1965) pp. 100-107 [LE 3284].

http://www.obrascatolicas.com

mus invigilandi munus itemque constituendi, necessitate postulante, nova Tribunalia Regionalia vel Interregionalia, quemadmodum multis iam in regionibus providentissime actum est»[9].

II

5. Hoc Supremum Tribunal suscipiens utrumque munus sibi concreditum, dum novam Tribunalium ordinationem, litteris ad Conferentias Episcopales missis, iam curare incepit; alterum munus per praesentes litteras circulares,
482 pariter Conferentiis auditis, aggreditur,/ vigilantiam exercere volens, non ea mente ut omnia ad se unum deferat, sed ut fraternum auxilium Tribunalibus Episcoporum offerat, et eisdem, per orbem terrarum dispersis, in bonum animarum servitium praestet per rectam Iustitiae administrationem.

Huiusmodi igitur spiritu hoc Supremum Tribunal occasionem hanc arripit enixe iterum hortandi locorum Ordinarios, ut considerent an illa Tribunalium unificatio, quae iuxta Summi Pontificis verba, multis iam in regionibus «providentissime» inducta est, in propria regione etiam introduci oporteat (sacerdotibus ad diversa tribunalium munera obeunda ex ceteris quoque regionibus, si necesse sit, accitis), ut Iustitiae in universa Ecclesia administratio, praesertim quoad rem matrimonialem, celerior atque accuratior evadat, pro salute animarum, quae in gravissimo interdum versantur periculo, nisi status personalis quam citissime ac recte definiatur.

6. Ad optatae cooperationis incrementum et efficax auxilium praestandum in gravi administrandae Iustitiae officio, magnopere conferent relationes de statu et activitate quorumlibet Tribunalium ecclesiasticorum, etiam religiosorum vel in locis missionum, conficiendae a singulis eorum moderatoribus sive ad Ecclesiam Latinam sive ad Ecclesias Orientales pertineant, ratione habita tum Iuris communis tum Iurium seu normarum particularium.

7. Praedictae relationes ad hoc Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal transmittantur vel per Generale Ecclesiae Rationarium *(Ufficio Centrale di Statistica della Chiesa)* vel per Nuntios aut Delegatos Apostolicos, nisi pro aliquibus nationibus aliter expresse cautum fuerit.

III

8. In relatione, *quotannis* transmittenda, quae omnes cuiuslibet Tribunalis causas spectare debet, tum pertractatas et diiudicatas in processu formali aut in processu summario, tum solummodo introductas, responsiones dentur, quatenus res ferat, ad singula quaesita tum quae in hisce adnexa tabella proponuntur tum quae sequuntur:

9. 1) An nominatio Officialis, Vice-Officialium, ceterorumque Iudicum, Promotoris Iustitiae, Defensoris Vinculi
483 ac Notarii fiat iuxta praescripta Iuris tum quoad eorum qualitates tum quoad auctoritatem eos nominantem./

2) An ea serventur quae in iure statuta sunt de advocatis et procuratoribus, de testibus et peritis deligendis vel admittendis, et de eorum munere fideliter exsequendo.

3) An in Tribunali collegiali procedatur collegialiter necnon singuli iudices ad deliberandum convenientes, suas afferant scriptas conclusiones ad meritum causae quod attinet, additis rationibus tum in iure tum in facto, quibus ad eas conclusiones venerint.

4) An termini iudiciales et conventionales serventur, et causae quam citius absolvantur sive in prima sive in secunda instantia.

5) An taxarum iudicialium notula ad normam Iuris sit statuta, in qua praefiniatur quid partes debeant pro expensis iudicialibus, necnon quae sit retributio a partibus solvenda pro praestita advocatorum et procuratorum opera.

6) An adhibita sit debita vigilantia ne advocati et procuratores immodicum emolumentum paciscantur; et, si id fecerint, an congrua remedia in eos adhibita sint.

7) An sententia exarata fuerit non ultra mensem, eiusque publicatio facta sit non ultra bimestre a die decisionis.

8) Quibus rationibus innitatur querela nullitatis contra aliquam sententiam forte propositam.

9) Si in anno nulla sententia lata fuerit, rationes huius silentii indicentur.

10) Quibusnam ex capitibus nullitatis singulae sententiae fuerint pronuntiatae.

11) Quo ex capite casus excepti contigerint, in quibus Ordinarius nullitatem declaraverit ad normam canonum 1990-1992 C. I. C., vel Motu proprio *Sollicitudinem Nostram*, nn. 498-500[10].

[9] Const. *Regimini Ecclesiae Universae*, in *A. A. S.* 59 (1967) p. 889 [LE 3588]. [10] *A. A. S.* 42 (1950) p. 106 [LE 2098].

10. Quaesita de quibus in n. 9 et in schedulis adnexis nihil detrahunt indultis vel legibus particularibus auctoritate apostolica latis et adhuc vigentibus, et firmo iure Ecclesiarum Orientalium. Proinde relationes et responsiones eo tendere debent ut fidelis observantiae respectivarum legum processualium notitia praebeatur./ 484

IV

11. *Singulis quinquenniis*, mense ianuario, incipiendo ab anno 1972, mittatur una cum relatione de statu dioecesis, sed in separato folio, relatio de statu Tribunalis, in qua indicari debent:

1) Utrum dioecesis suum habeat Tribunal primae instantiae rite constitutum, an praesertim quod attinet ad causas de nullitate matrimoniorum, tribunali interdioecesano, et quonam, uti debeat.

2) An in dioecesi iudicia secundae instantiae haberi possint; et, quatenus affirmative, quaenam sint dioecesana Tribunalia a quorum sententiis primae instantiae ad huiusce dioecesis Tribunal appellari debeat.

3) Nomina Officialis ceterorumque Iudicum, Promotoris Iustitiae, Defensoris Vinculi, atque etiam tituli academici, quibus quisque praeditus est.

4) An saltem Officialis seu Praeses Tribunalis et Iudices laurea doctorali in iure canonico ornati sint. An iidem ceterique, de quibus sub n. 3, liberi sint ab aliis muneribus.

5) Nomina Cancellarii Tribunalis et eorum qui actuarii munere funguntur, necnon tituli academici quibus ornati sunt.

6) Advocatorum nomina et tituli academici, peculiari mentione facta eorum qui sacerdotes sunt. Ad procuratores et advocatos quod attinet, significetur an pro causis nullitatis matrimonii servata sint praescripta Iuris.

7) Index taxarum quae propter expensas Tribunalis solvendae sunt; qua mensura Curia concurrat ad expensas Tribunalis sive dioecesani aut interdioecesani sive regionalis; ratio qua iusta retributio iudicum et administrorum Tribunalis ordinatur; emolumenta quae advocatis et, ubi casus fert, peritis persolvi debent; utrum haec emolumenta solvantur directe a partibus an per Tribunalis Cancellariam; quomodo consultum sit gratuito pauperum patrocinio, et qua proportione uterque modus patrocinii statistice se habeat.

12. Non iam omnes sententiae, sed tantum eae mittendae erunt ad hoc Supremum Tribunal quae explicite requirentur, et quidem generatim sine actis, nisi interdum ipsa quoque acta expetantur./ 485

13. Hoc Supremum Tribunal certius fiat tum de nominatione Praesidum et Iudicum omnium Tribunalium, etiam Regionalium et Appellationis, adiecto brevi curriculo vitae, tum de eorundem amotione ab officio.

V

14. Quo sollertiore cura invigiletur observantiae legum processualium, quas unus Romanus Pontifex innovare potest[11], haec statuuntur:

1) Si contingat ut aliquae normae processuales alicubi praetereantur nec alia suppetat via ad earum legum observantiam obtinendam, patet recursus ad hoc Supremum Tribunal, quod providebit iuxta art. 93 Normarum Specialium Signaturae Apostolicae.

2) Remittitur Conferentiae Episcopali prudens iudicium de opportunitate vel etiam necessitate instituendi Commissionem, in qua non desint selecti Praesides tribunalium, cuius munus sit ad Apostolicam Signaturam, scripto vel ore, de tribunalium propriae regionis activitate et legum processualium observantia referre.

Quatenus specialis Commissio institui non possit, referat saltem Moderator Tribunalis.

15. Denique iuvat haec Excmis Ordinariis locorum necnon Supremis Institutorum Religiosorum Moderatoribus commendare: in primis ut, attentis normis Apostolicae Sedis[12] et recenti allocutione Summi Pontificis ad S. R.

[11] Cfr. Litteras Apostolicas Motu proprio datas die 15 iunii 1966, *De Episcoporum muneribus*, in *A. A. S.* 58 (1966) p. 469, n. IV [LE 3449]. [12] Cfr., v. g., Instr. *Provida Mater*: «... S. Sedis mens est, ut hoc Revmi locorum Ordinarii probe noscant, ut electi iuvenes, doctorali laurea saltem in iure canonico in hac Alma Urbe decorati, praesertim apud Studium S. R. Rotae, ad processus rite conficiendos atque ad recte iudicandum eruditantur, institia ac veritate ducibus» (S. C. de disciplina Sacramentorum, Instr. *Provida Mater Ecclesia*, diei 15 augusti 1936, in *A. A. S.* 28 [1936] p. 314).

486 Rotae Tribunal[13], quibus studia canonica nomi/natim pro futuris iudicibus urgentur, efformationem selectorum iuvenum ad gravissimum iudicandi munus diligenter curent, quibusvis superatis difficultatibus.

Foveant praeterea conventus vel cursus de re canonica quibus tum Iudices tum Tribunalis administri necnon advocati, propriam scientiam canonicam ac iurisprudentiae cognitionem augeant, perfectiorem reddant ac hodiernis necessitatibus aptent.

Tandem magni faciant munus iudicandi, propterea quod, etsi speciem minus gratam et allicientem fortasse prae se ferat, utpote sine delectatione et strepitu, immo in abscondito exercendum, indole vere pastorali pollet cum necessitati prospiciat animarum, ideoque in bonum Ecclesiae conferat.

Praesentes Litterae Circulares suos plenarios et integros effectus sortiantur a festo Annuntiationis B. M. V., id est a die XXV martii anni MCMLXXI.

Datum Romae, in Sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die XXVIII decembris MCMLXX.—DINUS Card. STAFFA, *Praef.* Ioannes M. Pinna, *a Secretis*.

[13] «Ma tutto questo ingente sforzo di revisione del Codice risulterebbe in buona parte sterile se contemporaneamente non si provvedesse anche a rinnovare lo studio dello stesso diritto e ad accrescere il numero di coloro che si dedicano agli studi giuridici specializzati, e che contribuiranno domani, in diversi modi e a vari livelli, ad attuare le rinnovate leggi della Chiesa... Noi ci auguriamo che il vostro Collegio presti anche ad esso un efficace contributo... continuando a svolgere un autentico lavoro di formazione canonistica mediante il vostro «Studio Rotale», che, pur essendo di recente erezione, ha già acquistato indubbi meriti dinanzi alla scienza» (Paulus VI, *Allocutio ad Praelatos Auditores, Officiales et Advocatos Tribunalis S. R. Rotae, novo litibus iudicandis ineunte anno coram admissos, die 12 februarii 1968*, in *A. A. S.* 60 [1968] p. 206) [LE 3628].

* Ada. vide sub documento anteriori: LE 3937.

3938

1970 .. ..-SC RELIGIOSORUM, NORMAE. PART.*

DOCUMENTA REMITTENDA AD NIHIL OBSTAT OBTINENDUM PRO ERECTIONE CONGREGATIONIS IURIS DIOECESANI VEL AD DECRETUM LAUDIS IMPETRANDUM

1. Nomen, cognomen in saeculo, in religione, Fundatoris vel Fundatricis, necnon primi Superioris vel primae Superiorissae generalis, cum brevi eorum curriculo vitae.
2. Relatio historico-iuridica Sodalitii ab exordio.
3. Duo exemplaria libri precum, cerimonialis et consuetudinarii (libro delle usanze, coutumier, book of customs), si in usu sint apud Sodalitium.
4. Imagines (v. photogr.) religiosi habitus pro novitiis et professis.
5. N. 6 textus Constitutionum pro Instituto Iuris dioecesani aptati vel pro Instituto Iuris pontificii.
6. Prospectus numericus (statistica) sodalium et domorum Sodalitii; si in plures dioeceses diffusae, earum Ordinarii edoceantur testimoniales ad hanc S. Congregationem directe remittendas esse.
7. Declarationes de sequentibus: *a)* an in fundatione vel progressu temporis, locum habuerint facta extraordinaria, uti visiones et similia; *b)* quae devotiones peculiares et quae specialia pietatis exercitia praeferantur; *c)* an in dioecesi aliud Institutum sit eiusdem nominis et cum eodem fine speciali.

Insuper remittatur huic S. Dicasterio summa U. S. Doll. 150 pro necessariis expensis quae, rebus absolutis, apte definientur.

* CpR 52 (1971) 191.

3939

1970 . . ..-SC CUSTUS DIVINI, RESPONSUM. PART.*

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA LITURGICA: 1.—AD INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI. 2.—AD CALENDARIUM ROMANUM

I. AD INSTITUTIONEM GENERALEM MISSALIS ROMANI

1. *Quando in fine Missae adhibetur formula benedictionis sollemnior vel oratio super populum, quomodo inserenda est in ritibus conclusionis?* RESP. In n. 124 *Inst. gen.* dicitur quod quibusdam diebus et occasionibus formulae benedictionis *praemittitur*, iuxta rubricas, alia formula sollemnior vel oratio super populum. Tunc ritus ita componitur. Post salutationem «*Dominus vobiscum*», diaconus vel, eo deficiente, monitionem his vel similibus verbis: Deinde sacerdos, manibus super populum extensis, dicit benedictionem, vel orationem super populum cui sequitur benedictio, omnibus respondentibus «Amen».

2. *In n. 26 Institutionis generalis verba «actioni sacrae» referenda sunt ad processionem sacerdotis et ministrorum vel ad totam celebrationem eucharisticam?* RESP. Verba de quibus supra referenda sunt ad processionem, quia in contextu agitur de cantu ad introitum. Tamen ipsa norma induit valorem generaliorem: qualiscumque cantus in Missa aptari debet indoli temporis et actionis, quae hic et nunc peragitur.

3. *Si panis et vinum a fidelibus offeruntur, quomodo componitur praesentatio patenae cum pane, iuxta* n. 102 *Inst. gen.?* RESP. Nulla habetur difficultas. Nam oblationes quas sacerdos a fidelibus accipit, adiuvantibus ministris, super apta mensa ponuntur et panis ac vinum ad altare deferuntur (cf. n. 101), et deinde fiunt ritus offertorii. Si autem celebrans ultimo accipit a fidelibus patenam aut pyxidem cum hostiis potest directe ad altare pergere et statim formulam oblationis panis dicere.

II. AD CALENDARIUM

4. *Quomodo transferendae sunt sollemnitates quae impediuntur a die liturgico qui praecedentia gaudet?* RESP. Generatim sollemnitates, quae impediuntur, ad proximiorem diem transferuntur (cf. *Normae de Anno liturgico et de Calendario* n. 60) [LE 3727]. Attamen sollemnitates quae in dominicis Adventus et Quadragesimae forte incidant ad diem sequentem aliquando transferri nequeunt, v. g. cum Sollemnitas S. Ioseph vel Annuntiationis Domini, dominica in Psalmis de passione Domini occurrant, et celebrari deberent post duas hebdomadas. Ideo ad difficultates minuendas, n. 5 supradictarum Normarum statuit ut in his temporibus sollemnitates forte die dominica occurrentes, sabbato praecedenti, de more, celebrentur. Si autem sabbatum liber non sit a celebrationibus sub nn. 1-8 in tabula praecedentiae recensitis, tunc servari potest principium generale, n. 60.

* Notit. 6 (1970) 404-406.

ANNUS 1971

3940

1971 IAN 1.-SC GENT. EVANG., FACULTATES. PART.*

FORMULA FACULTATUM DECENNALIUM ORDINARIIS LOCORUM IN TERRITORIIS MISSIONUM TRIBUTARUM

Firmis manentibus facultatibus ac privilegiis quae ex Lit. Ap. Motu Proprio datis Pastorale Munus [LE 3139] *ceterisque concessionibus omnibus locorum Ordinariis competunt, opportunum visum est largiri Ordinariis locorum in territoriis missionum, sicut et in praeteritum, nonnullas ampliores facultates quae ad eorum officium efficacius expediusque reddendum adhuc multum conferunt.*

Quamobrem Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, vi potestatis sibi a Summo Pontifice Paulo Divina Providentia Papa VI tributae, Ordinario N. N. facultates quae in hac Formula continentur quaeque Concilii Oecumenici Vaticani II ordinationibus et subsequenti legislationi sunt accommodatae, concedit ad decennium, quod decurrit a die 1 mensis Januarii anni 1971 ad diem 31 mensis Decembris anni 1980.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die... mensis ... anno Domini.

Formula Facultatum decennalium

1. Concedendi facultatem administrandi Confirmationis Sacramentum nonnullis sacerdotibus, absente tamen

http://www.obrascatolicas.com

aut longinque residente vel impedito quocumque Episcopo, servato ritu in Rituali Romano contento [1].

2. Concedendi facultatem sacerdotibus, qui baptismum adultis ministrant, ut, absente Episcopo, eosdem confirmare possint, antequam ad S. Eucharistiam admittantur.

3. Conferendi sacerdotibus facultatem consecrandi calices et patenas, iuxta formam in Rituali Romano praescriptam.

4. Permittendi ut Missa celebrari possit cum lumine cuiusvis generis; necnon permittendi ut Missa absque luminibus celebrari possit, in casu necessitatis.

5. Concedendi ut, iusta de causa, in celebrando S. Sacrificio et in aliis celebrationibus liturgicis adhiberi queant sacrae vestes cuiusvis coloris liturgici.

6. Concedendi sacerdotibus ut ter, diebus quoque ferialibus, Missam celebrare possint, si vera necessitas pastoralis id postulet.

7. Permittendi ut in commodum fidelium tres Missae statim post mediam noctem Nativitatis Domini celebrari possint, cauto tamen ut omnia cum debita praeparatione ac reverentia fiant.

8. Permittendi ut functiones feriae V et VI Hebdomadae Sanctae necnon Vigiliae Paschalis bis celebrari queant hora postmeridiana, prudenti Ordinarii iudicio statuta, in locis quoque ubi Missa pro fidelibus celebrari solet.

9. Concedendi ut toto anni tempore Missa de Dominica celebrari possit diebus infra hebdomadam, modo ne solemnitas occurrat.

10. Permittendi ut, iusta de causa, Sanctissimum Sacramentum cum duobus luminibus cuiusvis generis exponi possit.

11. Permittendi ut, in locis ubi nulla prorsus materia apta ad lampades nutriendas haberi potest, Sanctissimum Sacramentum etiam sine lumine asservari queat.

12. Permittendi, si sit periculum irreverentiae vel sacrilegii, ut Sanctissimum Sacramentum in loco non sacro, tuto tamen et decenti, retineri possit, etiam sine lumine.

13. Permittendi ut Sanctissima Eucharistia asservari possit ad normam can. 1265, etiamsi sacerdos bis tantum in mense Missam in sacro loco celebret.

14. Anticipandi vel prorogandi, prout bonum fidelium id exigit, tempus utile pro communione annua quae Paschalis vocatur.

15. Dispensandi, ex iusta et rationabili causa, habita etiam ratione gravitatis impedimenti, super omnibus impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro Presbyteratus ordine, ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, et ex defectu aetatis, qui biennium excedat *(Subdelegabilis)*.

In concedenda dispensatione ab impedimentis mixtae religionis vel disparitatis cultus, observentur Litterae Apostolicae, M. P. datae die 31 Martii 1970, *Matrimonia Mixta* [LE 3841].

16. Sanandi in radice, dummodo consensus perseveret, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra (n. 15) vel ob defectum formae, nulliter contracta vel more civili attentata. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat canones 1051, 1138 *(Subdelegabilis)*.

Facultas sanandi in radice non extenditur ad casus in quibus supervenerit amentia unius vel utriusque partis.

In singulis hisce casibus ad S. Sedem recurrendum erit.

17. Dispensandi super interpellatione coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit ex processu sallem summario et extraiudicialiter interpellationem fieri non posse sine evidenti gravis damni aut coniugi iam ad Fidem converso (etsi nondum baptizato), aut christianis inferendi periculo *(Subdelegabilis)*.

18. Permittendi gravi de causa infidelibus plures uxores habentibus ut post baptismum, sine ulla interpellatione primae uxoris, ex illis retineant quam maluerint, si et ipsa baptizata sit, renovato tamen matrimoniali consensu [2].

19. Concedendi, etiam in dioecesibus, sacerdotibus vel diaconis delegationem generalem matrimonii celebrationi adsistendi, iis servatis quae, prouti res ferat et loci ac temporis conditiones observare permittant, matrimonii celebrationi, ad normam canonis 1019 et sequentium, praemitti debent; et semper firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de adnotatione in libris paroecialibus facienda.

20. Reducendi, ob penuriam officialium, numerum ministrorum tribunalis primae instantiae, ita ut tribunal constituatur tribus administris, scilicet iudice unico, defensore vinculi et notario.

21. Permittendi erectionem domus religiosae in proprio territorio, dummodo pro monasterio monialium obtentum fuerit Beneplacitum Sedis Apostolicae ad normam can. 497 par. 1.

22. Confirmandi ad tertium triennium Antistitam, legitime postulatam, monasterii monialium Episcopo dioecesano subiecti.

23. Dispensandi —praehabito voto Antistitae— religiosas mulieres monasterii Episcopo dioecesano subiecti, id petentes, a vinculo votorum temporariorum.

24. Absolvendi ab omnibus censuris, sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis, iuxta canonem 2250 par. 3 *(Subdelegabilis)*.

25. Dispensandi vel commutandi, iusta de causa, vota privata, Sedi Apostolicae reservata, de quibus in can. 1309 *(Subdelegabilis)*.

26. Erigendi unica formula benedictionis stationes Viae Crucis cum Indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus concessae sunt; item concedendi sacerdotibus facultatem easdem erigendi, servatis tamen ritibus ab Ecclesia praescriptis.

27. Erigendi illas etiam confraternitates a S. Sede approbatas quarum instituendarum ius apostolico ex privilegio aliis reservatum est (can. 686 par. 2) iisque adscribendi fideles.

28. Concedendi sacerdotibus facultatem fideles adscribendi omnibus confraternitatibus et imponendi omnia scapularia a Sede Apostolica approbata, sine onere inscriptionis.

29. Permittendi clericis et religiosis, ut caritatis causa, medicinam et chirurgiam exercere valeant, dummodo in istis artibus revera periti sint et in curandis infirmis omnia quae clericum et religiosum dedecent, vel scandalo esse possint, diligenter vitent, atque pro ipso exercitio artis suae nihil postulent.

30. Dispensandi cum fidelibus ut serviliter laborare valeant diebus dominicis vel festis de praecepto, exceptis Nativitate Domini, Paschate et Pentecoste, firma tamen lege Sanctae Missae participandi *(Subdelegabilis)*.

31. Permittendi suo in territorio, ut fideles die sabbati vel in vigilia festi de praecepto satisfacere valeant obligationi participandi Missae diei dominicae vel festi de praecepto subsequentis.

32. Permittendi ut, servatis rubricis, in dominicam aut etiam in alium diem ab Ordinario loci determinandum, transferatur solemnitas festorum, quae secundum can. 1247 sunt feriandа, sed legitime abolita.

33. Pro Praefectis Apostolicis, asservandi in sacello domus stabilis suae residentiae actualis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

34. Pro iisdem Praefectis Apostolicis, utendi, durante munere, insignibus et privilegiis ipsis concessis, etiam extra proprium territorium, praehabito, quoad exercitium Pontificalium, consensu Ordinarii loci.

Animadversiones

I. Memoratae facultates ea lege conceduntur, ut illae tantum subdelegari possint, quae ita explicite notantur per verbum *Subdelegabilis*. Qui autem subdelegationem ab Ordinario obtinuerit, de ea mentionem facere tenetur.

II. Ordinarius, inclusis Vicario Generali et Delegato, uti potest, in iisdem tamen adiunctis facultatibus seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedere potest.

III. Ordinarius supradictis facultatibus uti tantum valeat easque subdelegare intra fines suae iurisdictionis; easdem facultates gratis et sine ulla mercede exerceat (praeterquam pro expensis Cancellariae et cursus postalis ab iis qui pares sunt ad eas solvendas exigendis).

IV. Facultates praedictae in suo robore perseverant usquedum Ordinarius novas facultates decennales receperit.

[1] Cfr. S. Congr. de Prop. Fide, *Dandum de Confirmatione administranda iis qui in periculo mortis sunt constituti*, A. A. S. 40 (1948), p. 41 [LE 1969]; Const. *Sacrosanctum Concilium* n. 71 «... renovatio promissionum Baptismi convenienter ipsum Sacramenti susceptionem praecedet. Confirmatio, pro opportunitate, intra Missam conferri potest...» [LE 3141].

[2] Ordinarii in singulis casibus prae oculis habeant conditionem moralem, socialem, oeconomicam primae uxoris et curent ut eiusdem necessitatibus satis provisum sit, iuxta normas Iustitiae, christianae caritatis et naturalis aequitatis.

V. Facultates omnes in Litteris Apostolicis *Pastorale Munus* [LE 3139] diei 30 Novembris 1963 concessae Episcopis residentialibus atque aliis iisdem in iure aequiparatis, in territoriis dependentibus a Sacra Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide concedentur ceteris Ordinariis locorum, tum Interinis tum Vicariis, nisi quoad Vicarios ipse Ordinarius aliquid sibi reservaverit.

VI. Ipse Ordinarius omnes praedictas facultates, tam in Litteris Apostolicis *Pastorale Munus* quam in praesenti Formula contentas, servatis de iure servandis, Vicariis Episcopalibus delegare aut subdelegare potest.

* Ordinariis locorum in territoriis missionum. Prot. N. 1130/71; e foliis a S. C. pro Gentium evangelizatione editis. Adn. A. AB UTR. in AOFMCAp. 87 (1971) 125-127; 88 (1972) 86-95, 140-150, et in Laurentianum 12 (1971) 289-324; Ign. LEE in CpR 52 (1971) 245-266, 234-249; 53 (1972) 24-51, 137-161, 206-223; F. TIMMERMANS in The Clergy Monthly 36 (1972) 119-126; African Ecclesiastical Review 13 (1971) 369-375.

3941

1971 IAN 1.-SC GENT. EVANG., FACULTATES. PART.*

INDEX FACULTATUM NUNTIIS, PRO-NUNTIIS ET DELEGATIS APOSTOLICIS IN TERRITORIIS MISSIONUM TRIBUTARUM

Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, vi potestatis sibi a Summo Pontifice Paulo, Divina Providentia Papa VI, tributae, Exc. N. N. facultates quae in hoc Indice continentur concedit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die ... mensis ... anno Domini...

Facultates

1. Permittendi ingressum in Seminarium filiorum illegitimorum necnon dispensandi promovendos ad Sacros Ordines ab irregularitate ex defectu natalium, de qua in can. 984 n. 1 C. I. C.; exceptis sacrilegis.

2. Permittendi instructionem processuum super matrimonio rato et non consummato. Acta tamen processuum mittenda erunt ad hanc Sacram Congregationem, quae ea Dicasterio competenti tradere curabit.

3. Permittendi ut pro Missis binatis atque trinatis, suo in territorio celebratis, Ordinarii eleemosynas recipiant, in bonum Seminarii vel operum Missionis erogandas.

4. Visitandi sive per se sive per ecclesiasticum virum, personas, loca et res de quibus in can. 344, 512, 1382 C. I. C., in casibus tamen particularibus et non per modum generalis visitationis; dummodo visitatio ipsa necessaria et urgens videatur, Ordinarius impeditus sit vel negligens, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

5. Absolvendi, iniunctis de iure iniungendis, tum in foro conscientiae, tum etiam in foro externo, pro casuum diversitate, ab omnibus censuris a iure sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis, aut Ordinario a iure pariter reservatis.

6. Indulgendi, paupertatis causa, iis qui Missarum sive manualium sive fundatarum applicationem omiserint ut, quoad praeteritum tempus, obligationi suae paulatim satisfacere valeant, celebrando per se vel per alium aliquot Missas a concedente, vel, in casibus occultis, a confessario, ad numerum quod spectat, aeque determinandas.

Admoneantur autem commemoratarum omissionum rei ipsis Missarum onera quae adimplenda supersint condonata existimanda, si forte, ante plenam eorundem satisfactionem, pie in Domino obierint, nulla relicta pecuniae summa oneribus sive in toto sive aliqua ex parte implendis, supplente in reliquis Sanctitate Sua de thesauro Ecclesiae.

Item concedendi, si in aliquo casu ob peculiaria omnino rerum adiuncta expedire in Domino videatur, ut ad certum numerum iuxta vires petentis, Missae, quoad praeteritum pariter tempus, reducantur, dummodo ne agatur de recidivis, supplente pariter Sanctitate Sua reliquarum Missarum defectum de Ecclesiae thesauro.

7. Remittendi seu condonandi, «pro foro conscientiae tantum», delinquentibus pauperibus partem aliquam male ablatorum, aut retentorum, quando domini incerti sunt et casus occulti; ita tamen ut residuum, si quod adsit, vel aliqua summa vel pars pro viribus taxanda pauperibus loci vel in pia opera eiusdem loci, si fieri possit, distribuatur.

8. Recipiendi, aut delegandi in singulis casibus idoneum ecclesiasticum virum ut recipiat denunciationes de crimine sollicitationis, servatis in omnibus forma et tenore Instructionis quae a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei in iis casibus danda erit.

9. Prorogandi ad breve aliquod tempus facultates et indulta a S. Sede concessa, quae expiraverint, quin tempestive postulatio pro eorum prorogatione ad Sanctam Sedem missa fuerit, facta tamen obligatione statim recurrendi ad eandem S. Sedem pro gratia aut (si petitio iam facta fuerit) pro responsione obtinenda.

10. Vacante aliqua dioecesi, et rogante eiusdem Vicario Capitulari vel Administratore Apostolico, concedendi quoties res urgeat, et pro singulis casibus, facultates quae sunt in potestate ordinaria Episcopi.

11. Permittendi ut Episcopalis ordinatio, rationabili de causa, fieri possit extra dies statutos (can. 1006).

12. Permittendi ut Episcopus ordinari possit atque dioecesis possessionem capiat antequam Apostolicae sub plumbo Litterae pervenerint.

13. Concedendi ut Metropolita actus iurisdictionis metropolitanae et ordinis episcopalis ponere possit ante S. Pallii impositionem.

14. Quoties urgeat necessitas, evidens sit utilitas et periculum adsit in mora, permittendi singulis quorum interest ad normam canonum 534 par. 1 et 1532 par. 1 n. 2 C. I. C., ut bona ecclesiastica alienari, oppignorari, hypothecae nomine obligari, locari, emphyteusi redimi possint, usque ad duplum illius pecuniae summae, quam nationalis aut regionalis Conferentia Episcoporum proposuerit et Apostolica Sedes adprobaverit.

De peracta alienatione, intra annum, S. Congregatio competens edoceatur.

15. Impertiendi secundum praescriptam formulam ter in anno et non in eodem loco, diebus ab ipso eligendis, Benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria ab iis acquirenda qui, confessi, Sacra Communione refecti et ad mentem Summi Pontificis semel *Pater* et *Ave* vel quamlibet aliam orationem pro sua pietate recitantes, eandem Benedictionem acceperint.

16. Concedendi indulgentiam partialem omnibus fidelibus praesentibus sacris functionibus a se peractis.

17. Erigendi pia sodalitia Rosarii, B. M. V. de monte Carmelo et Septem Dolorum, cum potestate communicandi huiusmodi facultatem cum ecclesiasticis viris pro suo prudenti arbitrio; sub lege tamen et condicione ut haec facultas non exerceatur ubi coenobia adsint religiosorum, qui ex apostolica concessione eiusmodi privilegiis gaudent.

Item ecclesiasticis viris concedendi facultatem, sub eadem lege et condicione, benedicendi scapularia praedictarum sodalitatum.

18. Deputandi simplices sacerdotes pro administrando sacramento Confirmationis, in iis regionibus in quibus, ob extraordinaria rerum et personarum adiuncta, servari nequit ius commune, servatis praescriptis can. 781 par. 1, 782 par. 4 et 784 C. I. C.; idque ad tempus aliquod determinatum.

19. Consecrandi ecclesias et benedicendi campanas, monito tamen loci Ordinario eoque non renuente.

20. Cognoscendi, in casibus extraordinariis et urgente necessitate, super statu alicuius domus Religionis cuiuslibet, conferendo cum Superioribus consilium et operam ut opportuna abusibus remedia adhibeantur, et Religiosi ad sui status perfectionem reducantur, certiore tamen facta quam primum Apostolica Sede, si quid novi in utilitatem claustralium Communitatum decernendum esse videatur.

21. Permittendi transitum ad aliam religionem, servatis servandis (can. 632).

22. Concedendi, consentientibus Superioribus quorum interest, indultum temporarium manendi extra claustra, seu exclaustrationis, non ultra triennium, sodalibus Institutorum iuris pontificii (can. 638).

23. Concedendi sodalibus Religionis clericalis exemptae dispensationes a legibus generalibus Ecclesiae quae Litteris Apostolicis Motu Proprio datis die 15 Iunii 1966 *De Episcoporum muneribus* IX, n. 4 [LE 3449], Romano Pontifici reservatae sunt.

Animadversiones

I. Nuntio, Pro-Nuntio et Delegato Apostolico pariter conceduntur facultates omnes in Litteris Apostolicis Motu

http://www.obrascatolicas.com

Proprio datis *Pastorale Munus* [LE 3139] contentae necnon Facultates Decennales Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide.

II. Omnes facultates Nuntio, Pro-Nuntio, Delegato Apostolico tribuuntur durante munere et cum potestate easdem subdelegandi digniori administro Pontificiae Missionis, quoties Nuntius, Pro-Nuntius et Delegatus Apostolicus quacumque de causa a Sede absit.

Subdelegatio vero non extenditur ad facultates quarum exercitium characterem episcopalem requirit.

III. Negotiorum Gestor, qui vacanti Nuntiaturae et Delegationi Apostolicae praeest, facultatibus Nuntio, Pro-Nuntio et Delegato Apostolico tributis uti potest, iis exceptis quarum exercitium characterem episcopalem requirit et tantum si res urgeat.

IV. Indulta quae Pontificius Administer ad tempus largiri potest, ultra quinquennium ne concesserit.

V. Pontificius Administer facultatibus quae in hoc Indice recensentur nonnisi a receptis Apostolicis Litteris in forma Brevis uti valet.

Facultates pro ipso Nuntio, Pro-Nuntio vel Delegato Apostolico

1. Sacellum domus stabilis Nuntii, Pro-Nuntii et Delegati Apostolici, ex Indulto Summi Pontificis, qua semipublicum censendum.

2. Administrandi sacramentum Confirmationis in territorio universo sibi assignato, necnon durante maritimo itinere tam in accessu quam in recessu a loco missionis suae.

3. Recitandi divinum Officium et Missam celebrandi iuxta kalendarium Romanum pro clero Urbis; idque concedendi sacerdotibus secum commorantibus sibique subiectis.

* Legatis Apostolicis, Prot. N. 1099/71 e follis ab ipsa S. C. pro Gentium evangelizatione editis. Adn. A. REUTER in BiM 35 (1971) 211-213.

3942

1971 IAN 1.-SC INST. CATH., DEC. AAS 63 (1971) 320-321

FACULTAS THEOLOGICA «MARIANUM» IN URBE «PONTIFICIO» TITULO AUGETUR

Theologicas Collegii S. Alexii Falconerii scholas ad normas Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* [LE 1030] institutas Pius XII, fel. rec., litteris S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus die 30 novembris anni iubilaris 1950 datis, ad Facultatis Theologicae dignitatem, alumnis tamen totius Ordinis Fratrum Servorum Mariae reservatae, benigne evehere dignatus est. Expleto feliciter praescripto quinque annorum experimento, Summus idem Pontifex, Decreto eiusdem S. Congregationis *Caelesti honorandae Reginae* die 8 decembris 1955 [LE 2536] Theologicam Facultatem, titulo «Marianum» decoratam auctamque adiecto Biennio philosophico, in perpetuum erexit, eiusque Statuta rata probataque habuit. Inceptum dein Mariologiae Institutum, post praelectionum triennium prospere transactum, Sacra eadem Congregatio die 7 martii 1960 per Decretum *Excelsam Matrem* [LE 2894] in perpetuum constituit iusque concessit conferendi peculiare Diploma in Mariologia alumnis utriusque Cleri ac laicis. Decreto tandem *Multa sane* eiusdem S. Congregationis die 7 martii 1965 dato [LE 3272], Facultati Theologicae «Marianum» potestas facta est per Institutum concedendi Doctoris insignia in S. Theologia cum specializatione in Mariologia.

His proxime superioribus annis ac praecipue per occasionem Concilii Oecumenici Vaticani II, Facultas eiusque Institutum Mariologiae hoc sibi potissimum proposuerunt, ut penitius mariologicam doctrinam scientifice investigarent, traderent indesinenterque proveherent, cum sibi magno esse honori ducerent inter ceteras Theologicas Facultates hac peculiari nota distingui. Dum enim aptis servatis methodis catholicam doctrinam ex Divina Revelatione haurit eandemque ope speculationis penetrat ac illustrat (spiritu etiam oecumenico, atque progressu philosophico scientificisque inventis minime neglectis), Facultas rem mariologicam peculiari sibi studio prosequendam impigre contendit; imprimis vero, ad normas Concilii Vaticani II, tractationem de Beata Virgine instituendo, utique per Christi et Ecclesiae mysterii investigationem. Quae eiusdem Facultatis specialis de B. Virgine institutio atque inquisitio in / catholico orbe singularis videtur eademque 321
cum Ordinis Servorum Mariae munere in Ecclesiae explendo prorsus composita. Ad hoc autem propositum efficacius assequendum, Facultas peculiari instructa est bibliotheca, recentissimis operibus technicisque adiumentis continenter aucta augendaque; commentarios periodicos «Marianum», unde et nomen accepit, in lucem tertio quoque mense edendos curat; congruoque docentium numero, rei mariologicae vere peritorum, magis in dies ditari conatur.

Cum autem a S. Congregatione pro Institutione Catholica novae leges *Normae quaedam* [LE 3652] inscriptae datae sint, quibus Ecclesiasticae omnes Facultates ad scientificam «specializationem» haerentius persequendam severiores iubentur sibi constituere structuras, Sacra eadem Congregatio proprium Instituti finem, continenter utique amplificandum, Facultati nunc attribuit, eique libenter ius confirmat gradus academicos «cum specializatione in Mariologia» exinde conferendi, adeo ut post Baccalaureatus gradum iis alumnis collatum, qui curriculum philosophico-theologicum per quinquennium rite emensi fuerint, Licentiam iis concedat, qui ulterius per biennium in studiis mariologicis specialius exculti fuerint, aptamque ad id conscripserint dissertationem; Doctoratum vero iis qui, post congruum temporis intervallum, requisitas expleverint condiciones, atque imprimis dissertationem exaraverint quae «ad scientiae profectum vere conferat», eiusque saltem partem typis ediderint; peculiare denique Diploma iis alumnis, qui idonea studia saltem per biennium peregerint; accurate servatis tum praescriptionibus in documento *Normae quaedam* contentis tum propriis Facultatis Statutis, ab eadem S. Congregatione pro Institutione Catholica probatis.

Cum igitur haec Facultas vigesimum suum annum feliciter nuper expleverit septimumque incidat saeculum ab Ordine Servorum Mariae fauste condito, Sacra eadem Congregatio, Revmi Prioris Generalis, Magni Cancellarii, petitionem benevole excipiens, potestate a Paulo div. Prov. Pp. VI sibi peculiariter collata, Facultatem Theologicam «Marianum» Pontificio titulo hoc Decreto exornat atque decorat, omnibus ipsi agnitis tributisque iuribus privilegiis honoribus atque officiis, quibus studiorum Universitates vel Facultates, hoc auctae titulo, fruuntur vel frui poterunt, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis Pro Institutione Catholica, die 1 mensis ianuarii, in Sollemnitate B. M. V. Matris Domini, anno a reparata salute 1971.—Gabriel Maria Card. GARRONE, *Praef.* Franciscus Marchisano, *Subsecr.*

3943

1971 IAN 2.-SIGNATURA APOSTOLICA, RESCR. PART.*

NONNULLAE FACULTATES TRIBUUNTUR CIRCA MODUM PROCEDENDI IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS PERTRACTANDIS PRO CONFERENTIAE EPISCOPALIS ANGLIAE ET VALLIAE TERRITORIO

Precibus diei 15 octobris 1970 E.mus Cardinalis Archiepiscopus Vestmonasteriensis, nomine Ordinariorum Angliae et Valliae (v. England and Wales), petiit ad experimentum et ad triennium facultates quae sequuntur in causis matrimonialibus petractandis ac definiendis:

1) Ut capitibus competentiae in can. 1964 statutis addatur caput domicilii partis actricis etiamsi haec acatholica sit;

2) Ut, praevio consensu Ordinarii dioecesis competentis, eiusdem nationis, fas sit transferre competentiam ad quodlibet aliud Tribunal, intra fines Angliae et Valliae, quod paratum sit ad causam acceptandam, quotiescumque valide adsint graves rationes, praesertim rationes iustitiam celerius administrandi;

3) Si Defensor vinculi, post accuratam considerationem alicuius sententiae in prima instantia pro nullitate matrimonii latae, scripto declaret se pro sua conscientia ratione non habere ad appellationem interponendam contra eandem sententiam, dispensentur praescripta can. 1986 C. I. C., ita ut fas sit partibus statim ad novas nuptias transire.

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, mature perpensis praefatis precibus, decrevit: Consulendum SSmo pro concessione facultatum primae et secundae. Quoad tertiam, consulendum SSmo pro eadem concessione ac pro Tribunalibus Belgicis nuper facta, nempe: «Appellatione a defensore vinculi prioris instantiae interposita, iudices secundae instan-

tiae, post debitum examen, interveniente defensore vinculi secundae instantiae, *intra brevissimum terminum, collegialiter sententiam ferunt, aliatis, saltem summario modo, motivis decidendi*».

Insuper decretum fuit: Consulendum SSmo pro concedendis Tribunalibus Angliae et Valliae facultatibus nn. 1) 2) et 3) Tribunalibus belgicis concessis, nempe:

1) Ad certitudinem moralem acquirendam, iudiciali depositioni concordi partium fide dignarum, omni specie collusionis absente, vis probativa contra valorem matrimonii deneganda non est, *dummodo saltem unus testis omni exceptione maior habeatur* atque praesumptiones, indicia aliaque admincula concurrant.

2) Iudex, audito defensore vinculi, *de necessitate interrogationis iuratae peritorum iudicat*, si eorundem relatione scriptae concordes apertaeque sint, *et dummodo constet de authentia subscriptionis peritalis relationis*.

3) Ad mulieris inspectionem corporalem duo gynaecologi vel duae obstetrices ex officio designentur. Quae inspectio, servatis christianae modestiae regulis, peragatur, *praesente aliqua honesta muliere si id, attentis conditionibus loci et moribus populorum, vel iudex prudenter existimaverit vel mulier inspicienda petierit*».

SSmus autem D. N. Paulus Divina Providentia Papa VI, in audientia infrascripto die 28 decembris 1970 impertita, praefatas omnes facultates concedere dignatus est iuxta votum Signaturae Apostolicae.

Ex sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 2 ianuarii 1971.—Dinus Card. STAFFA, *Praefectus*. Joannes M. Pinna, *Secret.*

* Conferentiae Episcopali Angliae et Valliae, Prot. N. 945/70 V. T.: C. LEFEBVRE, **Il motu proprio 'Causas matrimoniales'**, Roma 1972, p. 75-76. Adn. vide sub die 1971 Martii 28: LE 3960.

3944

1971 IAN 2.-SIGNATURA APOSTOLICA, RESCR. PART.*

FACULTAS DATUR CONSTITUENDI ALTERUM TRIBUNAL PRIMAE ET SECUNDAE INSTANTIAE IN EADEM DIOECESI PRO CAUSIS MATRIMONIALIBUS PERTRACTANDIS

Precibus diei 11 decembris 1969 Emus Archiepiscopus Paderbornensis exposuit difficultates quas suum Tribunal experitur in pertractandis ac definiendis causis matrimonialibus in territorio suae Archidioecesis intra fines Germaniae Orientalis posito, et petiit erectionem alterius Tribunalis in urbe Magdeburgensi quod competens sit ad huiusmodi causas videndas pro fidelibus in praefato territorio degentibus.

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, mature perpensis omnibus circumstantiis in casu concurrentibus, decrevit: «Consulendum SSmo pro gratia erectionis Tribunalis Magdeburgensis iuxta petita et pro commissione muneris secundae instantiae, in casu, Tribunali Misniensi, incolumi semper manente iure fidelium recurrendi in secunda instantia ad S. R. Rotam ad normam can. 1599 par. 1 n. 1».

SSmus autem D. N. Paulus Divina Providentia PP. VI, in audientia infrascripto die 28 decembris 1970 impertita, utramque gratiam concessit iuxta votum Signaturae Apostolicae.

Ex sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 2 ianuarii 1971.—Dinus Card. STAFFA, *Praef.* Ioannes M. Pinna, *Secr.*

* Ordinario Paderbornensi. Prot. N. 1127/69 V. T.: AKKR 140 (1971) 199.

3945

1971 IAN 11.-COM. INT. CONC., RESP. AAS 63(1971) 329-330

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA: 1—CIRCA EOS QUI HOMILIAM IN SACRA LITURGIA HABERE POSSUNT. 2—CIRCA COMPETENTIAM ET MODUM PROCEDENDI SIGNATURAE APOSTOLICAE

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum esse censuerunt ut infra ad singula:

I. D.—Utrum verba *Homilia de more ab ipso celebrante habeatur*, n. 42 Institutionis Generalis Missalis Romani [LE 3840] quibus in rem deducuntur praescripta Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*, n. 52 [LE 3141], et Constitutionis dogmaticae *Dei Verbum*, n. 24 (cfr. etiam Litt. Ap. *Sacram Liturgiam* d. 29 ian. 1964, III [LE 3160]; Instr. S. R. C. *Inter oecumenici* d. 26 sept. 1964, nn. 53-55 [LE 3217], et Instr. Sacrae Congregationis pro Cultu Divino *Liturgicae instaurationes* d. 5 sept. 1970, n. 2) [LE 3896], ita interpretanda sint ut ii quoque, qui nec sacerdotes nec diaconi sint, viri aut mulieres, qui tamen Sacram Liturgiam participant, homiliam habere possint.

R.—*Negative.*

II. 1) D.—Utrum recurri possit ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal —Sectionem Alteram— adversus decisionem competentis Dicasterii, quoties defuerit decisio ex parte auctoritatis ecclesiasticae inferioris. R.—*Affirmative.*

2) D.—Utrum admissio ad disceptationem illico communicanda sit parti dumtaxat ex adverso interesse habenti, an etiam competenti Dicasterio, quod impugnatam decisionem tulit.

R.—*Negative* ad I^um^; *affirmative* ad II^um^; seu admissionem ad disceptationem illico communicandam esse, praeter quam parti ex adverso interesse habenti, etiam competenti Dicasterio, quod impugnatam decisionemt ulit./ 330

3) D.—Quid intelligendum sit per comma *quoties contendatur actum ipsum legem aliquam violasse*, de quo in n. 106 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae* [LE 3588].

R.—Pro violatione legis intelligi errorem iuris sive in procedendo sive in decernendo.

4) D.—Utrum in casu de quo in dubio tertio, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal —Sectio Altera— videat tantummodo de illegitimitate actus impugnati an etiam de merito causae.

R.—*Affirmative* ad I^um^; *negative* ad II^um^; seu Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal —Sectionem Alteram— videre tantum de illegitimitate actus impugnati.

SSmus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 11 ianuarii 1971 infrascripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, adprobavit et publicari iussit.—Pericles Card. FELICI, *Praeses.*

Adn. G. DELGADO in Ius can. 12 (1972) 67-82; P. GARCIA in Ius can. 12 (1972) 83-88; E. F. REGATILLO in Sal terrae 60 (1972) 147-148; V. CARBONE in ME 97 (1972) 324-334.

3946

1971 IAN 13.-SC DOCT. FIDEI, CIRC. AAS 63 (1971) 309-312

Litterae circulares omnibus locorum Ordinariis et Moderatoribus Generalibus Religionum clericalium:

CIRCA REDUCTIONEM SACERDOTUM AD STATUM LAICALEM CUM DISPENSATIONE A LEGE CAELIBATUS

Litteris Encyclicis *Sacerdotalis caelibatus* die 24 iunii 1967 datis Summus Pontifex Paulus VI alloquebatur «paterno amore, magna trepidatione ac dolore... infelices illos... in sacerdotio fratres, sed semper dilectissimos ac desideratissimos, qui, cum in animo impressum gerant sacrum signum per Presbyteratus Ordinem collatum, nihilominus ab officiis in sacerdotali consecratione susceptis misere desciverunt» [LE 3574].

Quo quidem in documento, Summus Pontifex, memoratis rationibus ob quas Ecclesia quibusdam sacerdotibus concedere censet reductionem ad statum laicalem cum dispensatione ab onere servandi caelibatum, admonet «nihil non esse temptandum, ut vacillans labansque frater persuasione possit ad animi tranquillitatem, ad fiduciam, ad paenitentiam atque ad pristinam resumendam alacritatem revocari. Atque tunc tantum cum visum fuerit fieri non posse ut sacerdos ad bonam frugem compellatur, tum demum infelicem Dei ministrum a sibi concredito munere exsequendo esse eximendum». Addit vero Beatissimus Pater «quodsi aliquando fiat ut, quamvis is reduci non possit ad sacerdotii partes rursus sustinendas, sinceram tamen bonamque ostendat voluntatem christianae vitae ducendae, ut laicum decet, Apostolica Sedes, omnibus diligentissime perpensis, collatisque cum loci Ordinario vel cum Superiore religioso consiliis, potiorem habens amorem quam dolorem, postulatam dispensationem interdum concedit...» (*A. A. S.* 59 [1967], pp. 690-692) [LE 3574].

Sane vero, Summi Pontifices Pius XII et Iohannes XXIII f. r. et Paulus VI Supremae tunc Sacrae Congregationis Sancti Officii examinandas commiserant supplices preces pro reductione ad statum laicalem cum dispensatione ab onere servandi caelibatum, ut casus favorabili iudicio dignos Pontificiae Audientiae exhiberet.

http://www.obrascatolicas.com

Quapropter hoc Sacrum Dicasterium, die 2 februarii 1964, «omnibus Emis et Excmis Locorum Ordinariis atque Familiarum Religiosarum Moderatoribus Generalibus» litteras misit quibus nuntiabatur constitutam esse specialem Commissionem, penes ipsam Sacram Congregationem, cui id muneris incumberet ut postulationes pro reductione ad statum laicalem cum dispensatione ab onere servandi caelibatum perpenderet. / Quibus quidem litteris adnexae erant
310 *Normae ad causas parandas de S. Ordinatione eiusque oneribus*, iuxta quas Ordinarius loci habitualis commorationis oratoris (qui etiam «actor» vocabatur) Tribunal constituere debet, constans Iudice, Defensore Vinculi Sacrae Ordinationis et Actuario, ad conficiendum processum ritu iudiciali. Interrogatorium oratoris 27 articulos continet, «Iudiciale examen» vero parentum et testium 22 et 32 respective [LE 3162].

Inde vero a diuturno tempore, plurimi Emi et Excmi Episcopi et Religiosorum Moderatores Generales petiverunt ut regulae servandae ad simpliciorem formam redigerentur ac consequenter contraheretur tempus solutioni causarum impendendum, sive in Curiis dioecesanis sive in hac Sacra Congregatione.

Haec considerans, Plenarius Coetus huius S. Congregationis die 3 Decembris 1969 habitus, decrevit normas hic memoratas esse abrogandas et iis novas simpliciores esse sufficiendas. Beatissimus Pater autem relatam Sibi Emorum et Excmorum Patrum decisionem ratam habuit.

Itaque haec Sacra Congregatio ea quae Episcopi et Generales Moderatores suggesserant per ordinem digessit, et contulit cum conclusionibus quas experiendo deprompserat ex milibus casuum ex omnibus fere orbis terrarum partibus ad se delatorum. Inde deductae sunt Normae hae novae, quas Beatissimus Pater Sibi suppositas die 14 Decembris 1970 approbare dignatus est.

Hisce nunc Litteris novae Normae cum singulis locorum Ordinariis et Religiosorum Institutorum clericalium Moderatoribus Generalibus communicantur; Generales autem Moderatores rogantur ut illas notas faciant omnibus suae Religionis Superioribus Maioribus (Provincialibus et Provincialibus assimilatis).

Potissima discrimina inter Normas anno 1964 latas et has praesentes nunc illustranda veniunt.

1) Loco «processus iudicialis» in Tribunali instructi nunc fit simplex investigatio, cui propositum est detegere utrum motiva in petitione dispensationis ab onere caelibatus allata valeant et utrum ea quae orator asserit veritate nitantur. Huiusmodi investigatio igitur minus habet rigoris iuridici et magis regitur pastoralibus rationibus, simplicioreque via procedit: id tamen semper sanctum esto ut ad obiectivae veritatis cognitionem investigatio ducat.

2) Normae anno 1964 latae totum processum Ordinario
311 loci commorationis habitualis oratoris committebant, qui quidem poterat non esse proprius Ordinarius oratoris sacerdotis saecularis et numquam erat proprius Superior maior oratoris religiosi. Novae vero Normae munus peragendae investigationis committunt proprio Ordinario oratoris, sive dioecesano sive religioso.

Quod si orator longe absit a propria dioecesi vel a sede sui Superioris maioris religiosi, Normae mandant praedictis competentibus auctoritatibus, seu praelatis, ut Ordinarium loci in quo orator degit datis litteris rogent pro peragenda investigatione.

3) In hac Sacra Congregatione examen actorum a competente Praelato missorum ad simpliciorem regulam accomodabitur. Supposita igitur integritate actorum, examen solvendo casui peragendum intra breve temporis spatium continebitur. Si votum competentis Praelati erit favorabile et votum huius S. Congregationis illud prius ratum habebit, statim dispensatio ab onere servandi caelibatum a Beatissimo Patre petetur; quae si concessa fuerit, eiusdem Rescriptum brevi mittetur eidem illi Praelato qui casum proposuit.

4) Hactenus Rescriptum reductionis ad statum laicalem cum dispensatione ab onere caelibatus servandi mittebatur adnexum litteris Ordinario loci commorationis oratoris, ipsa vero Sacra Congregatio certiorem faciebat Ordinarium proprium incardinationis oratoris vel Superiorem maiorem religiosum. Deinceps vero ille idem Praelatus cui vi incardinationis vel professionis religiosae orator suberat quique casus investigationem peregit, Rescriptum cum oratore communicabit, vel per se vel per Ordinarium loci commorationis ipsius oratoris.

5) Novae Normae competenti Praelato (Ordinario incardinationis, Superiori maiori religioso, Ordinario loci in quo orator commoratur) concedunt facultatem dispensandi, pro eorum prudentia et quatenus opus sit, oratorem ab obligatione, hactenus valde stricta, servandi secretum circa dispensationem et canonicam matrimonii celebrationem.

6) Ad Normas quae n. VI habentur, post crebras consultationes et diligens examen peractum in coetu mixto huius S. Congregationis et aliorum competentium Dicasteriorum deventum est; ipsas vero peculiari ratione Beatissimus Pater ratas habuit.

Haec quidem in Normis nunc editis potiore aliqua ratione immutant et complent Normas anno 1964 latas. At ipsis Normis praesupponendum est, Normarumque usum regere debet praegrave officium, omnibus Episcopis Superioribusque religiosis incumbens, quo etiam se obstrictam / per- 312
sentit haec S. Congregatio, cui in primis Summus Pontifex satisfacere intendit, omnia experiendi (antequam recursus instituatur ad Supremam Ecclesiae Auctoritatem pro solvendis casibus misericordia dignis, quos memorant Encyclicae Litterae *Sacerdotalis caelibatus*) ut sacerdotes qui discedendi temptatione laborant suas difficultates vincant.

Porro hae Litterae Normaeque adnexae Sacrae Congregationis Pro Doctrina Fidei firmum vivaxque desiderium testantur Episcopis Superioribusque Maioribus religiosis opem ferendi ut periclitantes sacerdotes ad bonam frugem revocentur.

Haec dum pro munere nostro communicamus, impensos obsequii nostri sensus libenter pandimus nosque profitemur in Domino addictissimos.

Romae, die 13 Ianuarii 1971.—Franciscus Card. Seper, *Praef.* Paulus Philippe, *a Secr.*

Adn. E. F. REGATILLO in Sal terrae 59 (1971) 783-800.

3947

1971 IAN 13.-SC DOCT. FID., NOR. AAS 63 (1971) 303-308

NORMAE AD APPARANDAS IN CURIIS DIOECESANIS ET RELIGIOSIS CAUSAS REDUCTIONIS AD STATUM LAICALEM CUM DISPENSATIONE AB OBLIGATIONIBUS CUM SACRA ORDINATIONE CONEXIS

I—*De iis quae sunt experienda ante propositionem casuum ad Sanctam Sedem ut quis a proposito valedicendi sacerdotio resiliat*

1. Antequam causam reductionis ad statum laicalem cum dispensatione ab oneribus cum sacra ordinatione conexis ad Sacram Congregationem pro Doctrina Fidei proponant, Ordinarii quorum interest, nimirum Ordinarii dioecesani pro sacerdotibus saecularibus, Superiores maiores pro religiosis, per congruum tempus omnia experiri debent ut orator ad difficultates quas patitur superandas adiuvetur (Cfr. Paulus VI, Litt. Enc. *Sacerdotalis caelibatus*, n. 87) [LE 3574], exempli gratia translatione a loco ubi periculis est obnoxius, opem ferentibus, pro casuum natura, confratribus et amicis oratoris, consanguineis, medicis et psychologis.

2. Quod si his omnibus incassum cedentibus, orator pergat dispensationem postulare, locus erit colligendis informationibus ad rem necessariis.

II—*De natura investigationis ad informationes colligendas*

1. Ut Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei ex cognitione causae iudicet an reductio ad statum laicalem cum dispensatione ab oneribus proponi possit Summo Pontifici, non sufficiunt supplices preces oratoris, sed omnino necesse est ut his precibus suffragentur informationes a competente acutoritate ecclesiastica collectae, ratione quae infra n. III indicatur. Quae quidem investigatio ad hoc instituitur ut pro rei veritate pateant argumenta vi quorum orator postulat reductionem ad statum laicalem cum dispensatione ab oneribus, ut nempe interrogationibus, documentis, testium depositionibus, peritorum in re medica iudicio aliisque huiusmodi, detegatur an preces oratoris veritate nitantur. / 304

2. Haec tamen investigatio non praesefert notas processus iudicialis. Ipsa non spectat ad demonstrandam, ad normam canonum 1993-1998, invaliditatem sacrae ordinationis vel susceptionis onerum, sed tantum ad dispensationem ab oneribus concedendam, si casus ferat, sacerdoti qui simul ad statum laicalem reducitur. Hac de causa com-

petens auctoritas non debet constituere proprie dictum tribunal, sed, sive per se sive per delegatum sacerdotem, investigationem peragere quae potius pertinet ad officium pastorale. At haec investigatio iuxta definitas regulas est peragenda, propositis nempe definitis quaestionibus et definitis acceptis responsionibus, et finale votum ipsius auctoritatis pro rei veritate est promendum.

3. Investigatio spectat praesertim ad ea quae sequuntur:

a) Generalia oratoris: tempus et locus nativitatis, «praecedentia» quae vocant, seu «anamnesis», et adiuncta familiae ex qua orator ortus est, conformatio morum, studia, scrutinia de ipso lata pro suscipiendis sacris ordinibus, et si orator est religiosus etiam pro nuncupandis votis, tempus et locus sacrae ordinationis, curriculum ministerii sacerdotalis, condicio iuridica in qua nunc versatur, sive in foro Ecclesiae sive in foro civitatis, et his similia.

b) Causae et adiuncta, seu circumstantiae, difficultatum quibus orator premitur, vel defectionis: ante ordinationem, ut morbi, immaturitas sive in ordine physico sive in ordine psychico, lapsus quoad VI praeceptum Decalogi tempore formationis in Seminario vel religioso Instituto, impulsus ex parte familiae, errores Superiorum, sive fori interni (dummodo accedat oratoris licentia) sive fori externi, in iudicando de vocatione; post ordinationem, defectus accommodationis sacro ministerio, angustiae seu crisis in vita spiritus vel in ipsa Fide, errores circa caelibatum et sacerdotium, mores dissoluti, et alia huiusmodi.

c) Fides quam orator meretur: an scilicet ea quae in precibus eius habentur rei veritati respondeant.

d) Interrogatio testium ad rem facientium, ut sunt parentes, fratres et sorores, superiores et condiscipuli in Seminario vel Novitiatu, Superiores et confratres in ministerio, quatenus expediat.

e) Pro casuum natura, et quatenus conferre possint, examina peritorum ex officio in re medica, psychologica, psychiatrica.

Auctoritas cui munus incumbit peragendae investigationis illa omnia addere potest quae utilia noverit ad casus pleniorem intellegentiam. Omnia quae praecedunt sub iu-
305 ramento pro posse proferantur et secreto tegantur. /

4. Orator, postquam preces suo Ordinario porrexerit et donec responsio S. Congregationis pervenerit, est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus (Cfr. can. 1997).

III—*De auctoritate competente cui munus incumbit peragendae investigationis*

1. Per se officium proponendi Summo Pontifici, per Sacram Congregationem pro Doctrina Fidei, casum reductionis ad statum laicalem, cum dispensatione ab oneribus, pertinet ad proprium oratoris Praelatum, id est ad Ordinarium loci incardinationis quoad sacerdotes dioecesanos, ad Superiorem maiorem quoad sacerdotes religiosos.

2. Ordinarius incardinationis vel Superior maior religiosus ad peragendam investigationem iuxta praesentes Normas praevia licentia Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei non indiget, sed illam in genere peragit iure et officio suo.

Investigatione completa, competens auctoritas acta mittet ad Sacram Congregationem pro Doctrina Fidei.

Hoc vero Sacrum Dicasterium casum quam primum perpendet et, si censuerit postulationi favendum esse, proponet Beatissimo Patri, Cui uni pertinet decernere an reductio cum dispensatione concedenda sit necne.

3. Quando sacerdos orator longe abest a proprio dioecesi vel a sede proprii Superioris maioris,

a) Si quidem ad proprium Ordinarium, sive dioecesanum sive religiosum, recurrerit, curae erit ipsi Ordinario rogare Ordinarium loci, in quo habitualiter orator degit, ut investigationem instituat, et ad hoc omnia scitu utilia cum isto Ordinario communicare.

b) Si recurrerit ad Ordinarium loci, in quo habitualiter degit, curae erit huic Ordinario certiorem facere proprium Praelatum, sive dioecesanum sive religiosum, oratoris, ab eoque requirere ea quae pro instituenda investigatione necessaria sunt.

In utroque casu, Ordinarius loci, in quo orator habitualiter degit, acta interrogatorii transmittet ad Praelatum proprium oratoris, sive dioecesanum sive religiosum, addito suo voto.

4. Ex proportionata causa, sacerdos orator petere potest a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei ut casus, praeter nunc recensitam regulam, alii auctoritati committatur ac proprio Ordinario, sive dioecesano sive religioso. Sed etiam in hoc casu, Ordinarius cui Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei commiserit investigationem faciendam, requirere debet sub secreto ab Ordinario dioecesano vel religioso proprio oratoris opportuna informationes et votum; 306
acta vero in hoc casu directe transmittet ad Sacram Congregationem pro Doctrina Fidei.

5. Semper cum agitur de oratore religioso et quoties orator sacerdos saecularis in propria dioecesi non degit, Ordinarius loci, in quo ipse commoratur, a competente auctoritate rogabitur quid sentiat de timendo vel non timendo scandalo orituro ex dispensationis concessione et ex canonico oratoris matrimonio.

IV—*Acta transmittenda ad S. Congregationem pro Doctrina Fidei*

Expleta investigatione, Ordinarius proprius oratoris, sive dioecesanus sive religiosus, ad Sacram Congregationem pro Doctrina Fidei haec quae hic recensentur transmittere debet: 1) supplices preces scripto ab oratore exaratas; 2) acta ipsius investigationis (Cfr. n. II, 3°); 3) votum suum, in quo agere debet etiam de iis quae expertus est ad iuvandum oratorem pro superandis difficultatibus, deque iis quae adhibere intendit ad vitandum scandalum ex dispensationis concessione forte oriturum inter fideles; 4) in casibus recensitis sub n. III, 5°) votum Ordinarii loci commorationis oratoris de scandalo timendo vel non timendo in illo loco.

Curent omnino competentes auctoritates ut acta completa transmittantur; ita causae cito expedientur; si enim deest necessarium aliquod documentum, casus solutio protrahitur.

V—*Rescriptum reductionis ad statum laicalem cum dispensatione ab oneribus cum Sacra Ordinatione conexis*

1. Rescriptum complectitur inseparabiliter reductionem ad statum laicalem et dispensationem ab oneribus ex sacris ordinibus manantibus. Numquam oratori fas est duo illa elementa selungere, seu alterum accipere et prius recusare. Si orator est religiosus, Rescriptum continet etiam dispensationem a votis.

Ipsum insuper, quatenus opus sit, secumfert absolutionem a contractis censuris et legitimationem prolis.

Rescriptum vim suam exserit a momento notificationis a competenti Praelato oratori factae.

2. Rescriptum mittitur ad Praelatum proprium oratoris, videlicet ad Ordinarium dioecesanum pro sacerdotibus saecularibus, ad Superiorem / maiorem pro religiosis, ut cum 307
oratore communicetur, excepto casu de quo n. III, 4°).

3. Si orator est sacerdos dioecesanus extra propriam dioecesim versans, vel religiosus, Ordinarius loci incardinationis vel Superior religiosus maior Ordinarium loci commorationis habitualis oratoris certiorem faciet de pontificia dispensatione, eumque, si casus ferat, rogabit ut Rescriptum eum oratore communicet et necessariam delegationem pro matrimonii canonici celebratione concedat. Si vero peculiares circumstantiae aliud suadeant, praedictus Ordinarius ad Sacram Congregationem recurrat.

4. In Libris baptizatorum paroeciae sive oratoris sive compartis adnotetur consulendum esse Ordinarium loci si quando notitia vel documenta exquirantur.

VI—*Condiciones servandae sacerdoti dispensato*

1. Per se sacerdos ad statum laicalem redactus et ab oneribus cum sacerdotio conexis dispensatus, et a fortiori sacerdos matrimonio iunctus, abesse debet a locis in quibus notus est eius status sacerdotalis. Ordinarius loci commorationis oratoris, de communi consilio, quatenus opus sit, cum Ordinario proprio incardinationis vel cum Superiore maiore religioso, dispensare poterit ab ista clausula Rescriptum afficiente, si oratoris dispensati praesentia scandalum paritura non praevidetur.

2. Quod attinet ad celebrationem canonici matrimonii, per se Ordinarius curet ut a quacumque pompa vel adparatu abstineatur et coram sacerdote probato ac sine testibus vel, si opus fuerit, cum duobus testibus, illud peragatur, cuius acta in secreto Curiae tabulario adserventur.

Ad Ordinarium loci commorationis una cum Praelato proprio oratoris, sive dioecesano sive religioso, pertinet determinare quomodo dispensatio, et pariter celebratio matrimonii, secreto sit tegenda vel communicari possit, debitis sub cautionibus, cum oratoris propinquis, amicis et

http://www.obrascatolicas.com

conductoribus (datore di lavoro, employeur, employer), ut bonae famae ipsius oratoris consultum sit iuribusque oeconomico-socialibus ex novo statu laici et uxorati manantibus.

3. Si vero sacerdos ad statum laicalem redactus et ab oneribus cum sacra ordinatione conexis dispensatus fidem datam de vitando scandalo non servat, immo etiam casum suum publici iuris facit ad scandalum provocandum (adhibitis proelo, radio-televisificis instrumentis aliisque id genus), impellente mala voluntate spernendi sacrum caelibatum, Ordinariis quorum interest, etiam Superiori religioso in casu religiosorum, vulgare fas erit sacerdotem de
308 quo agitur redactum esse ad statum laicalem et / ab oneribus dispensatum eo quod Ecclesia illum sacerdotii exercitio non idoneum censuit.

4. Ordinarius, ad quem spectat Rescriptum cum oratore communicare, hunc enixe hortetur, ut vitam Populi Dei, ratione congruente cum nova eius vivendi condicione, participet, aedificationem praestet, et ita amantissimum Ecclesiae filium se exhibeat. Simul autem eidem notum faciat cuilibet sacerdoti ad statum laicalem redacto et ab oneribus dispensato vetitum esse ne: *a)* ullam ordinis sacri functionem peragat, salvis iis quae habentur can. 882 et 892 § 2; *b)* ullam partem liturgicam agat in celebrationibus cum populo, ubi eius condicio est nota, neve umquam homiliam habeat; *c)* ullum officium pastorale gerat; *d)* munere Rectoris (vel alio munere directivo), Directoris spiritualis et Docentis fungatur in Seminariis, Facultatibus Theologicis et similibus Institutis; *e)* itemque ne munere Directoris scholae catholicae neve munere magistri religionis in quibuslibet scholis, catholicis aut secus, fungatur. Attamen Ordinarius loci, pro suo prudenti iudicio, potest in casibus particularibus permittere ut sacerdos ad statum laicalem redactus et ab oneribus cum sacra ordinatione conexis dispensatus, religionem doceat in scholis publicis, ex exceptione etiam in scholis catholicis, dummodo ne scandalum aut admiratio sit timendum.

5. Ordinarii quorum interest, inter quos Superior maior religiosorum, paterna et pastorali caritate prosequantur sacerdotes redactos ad statum laicalem et dispensatos ab oneribus cum sacra ordinatione conexis, et pro posse in necessariis ad vitam honeste sustentandam subveniant.

VII—*De casibus in quibus ex officio est procedendum*

Congrua congruis referendo, ea quae in his regulis statuta sunt pro casibus in quibus sacerdotes sponte petunt reductionem ad statum laicalem cum dispensatione ab oneribus manantibus, applicanda sunt etiam in casibus in quibus aliquis sacerdos, vel ob pravam vitam, vel ob errores in doctrina, vel ob aliam gravem causam, videtur post necessariam investigationem reducendus ad statum laicalem et simul ex misericordia dispensandus ne periculum aeternae damnationis incurrat *.

[* *Rescriptum dabur sub hac formula*:
Reverendissime Pater, NN... petiit reductionem ad statum laicalem cum dispensatione ab omnibus oneribus e sacris Ordinibus (et a religiosa Professione) manantibus, non exempto onere servandi legem sacri coelibatus.
Sedtus D. N. Paulus, Divina Providentia Papa VI, die..., habita relatione de casu a Sacra Congregatione Pro Doctrina Fidei, adnuere dignatus est pro gratia iuxta sequentes Normas:
1. Rescriptum exsplicitur inseparabiliter reductionem ad statum laicalem et dispensationem ab oneribus ex sacris ordinibus manantibus. Numquam oratori fas est duo illa elementa seiungere, seu alterum accipere et prius recusare. Si orator est religiosus, Rescriptum continet etiam dispensationem a votis.
Ipsemi insuper, quatenus opus sit, secumferi absolutionem contractis censuris et legitimationem prolis.
Rescriptum vim suam exserit a momento notificationis a competenti Praelato oratori factae.
2. Si orator est sacerdos dioecesanus extra propriam dioecesim versans, vel religiosus, Ordinarius loci incardinationis vel Superior religiosus maior Ordinarium loci enumerationis habitualis oratoris certiorem faciet de postulata dispensatione, eumque, si causa ferat, rogabit ut Rescriptum cum oratore communicet et necessariam delegationem pro matrimonii canonici celebratione concedat. Si vero peculiares circumstantiae aliud suadeant, praedictus Ordinarius ad Sacram Congregationem recurrat.
3. Per se sacerdos ad statum laicalem redactus et ab oneribus cum sacerdotio conexis dispensatus, et a fortiori sacerdos matrimonio junctus, abesse debet a locis in quibus notus est eius status sacerdotalis. Ordinarius loci commorationis oratoris, de communi consilio, quatenus opus sit, cum Ordinario proprio incardinationis vel cum Superiore maiore religioso, dispensare poterit ab ista clausula Rescriptum afficiente, si oratoris dispensati praesentia scandalum paritura non praevidetur.
4. Quod attinet ad celebrationem canonici matrimonii, per se Ordinarius curet ut quaecumque pompa vel adparatu abstineatur et coram sacerdote probato et secreti tenaci ac sine testibus vel, si opus fuerit, cum duobus testibus,illud peragatur, cuius acta in secreto Curiae tabularii adserventur.
Ad Ordinarium loci enumerationis una cum Praelato proprio oratoris, sive dioecesano sive religioso, pertinet determinare quomodo dispensatio, et pariter celebratio matrimonii, secreto sit tegenda vel communicari possit,

debitis sub cautionibus, cum oratoris propinquis, amicis et conductoribus (datore di lavoro, employeur, employer), ut bonae famae ipsius oratoris consultum sit iuribusque oeconomico-socialibus ex novo statu laici et uxorati manantibus.

5. In Libris baptizatorum paroeciae sive oratoris sive compartis adnotetur consulendum esse Ordinarium loci si quando notitia vel documenta exquirantur.

6. Ordinarius, ad quem spectat Rescriptum cum oratore communicare, hunc enixe hortetur, ut vitam Populi Dei, ratione congruente cum nova eius vivendi condicione, participet, aedificationem praestet, et ita amantissimum Ecclesiae filium se exhibeat. Simul autem eidem notum faciat cuilibet sacerdoti ad statum laicalem redacto et ab oneribus dispensato vetitum esse ne: *a)* ullam ordinis sacri functionem peragat, salvis iis quae habentur can. 882 et 892 par. 2; *b)* ullam partem liturgicam agat in celebrationibus cum populo, ubi eius condicio est nota, neve umquam homiliam habeat; *c)* ullum officium pastorale gerat; *d)* munere Rectoris (vel alio munere directivo), Directoris spiritualis et Docentis fungatur in Seminariis, Facultatibus Theologicis et similibus Institutis; *e)* itemque ne munere Directoris scholae catholicae neve munere magistri religionis in quibuslibet scholis, catholicis aut secus, fungatur. Attamen Ordinarius loci, pro suo prudenti iudicio, potest in casibus particularibus permittere ut sacerdos ad statum laicalem redactus et ab oneribus cum sacra ordinatione conexis dispensatus religionem doceat in scholis publicis, ex exceptione etiam in scholis catholicis, dummodo ne scandalum aut admiratio sit timendum.

Denique Ordinarius ei aliquod opus pietatis vel caritatis imponat. Tempore autem opportuno curet brevius referre ad Sacram Congregationem de peracta executione, et si qua tandem fidelium admiratio exoriatur prudenti explicatione providere. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. Ex Aedibus S. C. Pro Doctrina Fidei, die...

Adn. E. F. REGATILLO in Sal terrae 59 (1971) 800.

3948

1971 IAN 15.-SC DOCTR. FID., NOR. AAS 63 (1971) 234-236

NOVA AGENDI RATIO IN DOCTRINARUM EXAMINE

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei ad normam n. 12 Litterarum Apostolicarum motu proprio datarum, *Integrae servandae*, diei 7 Decembris 1965 [LE 3359], sequentem «Agendi rationem in doctrinarum examine» statuit et publici iuris facit:

1. Libri aliaque scripta typis edita vel sermones habiti, quorum argumentum ad Sacram Congregationem pro Doctrina Fidei spectat, ad Congressum referuntur, qui Superioribus et Officialibus constat et singulis sabbatis coadunatur. Si opinio examini subiecta clare et certo errorem in fide contineat simulque ex eius divulgatione damnum proximum pro fidelibus immineat vel iam adsit, Congressus statuere potest, ut more extraordinario procedatur, scilicet ut Ordinarius vel Ordinarii quorum interest statim de re certiores fiant et auctor per proprium Ordinarium ad errorem corrigendum invitetur. Habita Ordinarii vel Ordinariorum responsione Congregatio Ordinaria ad normam subsequentium art. 16, 17, 18 opportuna consilia inibit.

2. Congressus item statuit num necesse sit scripta quaedam vel sermones habitos accuratius more ordinario pervestigare; quodsi ita visum fuerit, duos peritos ipse designabit, qui vota praeparent, atque simul Relatorem «pro auctore». Congressus etiam decernet, utrum Ordinarium vel Ordinarios, ad quos pertinet, oporteat statim certiores fieri an post exactam dumtaxat investigationem.

3. Ii, quibus munus commissum est «vota» conficiendi, idcirco in authenticum auctoris opus inquirunt, ut videant, num illud cum Divina Revelatione Ecclesiaeque Magisterio congruat; atque iudicium faciunt de traditis illic doctrinis, suadentes, si casus ferat, quae sint agenda.

4. Cardinalis Praefectus, Secretarius et, si hi absunt, Subsecretarius facultate praediti sunt concredendi, si res urgeat, votum alicui e Consultoribus; at Congressus solus peritum «ex commissione speciali» designat. /
235

5. Vota typis excuduntur una cum Relatione Officii, qua omnia indicia continentur ad aestimationem rei proprie utilia et acta priora, eodem pertinentia, recensentur; documenta denique typis imprimuntur idonea ad altius perquirendum argumentum, praesertim considerato contextu theologico quaestionis, de qua tractatur.

6. Relatio cum votis, de quibus est dictum, Relatori «pro auctore» committitur; eidem praeterea licet omnia inspicere documenta quae apud S. Congregationem de hac re exstant. Relatoris «pro auctore» est: in spiritu veritatis aspectus positivos doctrinae et merita auctoris indicare; ad sensum genuinum opinionum eiusdem auctoris in contextu theologico et generali recte interpretandum cooperare; animadversionibus Relatorum et Consultorum respondere; de influxu opinionum auctoris iudicium exprimere.

7. Eadem Relatio una cum votis allisque documentis

Consultoribus traditur una saltem hebdomada antequam de ea in Consultorum Consilio disceptetur.

8. Discussio in Consilio initium capit ab expositione Relatoris «pro auctore». Post quem quisque Consultor voce vel etiam scripto sententiam profert de iis, quae in textu examinato continentur; deinde Relator «pro auctore» loquendi petere potest facultatem, ut animadversionibus respondeat vel res ipsas clarius explanet; ac demum ex auditorio discedat, dum Consultores sua pronuntiant vota. Quae vota postremo, expleta disceptatione, perleguntur et ab ipsis Consultoribus approbantur.

9. Tota deinde Relatio una cum votis Consultorum, relatione «pro auctore», ac disceptationis summa, distribuitur Congregationi Ordinariae Cardinalium Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei una saltem hebdomada antequam ab illius sodalibus de ea disseratur; in Congregatione Ordinaria pleno iure partem habere potest unusquisque ex septem Episcopis membris extra Urbem degentibus.

10. Congregationi Ordinariae praeest Cardinalis Praefectus, qui quaestionem ipsam exponit suamque mentem aperit; ceteri ex ordine subsequuntur. Quorum vota a Subsecretario excipiuntur scriptisque mandantur, ut post peractam disceptationem et suffragiorum manifestationem legantur et approbentur.

11. Cardinalis Praefectus aut Secretarius, cum proxime alteruter a Summo Pontifice coram admittitur, Ei has
236 decisiones proponit ad approbandum. /

12. Cum in examine nullae deprehenduntur opiniones erratae vel periculosae quo sensu in superiori articulo 3 definitur, huiusmodi exitus ad notitiam Ordinarii perfertur, si de eiusmodi examine sit antea certior factus. Si contra, in decursu examinis opiniones falsae vel periculosae inveniuntur, id Ordinario auctoris vel Ordinariis, ad quos spectat, nuntiatur.

13. Propositiones enunciatae, quae erratae vel periculosae habitae sunt, ipsi auctori significantur, ut, intra unum mensem utilem, scriptam suam responsionem transmittere possit. Quodsi insuper opus esset colloquio, auctor invitabitur, ut cum viris a Sacra Congregatione deputatis conveniat et conferat.

14. Iidem viri delegati debent saltem summatim colloquium habitum perscribere et una cum auctore chartam, in qua id exaratum est, obsignare.

15. Tam responsio scripta auctoris quam summa illa colloquii, si forte habitum est, exhibebuntur Congregationi Ordinariae, ut ipsa rem decernat. Si vero ex illa scripta responsione auctoris vel ex colloquio habito nova appareant doctrinae capita, quae subtilius perscrutari oporteat, illa responsio vel colloquii summa prius Consultorum Consilio exponuntur.

16. Si autem auctor non responderit aut ad colloquium vocatus non advenerit, Congregatio Ordinaria opportuna consilia inibit.

17. Congregatio Ordinaria etiam decernit, utrum et qua ratione examinis exitus pervulgetur.

18. Decisiones Congregationis Ordinariae approbationi Summi Pontificis submittuntur ac deinde cum Ordinario auctoris communicantur.

Summus Pontifex Paulus VI, in Audientia infrascripto huius Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto die 8 Ianuarii 1971 concessa, has Regulas confirmavit, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, die 15 Ianuarii 1971.—Franciscus Card. SEPER, *Praef.* Paulus Philippe, *a Secr.*

Adn. C. ALCAINA in REDC 28 (1972) 61-91; J. TOMKO in ME 96 (1971) 163-170.

3949

1971 IAN 28.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 63 (1971) 135-142

Allocutio diei 28 ian. 1971 ad Praelatos Auditores, Officiales et Advocatos Tribunalis Sacrae Romanae Rotae, novo litibus iudicandis ineunte anno coram admissos:

DE EXERCITIO AUCTORITATIS SEU POTESTATIS, PRAECIPUE IUDICIALIS, ECCLESIAE IN PRAESENTIBUS TEMPORUM ADIUNCTIS

Come ogni anno, la solenne inaugurazione della attività giudiziaria del Tribunale della Sacra Romana Rota ci offre la soddisfazione di riceverne i degni componenti, tanto benemeriti della Santa Sede: Monsignor Decano, che ringraziamo per il suo nobile indirizzo, il Collegio dei Prelati Uditori, gli Officiali del Tribunale e lo Studio Rotale. A tutti il nostro saluto, il nostro elogio, il nostro incoraggiamento.

Voi vi attendete una nostra parola, all'inizio del vostro anno: e siamo lieti di riflettere un istante insieme con voi, su alcuni punti a cui ci richiama la vostra presenza. Molto semplicemente del resto, e senza alcuna pretesa cattedratica, anche se le controversie odierne relative a questi punti meriterebbero qualche precisazione dottrinale.

1. Anzitutto, l'esercizio dell'autorità nella Chiesa, con i precisi poteri che le derivano dalla volontà stessa di Cristo, nel quadro di quell'amore evangelico per cui ogni manifestazione di autorità è un impegno verso il volere di Cristo e una responsabilità di servizio nella comunità. Effettivamente, l'ordine della carità comporta che ognuno ami il suo prossimo —e tutti sono prossimo, secondo il comandamento nuovo di Gesù—; cioè che ognuno «serva» gli altri, sia utile agli altri. Gli altri sono l'oggetto, non l'origine dell'autorità stabilita *per* il loro servizio, non *al* loro servizio.

Alcuni, nella comunità, com'è noto, hanno un dovere e un diritto di rendersi utili agli altri in determinate forme, per determinati fini; sono i «ministri» della carità, del Vangelo, della Chiesa; sono la gerarchia. Il concetto di autorità-servizio si realizza in essa in misura e in maniera più piena; e ciò per un mandato che viene dalla carità di Dio, si fa carità umana, perché è derivato da Cristo e da Dio, e perciò per certe operazioni riveste il carattere funzionale di superiorità sociale, e perché sempre si realizza mediante la dedizione di sé nel fine e nello spirito di servizio, con carattere di esclusività fondata sulla chiamata divina [1].

La Costituzione *Lumen gentium* ha ben rilevato questo carattere di preminenza, nella ricchezza e diversità delle potestà e dei doni, di cui / l'unico Spirito abbellisce la sua 136
Chiesa: «Fra questi doni —ha detto il Concilio Vaticano II [2]— eccelle la grazia degli Apostoli, alla cui autorità lo stesso Spirito sottomette anche i carismatici [3]. Lo Spirito, unificando Egli stesso il corpo con la sua virtù e con l'interna connessione dei membri, produce e stimola la carità tra i fedeli». Anche il complesso delle leggi stabilite dall'autorità della Chiesa rientra pertanto in questa visuale del bene supremo della società ecclesiale e dei suoi membri, perché tutto parte dalla concezione di Chiesa e dal principio —Dio—, e dal fine —il prossimo—, dell'autorità che la regge.

Tale concezione è stata esaminata e approfondita dal Concilio, che ha messo in luce il carattere mistico della Chiesa (aspetto carismatico) e il suo aspetto visibile, l'uno e l'altro gerarchico e comunitario, accentuando lo scopo di «servizio» dell'autorità della Chiesa, della quale autorità peraltro ha dichiarato i caratteri peculiari e insostituibili, quando ha detto: «I vescovi reggono le Chiese particolari a loro affidate, come vicari e legati di Cristo, col consiglio, la persuasione, l'esempio, ma anche con l'autorità e la sacra potestà... Questa potestà, che personalmente esercitano in nome di Cristo, è propria, ordinaria e immediata, quantunque il suo esercizio sia in ultima istanza sottoposto alla suprema autorità della Chiesa, e, in vista dell'utilità della Chiesa e dei fedeli, possa essere circoscritta entro certi limiti. In virtù della medesima potestà, i vescovi hanno il *sacro diritto e, davanti al Signore, il dovere di dare leggi ai loro sudditi, di giudicare e di regolare tutto quanto appartiene al culto e all'apostolato*... I fedeli, da parte loro, devono aderire al vescovo come la Chiesa a Gesù Cristo, e come Gesù Cristo al Padre, affinché tutte le cose siano d'accordo nell'unità e crescano per la gloria di Dio» [4].

È ben vero che, da parte di alcuni, si è oggi tanto accentuato il carattere di «servizio» dell'autorità della Chiesa, che si possono avere due pericolose conseguenze nella concezione costitutiva della Chiesa stessa: quella di assegnare una priorità alla comunità, riconoscendole poteri carismatici efficienti e propri, e quella di trascurare l'aspetto potestativo nella Chiesa, con accentuato discredito delle funzioni canoniche nella società ecclesiale; donde è derivata l'opinione d'una libertà indiscriminata, di un pluralismo autonomo, e un'accusa di «giuridismo» alla tradizione e alla prassi normativa della Gerarchia. / 137

Davanti a queste interpretazioni, che non corrispondono fondamentalmente al pensiero di Cristo e della Chiesa, vorremmo ancora oggi ricordare che l'autorità, cioè il potere di coordinare i mezzi idonei per il raggiungimento del fine

[1] Cfr. *Hebr.* 5, 4. [2] *Ibidem* 7. [3] Cfr. *1 Cor.* 14. [4] Const. dogm. de Ecclesia

http://www.obrascatolicas.com

della società ecclesiale, non è contraria all'effusione dello Spirito nel Popolo di Dio, sì bene veicolo e custodia; essa è stata attribuita a Pietro ed agli Apostoli, come ai loro legittimi successori, da Cristo stesso: «Mi è stato dato ogni potere in cielo ed in terra. Andate dunque, fate che tutti i popoli diventino miei discepoli... insegnando loro ad osservare tutto quello che vi ho comandato» [5]; «Tutto quello che avrete legato sulla terra sarà legato nel cielo e tutto quello che avrete sciolto sulla terra sarà sciolto nei cieli [6]; «Chi ascolta voi, ascolta me e chi respinge voi respinge me, e chi respinge me, respinge colui che mi ha mandato» [7]. A Pietro, poi, l'ufficio di legare e di sciogliere è stato dato anche personalmente [8], mentre dell'edificio ecclesiale egli è costituito «pietra» [9], cioè «principio e fondamento dell'unità» [10], e della Chiesa dichiarato Pastore per eccellenza [11]. Sono sempre vere e solenni le proposizioni del nostro umile catechismo: vi è una trasmissione di potestà da Cristo agli Apostoli, con a capo Pietro, e dagli Apostoli ai Vescovi, loro successori con a capo il Vescovo Romano, successore di Pietro; trasmissione di potestà che, come abbiamo visto, il Concilio Vaticano II riassume nel diritto e nel dovere davanti al Signore di «dare leggi, di giudicare e di regolare» ciò che riguarda il culto e l'apostolato [12]. Pertanto, oltre le funzioni di *ministerium* e di *magisterium*, il Concilio ha considerato su di un piano squisitamente pastorale, dandone i fondamenti dogmatici, anche il triplice potere di giurisdizione e di governo *(regimen)*, che i Vescovi hanno il diritto e il dovere, come dicevamo, di esercitare: e cioè il potere legislativo, giudiziario e coattivo [13].

2. Soffermiamoci un istante su quello giudiziario, che ora più ci interessa, quello cioè di dirimere cause sorte tra i fedeli o di giudicare un fatto che si pretende esser com-
138 messo contro la legge, e ciò al fine di porvi rimedio; esso è talmente collegato col potere di dare leggi che, senza di esso, neppure il potere legislativo avrebbe il suo vigore. Invano infatti si attribuirebbe al superiore l'autorità di dettare leggi, se egli poi non avesse il potere di farle osservare, anche ove trattasi di punirne la trasgressione, oppure di dirimere liti e controversie, nelle quali si tratta di definire equamente il diritto. L'autorità legislativa che non avesse anche il potere esecutivo e giudiziario sarebbe socialmente inane, non avendo modo di provvedere a se stessa ed alla propria stabilità, cioè all'efficacia dell'ordine, per il bene comune, contro l'arbitrio, il dispotismo e la violenza, altrimenti inevitabili [14].

Orbene non si può negare alla Chiesa, per divina istituzione dotata d'una vera e propria potestà di giurisdizione, anche se solo analogicamente simile a quelle di origine umana, quel che si deve concedere a qualunque società ben compaginata. Il concetto rimane sostanzialmente valido, anche se nella società civile i tre poteri vengono esercitati da organi distinti, e la magistratura, alla quale è attribuito il potere giudiziario, gode di una particolare indipendenza dagli altri organi.

Nella Chiesa l'unità del triplice potere è salvaguardata dalle persone a cui Cristo lo ha affidato (Papa e Vescovi): l'esercizio di esso, tuttavia, com'è noto, viene affidato ordinariamente a persone od organi diversi (ad es. SS. Congregazioni, Tribunali: Vicario Generale-Officiali).

3. S. Paolo, che da alcuni viene esaltato come il fautore dei carismi contro l'istituzionalismo nella Chiesa, ci dà cospicui esempi di esercizio di potere giudiziario e coercitivo. In linea di principio S. Paolo riserva il potere di giudicare ai «santi», cioè agli appartenenti alla comunità cristiana, tanto più che ad essi spetta giudicare il mondo [15]. Ma da parte sua S. Paolo esercita con vigore il potere di giudicare e di punire. Non vogliamo ricordare qui le parole con cui egli giudica e condanna un fedele di Corinto, reo di incesto [16]. Basta poi leggere la seconda lettera ai Corinti e quella ai Galati, che fu scritta subito dopo, per comprendere come l'apostolo delle genti, il cantore ispirato della carità [17], esercitasse il potere che egli sentiva essergli dato da Cristo.

Gli esempi potrebbero moltiplicarsi. Ma vale la pena ve-
139 dere come l'Apostolo Paolo esercitì il suo potere di giudizio riguardo ai carismi ed ai carismatici. È ben vero che lo Spirito è pienamente libero nella sua / azione e San Paolo, prendendo posizione contro i Tessalonicesi, raccomanda di non estinguere lo Spirito [18]. Ma è anche vero che i carismi sono per utilità della comunità, che non tutti hanno gli stessi carismi e che per la debolezza umana i carismi possono essere confusi con le proprie idee ed inclinazioni, non sempre ordinate. È pertanto necessario giudicare e distinguere i carismi per controllarne l'autenticità, per coordinarli con criteri desunti dalla dottrina del Signore e secondo l'ordine che deve essere osservato nella comunità ecclesiale. Tale ufficio spetta alla sacra gerarchia, costituita anch'essa con carisma singolare, tanto che San Paolo non riconosce valido alcun carisma che non obbedisca al suo ufficio apostolico [19].

4. Occorre distinguere il potere giudiziario dal modo di esercitarlo. È evidente che, attesa la singolare natura della comunità ecclesiale, il modo di esercitare tale potere in essa è diverso sotto molti aspetti da quello con cui lo si esercita nella società civile. Saranno utili a tal proposito le seguenti semplici osservazioni:

a) Non si può negare che la Chiesa, nel corso della sua storia, abbia preso da altre culture, per citare un esempio a tutti noto, ma non è l'unico, dal diritto romano, alcune norme anche per l'esercizio del suo potere giudiziario.

È vero, purtroppo, che la Chiesa ha derivato dalle legislazioni civili nei secoli passati anche gravi imperfezioni, anzi veri e propri metodi ingiusti, almeno «obiective», nell'esercizio del potere sia giudiziario (processuale) sia coattivo (penale) [20]. Mentre c'è da rallegrarsi per il grande progresso fatto in merito, quanto a sensibilità e a metodi, bisogna riconoscere che la Chiesa —per ciò che riguarda il diritto di Roma— bene ha fatto ad ispirarsene, quando quel *jus* si imponeva per sapienza, equilibrio e giusta stima delle cose umane, scoprendo nel corpo dell'antico diritto civile positivo, più che l'arbitrio dell'abile legislatore, quella *«recta ratio naturae congruens»* [21], che conferisce alla legge il prestigio della razionalità giusta ed umana. Né è da dimenticare che le stesse norme del diritto romano e civile subirono nel corso del tempo profonde modificazioni non solo per l'influsso di altre culture e legislazioni, ma anche e, forse, soprattutto per l'animazione che ne fece la dottrina cristiana, mediante quel fenomeno interessantis/simo 140
del *diritto comune*, che tanto influsso ha poi avuto nelle successive legislazioni canoniche e civili, fino ai codici dei tempi moderni, nella formulazione dei diritti dell'uomo, oggi universalmente proclamati. Non fa quindi meraviglia che i codificatori del primo codice canonico si siano in qualche modo ispirati, anche nella parte che riguarda i giudizi, alla sapienza del diritto antico e profano.

b) I principi direttivi per la nuova codificazione canonica, approvati dalla prima Assemblea Generale del Sinodo dei Vescovi, danno un sicuro orientamento anche per la revisione del diritto processuale e penale, raccomandando uno *stile* più consono allo spirito pastorale del Concilio Vaticano II. La Commissione per la riforma del Codice sta lavorando in tale senso e possiamo dire che gran parte del lavoro in questo settore è già compiuto in seno ai gruppi di studio. Gli schemi già preparati contemplano, oltre ad un notevole snellimento del processo canonico, una più manifesta tutela dei diritti personali dei fedeli.

c) Nel giudizio canonico v'è certamente un sano formalismo giuridico da seguire: altrimenti regnerebbe l'arbitrio, con danno gravissimo degli interessi delle anime; ma il giudizio dipende anche e soprattutto dalla equilibrata estimazione delle prove e degli indizi da parte del giudice, la cui coscienza, quindi, è particolarmente impegnata. Il giudice ecclesiastico è, per essenza, quella *quaedam iustitia animata*, di cui parla S. Tommaso, citando Aristotele [22]; egli deve perciò sentire e compiere la sua missione con animo sacerdotale, acquistando, insieme con la scienza (giuridica, teologica, psicologica, sociale, ecc.), una grande ed abituale padronanza di sé, con uno studio riflesso di crescere nella virtù, sì da non offuscare eventualmente con lo schermo di una personalità difettosa e distorta i superni raggi di giustizia, di cui il Signore gli fa dono per un retto esercizio del suo ministero. Sarà così, anche nel pronunziare il giudizio, un sacerdote ed un pastore di anime, *solum Deum prae oculis habens*.

Lo stile pastorale, l'afflato di carità, lo spirito di comprensione mirano precisamente a questo. Non la legge per la legge, dunque, non il giudizio per il giudizio, ma legge e giudizio a servizio della verità, della giustizia, della pazienza e della carità, virtù che formano l'essenza del Van-

Lumen Gentium, 27 [LE 3252]. [5] *Mt.* 28, 18-19. [6] *Mt.* 18, 18. [7] *Lc.* 10, 16. [8] *Mt.* 16, 19; cfr. *Mt.* 18, 18; *Io.* 20, 23. [9] *Mt.* 16, 18. [10] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 23 [LE 3232]. [11] *Io.* 21, 15-17. [12] *Loc. cit.* [13] Cfr. Encycl. *Immortale Dei* di Leone XIII, 1885, in *Acta S. Sedis*, 18, p. 165. [14] Cfr. *C. I. C.*, can. 2214. [15] Cfr. *1 Cor.* 6. [16] Cfr. *1 Cor.* 5. [17] Cfr. *1 Cor.* 13.

[18] Cfr. *1 Thess.* 9, 19. [19] Cfr. *1 Cor.* 4, 21; 12, 4 s.; *Gal.* 1, 8; *Col.* 2, 1-23. [20] Cfr. Journet, *L'Eglise*, 1, p. 332 ss.; J. Maritain, *De l'Eglise du Christ La personne de l'Eglise et son personnel*, 1970, p. 237 ss. [21] Cfr. Cicerone, *De Rep.* III, 22. [22] II-IIae, 60, 1.

gelo, e che devono caratterizzare oggi quant'altro mai la figura del Giudice ecclesiastico.

Con queste elementari osservazioni noi abbiamo inteso riaffermare e onorare in questa fausta circostanza, che ci
141 offre occasione di salutare / all'annuale ripresa della sua attività il Sacro Tribunale della Romana Rota e quanti altri Tribunali ecclesiastici adempiono analoga missione, la funzione giudiziaria della Chiesa cattolica, e ne abbiamo delineato, quasi senza avvedercene, il processo evolutivo, rivendicandone la sorgente dalla natura e dalle origini della Chiesa stessa, stabilita da Cristo come società umana e visibile, strutturata organicamente, come corpo animato dallo Spirito Santo e avente Cristo per capo, in via di compiere, come dice S. Paolo, «il suo sviluppo per l'edificazione di se stesso nella carità» [22], e identificandone il traguardo storico per l'ora presente, post-conciliare, nel senso pastorale, che deve più profondamente informare l'esercizio della funzione giudiziaria stessa. Si aprirebbe così davanti al nostro sguardo, quale presagio augurale, la visione dell'amministrazione della giustizia ecclesiastica permeata da questo stile pastorale, caratterizzato, sì, dalle esigenze intime e imprescindibili dell'ordine, ma insieme da quella progressiva scoperta della dignità della persona umana, alla quale la Chiesa, madre e maestra, oggi ci conduce, e alla quale essa ha dedicato la ormai celebre Costituzione del recente Concilio «Gaudium et Spes», appunto «detta pastorale, perché sulla base dei principii dottrinali, intende esporre l'atteggiamento della Chiesa in rapporto al mondo e agli uomini d'oggi» [24].

Ma non spingeremo nel futuro il nostro occhio, felici come siamo di poterlo fermare oggi sul presente. Le parole, testè pronunciate dal venerato Decano della Sacra Romana Rota, a tanto ci obbligano, e pertanto ci autorizzano a compiacerci con lui e con i valenti e zelanti Uditori e Officiali dello stesso sacro Tribunale. Lo possiamo infatti e lo vediamo adempiere il compito suo con l'alta coscienza dei suoi diritti e dei suoi doveri, con assoluta integrità nell'interpretazione e nell'applicazione della legge canonica, con sapiente comprensione delle necessità della Chiesa e degli uomini d'oggi, con limpido disinteresse nell'offerta dei suoi servizi, anzi con larga sollecitudine affinché a tutti, ai meno abbienti non meno che a chiunque altro, sia accessibile il suffragio della giustizia. È questa, oltre che una doverosa osservanza delle norme giudiziarie, proprie della Chiesa, una esemplare testimonianza della sua luminosa romana tradizione e della consapevolezza della sua presente vocazione di fedeltà a Cristo e allo Spirito, che da
142 Lui deve fluire nelle membra del suo mistico Corpo. /

Ecco, venerati e dotti Prelati, quanto abbiamo desiderato di comunicarvi, con semplicità di riflessioni, in questa circostanza tanto a noi gradita; non dubitiamo che continuerete nella vostra azione, al servizio della Chiesa, con quella coscienza di altissima responsabilità e di totale dedizione, che debbono distinguere fedeli collaboratori del Papa e della Santa Sede, quali voi siete. Invochiamo su di voi i doni dello Spirito Santo, che stamane avete fervorosamente pregato: e, in pegno della sua continua assistenza, di cuore vi impartiamo la nostra Apostolica Benedizione.

[22] *Eph.* 4, 16. [24] *Ib.* nota iniziale.

3950

1971 IAN 30.-VICARIATUS URBIS, NORMAE. PART.*

NORMAE CIRCA USUM FACULTATIS BIS AUT TER MISSAM CELEBRANDI ET CIRCA APPLICATIONEM HARUM MISSARUM

Sulle binazioni o trinazioni di Messe si stabilisce o si conferma quanto segue:

1. La facoltà abituale di binare o trinare è locale, non personale e resta sospesa quando vi sia un sacerdote che possa celebrare senza far uso della facoltà medesima.

2. La facoltà di trinare si intende concessa, in ogni caso, solo per i giorni festivi e subordinatamente ad una vera esigenza pastorale.

3. Alle chiese parrocchiali è concessa: la facoltà abituale di binare nei giorni festivi e feriali, per giusta causa; la facoltà abituale di trinare nei giorni festivi dei mesi di luglio, agosto e settembre.

4. L'estensione ai mesi non estivi della predetta facoltà di trinare deve essere richiesta in iscritto al Vicariato.

5. Le chiese non parrocchiali, dietro domanda scritta al Vicariato, potranno ottenere, per un periodo determinato, eventualmente prorogabile, la facoltà abituale di binare e trinare.

6. La facoltà abituale di binare o trinare negli oratorii degli ospedali, delle cliniche e case di cura deve essere richiesta al Vicariato tramite il Vescovo Delegato per la assistenza religiosa nei luoghi suddetti.

7. La facoltà, «ad modum actus», di binare o trinare può essere richiesta al Vicariato oppure al rispettivo Ausiliare o Delegato.

8. Le chiese in possesso della facoltà abituale di binare o trinare devono avere, disponibile in sagrestia, il libro per la regolare registrazione.

9. Le Messe binate o trinate si applicano secondo l'intenzione del Cardinale Vicario oppure dell'offerente: in questo secondo caso, l'elemosina relativa è di spettanza del Vicariato, che la devolve a fini caritativi e assistenziali.

10. Alla fine di ogni semestre, entro i mesi di giugno e di dicembre, i parroci e rettori di chiese presenteranno al Vicariato, su moduli da esso appositamente preparati, l'esatta nota delle Messe binate o trinate, applicate «ad mentem Cardinalis Vicarii» o ad altre intenzioni, e consegneranno allo stesso Vicariato l'importo delle elemosine percepite.

11. Le Messe binate o trinate per facoltà personale concessa «ad modum actus» o sono registrate nell'apposito libro di cui al n. 4, con annotazione della eventuale elemosina depositata presso il parroco o rettore della chiesa oppure lo stesso celebrante provvede a trasmettere con sollecitudine al Vicariato la comunicazione dell'avvenuta celebrazione e, nel caso, la relativa elemosina.

12. Per concessione del Santo Padre, partecipata con lettera della Segreteria di Stato del 7 luglio 1969 (prot. n. 133471) e valevole nella sola diocesi di Roma «ad triennium», i religiosi possono trattenere, in favore delle loro opere, metà dell'importo delle elemosine di Messe binate o trinate, celebrate nelle loro chiese parrocchiali e non parrocchiali, fermo l'obbligo di cedere l'altra metà al Vicariato. Non si potranno riconoscere più ampli privilegi in materia, se non validamente concessi dalla Superiore Autorità.

Dal Vicariato di Roma, 30 gennaio 1971.—ANGELO Card. DELL'ACQUA, *Vicario Generale di Sua Santità*.

* Riv. dioc. Roma 12 (1971) 94-95.

3951

1971 FEB 1.-SC INST. CATH., DECL. AAS 63 (1971) 250-251

DECLARATIO DE COËDUCATIONE IN SCHOLIS SECUNDI ORDINIS SUB RELIGIOSORUM MODERATIONE

Instructio a Sacra Congregatione pro Religiosis et Institutis Saecularibus, die octava mensis Decembris anno 1957 data, post Conventum mixtum Summi Pontificis iussu habitum, quae sequuntur decrevit: «Religiosi non nisi raro et extrema compellente necessitate, et utique antea obtento ab hac Sacra Congregatione indulto Apostolico, scholas secundi ordinis promiscuas sinantur moderari» *(A.A.S.* 50 (1958), p. 100) [LE 2714].

Nunc vero, cum quidam Ordinarii et Superiores Religiosi a Sancta Sede quaesiverint an praefata dispositio adhuc vigeat, etiam post declarationes Concilii Vaticani II, res delata est, collatis consiliis cum Sacra Congregatione pro Religiosis et Institutis Saecularibus, ad Conventum plenarium Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica, quae, in Congressu diebus 16-17 mensis Octobris anno 1970 celebrato, hanc protulit responsionem, postea a Summo Pontifice adprobatam.

1. Iuxta Decretum *Christus Dominus*, «omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariorum locorum potestati subsunt in iis quae (...) ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem (...) spectant. Religiosorum quoque scholae catholicae Ordinariis locorum subsunt ad earum generalem ordinationem et vigilantiam quod attinet, firmo tamen iure Religiosorum quoad earumdem moderamen» (n. 35/4: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 691-692) [LE 3332].

2. Hisce Decreti verbis a Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* haec exsecutiva interpretatio data est: «Ad normam n. 35, 4 Decreti *Christus Dominus*, generalis ordinatio scholarum catholicarum Institutorum religiosorum secumfert, firmo quidem ipsorum iure quoad earumdem moderamen, et servatis normis ibidem (n. 35, 5) circa praevia consilia mutuo inter Episcopos et Superiores religiosos ineunda stabilitis, generalem omnium scholarum catholicarum in dioecesi distributionem, earum inter se cooperationem atque earumdem vigilantiam, ut non minus quam aliae / scholae 251

http://www.obrascatolicas.com

ad fines culturales et sociales prosequendos aptatae sint» (*A. A. S.* 58 (1966), p. 773) [LE 3457].

3. Igitur, si propter rationes in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* recensitas vel propter alias iustas causas, Institutum quoddam secundi ordinis a Religiosis moderatum, inducatur ad scholas promiscuas aperiendas, non amplius quidem ad Sanctam Sedem recurrere debet, sed sequatur oportet et sufficit, sicut ceterae catholicae scholae, instructiones ad hoc datas ab Ordinario loci vel a Conferentia Episcopali.

Datum Romae, die 1 mensis Februarii a. D. MCMLXXI.—Gabriel Maria Card. GARRONE, *Praef.* Franciscus Marchisano, *Subsecretarius.*

3952

1971 FEB 2.-SC CULTUS DIVINI, DECRETUM. PART.*

INSTITUTIO GENERALIS DE LITURGIA HORARUM DIVULGATUR ANTEQUAM EDITIO TYPICA PROMULGETUR

Cum editio voluminum Officii Divini seu *Liturgiae Horarum* ob ipsius operis magnitudinem eique adnexas difficultates aliquod adhuc postulet temporis spatium, ut perficiatur, haec Sacra Congregatio, de speciali mandato Summi Pontificis Pauli VI, curavit, ut antea ac separatim publici iuris fieret *Institutio generalis de Liturgia Horarum*, quae deinde in ipsum primi voluminis initium inseretur [LE 3967].

Hoc modo sacerdotes, religiosi viri atque christifideles, sive singuli, sive in coetibus communis studii vel precationis causa congregati, opportune ediscere poterunt intimam vim novi huiusce orantis Ecclesiae libri, structuram Liturgiae Horarum propriam ac normas, quibus ipsa celebranda erit, necnon spirituales divitias, quae inde populo Dei obvenient.

Ex aedibus S. Congregationis pro Cultu Divino, die 2 februarii 1971, in Praesentatione Domini.—A. Bugnini, *a Secretis.*

* Prot. N. 185/71: AOFMCap 87 (1971) 127.

3953

1971 FEB 10.-SIGNATURA APOST., DECISIO. PART.*

NULLITATIS MATRIMONII ET CONFORMITATIS SENTENTIARUM AFFIRMATIVARUM, QUARUM PRIMA EX CAPITE METUS, ALTERA VERO EX CAPITE SIMULATIONIS

SPECIES FACTI. - Post consuetudinem fere decem annorum, die 12 septembris anno 1960 in ecclesia paroeciali X matrimonium celebrarunt A. et B. Ab inita conversatione, A sincera affectione et amore prosequutus est sponsam B; haec, contra, inde saltem a certo tempore, studium atque propensionem amoris erga alium iuvenem, C, fovere incepit; quam sustinuit dein iam usque ad ipsam celebrationem matrimonii cum A, immo, et post matrimonium celebratum; habitis quidem etiam relationibus sexualibus inter eos, cum ante tum post matrimonium cum A.

Post certum tempus separatio legalis coniugum effecta est, expostulante viro. Dein, autem, die 12 decembris anno 1967, penes Tribunal Vicariatus Urbis libellum exhibuit ipse etiam vir, nullitatis accusans suum matrimonium ob simulationem totalem sin minus partialem, seu propter exclusionem quidem bonorum fidei et sacramenti ex parte mulieris, necnon ob metum reverentialem a parentibus eidem mulieri incussum.

Primi gradus sententia pronuntiata est die 9 ianuarii anno 1969 sensu affirmativo ex capite metus reverentialis. Ab hac appellavit Defensor vinculi ad Tribunal S. R. Rotae. Hoc pariter die 17 oct. a. 1970 sententiam protulit affirmativam, seu: *constare de nullitate matrimonii in casu*, non autem ex capite metus, quod visum est non sufficienter probatum, sed ex capite simulationis partialis ob relectum bonum fidei.

Prout facile videre est, surgit statim quaestio de conformitate necne duarum sententiarum ad effectus cc. 1902 n. 1 et 1987; ipsum quoque Tribunal appellationis S. R. Rotae illam vidit et praeoccupavit, inclinans in affirmativam partem, seu in conformitatis favorem.

IN IURE ET IN FACTO.—Graves sunt rationes contra conformitatem duarum sententiarum in casu, ad normam citatorum canonum.

Argumentatio procedit ex ratione intima «rei iudicatae», aut, si agatur de statu personarum, ubi res iudicata non habetur, ut in praesenti casu, ex analogo iure, ut hic, ad effectus nimirum c. 1987.

Porro, necessitas duarum sententiarum (in hodierno iure canonico) conformium pro «re iudicata» —quod valet, ut dictum est, pro iure analogo causarum de statu personarum— postulatur ut securitas habeatur, *terminative* quidem, circa praesumptionem veritatis ipsius obiecti, sive iuris, de quo agitur, saltem in hodierna doctrina canonica nostra —in aliis theoriis, aut saltem certis temporibus historiae iuris originis romanae, «res iudicata» non generat aut generavit praesumptionem veritatis, sed «loco veritatis» seu «sicut veritas» habetur aut habita est— *immediate* autem, circa praesumptionem veritatis tituli seu rationis petendi, in qua obiectum sive ius litigiosum nititur.

In casu, ergo, nostro agitur de obtinenda securitate circa praesumptionem veritatis scilicet, et nullitatis matrimonii et respectivorum titulorum in quibus innititur: metus, scilicet, et simulationis *boni fidei*, immo, immediate, circa titulos, et solum consequentialiter, etsi principaliter, circa nullitatem ipsam matrimonii. Profecto, tenetur ut certo nullum ad effectus c. 1987, quia metus aut simulatio certa similiter fuerunt, et non aliter. Quando, ergo, dicitur: «res iudicata pro veritate habetur», (aut aliquid analogum), *veritas* refertur ad rem seu ad ius obiectum litis una cum titulo a quo dependet. Non datur altera veritas sine altera.

Iam igitur quaeritur: num detur in casu nostro praefata securitas circa nullitatem matrimonii et circa titulos aut titulum aliquem (rationem petendi) ex illis duobus, seu circa capita nullitatis, necne. Responsio est negativa. Non circa titulos (rationes petendi), ut patet; quia ex illis nonnisi unum tribunal edixit sententiam, cum, ex supposito, nonnisi post duas sententias conformes haberi possit illa securitas: nec circa ipsam matrimonii nullitatem, quia haec nititur non in utroque titulo, sed in alterutro. Sane, pro tribunali primae sententiae non apparuit probata simulatio, ac consequenter non apparuit probata nullitas matrimonii ex hoc titulo. En textus huius sententiae ad n. 19: «Ex tabulis processualibus colligitur, in primis, assertam simulationem totalem, vel partialem ob exclusa bona fidei et sacramenti, vera probatione carere... Neque id probat reassumpta relatio B cum C; nam casu hoc accidit, nempe ex casuali occursu, post mensem, ab initis nuptiis». Contra vero, pro Tribunali, quod secundam emisit sententiam, non probatur exsistentia metus, indeque nec nullitas matrimonii ob istum titulum; sic enim ait secundum tribunal: «Procul dubio ex actis perpensis colligitur conventam aegre matrimonium contraxisse cum actore, sed ad id praestandum non fuisse adactam gravi metu, etsi reverentiali. Difficulter etenim probata sunt in casu gravitas et iniustitia metus. Conventa ponitur timida seu timens indignationem parentum. Sed tempore quo res gestae sunt, ipsa aetatem iam adepta erat maiorem...». Uno igitur verbo, cum pro uniuscuiusque tituli veritate non exstet nisi una sententia, pro nullitate ipsa matrimonii una pariter habetur sententia, etsi duae exstiterint. Aliis verbis, certitudo circa nullitatem matrimonii non augetur ex duabus sententiis in casu, cum non nitantur ambae eodem fundamento, dum nullitas sententiae a suo dependet fundamento.

Sed dicitur: «Nullitas consensus iisdem factis nititur in utraque decisione; per istam, igitur, factorum identitatem substantialis conformitas habenda est duarum sententiarum. Aliis verbis, ratio habenda est factorum quae partes attulerint atque comprobaverint, non nominum iuris quae eiusdem tribuerint... Igitur substantialis conformitas quoque verificatur quoties iisdem nisi factis iudices unius tribunalis pro metu matrimonium invalidante concludunt, cum iudices alterius instantiae pro matrimonii nullitate quidem decernunt, sed ob simulationem quae causam habuit metum simulanti incussum» (Sent. app. n. 18); ibique et allusio fit ad similia dicta in aliquibus aliis (ceterum notis) decisionibus iurisprudentialibus.

Ad haec non deest efficax responsio. Si enim facta conduxissent revera ad nullitatem etiam ex metu, iudicio obiter expresso tribunalis secundae instantiae, ita ut selectio alius capitis (simulationis) facta fuisset ex sola praevalentia evidentiorum rationum, dictum illud sustineri fortasse posset; sed tunc nullitas esset saltem aequivalenter ex duplici capite; cum vero, ita non fuerit, nullatenus sustinetur. Immo, deducitur exinde, facta non esse reapse eadem. Etenim alia fuerunt elementa facti quae comprobarunt exsistentiam simulationis, alia vero, quae comprobarunt exsistentiam metus. Quare haberi potuit metus sine simulatione, immo, ita evenit in casu nostro, iudicio primi tribunalis; et dari potest simulatio sine metu, aut saltem sine metu gravi, sicuti in nostro etiam accidit casu, prout iudicavit tribunal secundae instantiae.

Verum igitur esse non videtur quod nonnisi eisdem factis iudices unius tribunalis concluserunt pro metu (seu pro nullitate ex metu), iudices vero alterius, pro nullitate ex simulatione; adeo ut, exstantibus seu consideratis dumtaxat factis comprobantibus simulationem, primi iudices ducti non fuissent ad decernendum pro nullitate, siquidem ea habuerunt ut insufficientia, et pariter, consideratis solummodo factis existentiam metus comprobantibus, iudices secundae instantiae non decrevissent, in casu, pro nullitate ex simulatione ob parallelam rationem. Ceterum, perpenso textu ambarum sententiarum quoad expositionem «in facto», facile quis persuadebitur facta, unde probationes desumuntur, esse diversa, cum alia probent metum, alia vero, simulationem. Utcumque res se habet, si capita nullitatis (seu rationes petendi) sunt diversa, difficili pacto intellegi potest facta esse eadem.

Si instetur adhuc quod tandem aliquando metus, etsi levis, provocavit in casu simulationem, et ideo facta comprobantia metus, quantumvis mediate, contulerunt utique ipsa ad nullitatem ex simulatione probandam, respondemus faciliter, repetentes adhuc nuperrime dicta, scilicet: quod metus potuit provocare, immo et provocavit in casu, simulationem, at haec ulterius debuit aliunde, i.e., aliis et quidem *propriis* factis sive argumentis probari. Quod idem est ac dicere assertum non posse sustineri *iisdem* nimirum factis: alios iudices pro metu, alios vero pro simulatione decrevisse. Iuvat igitur concludere: siquidem verum est quod causa matrimonialis habetur «eadem» tantum cum propter idem matrimonium et ob idem caput instituitur («...eadem causa hoc est, propter idem matrimonium et ob idem nullitatis caput», ait *Provida Mater*, art. 218 § 2) [LE 1347], conformitas sententiarum, quae intelligitur habita circa aut supra «eamdem causam», *semper*, ac sine possibili exceptione, habebitur si et quando sententiae quoad idem matrimonium idemque caput uno vel alio modo habeantur.

Si dicatur quod, tandem aliquando, conformitas sententiarum refertur de se ad nullitatem ipsius matrimonii, prout sonat canon citatus 1987: «Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi...», et non ad identitatem etiam capitis, perveniretur utique iam ad principium *generale* falsum in doctrina et in iure actuali; affirmaretur equidem, ut patet, aliquid alienum a recta interpretatione praefati canonis, prae oculis habita supra dicta notione figurae: *eadem causa*», recepta etiam, prout vidimus, in cit. art. 218 § 2 *Provida Mater*. Sane, recta interpretatio, praeter superius dicta, exprimitur sequentibus quoque verbis: Dune sententiae dicuntur conformes si eadem est causa petendi, eadem res petita et eaedem personae quae petunt et a quibus petitur. Omnia sunt elementa essentialia notionis quae proinde non patiuntur exceptionem, secus, ipsa notio subverteretur.

DECISIO. - In Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, die 10 februarii 1971, proposita sententia a S. R. Rota in causa de qua supra die 17 octobris 1970 lata et Signaturae Apostolicae exhibita ad effectus civiles consequendos, quae contenditur conformis sententiae in prima instantia a Tribunali Vicariatus Urbis die 9 ianuarii 1969 latae, decretum est: *Cum sententia primae instantiae nitatur capite metus, sententia vero Rotalis secundae instantiae fundetur capite exclusi a muliere boni fidei, non constare de conformitate sententiarum in casu.*

* Apol. 44 (1971) 13-17. Adn. O. ROBLEDA in PrM 61 1 (972) 102-104.

3954

1971 FEB 25.-SECRETARIA STATUS, CONVENTIO. PART.*

SEDES APOSTOLICA ADHAERET CONVENTIONI INTERNATIONALI DE NON USU VIS NUCLEARIS IN ARMIS BELLICIS

Le Cardinal soussigné, secrétaire d'Etat et préfet du Conseil pour les affaires publiques de l'Eglise, a l'honneur de certifier par les présentes que le Saint-Siège adhère au traité de non-prolifération des armes nucléaires, ouvert à la signature le 1er juillet 1968 et entré en vigueur le 5 mars 1970.

Par cet acte, dicté par la conviction que les objectifs de désarmement et de détente internationale qui inspirent le traité correspondent à sa propre mission de paix, le Saint-Siège veut apporter son appui et son encouragement moral aux dispositions du traité, considérant qu'il constitue un important pas en avant vers l'instauration souhaitée d'un système de désarmement général et complet sous contrôle international effectif en vue de garantir la sécurité et d'affermir la confiance dans les relations entre Etats, ainsi que de promouvoir la paix et la coopération entre les peuples sur des bases justes et stables.

En foi de quoi, le Cardinal secrétaire d'Etat soussigné a apposé sa signature et son sceau sur ce document.

Du Vatican, le 25 février 1971.—Cardinal JEAN VILLOT.

Déclaration additionnelle a l'instrument d'adhésion

I. La présente adhésion du Saint-Siège au traité sur la non-prolifération des armes nucléaires s'inspire du désir qu'il nourrit constamment —à la lumière des enseignements de fraternité universelle, comme de justice et de paix entre les hommes et les peuples, contenus dans le message évangélique— d'apporter sa propre contribution aux initiatives qui, par le moyen aussi du désarmement, tendent à promouvoir la sécurité, la confiance mutuelle, la coopération pacifique dans les rapports entre les peuples

Dans une telle perspective, le Saint-Siège juge —comme il est dit dans le document officiel d'adhésion— que les finalités de désarmement et de détente dont s'inspire le traité correspondent à sa mission de paix, et que le même traité —certes, dans ses limites intrinsèques— constitue un pas en avant notable sur la voie du désarmement. Ce traité, en effet, dans la mesure où il se propose d'arrêter la diffusion de telles armes —en attendant que se réalise la cessation de la course aux armements nucléaires et que l'on en arrive à des mesures efficaces tendant à assurer le désarmement complet dans ce domaine— entend diminuer les dangers d'une destruction terrible et totale qui menace l'humanité entière, et constituer les prémices d'accords futurs plus étendus, aptes à promouvoir un système de désarmement général et complet sous un contrôle international efficace.

II. C'est pourquoi, en premier lieu, le Saint-Siège apprécie et partage les considérations et intentions suivantes que les parties au traité ont exprimées ou déclarées dans les considérants du traité lui-même:

1. La prise de conscience des dévastations «qu'une guerre nucléaire ferait subir à l'humanité entière et la nécessité qui en résulte de ne ménager aucun effort pour écarter le risque d'une telle guerre et de prendre des mesures en vue de sauvegarder la sécurité des peuples»;

2. La réaffirmation du principe que «conformément à la Charte des Nations Unies, les Etats doivent s'abstenir, dans leurs relations internationales, de recourir à la menace ou à l'emploi de la force, soit contre l'intégrité territoriale ou l'indépendance politique de tout Etat, soit de toute autre manière incompatible avec les buts des Nations Unies, et qu'il faut favoriser l'établissement et le maintien de la paix et de la sécurité internationales»;

3. L'intention «de parvenir au plus tôt à la cessation de la course aux armements nucléaires et de prendre des mesures efficaces dans la voie du désarmement nucléaire»;

4. L'intention «de promouvoir la détente internationale et le renforcement de la confiance entre Etats afin de faciliter la cessation de la fabrication d'armes nucléaires, la liquidation de tous les stocks existants desdites armes, et l'élimination des armes nucléaires et de leurs vecteurs des arsenaux nationaux en vertu d'un traité sur le désarmement général et complet sous un contrôle international strict et efficace»;

III. Le Saint-Siège est convaincu, en outre, que le traité sur la non-prolifération des armes nucléaires ne pourra atteindre pleinement les nobles objectifs de sécurité et de paix qui constituent les raisons de sa stipulation et justifient les limitations auxquelles les parties au traité se soumettent, que s'il est totalement exécuté dans chacune de ses clauses et dans toute son étendue.

Une telle exécution concerne, à son avis, non seulement les obligations d'application immédiate, mais également celles qui prévoient un processus d'engagements ultérieurs, parmi lesquels le Saint-Siège juge opportun de souligner les suivants:

a) L'adoption de mesures appropriées pour assurer, sur une base d'égalité, à tous les Etats militairement non nucléaires qui sont parties au traité, les avantages dérivant des applications pacifiques de la technologie nucléaire, dans l'esprit des alinéas 4, 5, 6 et 7 des considérants, et aux termes des articles 4 et 5 du traité lui-même.

b) Le déroulement, de bonne foi, de négociations «sur des mesures efficaces relatives à la cessation de la course aux armements nucléaires à une date rapprochée et au désarmement nucléaire, et sur un traité de désarmement général et complet sous un contrôle international strict et efficace», conformément à l'engagement contenu dans l'article 6.

Le Saint-Siège exprime donc le souhait que lesdits engagements soient exécutés par toutes les parties au traité. Il marque en particulier son intérêt spécial en formant très vivement le voeu que:

1. Les conversations en cours entre l'URSS et les Etats-Unis d'Amérique pour la limitation des armements stratégiques puissent aboutir à brève échéance à une entente satisfaisante qui permette d'arrêter, d'une façon efficace et durable, la préoccupante course aux armements dans le secteur dispendieux et meurtrier des préparatifs de guerre, qu'ils soient offensifs ou défensifs;

2. Les propositions et les projets d'accord, qui se font depuis un certain temps et de divers côtés, spécialement dans le cadre de la Conférence du Comité des Nations Unies pour le désarmement, et qui concernent le désarmement nucléaire complet, l'interdiction des armes bactériologiques et chimiques, la limitation et le contrôle des armements conventionnels, de même que le projet d'un traité pour le désarmement général et complet sous un contrôle international rigoureux et efficace, puissent aboutir à des résultats rapides et concrets, conformément aux résolutions répétées de l'ONU et en réponse à l'attente justifiée et anxieuse des hommes et des peuples de tous les continents.

IV. Dans l'esprit des considérations exprimées ci-dessus, qui motivent et accompagnent sa présente adhésion au traité, le Saint-Siège est convaincu que les buts de sécurité et de paix, qui sont ceux du traité, seront réalisés d'autant plus pleinement et efficacement que son application sera plus large et universelle.

Du Vatican, le 25 février 1971.

* Doc. Cath. 68 (1971) 256-258.

3955

1971 FEB 26.-CONV. CUM HELVETIA. AAS 63 (1971) 213

RATIHABITIO CONVENTIONIS INTER APOSTOLICAM SEDEM ET CONSILIUM FOEDERATARUM HELVETIAE CIVITATUM DE SEPARATIONE ADMINISTRATIONIS APOSTOLICAE TICINENSIS A DIOECESI BASILEENSI EIUSDEMQUE IN DIOECESIM ERECTIONE

Vide *textum* sub die 1968 Iul. 24: LE 3675.

http://www.obrascatolicas.com

3956

1971 MAR 2.-SC RELIGIOSORUM, RESCRIPTUM. PART.*

NONNULLA EXPERIMENTA CONTRA IUS COMMUNE PERMITTUNTUR ORDINI F. M. CAP., PRAESERTIM QUOAD INSTITUTIONEM CANDIDATORUM ANTE PROFESSIONEM SOLLEMNEM

PRECES—*Beatissime Pater*, Capitulares Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum humillime a Sanctitate Tua implorant, ut infrascriptae normae ad experimentum traduci possint:

1. Expleto noviciatu, emittatur professio simplex votorum vel fiat promissio Ordini, *ad tempus a Ministro Provinciali cum novicio determinandum*, usque ad professionem sollemnem renovanda.

2. Rationes quae videntur necessariae circa ligamina temporaria, quae non sunt vota publica, eaque quae inde consequuntur, *a Capitulo Provinciali sanciantur*.

3. In casu ligaminum istius generis ante professionem sollemnem fratres peragant quoddam tempus praeparationis specialis, quod quasi alter noviciatus habeatur, *cuius duratio et rationes a Capitulo Provinciali definiantur*.

4. Si autem candidatus iam in fine noviciatus polleat condicionibus supra indicatis, potest, de consensu Ministri Provincialis eiusque Definitorii, professionem sollemnem immediate emittere.

5. Ministri Provincialis cum suo Definitorio est *dispensare a ligaminibus quae non sunt vota publica* ac, gravi de causa, fratrem sive votis temporariis sive alius generis ligaminibus obstrictum dimittere.

6. Superiores Maiores eligi non possunt nisi fratres sacerdotes sollemniter professi qui studia rite expleverint. *Ad alia autem officia seu munera omnes Fratres sollemniter professi, post institutionis tempus peractum, promoveri possunt.* Et Deus, etc...

RESCR.—Vigore facultatum a Summo Pontifice tributarum, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, attentis, quae sequuntur decernere censuit:

Ad 1.um: Pro gratia iuxta, preces, dummodo servetur norma *Renovationis causam* n. 37, I. [LE 3707].

Ad 2.um: Pro gratia, ita tamen ut quae a Capitulo Provinciali sancientur, a Definitorio Generali approbari debeant.

Ad 3.um: Pro gratia iuxta preces, dummodo a Definitorio Generali approbentur.

Ad 4.um: Prout petitur, non expedire: praescriptum teneatur «*Renovationis causam*» n. 37, I[LE 3707].

Ad 5.um: *a)* Si agitur de dispensandis vel dimittendis iis qui votis publicis non obstringuntur: utantur iure suo; *b)* si agitur vero de dimittendis fratribus a votis temporariis, iam responsum est Rescripto prot. n. 4734-68 diei 11 augusti 1969 [LE 3777].

Ad 6.um: Prout petitur, non expedire: observentur normae quae in Decreto *Clericalia Institutia* continentur, a Summo Pontifice die 24 septembris 1970 [LE 3808] denuo confirmatae.

In omnibus autem cetera serventur de iure servanda. Contrariis quibuslibet non obstantibus. Datum Romae, die 2 Martii 1971.—E. Heston, C. S. C., *Secr.* G. Bolduc, C. S. V., *Officialis*.

* Ordini Fratrum Minorum Cap., Prot. N. 31093/70: AOFMCap 87 (1971) 72-74. Adn. AOFMCap 87 (1971) 68-72, 74-75.

3957

1971 MAR 12.-SC INSTITUTIONIS CATH., DECR. PART.*

STUDIUM THEOLOGICUM HIEROSOLYMITANUM ORDINIS FRATRUM MINORUM AFFILIATUR FACULTATI S. THEOLOGIAE PONTIFICII ATHENAEI ANTONIANI IN URBE

Sacra Congregatio pro Institutione Catholica, attentis litteris Revmi Rectoris Pontificii Athenaei Antoniani in Urbe, perpensa approbataque Conventione die XXII februarii a. D. MCMLXXI inita inter eundem Rectorem et Revmum Custodem Terrae Sanctae, cum compererit sacrarum disciplinarum studia in Studio Theologico SS. Salvatoris Custodiae Terrae Sanctae in Jerusalem, electo professorum coetu stabiliter adlaborante, omni cum diligentia promoveri atque ad normam cann. 1363-66 C. I. C. ordinata esse, petitionem eiusdem Rectoris libenter excipiens, *Studiorum Theologicum Ierosolymitanum* Ordinis Fratrum Minorum Facultati *Sacrae Theologiae Pontificii Athenaei Antoniani* pro munere *affiliatum ad quadriennium et ad experimentum* constituit declaratque, collata Facultati potestate academicum Sacrae Theologiae *Baccalaureatus* gradum iis alumnis conferendi, qui curriculum philosophico-theologicum feliciter emensi, specialia periculaque sub ducta et auctoritate eiusdem Facultatis in aedibus Pontificii Athenaei vel Studii affiliati bene superaverint, servatis ceteris de iure servandis, in primis peculiaribus *Normis* ad Conventionem applicandam, ab utraque parte d. XXII m. februarii a. D. MCMLXXI subsignatis et ab eadem S. Congregatione approbatis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, ex aedibus S. Congregationis, d. d. XII m. martii a. D. MCMLXXI.—Gabriel Maria Card. GARRONE, *Praef.* F. Marchisano, *Subsecretarius*.

* Prot. N. 303/71: AOFM 90 (1971) 42. Adn. vide «Convenzione tra la Custodia Francescana di Terra Santa e il Pontificio Ateneo Antoniano di Roma per l'affiliazione dello Studio Teologico di San Salvatore in Gerusalemme» die 2 martii 1971 inita, apud AOFM 90 (1971) 42-43.

3958

1971 MAR 17.-SC CAUSARUM SANCT., RESCR. PART*.

FACULTAS DATUR UT ETHUS CARDINALIS, TESTIS INDUCTUS, DEPOSITIONEM SUAM SCRIPTO FACERE VALEAT, ET NORMAE PROPONUNTUR IN DEPOSITIONIBUS SCRIPTIS SERVANDAE

I—*Rescriptum*

Instante Rev.mo P. Antonio Cairoli, Ordinis Fratrum Minorum atque legitime constituto Postulatore in Causa beatificationis et canonizationis Servi Dei Ioannis Papae XXIII, Sacra Congregatio pro Causis Sanctorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice Paulo Papa VI tributarum, attentis peculiaribus in supplici libello expositis adiunctis, benigne indulget ut Ethus Dñus Card. Areadius M. Larraona, uti testis inductus seu vocatus in Processu Ordinario Informativo praedicti Servi Dei, apud Urbis Vicariatum instruendo, suam depositionem scripto facere valeat, servatis tamen peculiaribus normis in folio huic Rescripto adnexo expositis, ceterisque de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Die 17 martii 1971.—PAULUS Card. BERTOLI, *Praef.* F. Antonelli, Archiep. Idicren., *a Secretis*.

II—*Normae servandae*

1. Tribunal, per Iudicem, Promotorem fidei vel Actuarium in manus Ethi testis tradat plicum, exemplar Interrogatoriorum Promotoris Fidei continens, clausum et obsignatum, una cum sufficienti copia foliorum, quae depositionibus testis scripto consignandis inservient.

2. Ethus testis relationem scriptam conficiat, ordini et numeris Interrogatoriorum Promotoris Fidei, in quantum fieri potest, sese accommodans, maximamque curam adhibeat ut tum Interrogatoria tum relatio a se scripta sub secreto serventur.

3. Absoluta relatione scripta eaque una cum exemplari Interrogatoriorum Promotoris Fidei in plico clausa, Ethus testis tribunal monebit ut per Iudicem, Promotorem vel Actuarium, plicus ad tribunal deferatur.

4. Tribunal scriptam relationem sibimet ab Actuario elata voce praelegi faciat, ut de contentis certius reddatur et videat num aliquid aut obscurum aut omissum sit, oretenus ab Ethо teste complendum.

5. Die et hora de communi consensu statutis, Iudex, Promotor Fidei et Actuarius ad locum ab Ethо teste designatum se conferant et ibidem tribunali legitime constituto, Iudex, etiam Promotore postulante, interrogationes quas necessarias vel utiles iudicaverit, ex officio Ethо testi faciat super quaestionibus non clare expressis vel omissis, et Actuarius ad calcem ipsius relationis scriptae, uti de more, responsiones referat.

6. Examine absoluto, Ethus testis interrogetur, postquam suam depositionem oralem audierit, num aliquid supprimendum, corrigendum, addendum habeat et, responso accepto, suam relationem scriptam et depositionem oralem approbet, iuramento de veritate dictorum confirmet et subsignet una cum Promotore Fidei et Actuario, additis loco, die, mense et anno.

7. Plicus continens relationem scriptam ac depositionem oralem coram omnibus clausus et obsignatus, ad tribunal deferatur ut testimonium integrum, seu tam relatio scripta quam oralis suo ordine inter depositiones testium Actis Processus inseratur, una cum relatione Actuarii hac de re confecta et praesenti Rescripto S. Congregationis pro Causis Sanctorum.

Die 17 martii 1971.—F. ANTONELLI, Archiep. Idicren., *S. Congr. pro Causis Sanctorum Secretarius*.

* Postulatori Generali O. F. M. in causa Romana, Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Papae XXIII, Prot. N. 1090-25/971: AOFM 90 (1971) 49-50.

3959

1971 MAR 17.-SC CAUSARUM SANCT., RESCR. PART.*

FACULTAS DATUR INSTRUENDI PROCESSUS SUPER VIRTUTIBUS SERVI DEI UBI OMNES FERE TESTES DE VISU COMMORANTUR, ET EXTRA LOCUM VI IURIS COMMUNIS COMPETENTEM

Rev. P. Antonius Cairoli, Ordinis Fratrum Minorum Postulator generalis necnon Causae Servi Dei Aegidii Bullesi, viri laici ex Tertio Ordine S. Francisci, Sanctitati Suae exposuit

esse in votis tum Rev.mi Ordinarii Tergestin. et Iustinopolitan. et eiusdem dioeceseos cleri ac fidelium, cum Sodalium Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, ut instruatur processus super virtutibus praedicti Servi Dei, qui die 24 aprilis a. 1929 Polae supremum obiit diem ibidemque sepultus est.

Cum autem eiusmodi processus utilius instrui posse videatur in dioecesi Tergestina et Iustinopolitana, ubi omnes fere testes de visu in praesens domicilium habent, idem Rev. Postulator, de consensu tam Ordinarii Parentin. Polen., quam et Ordinarii Tergestin. et Iustinopolitan., Sanctitatem Suam rogavit ut, dispensando a praescripto canonis 2039 § 1 C. I. C., dictus processus construi valeat in Curia Tergestina et Iustinopolitana.

Et Sacra Congregatio pro Causis Sanctorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice Paulo VI tributarum, attentis expositis, benigne annuit pro gratia iuxta preces; servatis de cetero omnibus de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Die 17 martii 1971.—PAULUS Card. BERTOLI, *Praef.* F. Antonelli, Archiep. Idicren., *a Secretis*.

* Postulatori Generali O. F. M. in causa Tergestina et Iustinopolitana, N. Var. 325/971: AOFM 90 (1971) 125.

3960

1971 MAR 28.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 63 (1971) 441-446

NORMAE QUAEDAM STATUUNTUR AD PROCESSUS MATRIMONIALES EXPEDITIUS ABSOLVENDOS

PAULUS PP. VI

Causas matrimoniales peculiari semper cura sancta Mater Ecclesia prosecuta est, quae quidem per eas sanctitatem germanamque naturam sacri vinculi matrimonii nititur tueri. Ecclesiasticorum enim iudicum ministerium aperte ostendit —etsi modo sibi proprio— pastoralem caritatem Ecclesiae, quae probe novit, quantopere in iudiciis matrimonialibus animarum saluti consulatur.

Cum autem huiusmodi causarum numerus temporibus nostris magis in dies augeatur, Ecclesia facere non potest, quin hac de re sit valde sollicita. Hic enim causarum auctus, quemadmodum ad Praelatos Auditores Tribunalis Sacrae Romanae Rotae diximus, «signum est peculiare imminuti sensus sacrae, quae legi inest naturae, qua ut in fundamento familia christiana innititur; signum inquietae
442 perturbataeque vitae / hodiernae; signum incertarum condicionum socialium et oeconomicarum, in quibus illa degitur, ideoque periculi, quod firmitati, vigori, felicitati instituti familiae impendere potest» [1].

Mater Ecclesia fore quidem confidit, ut studium, a novissimo Oecumenico Concilio in matrimonii spirituali bono pastoralique cura illustrandis atque promovendis collocatum, fructus suos gignat, etiam quod ad firmitatem matrimonialis vinculi attinet; verumtamen ipsa vitare simul, opportunis statutis normis, exoptat, ne nimia iudiciorum matrimonialium diuturnitas plurium filiorum suorum spiritualem statum reddat graviorem.

Dum igitur plenior exspectatur processus matrimonialis reformatio, quam Commissio Nostra Codici Iuris Canonici recognoscendo parat, visum est Nobis quasdam edere normas de constitutione Tribunalium ecclesiasticorum deque processu iudiciario, quibus expeditior fiat ipse matrimonialis processus.

Firmis itaque manentibus reliquis normis canonicis circa processus, motu proprio et auctoritate Nostra Apostolica has, quae sequuntur, normas decernimus ac statuimus, a die 1 mensis Octobris anno MCMLXXI in omnibus Tribunalibus, etiam Apostolicis, fideliter servandas, donec novus Codex Iuris Canonici promulgetur.

De Foro competenti

I. Causae matrimoniales baptizatorum iure proprio ad iudicem ecclesiasticum spectant.

II. Causae de effectibus matrimonii mere civilibus pertinent ad civilem magistratum, nisi ius particulare statuat easdem causas, si incidenter et accessorie agantur, posse a iudice ecclesiastico cognosci ac definiri.

III. Omnes causas matrimoniales, ad eos spectantes, de quibus in C. I. C., can. 1557, § 1, n. 1°, illa Congregatio vel Tribunal aut specialis Commissio exclusive cognoscit, cui eas Summus Pontifex in singulis casibus commiserit. 443

IV. § 1. In ceteris causis nullitatis matrimonii competens est:

a) Tribunal loci in quo matrimonium celebratum est, vel;

b) Tribunal loci in quo pars conventa commorationem non precariam habeat, quae ex aliquo ecclesiastico documento vel alio legitimo modo probari possit, vel;

c) Tribunal loci in quo de facto colligendae sint pleraeque depositiones seu probationes, dummodo accedat consensus tum Ordinarii loci commorationis habitualis partis conventae, tum Ordinarii loci et praesidis Tribunalis aditi.

§ 2. Si casus accidat de quo in praecedenti § 1, *c)*, Tribunal, antequam causam admittat, exquirat a parte conventa, num quid excipiendum habeat contra forum aditum a parte actrice.

§ 3. Mutatis substantialiter circumstantiis aut locorum aut personarum de quibus in § 1, instantia ante conclusionem in causa potest transferri in casibus particularibus de uno ad aliud Tribunal aeque competens, si accedat consensus partium et utriusque Tribunalis.

De Constitutione Tribunalium

V. § 1. Si nec in Tribunali dioecesano nec in Tribunali regionali, ubi erectum sit, collegium trium iudicum clericorum efformari possit, Conferentia Episcopalis facultate instruitur permittendi in primo et secundo gradu constitutionem collegii ex duobus clericis et uno viro laico.

§ 2. In primo gradu, cum nec per aggregationem viri laici collegium de quo in § 1 efformari possit, singulis in casibus causae nullitatis matrimonii clerico tamquam iudici unico per eandem Episcopalem Conferentiam demandari possunt. Qui iudex, ubi fieri possit, assessorem et 444
auditorem in iudicio sibi asciscat. /

§ 3. Conferentia Episcopalis facultates, de quibus supra, concedere valet iuxta propria statuta, vel per membrorum coetum, vel saltem per membrum Conferentiae quae ad id eligantur.

VI. Ad munus assessoris et auditoris in Tribunalibus cuiusvis gradus, viri laici vocari possunt; munus autem notarii sive viri sive mulieres suscipere possunt.

VII. Laici ad huiusmodi munera assumendi fulgeant catholica fide et bonis moribus ac simul iuris canonici scientia. Cum autem agitur de munere iudicis viro laico conferendo, de quo in n. V, § 1, ii praeferantur qui etiam consuetudinem fori habeant.

De Appellationibus

VIII. § 1. A prima sententia, matrimonii nullitatem declarante, vinculi defensor ad superius Tribunal provocare tenetur intra legitimum tempus: quod si facere neglegat, auctoritate praesidis vel iudicis unici compellendus est.

§ 2. Apud Tribunal secundae instantiae vinculi defensor suas animadversiones exhibeat ut dicat utrum contra decisionem latam in primo gradu aliquid opponendum habeat necne. Contra quas animadversiones collegium, si opportunum censuerit, partium earumve patronorum animadversiones exquirat.

§ 3. Visa sententia et perpensis animadversionibus defensoris vinculi necnon, si exquisitae et datae fuerint, partium earumve patronorum, collegium suo decreto vel decisionem primi gradus ratam habet, vel ad ordinarium examen secundi gradus causam admittit. In priore casu, nemine recurrente, ius est coniugibus, qui alioquin non impediantur, decem diebus a decreti publicatione elapsis, 445
novas nuptias contrahere. /

IX. § 1. Adversus decretum collegii, sententiam primi gradus ratam habens, defensor vinculi vel pars, quae se gravatam putet, ius habent recurrendi, intra decem dies a die publicationis decreti, ad superius Tribunal, sed tantummodo prolatis novis et gravibus argumentis, quae tamen praesto sint. Huiusmodi argumenta debent exhiberi Tribunali tertii gradus intra mensem ab interposito recursu.

§ 2. Defensor vinculi tertii gradus, audito praeside Tribunalis, potest a recursu recedere: quo in casu Tribunal declarat litem finitam. Si autem pars recurrat, Tribunal,

[1] Cfr. *A. A. S.* 58 (1966) p. 154. [LE 3394].

http://www.obrascatolicas.com

perpensis argumentis allatis, intra mensem ab interposito recursu vel recursum reicit per decretum, vel causam admittit ad ordinarium tertii gradus examen.

De Regulis in casibus specialibus

X. Cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de existentia impedimenti dirimentis, simulque pari certitudine patuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus in iure recensitis, poterit Ordinarius, citatis partibus et interveniente defensore vinculi, matrimonii nullitatem declarare.

XI. Item sub iisdem clausulis et eodem modo, de quibus in n. X, Ordinarius matrimonii nullitatem declarare tunc etiam poterit, cum causa instituta est ex defectu formae canonicae vel ex defectu validi mandati procuratoris.

XII. Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimaverit impedimenta aut defectus, de quibus in nn. X et XI, non esse certa aut dispensationem super eisdem probabiliter intercessisse, provocare tenetur ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta transmittenda
446 sunt, quique scripto monendus est agi de casu speciali./

XIII. Iudex alterius instantiae, interveniente tantum defensore vinculi, decernet eodem modo, de quo in n. X, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu eam remittit ad Tribunal primae instantiae.

Normae temporariae

1. Die quo praesentes Litterae Apostolicae vigere incipient, causa matrimonialis, quae, post primam sententiam matrimonii nullitatem declarantem, apud superius Tribunal ex appellatione legitima prosequitur, interim suspendatur.

2. Vinculi defensor Tribunalis secundae instantiae animadversiones suas exhibeat super omnia, quae sive decisionem latam in primo gradu respiciunt, sive actis in altero gradu eo usque expletis continentur, ut dicat utrum contra decisionem latam in primo gradu aliquid opponendum habeat necne. Contra quas animadversiones collegium, si opportunum censuerit, partium earumve patronorum animadversiones exquirat.

3. Perpensis animadversionibus defensoris vinculi necnon, si exquisitae et datae fuerint, partium earumve patronorum et visa sententia primi gradus, collegium suo decreto vel decisionem primi gradus ratam habet, vel causam in ordinario examine secundi gradus prosequendam esse decernit. In priore casu, nemine recurrente, ius est coniugibus, qui alioquin non impediantur, decem diebus a decreti publicatione elapsis, novas contrahendi nuptias. In altero vero casu instantia prosequenda erit usque ad definitivam sententiam.

Quae igitur a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia rata ac firma esse iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis Martii, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri octavo.—PAULUS PP. VI.

Adn. F. BERSINI in Pal. clero 51 (1972) 80-89, 153-173; R. BIDAGOR in Communicationes 3 (1971) 95-101; M. CABREROS DE ANTA in Ius can. 12 (1972) 225-279; O. CAPRILE in La Civiltà Cattolica 122 (1971-III) 72-79; C. DE DIEGO-LORA in Ius can. 12 (1972) 107-188, 289-279; I. DEL AMO, in REDC 27 (1971) 430-433 et Nueva tramitación de las causas matrimoniales, Salamanca 1971; O. DI JORIO, De motu p. Pauli Pp. VI «Causas matrimoniales» quibusdam adnotationibus instructo, Roma 1971; P. FEDELE in Ephem. Iuris can. 27 (1971) 439-442; B. FILIPIAK in Ephem. Iuris can. 27 (1971) 443-448; E. FRANCA in Revista ecclesiástica Brasileira 31 (1971) 667-693; J. M. GONZALEZ DEL VALLE in Ius can. 12 (1972) 339-355; Ch. LEFEBVRE in Studia canonica 5 (1971) 213-266 et in PrM 71 (1972) 395-422; E. F. REGATILLO in Sal terrae 59 (1971) 630-641; J. A. SOUTO in Ius can. 12 (1972) 93-100; Communicationes 3 (1971) 101-109; Ius can. 12 (1972) 191-236.

3961

1971 MAR .. -SC CULTUS DIVINI, RESPONSUM. PART.*

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA LITURGICA CIRCA NOVUM ORDINEM CONSECRATIONIS VIRGINUM

DUBIA.—1. È vero che l' *Ordo Consecrationis virginum* [LE 3857] è riservato alla monache di voti solenni, ai membri degli Istituti secolari femminili, a donne vergini viventi nel

mondo, mentre l' *Ordo Professionis religiosae* [LE 3826] è il solo rito che può essere usato per le religiose di voti semplici?

2. Se le religiose di voti semplici usano l'*Ordo Professionis religiosae* [LE 3826] possono considerarsi consacrate allo stesso modo delle donne che ricevono la «consecratio virginum»? Si può dire che vi è una graduatoria nella consacrazione? E in caso positivo, che cos'è che costituisce l'ultimo o più alto grado, il rito usato o la natura dei voti?

3. Il voto è necessario alla consacrazione, o basta qualunque impegno accettato dalla Chiesa, come la promessa?

4. La consacrazione avviene con la professione temporanea o con quella perpetua?

5. Il rito della «consecratio» è limitato alle donne, o può anche essere usato per gli uomini appartenenti ad Istituti secolari? Se è solo riservato alle donne, perché questo? Per ragioni storiche, culturali o è nella natura della donna che si basa questa possibilità di consacrazione?

6. Nell'articolo apparso su *L'Osservatore Romano* a proposito del nuovo rito della professione religiosa, è detto che questo rito è una vera e propria «consacrazione». Come si spiega, dal momento che nei nuovi riti non si usa l'olio, che è adoperato nelle consacrazioni in senso stretto?

7. La preghiera di benedizione dell' *Ordo professionis religiosae* ha lo stesso valore, quanto all'essenza, di quella dell' *Ordo Consecrationis virginum*»?

RESP.—*Ad.* 1. L'*Ordo Consecrationis Virginum* (= OCV) è effettivamente riservato alle monache *(moniales)*, alle donne degli Istituti secolari ed anche ad altre donne laiche. Ciò risulta da una corretta lettura del n. 3 dei *Praenotanda* di OCV. Può destare sorpresa il fatto che, nel nostro tempo, una categoria di religiose (le monache) sia ammessa alla *Consecratio Virginum* ed un'altra (le suore) sia esclusa, mentre ad essa vengono ammessi i membri degli Istituti secolari e donne laiche. La proposta che anche alle suore degli Istituti di voti perpetui fosse data la possibilità di scegliere, secondo la loro sensibilità, l'*Ordo professionis religiosae* (= OPR) o l'OCV non fu accolta.

Il provvedimento è certamente basato su ragioni valide e ben ponderate, che non consigliavano l'accettazione della proposta nel momento attuale. Però sembra giusto e ragionevole che si possa prospettare per il futuro una evoluzione dell'attuale disposizione. Trattandosi di una legge ecclesiastica, espressa per ora soltanto nel nuovo Pontificale, essa potrà subire eccezioni in seguito a richieste di singoli Istituti.

Ciò nonostante è da considerare un notevole progresso il fatto che l'OCV, privilegio rarissimo fino a poco tempo fa, sia stato esteso anche alle donne laiche.

Riguardo alla seconda parte della domanda, le cose dovrebbero vedersi in una prospettiva diversa: l'OPR è l'*Ordo* base per *tutte* le religiose (difatti molte *moniales* di voti *solenni* preferiscono seguire OPR). D'altra parte i periti del «Consilium» furono avvertiti dalla S. C. dei Religiosi che molto probabilmente nel futuro Codice di Diritto Canonico scomparirà la distinzione tra voti semplici e voti solenni. L'OPR è stato redatto, quindi, prescindendo completamente da tale distinzione. L'OPR attende alla *perpetuità* ed alla *totalità* del dono.

Ad 2. Certamente sì. Le religiose che, avendo voti perpetui, adoperano OPR, sono, secondo l'intenzione della Chiesa e le parole del rito, veramente *consacrate*.

Quanto alla seconda parte della domanda: non pare ci siano gradi maggiori o minori di consacrazione determinati dal diverso rito adoperato. La terminologia consacratoria di OPR, cap. III, non è meno «forte» di quella di OCV, cap. II.

Ad 3. Strettamente parlando, non è necessario un «voto», nel senso tecnico che questo termine ha acquisito negli ultimi secoli, per determinare la consacrazione. È invece indispensabile che il soggetto abbia la volontà di offrirsi a Dio in modo totale e perpetuo, e che tale volontà sia accettata dalla Chiesa. Tale è il criterio cui pare ispirarsi il n. 5c dei *Praenotanda* OCV.

Ad 4. Una persona viene consacrata dalla professione *perpetua* e dalla concomitante azione liturgica della Chiesa *(prex consecratoria)*. Lo richiede la natura stessa della consacrazione, che presuppone totalità e perpetuità. Su questo sono concordi oggi liturgisti e canonisti. Nel cap. II di OPR (professione temporanea) non si adoperano mai termini quali «consecratio», «consecrari» ...che sono riservati esclusivamente al cap. III (professione perpetua).

Ad 5. C'è un progresso in OPR per quanto riguarda gli uomini. Anche su di essi, se hanno abbracciato la vita religiosa, la Chiesa pronuncia nel giorno della loro professione perpetua, una solenne prece di consacrazione, e li considera poi uomini consacrati (su questo la Cost. *Lumen gentium*, cap. IV, offre un buon fondamento dottrinale) [LE 3232].

Non è stato creato invece per gli uomini *laici* un rito parallelo a quello della *Consecratio Virginum*, che possono ricevere le donne laiche. Indubbiamente ciò si deve in gran parte a motivi storici, culturali, ad una tradizione che risale quasi alla età sub-apostolica.

Il futuro non lo conosciamo. Può darsi che in seguito la mentalità dei fedeli evolva e si arrivi ad una consacrazione degli uomini laici simile a quella delle vergini. Per il momento non pare che esistano i presupposti per questo. Probabilmente così pensa anche la Chiesa, sia i pastori che i fedeli. Non consta che sia stata mai avanzata una richiesta in proposito.

Ad 6. Effettivamente i riti OPR e OCV hanno la natura di vere consacrazioni. Non si dovrebbe riservare il termine di consacrazione ai riti in cui vengono adoperati gli oli.

Per giudicare se un rito contenga o no una consacrazione, bisogna guardare innanzi tutto alla intenzione della Chiesa e

vedere se esistono nella cosa o nella persona i requisiti che sono necessari al concetto di consacrazione (dedicazione a Dio totale e permanente...). Perciò il fatto che venga adoperato o meno l'olio, è di per sé secondario. L'uso dell'olio nella maggior parte delle consacrazioni, si spiega perché la Chiesa ritiene la unzione un rito eloquente, dimostrativo della sua intenzione. Infatti, nella liturgia gli oli sono spesso segni espressivi di una consacrazione già avvenuta in virtù di altre azioni liturgiche. Nei riti del Battesimo e dell'Ordinazione sacerdotale, ad esempio, la vera consacrazione precede l'unzione rispettivamente della testa del neo-battezzato e delle mani del neo-presbitero, le quali unzioni peraltro manifestano molto bene gli effetti interiori prodotti dalla discesa dello Spirito. L'*unica unzione* neo-testamentaria, di istituzione certamente divino-apostolica, l'unzione degli infermi, non avviene nel quadro di un rito propriamente consecratorio.

La *Consecratio Virginum* è stata sempre ritenuta una vera consacrazione, anche dal punto di vista canonico, eppure in essa di regola non si sono mai adoperati gli oli. Parimenti, nell'ordinazione del diacono, alla quale non pare si possa negare il carattere di consacrazione, non si adopera l'olio.

Ad 7. Tale è stata sempre l'intenzione dei responsabili della liturgia in questo settore.

* Notit. 7 (1971) 107-110.

3962

1971 MAR ..-SC CULTUS DIVINI, RESPONSUM. PART.*

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA: 1—CIRCA ORATIONES IN MISSIS DE MEMORIIS. 2—CIRCA SYMBOLUM IN OCTAVA PASCHAE

DUBIUM 1. Utrum in Missis de memoriis, orationes super oblata et post Communionem, nisi sint propriae, sumi possint etiam e Missis votivis vel ex orationibus votivis ad diversa?

RESP. In n. 323 *Institutionis Generalis Missalis Romani* [LE 3840] legitur: «In Missis tamen de memoriis... orationes super oblata et post Communionem, nisi sint propriae, sumi possunt *aut* e Communi *aut* e feriis temporis currentis». Nam celebratio memoriae componitur cum celebratione feriae currentis. E contra excluditur compositio inter Missas de sanctis et Missas ad diversa.

DUBIUM 2. Utrum Symbolum fidei in octava Paschae sit dicendum, necne? Ratio huius dubii in eo sistit quod *Institutio Generalis Missalis Romani* (n. 44) et *Normae de anno liturgico* (n. 24) testantur Symbolum fidei dicendum esse «in sollemnitatibus». At omnes feriae octavae Paschae decorantur gradu «sollemnitatis»; ergo Symbolum dicendum videretur.

RESP. Octavae Paschatis et Nativitatis Domini «legibus propriis ordinantur» (cf. *Normas universales de anno liturgico et de Calendario*, n. 12) [LE 3728]. Missale Romanum, feriis infra octavam Paschae, habet rubricam: «Non dicitur Credo». Ergo Symbolum per se locum non habet. Tamen Symbolum etiam his feriis dici potest, ad normam *Institutionis Generalis Missalis Romani* n. 44, cum habetur «sollemnior» celebratio.

* Notit. 7 (1971) 112.

3963

1971 APR 6.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

DE IURE PARTIS CONVENTAE COGNOSCENDI LIBELLUM

FACTI SPECIES. - Martha, anno nondum elapso a matrimonii celebratione, virum deseruit et a Tribunali Vicariatus Urbis declarationem nullitatis sui matrimonii petiit «ex capite vis et metus actrici incussi, necnon ex capite exclusionis boni prolis et sacramenti ex parte actricis».

Libello admisso et Collegio Iudicum constituto, Mauritius, vir eius conventus, citationem recepit ad dubium concordandum sub hac formula: «An constet de nullitate matrimonii, in casu». Patronus tamen viri conventi statim petiit ut «anteriormente alla contestazione della lite, sia autorizzato ad esaminare gli atti della causa e principalmente il libello della parte attrice», cum ipse petitum et causam petendi ignoret.

Tribunal denegavit partem conventam habere ius cognoscendi libellum ante litis contestationem, ideoque iteravit citationem. Sed conventi patronus citationis schedam accusavit nullitatis, quia non indicat ob quam causam conveniatur, ut praescribit can. 1715, § 1.

Tunc Iudex Instructor dubii concordantiam suspendit et omnia acta Collegio Iudicum tradidit, ut quaestionem praeiudicialem definiret. Actis attente inspectis, die 8 septembris 1969 Collegium decretum tulit, quo denegat conventum ius cognoscendi libellum ante litis contestationem, ideoque validam declaravit citationem ad dubium concordandum.

Conventus non acquievit, sed provocavit ad Tribunal Appellationis Vicariatus Urbis. Die 19 ianuarii 1970 «ex officio» concordatum est dubium sub sequenti formula: «*An decretum Tribunalis primae instantiae Vicariatus Urbis diei* 8 *septembris* 1969 *confirmandum vel infirmandum sit*».

Peracto instructoriae supplemento, die 4 maii 1970 Collegium Iudicum edixit decretum appellatum interlocutorium esse et vim definitivae nec substantialiter nec processualiter habere, ideoque interpositam appellationem contra illud admitti non posse ad normam can. 1880, n. 6° C. I. C., salvo tamen iure cumulandi appellationem adversus decretum interlocutorium cum appellatione a sententia definitiva.

Tertia igitur viri conventi citatione facta, qua petitum et causa petendi sat clare exprimuntur, comparuit quidem eius patronus, at litis contestationi sese opposuit, eamque subsignare recusavit, cum nondum vidisset actricis libellum. Citatus sub comminatione declarationis contumaciae ad examen subeundum, vir conventus recusavit se coram iudice instructore sistere, «donec suis iuribus restitutus fuerit, et certior factus actionis contra ipsum propositae».

Interim, die 17 iulii 1970 patronus viri conventi recursum interposuit ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal ad normam art. 93 *Normarum specialium* [LE 3636], asserens «ex denegata cognitione libelli convento facta, funditus deleri contradictorium et iura defensionis quae, ipsa lege naturali dictante, sunt ad substantiam processus».

Quaeritur ergo: «*An in causis matrimonialibus pars conventa ius habeat per se vel per suum procuratorem cognoscendi libellum partis actricis ante vel saltem in sessione pro litis contestatione*».

IN IURE ET IN FACTO.—Libellus, quo causa matrimonialis introducitur, praeter alia, haec tria exprimere debet: 1) *petitum*, idest, ut iudex matrimonii nullitatem declaret; 2) *causam petendi*, idest caput nullitatis, quod potest esse impedimentum dirimens non dispensatum, vitium ex parte consensus vel defectus ex parte formae; 3) *probationes*, generatim saltem expositas, quibus caput nullitatis sustinetur; immo, «si proponatur probatio per instrumenta seu documenta, haec una cum libello tradantur, quantum fieri potest; si per testes, eorum nomina et domicilium indicentur; et si per praesumptiones, innumina et domicilium indicentur; et si per praesumptiones, indicentur saltem in genere facta seu indicia unde illae eruantur» (Cfr. cann. 1706 et 1708, 1°-2°; Instructio *Provida Mater*, art. 57, 2°-3°, et art. 59) [LE 1347].

Porro, duo priora elementa, idest petitum et causa petendi, sunt essentialia, et debent notificari etiam parti conventae simul cum scheda citatoria, ut iam a limine iudicii aequalitas inter partes servetur et ut pars conventa contradictorium instituere possit; tertium vero elementum, idest probationes generatim expositae, exigitur solummodo ut Collegium Iudicum iudicium ferre possit super admissione vel reiectione libelli, prout libellus bono iure fulcitus vel quovis fundamento manifeste destitutus apparet (Cfr. Instructio *Provida Mater*, art. 57, 5°).

Quam ob rem rationes in libello allatae, «ut appareat haud temere fuisse petitionem exhibitam», necnon instrumenta seu documenta, facta seu iudicia ab actore una cum libello producta, ut conserventur, non debent communicari cum parte conventa nec una cum citatione, nec in sede litis contestationis. In causis contentiosis «citatio libello litis inscribitur aut adiungitur» (can. 1712, § 1). In causis autem matrimonialibus citatio fit per schedam, quae debet exprimere petitum et causam petendi, idest «ob quam causam saltem verbis generalibus indicatam» (Instructio *Provida Mater*, art. 76, § 1). Unde excluduntur non modo libelli notificatio, verum etiam peculiaria adiuncta ipsius libelli, nempe instrumenta seu documenta, facta seu iudicia ab actore una cum libello tradita vel indicata. Nec potest iudex concedere eoque minus imponere, ut in sede contestationis litis periegatur libellus ab actore oblatus, ne facultate quidem a patrono partis actricis praehabita, quia haec lectio evadere potest perniciosa suggestio.

Perperam patronus partis conventae asserit quod, si non notificatur libellus et alia acta per citationem vel saltem in sede litis contestationis, funditus deleretur contradictorium et ius defensionis, quae, ipsa lege naturali dictante, sunt ad substantiam processus. Etenim, ut supra dictum est, rationes generatim in libello expositae requiruntur ut Collegium Iudicum possit libellum admittere vel reicere; aliae autem probationes per instrumenta seu documenta vel per praesumptiones exiguntur, ut in tuto ponantur.

Ceterum, ut pars conventa possit contradictorium exercere seu petitioni actoris et processui sese opponere, sufficit ut cognoscat petitum et causam petendi seu caput aut capita nullitatis matrimonii, quae ab actore indicantur. Ius autem defensionis, quod procul dubio supponit cognitionem omnium probationum ex parte actoris, non potest exerceri in sede litis contestationis, quia libellus non probat, sed probandus est,

http://www.obrascatolicas.com

probatio autem locum habet in periodo instructoriae, quae incipit post litis contestationem. Ideo Instructio *Provida Mater* animadvertit (art. 57, 3°) quod in libello «non est necesse, nec expedit, ut conficiatur accurata et longa argumentorum enucleatio, nam haec pertinent ad probationis et defensionis periodos». Periodus probationis, in qua libellus etiam parti conventae perlegitur, usque ad conclusionem in causa pertingit; nam decreto, quo publicatur processus, praeses Collegii partibus earumque advocatis concedit facultatem inspiciendi omnes probationes et acta quae forte secreta hucusque permanserunt, et praestituit tempus utile intra quod possint exhibere documenta et exponere argumenta, quibus allatae ab ipsis probationes et impugnationes roborentur, explicentur, compleantur (Instructio *Provida Mater*, art. 113 § 1, et 175). Periodus autem defensionis incipit post conclusionem in causa, quando Collegii praeses terminum praefinit partibus vel earum patronis ad defensiones suas tradendas, quod antea facere non poterant (Ibid. art. 179).

DECISIO. - In Congressu diei 6 aprilis 1971, proposito dubio: «An jus habeat pars conventa, per procuratorem legitime in iudicio iam constitutum, cognoscendi libellum partis actricis ante litis contestationem», Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae respondendum censuit: «*Negative*, id est, *pars conventa non habet ius cognoscendi libellum partis actricis nec quando accipit citationem, nec in ipsa sede litis contestationis*».

* Apoll. 44 (1971) 586-589.

3964

1971 APR 11.-SC CLERI, LIT. CIRC. AAS 63 (1971) 315-317

DE CURA PATRIMONII HISTORICO-ARTISTICI ECCLESIAE, AD PRAESIDES CONFERENTIARUM EPISCOPALIUM

Opera artis, utpote praestantissimi spiritus humani fructus, magis magisque homines Divino Artifici propinquos faciunt [1], et non immerito patrimonium totius generis humani existimantur [2].

Ecclesia artium ministerium semper nobilissimum consideravit continenterque quaesivit ut «res ad sacrum cultum pertinentes vere essent dignae, decorae et pulchrae, rerum supernarum signa et symbola» [3], ac per decursum saeculorum thesaurum artis sibi proprium omni cura servavit [4].

Ideo praesenti quoque tempore, animarum Pastoribus, licet multis graventur muneribus, cordi esse debet cura aedificiorum rerumque sacrarum, quippe quae praeclarum sint testimonium pietatis populi erga Deum, etiam ob eorum valorem historicum vel artisticum.

Dolent, autem, Christifideles quod cernuntur magis quam praeteritis temporibus tot indebitae alienationes, furta, usurpationes, destructiones patrimonii historico-artistici Ecclesiae.

Multi, immo, immemores monitionum et dispositionum, quae Sancta Sedes impertita est [5], ex ipsa restaurationis 316
liturgicae executione praetex/tum sumpserunt peragendi incongruas mutationes in locis sacris, pessumdandi et dispergendi opera inaestimabilis valoris.

In nonnullis regionibus, quaedam aedificia ecclesiastica, non amplius ad finem originarium destinata, ita negleguntur, ut grave praeiudicium patrimonio ecclesiastico et operibus artis sacrae illarum regionum afferatur.

His gravibus rationibus consideratis et memoratis circumstantiis prae oculis habitis, haec Sacra Congregatio, ad quam spectat moderari administrationem patrimonii artistici Ecclesiae [6], Conferentias Episcopales hortatur ut normas ferant ad moderandam hanc magni momenti materiam.

Interim, liceat quae sequuntur in memoriam revocare et statuere:

1) «In instituendis artificibus nec non in seligendis operibus in ecclesiam admittendis, vera artis praestantia exquiratur, quae fidem et pietatem alat et cum veritate significationis et finis cui destinatur congruat» [7].

2) Antiqua opera artis sacrae semper et ubique custodiantur ut cultui divino altius inserviant et populi Dei activam participationem in sacra liturgia coadiuvent [8].

3) Cuiuscumque Curiae dioecesanae officium est vigilare et inspicere ut iuxta normas ab Ordinario latas, conficiatur a rectoribus ecclesiarum, collatis consiliis cum viris peritis, inventarium aedificiorum sacrorum, necnon rerum, arte vel historia praestantium, in quo ipsa singillatim describantur eorumque valor indicetur. Huiusmodi inventarii duo exemplaria exarentur, quorum alterum apud ecclesiam retineatur et alterum in Curia dioecesana asservetur. Perutile esset ut aliud exemplar ab ipsa Curia dioecesana transmittatur ad Bibliothecam Apostolicam Vaticanam. Neque omittantur adnotationes mutationum, quae interim forte intervenerint.

4) Episcopi, memores dispositionum Concilii Vaticani II [9] et illarum, quae circa hanc materiam in documentis Sanctae Sedis continentur [10], indesinenter vigilent ut mutationes in locis sacris inducendae, reformationis liturgicae occasione, omni cautela fiant, et semper iuxta normas in- 317
staura/tionis liturgicae, neque ipsas ad effectum adducant absque voto Commissionum de Arte Sacra, de Sacra Liturgia, ac, si opus sit, de Musica Sacra et absque consilio virorum peritorum. Praeterea ratio etiam habeatur legum, quae in variis Nationibus fortasse a civilibus auctoritatibus statutae sint ad praestantiora artis monumenta tutanda.

5) Locorum Ordinarii, perpensis normis Directorii *Peregrinans in terra* pro ministerio pastorali quoad «turistas» [11], curent ut loci et res sacrae, arte notabilia, qua testimonia vitae et historiae Ecclesiae magis magisque omnibus patefaciant. Attamen, cum aedes sacrae, etiam valore artistico praeditae, loci cultus sint, nullo modo functiones liturgicae, quae in illis celebrantur, a «turistis» turbari debent.

6) Si opus fuerit artis opera atque thesauros a saeculis traditos novis legibus liturgicis aptare [12], Episcopi curam adhibeant ne id fiat sine vera necessitate et cum eorundem operum detrimento; semper praeterea serventur normae et criteria de quibus sub n. 4. Quae si nullo modo cultui divino amplius idonea existimentur, numquam profanis usibus destinentur, sed in apto loco collocentur, scilicet in musaeo dioecesano vel interdioecesano, quo omnes, qui illa visitare cupiant, accedere possint. Item, aedificia ecclesiastica, artis decore instructa, ne sint neglecta, etiam quando ad finem originarium iam non inserviant; quae si cedi debeant, ementes praeferantur qui eadem curare valeant (Cfr. can. 1187).

7) Res pretiosae, peculiariter dona votiva, minime alienentur absque licentia Sanctae Sedis, iuxta can. 1532, firmis poenis in cann. 2347-2349 statutis contra male alienantes, qui vero ne absolvantur nisi prius damna illata reparaverint. In remittendis petitionibus ad praedictam licentiam obtinendam clare indicetur votum Commissionis de Arte Sacra necnon de Sacra Liturgia, et, si casus ferat, etiam de Musica Sacra, virorumque peritorum, et pro unoquoque casu attendatur ad leges civiles de hac re vigentes.

Haec Sacra Congregatio probe confidit fore ut sacra opera artis sancte ubique tractentur et custodiantur, et Episcopi, nova cuiusque aetatis indoli consona promovere contendentes, illis operibus sapienter utantur ad veram, activam et efficacem participationem fidelium in sacra liturgia adiuvandam.

Datum Romae, die 11 mensis Aprilis anno 1971.—Ioannes Card. WRIGHT, *Praef.* Petrus Palazzini, *a Secr.*

[1] Cfr. Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 122, *A. A. S.* 56 (1964), pp. 130-131 [LE 3141].
[2] Cfr. Pii XII, *Discorsi e Radiomessaggi*, Ed. Pol. Vat., Vol. XV, p. 448; *Directorium ministerio pastorali quoad turistas*, *A. A. S.* 61 (1969), p. 366 [LE 3745].
[3] Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 122, *A. A. S.* 56 (1964), p. 131 [LE 3141].
[4] Cfr. *La Legislazione ecclesiastica sull'Arte*, curante E.mo Card. Celso Constantini, «Fede e Arte» V (1957), pp. 359 ss.; Sacrae Congregationis Concilii plures litteras circulares de hac re, praesertim illam quae data fuit die 30 Decembris 1952, *A. A. S.* 45 (1953), pp. 101-102 [LE 2325]; *Regolamento relativo al prestito di opere d'arte di proprietà delle Santa Sede*, *A. A. S.* 57 (1965), pp. 577 ss. [LE 3301]; *Institutio Generalis Missalis Romani*, Cap. V «De ecclesiarum dispositione et ornatu ad Eucharistiam celebrandam» [LE 3840].
[5] Cfr. Edict Praesidis Consilii ad exsequendam constitutionem de sacra Liturgia, *Epistola ad Praesides Coetuum Episcoporum* diei 30 Iunii 1964, *Notitiae* 9-X-1965, n. 8, p. 363 [LE 3296]; Instr. *Inter Oecumenici*, Cap. V, nn. 90-95, *A. A. S.* 56 (1964), pp. 897 ss. [LE 3217]; *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 257 ss. [LE 3840].

3965

1971 APR 11.-SC CLERI, NORMAE. AAS 64 (1972) 97-176

DIRECTORIUM CATECHISTICUM GENERALE

Prooemium

Ad normam Decreti *Christus Dominus*, n. 44 [LE 3332], hoc Directorium Catechisticum Generale in lucem prodit.

In hoc documento apparando haud breve temporis spatium insumptum est, non solum ob difficultates quae huiusmodi operi inerant, sed etiam ob methodum quae ad id conficiendum adhibita est.

Scilicet, postquam specialis commissio constituta est ex viris in re catechetica vere peritis —qui ad varias Nationes pertinebant quique collatis consiliis cum quibusdam Episcopatibus delecti fuerant— primum consilia et sententiae variorum Episcopatuum exquisita sunt.

Prae oculis habitis his consiliis et sententiis, primum schema Directorii, summis tantum lineamentis adumbratum, exaratum est, idemque examini subiectum est in Congregatione Plenaria extraordinaria Sacrae Congregationis pro Clericis. Postea longius schema confectum est, de eoque rursus Conferentiae Episcopales interrogatae sunt, ut mentem suam aperirent. Secundum consilia et animadversiones, quae Episcopi in hac altera consultatione significaverunt, apparatum est schema Directorii definitivum, quod tamen, antequam publici iuris fieret, a speciali commissione theologica et a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei recognitum est.

Hoc Directorium eo spectat, ut principia fundamentalia theologico-pastoralia suppeditet, a Magisterio Ecclesiae pecu- liarique modo a Concilio Oecumenico Vaticano II sumpta, 98
quibus quidem aptius dirigi / atque ordinari possit actio pastoralis ministerii verbi. Hinc ratio elucet, cur in hoc Directorio praevaleat aspectus theoreticus, quamquam, uti patet, etiam aspectus practicus minime deest. Huiusmodi via et ratio adhibita est hanc praesertim ob causam: scilicet tantummodo si initium sumatur a recto modo intelligendi naturam et fines catecheseos itemque veritates quae per eam tradendae sunt —debita habita ratione eorum ad quos catechesis dirigitur, et condicionum in quibus ipsi versantur— vitari poterunt ii defectus et errores, qui haud raro in re catechetica hodie deprehenduntur. Praeterea, quod attinet ad concretam applicationem principiorum et enuntiationum quae in Directorio continentur, hoc proprie est munus specificum variorum Episcopatuum, qui illud absolvunt per Directoria nationalia et regionalia, per catechismos ceteraque subsidia quae idonea sunt ad opus ministerii verbi efficaciter promovendum.

Patet non omnes Directorii partes eiusdem esse momenti. Quae dicuntur de divina revelatione, de natura catecheseos, de criteriis quibus nuntius christianus exponendus est ac de eiusdem praestantioribus elementis, ab omnibus retinenda sunt. Quae vero dicuntur de praesenti condicione, de methodologia ac de specimine catecheseos iuxta aetates, cum plura necessario desumantur e scientiis humanis tum theoreticis tum practicis, quae quidem aliquali evolutioni sunt obnoxia, accipienda sunt potius veluti suggestiones atque indicationes.

Il quibus praecipue Directorium destinatur, sunt Episcopi, Conferentiae Episcopales et generatim quotquot, sub eorum ducta ac moderamine, responsabilitatem habent in campo catechistico. Finis, quem Directorium immediate sibi proponit, est auxilium praestare ad directoria catechistica et catechismos conficienda. Hac quidem de causa, scilicet ut adiuvetur praeparatio horum instrumentorum, proposita sunt quaedam lineamenta fundamentalia condicionum quae hodie sunt, idcirco ut in variis Ecclesiae partibus investigationes excitentur attento diligentique studio peragendae circa condiciones et pastorales necessitates locorum; praeterea indicata sunt quaedam principia generalia methodologiae et catecheseos secundum varias aetates, ut in lucem poneretur quantopere necessarium sit educandi artem et sapientiam addiscere; denique peculiaris cura posita est in tertia parte exaranda, in qua criteria exponuntur, ad quorum normam oportet proponere veritates per catechesim tradendas, ac simul conspectus praebetur elementorum essentialium fidei christianae, ita ut manifesta in 99
luce appareat meta, quam catechesis necessario tenere debet, nempe nuntium christianum integre proponere. /

Quoniam Directorium ad Nationes dirigitur, quarum conditiones et pastorales necessitates valde inter se differunt, patet in eo nonnisi condiciones communes seu medias, ut aiunt, considerari potuisse. Quare in Directorio iudicando atque aestimando debita ratio habenda est huius peculiaris indolis atque structurae. Idem dicendum est de descriptione laboris pastoralis, qui in sexta parte proponitur. Agitur de ratione actionis pastoralis promovendae, quae summis tantum lineamentis describitur; haec fortasse haud sufficiet in iis regionibus, ubi catechesis iam magnos fecit progressus, nimium vero forsan requirere videbitur iis in locis, ubi catechesis parum adhuc progressa est.

Dum in lucem editur documentum, quo Ecclesia novo testimonio sollicitudinem suam testatur erga ministerium muneri suo in mundo rite adimpiendo prorsus necessarium, in votis est ut illud excipiatur, diligentique studio consideretur atque perpendatur, ratione habita necessitatum pastoralium singularum communitatum ecclesialium; item, ut ulterius instimulare possit alacriores pervestigationes, quae necessitatibus ministerii verbi et ecclesiastici Magisterii normis fideliter respondeant.

PARS I. De actualitate problematis

1. *Natura et finis huius partis*—Cum essentiale Ecclesiae propositum in eo sit, ut fidem annuntiet ac promoveat inter nostri temporis hominum societatem maximis mutationibus socio-culturalibus exagitatam, oportet, prae oculis habitis iis quae a Concilio Vaticano II exposita sunt, quaedam actualis situationis lineamenta vel characteres delineare, indicando eorum spirituales repercussiones novaque officia, quae Ecclesiae proponuntur. Ex hoc exhaurire non intenditur argumentum, quod in variis Ecclesiae partibus elementa singularia ac saepe valde diversa praebet. Munus erit directoriorum nationalium haec lineamenta complere et applicare ad singularum nationum aut regionum adiuncta.

EX PARTE MUNDI

2. *De mundo hodierno sese continuo evolvente*—«Hodie genus humanum in nova historiae suae aetate versatur in qua profundae et celeres mutationes ad universum orbem gradatim / extenduntur... Ita iam de vera sociali et culturali 100
transformatione loqui possumus, quae etiam in vitam religiosam redundat» [1].

Ad modum exempli, duae in vitam fidei repercussiones, quae pressius ad catechesim pertinent, indicari possunt:

a) Praeteritis temporibus traditio culturalis magis quam hodie favebat transmissioni fidei; nostris autem temporibus non parum immutata est, ita ut minus minusve quis in illa continuitate culturali traditionali niti possit. Ideo ad eandem novis generationibus transmittendam fidem renovata quaedam evangelizatio exigitur.

b) Attendatur oportet fidem christianam, ut in omnibus culturis subsequentibus radices agat, enodationes novasque expressionis formas requirere. Etiamsi aspirationes et postulata profunda, quae humanae naturae et condicionis sunt propria, fundamentaliter eadem permaneant, tamen homines nostrae aetatis novas quaestiones circa vitae significationem ac momentum ponunt.

Homines credentes huius temporis certo credentibus praeteritae aetatis omnino similes non sunt. Inde exurgit necessitas firmandi perennitatem fidei, necnon renovatis modis salutis nuntium proponendi.

Hodie prae oculis etiam habenda est maxima diffusio instrumentorum communicationum socialium, quorum efficacitas limites Nationum excedit et singulos quasi cives efficit totius consortionis humanae [1].

Huiusmodi instrumenta maxima vi agunt in christifidelium vita, sive ob ea quae docentur, sive ob mentalitatem agendique mores, qui in eosdem christifideles inducuntur. Debita qua par est diligentia rei rationem habere necesse est.

3. *De hodierno pluralismo*—«Eo ipso communitates locales traditionales, uti sunt familiae patriarchales, «clans», tribus, pagi, varii coetus et consortionis socialis necessitudines, pleniores in dies immutationes experiuntur» [2].

In antiqua christianitate religio habebatur quasi praecipuum populorum unitatis principium. Aliter nunc se res habent: populorum cohaesio, quae originem ducit a democratizationis phaenomeno, concordiam variarum familiarum spiritualium promovet; «pluralismus», quem vocant, iam non sicut malum 101
expellendum aestimatur, sed uti / factum, cuius ratio habenda est; quivis suas decisiones ferre potest, quin societati extraneus evadat vel censeatur.

Il igitur qui ministerio verbi dant operam, numquam obliviscantur fidem esse liberam responsionem gratiae Dei revelantis. Ac magis adhuc quam anteactis temporibus bonum nuntium Christi proponant in sua mirabili indole tum clavis mysteriosae qua tota humana condicio explicatur, tum doni gratuiti Dei quod in confessione propriae insufficientiae a gratia caelesti suscipiendum est [3].

4. *De dynamismo nostrae aetatis*—Civitatis humanae aedificatio, humanus progressus ac progrediens propositorum humanorum exsecutio, sollicitudinem hominum nostrae aetatis exstimulant [4]. Fides minime se habere debet quasi extra hunc hominum progressum, qui sane etiam cum gravibus deviationibus coniungitur. Proinde evangelii nuntius hanc rerum condicionem diludicare eiusque significationem hominibus praebere debet.

Ministerium verbi, per altiorem usque explorationem divinae humanaeque vocationis hominis, sinere debet ut evangelium sua vitalia genuinae libertatis et progressus germina diffundat [5], et desiderium excitet promovendi profectum personae humanae obluctandique contra illam agendi atque cogitandi rationem quae fatalismo indulget.

[1] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 4 [LE 3366]. [2] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 22 [LE 3143]. [3] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 6. [4] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 10. [5] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 4. [6] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 8,

http://www.obrascatolicas.com

Quae supra notata sunt manifestare tantum volunt quomodo hodiernum ministerium verbi ad hunc mundum suam actionem dirigere debeat: «... ab Ecclesia nunc requiritur, ut virtutem perennem, vitalem, divinam Evangelii in venas iniciat eius, quae hodie est, humanae communitatis» [7].

5. *Sensus religiosi condicio*—Illa civilizationis forma, quae scientifica, technica, industrialis ac urbana vocatur, hominum attentionem haud raro a rebus divinis avertit, atque eorum de re religiosa interiores sollicitudines difficiliores reddit. Deus haud paucis minus praesens, minus necessarius percipitur, minus validus ad explicandas res videtur in vita tam personali quam sociali; hinc crisis religiosa facile oritur [8].

Fides christiana huiusmodi crisim, haud secus ac ceterae religiosae / confessiones, apud asseclas suas experitur. Eius 102
igitur officium urgens est veram naturam suam, qua omnem culturae progressum transcendit, demonstrare ac suam novitatem pandere in culturis saecularizatis et desacralizatis.

Ad munus ministerii verbi pertinet detegere, ab impuris elementis liberare atque evolvere illa veri nominis bona, quae inveniuntur in spirituali patrimonio earum humanarum culturarum, apud quas sensus religiosus vivus adhuc ac vigens permanet atque totam humanae vitae existentiam penitus pervadit.

Olim opiniones deviae atque errores circa fidem et christianam vivendi rationem saepius pauciorem hominum numerum pertingebant ac magis quam hodie intra coetus intellectuales circumscribebantur. Nunc vero progressus humanus atque communicationum socialium instrumenta efficiunt ut hae opiniones maiore cum celeritate circumferantur atque ampliorem in dies influxum exerceant in christifideles, iuvenes praesertim, qui magna discrimina patiuntur nec raro impelluntur ad suscipiendas agendi cogitandique rationes religioni infensas. Haec rerum adiuncta apta sane remedia pastoralia requirunt.

Ex parte Ecclesiae

Peculiares notae, quibus spiritualis mundi condicio distinguitur, ipsius Ecclesiae vitae intersunt.

6. *Fides traditionalis*—Fides christiana apud multos in grave discrimen adducta est iis in locis, ubi religio videbatur nimis favere quarundam classium socialium praerogativis, vel ubi plus aequo innitebatur in avitis consuetudinibus atque in unanimi regionis professione religiosa.

Turbae paulatim in religiosum indifferentismum labuntur vel versantur in periculo fidem servandi sine necessario dynamismo, sine efficaci in realem vitam influxu. Potius quam de religiosis traditis consuetudinibus tantummodo servandis, nunc agitur insuper de fovenda apta re-evangelizatione hominum, de obtinenda eorum re-conversione, de profundiore ac maturiore in fide educatione eisdem impertienda.

Hoc tamen minime ita intelligendum, ut neglegatur genuina fides quae in coetibus culturae ex instituto christianae servatur aut ut sensus religiosus popularis parvi fiat. Sensus religiosus, non obstante saecularizationis progressu, in diversis Ecclesiae partibus vigere pergit. Nemo illum neglegere potest, cum 103
plerumque sincero atque authentico / modo a permagna hominum multitudine in vitae consuetudine exprimatur. Immo sensus religiosus popularis occasionem vel initium fidei nuntiandae constituit. Agitur tantum, ut patet, de eo purificando ac de recte aestimandis eius validis elementis, ne quis contentus sit formis actionis pastoralis, quae hodie impares, minime aptae et fortasse etiam non ad rem pertinentes factae sunt.

7. *Indifferentismus religiosus et atheismus*—Multi baptizati a religione ita recesserunt, ut indifferentismum quemdam aut fere atheismum profiteantur. «Multi tamen ex coaevis nostris hanc intimam et vitalem cum Deo coniunctionem nequaquam perspiciunt aut explicite reiciunt, ita ut atheismus inter gravissimas huius temporis res adnumerandus sit ac diligentiori examini subiiciendus» [9].

Concilium Vaticanum II rem attente consideravit [10] ac de remediis afferendis expresse egit: «Remedium autem atheismo afferendum, cum a doctrina apte exposita, tum ab integra Ecclesia eiusque membrorum vita exspectandum est. Ecclesiae enim est Deum Patrem eiusque Filium incarnatum praesentem et quasi visibilem reddere, ductu Spiritus Sancti sese indesinenter renovando et purificando. Id imprimis obtinetur testimonio fidei vivae et maturae, ad hoc scilicet educatae ut difficultates inde perspicere valeat easque superare» [11].

Dantur etiam casus, in quibus fides christiana inventur inquinata nova quadam paganismi forma, etsi adhuc permaneant quidam religiosus sensus et quaedam fides in Ens supremum. Mentis habitus religiosus potest procul esse ab influxu verbi Dei et a consuetudine sacramentorum, alimentum vero suscipere a praxi superstitionis atque magiae; vita moralis recedere potest in ethicam prae-christianam. In christianam religionem aliquando introducuntur elementa quae pertinent ad naturismum, ad animismum, ad divinationem, et ita in quibusdam locis lapsus in syncretismum haberi potest. Accidit etiam ut sectae religiosae propagentur quae christiana mysteria cum elementis fabulosae antiquitatis permiscent.

In his casibus quam maxime requiritur, ut ministerium verbi, praesertim evangelizatio ac catechesis, ad normam Decreti *Ad Gentes divinitus*, n. 13, 14, 21, 22 [LE 3364] re- 104
noventur. /

[7] [LE 3364]. [8] Ioannis XXIII, Const. Apost. *Humanae salutis*, *A. A. S.* 54 (1962), p. 6. [9] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 5, 7. [10] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 19 [LE 3366]. [11] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 19-22. [12] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis

8. *Fides et culturae diversae*—Non desunt christifideles, excellentiore christiana educatione praediti, qui difficultatem experiuntur circa modum loquendi de fide, quem putant vel perantiquis atque obsoletis formulis nimis adstrictum vel nimis ligatum culturae occidentali. Iidem ergo novum religiosas veritates exprimendi modum quaerunt, qui cum hodierna humana condicione congruat, quique permittat ut fides suam lucem effundat in realitates, quae hodie homines premunt, atque evangelium traduci possit in diversas culturas. Ecclesiae certo officium est quam maxima consideratione hanc hominum aspirationem perpendere.

Quod ecclesiis nuper conditis in Decreto *Ad Gentes divinitus* indicatur, valet etiam pro omnibus qui in ministerium verbi incumbunt: «... e suorum populorum consuetudinibus et traditionibus, sapientia et doctrina, artibus et disciplinis, ea omnia mutuantur quae ad gloriam Creatoris confitendam, ad gratiam Salvatoris illustrandam et ad vitam christianam rite ordinandam conferre possunt» [12].

Qua de causa «nuntium evangelicum renovato modo hominibus proponendo, ministerium verbi divini consilii salutis unitatem manifestare debet. Confusionibus ac agnitionibus nimia facilitate redolentibus vitatis, ipsum semper manifestare debet profundam atque intimam congruentiam existentem inter Dei propositum salvificum, in Christo Domino completum, et hominum aspirationes, inter historiam salutis ac historiam humanam, inter Ecclesiam, populum Dei, et communitates humanas, inter actionem Dei revelatricem et hominis experientiam, inter dona ac supernaturalia charismata et humanos valores» [14].

9. *Renovationis opus*—Hac in nova rerum condicione, fieri potest ut quis putet ardorem apostolicum, quem nunc Ecclesia promovere contendit, praepediri. Profecto, neque pastorum neque fidelium zelum, qui vere magnus est, accusare licet. Impedimenta vero provenire videntur vel ex nimis diffuso defectu congruae praeparationis ad nova et ardua officia obeunda, vel a quadam reflexione adhuc imperfecta, quae interdum theoriis exprimitur actioni evangelizandi potius obstantibus quam faventibus.

Hisce rite perpensis, Sacrosancta Synodus Vaticana II sua incitamenta ad ministerii verbi in Ecclesia renovationem multiplicavit. Haec renovatio hodie in discrimen adduci videtur praesertim: / 105

—*ab iis qui profunditatem propositae renovationis videre non valent*, quasi hic tantum ageretur de tollenda doctrinae edocendae ignorantia. Remedium esset, ad eorum mentem, crebriorem reddere catecheticam institutionem. Re ita considerata, immediate intelligitur remedium necessitatibus inferius omnino esse. Revera catechetica propositio intime renovanda est, et haec renovatio non solum puerorum sed etiam adultorum permanentem fidei educationem respicit;

—*ab iis qui inclinant ad reducendum nuntium evangelicum ad suas consequentias in temporali hominum existentia.*

Postulat sane Evangelium eiusque lex amoris ut christifideles pro viribus collaborent —officia ac munera saecularia obeuntes— ad iustitiam et fraternitatem inter homines magis magisque instaurandas. Hoc tamen nequaquam sufficit ut debite testimonium reddatur Iesu Christo, Filio Dei et Salvatori Nostro, cuius mysterium, quod ineffabilem dilectionem Dei patefecit [15] aperte et integre evangelizandis annuntiandum et ab iisdem recognoscendum est.

Doctrina Constitutionis *Gaudium et spes* vel Declarationis *Dignitatis humanae* nulli «minimismo» favet, ad fidei servitium directum per ministerium verbi explicandum. Utrumque documentum sollicitudinem ostendit ut rerum condicionibus supra relatis remedium afferatur. Utcumque renovatio in ministerio verbi, praesertim in catechesi, a renovatione pastorali universa seiungi nequit.

Media operosa et maximi quidem momenti ad bonum exitum perducenda sunt: promovere formarum ministerii verbi consuetarum progressum novasque excitare; evangelizare et catechizare homines minore culturae gradu praeditos; virorum doctorum classibus occurrere eorumque necessitatibus consulere; praesentiae christianae formas traditionales in melius emendare novosque modos invenire; omnia Ecclesiae subsidia actualia conglobare simulque formas evangelio minus consentaneas vitare.

Hoc in munere exequendo, Ecclesia spem suam in omnibus populi Dei membris reponit. Unusquisque —episcopi, sacerdotes, religiosi religiosaeque, laici— pro munere suo, missionem utique explere debet. Et quidem hanc missionem expleat, attenta mundi condicione quae profunde vitam fidei permovet. 106

Ut his operariis evangelicis efficax auxilium feratur, renovatio catechetica auxiliis uti debet, quae afferre possunt scientiae sacrae, theologia, studia biblica, reflexio pastoralis atque scientiae humanae, necnon instrumenta, quibus hodie ideae et opiniones evulgantur, praesertim media communicationis socialis.

Pars II. De ministerio verbi

Caput I. De ministerio verbi et revelatione

10. *Revelatio: donum Dei*—In Constitutione *Dei Verbum*, Concilium Oecumenicum revelationem respexit tamquam actum quo Deus se personaliter communicat: «Placuit Deo in

Gaudium et spes, 21. [13] N. 22; cfr. n. 21; Pauli VI, Alloc. diei 6 augusti 1969. [14] Comm. 5-a comm. 2 Conf. Gener. Episcopatus Latino-Americani, 1968. [15] Cfr. *1 Io.* 4, 9.

sua bonitate et sapientia Seipsum revelare et nuotm facere sacramentum voluntatis suae... ut eos ad societatem secum invitet in eamque suscipiat» [1]. Deus ibi apparet veluti qui Seipsum communicare velit, consilium exsequens quod ab amore proficiscitur.

Catechesis igitur exordium sumere debet ab hoc divini amoris dono. Fides est acceptatio et fructificatio doni divini in nobis. Haec nota, qua fides tamquam donum censenda est, totam prorsus ministerii verbi materiam afficit.

11. *Revelatio: facta et verba*—Hoc modo Deus operatur ut homines ad cognitionem sui consilii perveniant, scilicet eventibus historiae salutis et verbis divinitus inspiratis, quae hos eventus comitantur et declarant: «Haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et res verbis significatas manifestent ac corroborent, verba autem opera proclament et mysterium in eis contentum elucident» [2].

Revelatio igitur constat ex factis et verbis, sese mutuo illuminantibus. Ministerium verbi ea annuntiare debet, ita ut altissima mysteria, quae in iis continentur, ulterius explanet ac communicet. Hoc modo ministerium verbi non solum recolit revelationem mirabilium Dei in tempore peractam et in 107
Christo ad perfectionem adductam sed insimul / sub lumine huius revelationis, vitam humanam nostrae aetatis, signa temporum ac res huius mundi interpretatur, cum in iis consilium Dei ad salutem hominum operetur.

12. *Iesus Christus, mediator et plenitudo totius revelationis*—«Intima autem per hanc revelationem... veritas nobis in Christo illucescit, qui mediator simul et plenitudo totius revelationis exsistit» [3].

Christus non est solum maximus prophetarum, qui doctrina sua complevit ea quae anteactis temporibus a Deo dicta et facta sunt. Ipse est aeternus Dei Filius, factus homo, ideoque eventus novissimus, quem omnes historiae salutis eventus respiciunt et qui postrema Dei consilia complet ac manifestat. «Quapropter Ipse... revelationem complendo perfecit...» [4].

Ministerium verbi in luce ponere debet hanc admirabilem notam, quam oeconomia revelationis propriam habet. Dei Filius Sese inserit in hominum historiam, hominis vitam et mortem assumit, in hac historia suum foederis consilium adimplet.

Haud secus ac Lucas Evangelista, ministerium verbi primum credentibus eventum Iesu commemorare debet, eius significationem manifestando, magis magisque hoc factum unicum atque irreversibile exquirendo: «Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum... visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere» [5].

Itaque ministerium verbi innitatur oportet in commentario divinitus inspirato, quod de Incarnatione Redemptrice nobis praebuerunt Iesus ipse, primi discipuli ac potissimum apostoli, qui testes factorum fuerunt. «Neminem fugit inter omnes, ... Evangelia merito excellere, quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati, Salvatoris Nostri, vita atque doctrina» [6].

Praeterea recolendum est Iesum Messiam ac Dominum, per Spiritum suum semper Ecclesiae suae praesentem adesse [7]. Ministerium verbi proinde praebet Christum non solum ut obiectum sed etiam ut Illum qui corda audientium ad divinum 108
praeconium accipiendum et intelligendum aperit [8]. /

13. *Ministerium verbi seu praedicatio verbi Dei: actus vivae traditionis*—«Quod vero ab apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt, sicque Ecclesia, in sua doctrina, vita et cultu, perpetuat cunctisque generationibus transmittit omne quod ipsa est, omne quod credit» [9].

Haec traditio alligatur dictis, at latius patet et profundior est quam haec dicta. Ipsa est traditio viva, qua per eam Deus colloquium suum pergit. «Sicque Deus, qui olim locutus est, sine intermissione cum dilecti Filii sui Sponsa colloquitur, et Spiritus Sanctus, per quem viva vox Evangelii in Ecclesia et per ipsam in mundo resonat...» [10].

Quare ministerium verbi censeri potest veluti id quod vocem praestat huic vivae traditioni, in ambitu totius traditionis. «Haec quae est ab Apostolis Traditio sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit: crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ex contemplatione et studio credentium, qui ea conferunt in corde suo, tum ex intima spiritualium rerum quam experiuntur intelligentia, tum ex praeconio eorum qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt» [11].

Ex una parte divina revelatio obiectum fidei catholicae constituens, quae peracta est tempore Apostolorum, aperte distinguenda est a gratia Spiritus Sancti sine cuius inspiratione et illuminatione nemo credere potest. Ex altera parte Deus, qui olim per facta divina una cum nuntio prophetarum, Christi et Apostolorum, Sese revelando humano generi locutus est, nunc adhuc per Spiritum Sanctum in Sacra Traditione lumine sensuque fidei Ecclesiam Sponsam suam secrete dirigit et cum ea colloquitur, ut populus Dei sub ductu Magisterii pleniorem revelationis intelligentiam consequatur.

Ecclesiae Pastores depositum fidei ipsis commissum non solum proclamant directeque populo Dei explicant, sed insuper expressiones eius et explicationes quas christifideles quaerunt et offerunt authentice diiudicant ita ut «in tradita fide tenenda, exercenda profitendaque singularis fiat Antistitum et fidelium conspiratio» [12].

Exinde sequitur necessarium esse ut ministerium verbi divinam revelationem referat, qualis a Magisterio docetur, necnon qualis sub Magisterii vigilantia in viva populi Dei conscientia fideque sese exprimit. / Hoc modo ministerium 109
verbi non est mera repetitio doctrinae antiquae, sed reproductio fidelis eius cum novis problematibus adaptatione et eum crescenti eius intelligentia.

14. *Scriptura Sacra*—Divina revelatio sub speciali Spiritus Sancti inspiratione, scriptis quoque expressa est, hoc est libris sacris Antiqui et Novi Testamenti, qui continent et exhibent veritatem divinitus revelatam [13].

Ecclesia Sacrarum Scripturarum custos et interpres, ab eis docetur, assidue meditando et magis magisque penetrando earum doctrinam. Perstans fidele in traditione, ministerium verbi in Sacra Scriptura nutrimentum et regulam invenit [14]. Nam in Libris sacris Pater, qui est in caelis, filiis suis peramanter occurrit et cum eis sermonem confert [15].

At si a Sacra Scriptura cogitandi normam sumit, Ecclesia Spiritu animata ipsam interpretatur: «ipsaeque Sacrae Litterae in ea penitus intelliguntur et indesinenter actuosae reduntur» [16].

Ministerium verbi, igitur, exordium sumit a Sacris Litteris et a praedicatione Apostolorum, quatenus ista ab Ecclesia intelliguntur, explicantur atque concretis adiunctis applicantur.

15. *Fides: responsio ad Dei verbum*—Fide homo revelationem accipit et per eam conscio modo Dei doni particeps fit.

Deo revelanti praestanda est oboedientia fidei, qua pleno intellectus et voluntatis obsequio homo libere assentit evangelio gratiae Dei [17]. Fide instructus, homo per Spiritus donum pervenit ad contemplandum et gustandum Deum dilectionis, qui notas fecit divitias gloriae suae in Christo; [18] immo fides viva est in nobis inchoatio vitae aeternae, in qua profunda Dei [19] tandem aliquando sine velo cognoscentur. Fides, de consilio salutari Dei edocta, hominem perducit ad plenam discernendam voluntatem divinam erga nos in hoc mundo et ad cooperandum Eius gratiae. «Fides enim omnia novo lumine illustrat 110
et divinum propo / situm de integra hominis vocatione manifestat, ideoque ad solutiones plene humanas mentem dirigit» [20].

16. *Munus ministerii verbi*—Ut rem totam paucis verbis complectamur, minister verbi probe conscius esse debet muneris sibi commissi, quod eo spectat, ut vividam fidem excitet, quae mentem ad Deum convertat, ad obtemperandum Eius actioni impellat, ad vivam cognitionem traditionis expressionum perducat, veram mundi et humanae existentiae significationem dicat ac manifestet.

Ministerium verbi est communicatio nuntii salutis: hominibus evangelium affert. Mysterium nuntiatum atque traditum penitus afficit eam vivendi voluntatem, illud intimum plenitudinis adipiscendae desiderium eamque futurae felicitatis exspectationem, quam Deus in cuiuslibet hominis corde inseruit et per suam gratiam ad supernaturalem ordinem evexit.

Veritates credendae secumferunt amorem Dei, qui omnia propter Christum creavit nosque in Christo Iesu resuscitavit. Varii mysterii aspectus ita exponendi sunt, ut factum centrale Iesus, quatenus est maximum donum Dei hominibus datum, primum obtineat locum, atque ab eo ceterae catholicae doctrinae veritates suum ordinem suamque hierarchiam paedagogice spectatam ducant [21].

Caput II. Catechesis in missione pastorali Ecclesiae (Natura, finis, efficacitas)

17. *Ministerium verbi in Ecclesia*—Ministerium verbi multiplices suscipit formas, inter quas catechesis connumeratur, secundum diversas eius exercitii condiciones et fines quos assequi contendit.

Habetur forma quae evangelizatio nuncupatur, seu praedicatio missionaria, quae finem habet fidem initialiter excitandi [22], ita ut ab hominibus adhaesio verbo Dei habeatur. / 111

Sequitur forma catechetica, «quae eo tendit ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva fiat atque explicita et operosa» [23].

Accedit forma liturgica, intra ambitum celebrationis liturgicae, praesertim eucharisticae (v. g. homilia) [24].

Est denique forma theologica, scilicet pertractatio systematica et investigatio scientifica veritatum fidei.

Ad nostrum propositum quod attinet, momentum habet distinctio harum formarum, quae propriis reguntur legibus. Eaedem tamen, in concreta ministerii pastoralis realitate, inter se arcte colligantur.

Proinde omnia, quae hucusque de ministerio verbi generali ratione spectato dicta sunt, ad catechesim quoque applicanda sunt.

Verbum, 8. [1] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 2 [LE 3345]. [2] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 2. [3] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 2. [4] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 4; cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 9 [LE 3232]. [5] *Lc.* 1, 1-3. [6] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 18. [7] Cfr. *Io.* 14, 26; 15, 26; 16, 13; *Ap.* 2, 7. [8] Cfr. *Acta* 16, 14. [9] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 8 [LE 3345]. [10] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 8. [11] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei*

Verbum, 8. [12] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 10. [13] Cfr. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 11. [14] Cfr. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 21, 24, 25. [15] Cfr. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 21. [16] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 21. [17] Cfr. *Col.* 1, 26. [18] Cfr. *1 Cor.* 2, 10. [19] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 11 [LE 3366]. [20] Cfr. nn. 43 et 39. [21] Cfr. Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 11, 13 [LE 3332]; Decr. de activ. missionibus *Ad gentes divinitus*, 6, 13, 14 [LE 3364]. [22] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 14. [23] Cfr. Const. de S. Liturgia

http://www.obrascatolicas.com

18. *Catechesis et evangelizatio*—Catechesis per se supponit adhaesionem globalem evangelio Christi, ab Ecclesia proposito. Saepe tamen ad homines dirigitur, qui, etsi ad Ecclesiam pertineant, de facto numquam veram adhaesionem personalem revelationis nuntio praestiterunt.

Id ostendit evangelizationem praecedere vel comitari posse, iuxta rerum adiuncta, opus catecheseos proprie dictae. In quolibet casu autem prae oculis habendum est, conversionem elementum esse semper praesens in dynamismo fidei, ac propterea quamlibet catecheseos formam absolvere debere etiam partes, quae evangelizationem spectant.

19. *Catecheseos formae*—Pro variis rerum adiunctis et pro necessitatum multiplicitate activitas catechistica varias necessario suscipit formas.

In regionibus ab antiquo christianis catechesis saepe praesefert formam institutionis religiosae pueris et adulescentibus impertiendae in scholis vel extra scholarum ambitum. Ibi etiam inveniuntur incepta varia pro catechesi adultorum et habentur quoque incepta catechumenalia pro iis qui se ad suscipiendum baptismum praeparant, vel pro ils, qui etsi baptizati, tamen debita initiatione christiana carent. Saepissime realis condicio, in qua ingens fidelium numerus versatur, necessario postulat quamdam baptizatorum evangelizationis formam, quae catechesim praecedit.

In ecclesiis nuper conditis peculiare momentum tribuitur operi evangelizationis stricto sensu acceptae et proinde ha-
112 betur notissima / forma catechumenatus pro iis qui fidei initiantur ut ad susciplendum baptismum se praeparent [21].

Paucis verbis, actio catechistica formas ac structuras suscipere potest valde varias: systematicas scilicet et occasionales, individuales et communitarias, organizatas et spontaneas, etc.

20. Pastores prae oculis semper habeant officium quo obstringuntur, ut christianae existentiae illuminatio per verbum Dei in omnibus vitae aetatibus atque historicis adiunctis in tuto ponatur atque promoveatur [22], ita ut quicumque, sive singulus sive communitas, attingi possit in spirituali statu, in quo versatur.

Item meminerint catechesim adultorum, cum homines spectet adhaesionis plene responsabilis capaces, habendam esse formam praecipuam catecheseos, ad quam ceterae omnes, semper quidem necessariae, quodammodo ordinantur. Satagant etiam summa cura, normis Concilii Vaticani II obtemperantes, ut institutio catechumenorum adultorum restituatur aut melius adaptetur‹ [23].

21. *Catecheseos munera*—Intra activitatis pastoralis ambitum, catechesis ea ecclesialis actionis forma dicenda est quae sive communitates sive christifideles singulos ad maturitatem fidei perducit.

Ope catecheseos christianorum communitates altiorem sibi comparant vivam cognitionem Dei eiusque consilii salvifici, quod in Christo, Verbo Dei Incarnato, centrum habet, seseque aedificant contendendo ut suam fidem efficiant maturam et illuminatam, atque huius maturae fidei participes reddant homines, qui eam assequi cupiunt.

Pro quolibet homine, cuius animus ad evangelii nuntium pateat, catechesis est medium peculiariter aptum ad intelligendum in propia vita consilium Dei et ad exquirendam supremam significationem existentiae atque historiae, ita ut vita singulorum hominum atque societatis luce Regni Dei illuminetur eiusque exigentiis obtemperet, cognosci possit mysterium Ecclesiae, utpote communitatis eorum qui in evangelium credunt.

113 Haec omnia munera propria catecheseos determinant. /

22. *Catechesis et gratia fidei*—Fides est Dei donum, quod provocat hominis conversionem. ‹Quae fides ut praebeatur, opus est praeveniente et adiuvante gratia Dei et internis Spiritus Sancti auxiliis, qui cor moveat et in Deum convertat, mentis oculos aperiat, et det omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati› [24].

Communitas christiana in fide matura vivit Dei verbum religiose audiens, ad conversionem et renovationem iugi studio nititur, diligenter auscultat quid Spiritus dicat Ecclesiae.

Catechesis munere fungitur (per verbum, quod simul testimonium vitae et praecationem conlunecta habeat) disponendi homines ad excipiendam actionem Spiritus Sancti et ad se ultro convertendum.

23. *Catechesis et munerum fidei perfunctio*—Homo in fide maturas plene invitationi adhaeret, quae in nuntio evangelico continetur, vi cuius ad communionem cum Deo et cum tribus habendam impellitur; idem in suam vitam etiam traducit officia cum hac invitatione connexa [25].

Catechesis muneribus fungitur homines adiuvandi ad hanc communionem cum Deo reapse efficiendam, proponendi christianum nuntium ut apparent per eum in tuto poni supremum vitae humanae valorem, quae omnia postulant ut catechesis prae oculis habeat legitimas animorum adspirationes, progressus et bonos exitus valorum qui in iisdem continentur.

Communio cum Deo Eique adhaesio secumferunt tamquam effectum necessarium perfunctionem humanorum munerum et officium solidaritatis, cum haec omnia Dei Salvatoris voluntati respondeant [26].

Quare catechesis fovere atque illuminare debet incrementum caritatis theologalis tum in singulis fidelibus tum in communitatibus, necnon eiusdem virtutis manifestationes, quod attinet ad munera quae singulos et communitatem spectant.

24. *Catechesis et cognitio fidei*—Homo in fide maturus cognoscit mysterium salutis in Christo revelatum et signa operaque divina, quae hoc mysterium perfici in humana historia testantur. Quare satis non est, ut catechesis tantum-/ 114
modo excitet experientiam quamdam religiosam, etsi veram; eadem vero conducere debet ad percipiendam paulatim totam consilii divini veritatem, instruendo christifideles ad lectionem Sacrarum Scripturarum et ad cognitionem Traditionis.

25. *Catechesis et vita orationis liturgicae ac privatae*—‹Omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis eiusque Corporis, quod est Ecclesia, est actio sacra praecellenter, cuius efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio Ecclesiae adaequat› [27]. Communitas autem christiana, quo magis matura fit in fide, in celebrationibus liturgicis, praesertim eucharisticis, vivit cultum in spiritu et veritate [28].

Itaque catechesis adiuvare debet participationem actuosam, conscíam, genuinam liturgiae Ecclesiae, non tantummodo ‹ignificationem rituum illustrando, sed etiam fidelium animos educando ad orationem, ad gratiarum actionem, ad paenitentiam, ad preces cum fiducia fundendas, ad sensum communitarium, ad significationem symbolorum recte capiendam: quae omnia necessaria sunt, ut vera vita liturgica habeatur.

‹Vita tamen spiritualis non unius sacrae Liturgiae participatione continetur. Christianus enim ad communiter orandum vocatus, nihilominus debet etiam intrare in cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret [29], immo, docente Apostolo [30], sine intermissione orare› [31].

Itaque catechesis educare quoque debet christifideles ad verbum Dei meditandum precesque privatas effundendas.

26. *Catechesis et christiana illuminatio humanae existentiae.* Homo in fide maturus agnoscere valet in variis adiunctis occursibusque cum proximo invitationem Dei, qui ad salutiferum Suum consilium adimplendum ipsum vocat.

Ad catechesim igitur spectat in lucem ponere hoc munus, fideles instruendo ad christianam interpretationem rerum humanarum, praesertim signorum temporum, ita quidem ut omnes ‹valeant res omnes integro christiano sensu probare 115
atque interpretari› [32]. /

27. *Catechesis et unitas christianorum*—Christifidelium communitates, pro adiunctis in quibus versantur, participare debent dialogum oecumenicum ceteraque incepta quae ad restaurandam christianorum unitatem spectant [33].

Quare catechesis auxilium afferat oportet ad hanc causam [34], integram Ecclesiae doctrinam lucide exponendo [35], aptam cognitionem aliarum confessionum fovendo tum in iis quibus cum fide catholica conveniunt tum quoque in iis quibus ab ea differunt; in quo negotio vitentur verba vel doctrinae exponendae modi qui ‹fratres seiunctos vel alios quoscumque in errorem circa veram Ecclesiae doctrinam inducere› [36] possint; ordo seu hierarchia veritatum doctrinae catholicae servetur [37]. Argumenta vero pro doctrina catholica cum caritate simul ac debita firmitate proponantur.

28. *Catechesis et missio Ecclesiae in mundo*—Ecclesia est in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum salutis totiusque humani generis unitatis [38]. Ut talis autem eo magis innotescit quo singulae fidelium communitates maturiores in fide fiunt.

Catechesis iuvare debet has communitates ad propagandam Evangelii lucem et ad dialogum frugiferum instituendum cum hominibus et culturis non christianis, servata libertate religiosa recto modo intellecta [39].

29. *Catechesis et spes eschatologica*—Homo maturus in fide dirigit cogitationes et desideria sua ad plenam in vita aeterna Regni consummationem.

Catechesis ideo munere fungitur dirigendi hominum spem imprimis ad futura bona quae in caelesti Ierusalem habentur, eos simul / invitans, ut sociam praestare velint operam suorum 116
proximorum et humani generis inceptis ad societatem humanam meliorem efficiendam [40].

30. *Catechesis et progressus vitae fidei*—Apud fideles unica fides plus minusve intensa invenitur secundum gratiam unicuique a Spiritu Sancto datam constanterque oratione impetrandam [41] et secundum responsum quod huic gratiae unusquisque praebet. Insuper, vita fidei condiciones induit varias prout hominis existentia evolvitur, dum ipse ad maturitatem pervenit et suae vitae munera suscipit. Proinde vita fidei varios gradus admittit tum in globali acceptatione totius verbi Dei, tum in eius explicatione et applicatione ad diversa vitae humanae munera, iuxta maturitatem unicuique propriam et diversitates singulorum hominum [42]. Scilicet huiusmodi ac-

mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 4. [31] Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 7 [LE 3141]. [32] Cfr. *Io.* 4, 23. [33] Cfr. *Mt.* 6, 6. [34] Cfr. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 62. [35] Cfr. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 5 [LE 3235]. [36] Cfr. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 11. [37] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 67 [LE 3358]. [38] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 1. [39] Cfr. Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae* [LE 3561]; Decr. de activ. missionis Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 12. [40] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 39, 40-43. [41] Cfr. *Mc.* 9, 23. [42] Cfr. n. 38.

ceptatio necnon explicatio et applicatio ad vitam hominis diversa sunt, prout agitur de parvulis, de pueris, de adulescentibus, de iuvenibus vel de adultis. Catechesis munus habet adiuvandi ortum et progressum huius vitae fidei per totum hominis exsistentiae decursum usque ad plenam revelatae veritatis explicationem eiusque ad vitam hominis applicationem.

31. *Ubertas actus catechistici*—Catechesis ad communitatem spectat, quin singulos fideles neglegat. Colligatur cum ceteris muneribus pastoralibus Ecclesiae, suam tamen specificam indolem non amittit. Eodem tempore munera absolvit initiationis, educationis et institutionis.

Magnopere interest catechesim hanc variorum aspectuum ubertatem servare ita quidem ut unus aspectus a ceteris non separetur, cum aliorum detrimento.

32. *Efficacitas verbi Dei in catechesi*—Etiam ad catechesim pertinet illa Sacrarum Scripturarum sententia: ‹Vivus est enim sermo Dei et efficax› [43].

Verbum divinum fit praesens in catechesi per verbum humanum. Ut autem fructum ferat in homine atque interiores motus gignat qui indifferentiam aut incertitudinem expellant et eum ad fidem amplectendam inducant, catechesis debet
117 fideliter exprimere et apta ratione / praebere verbum Dei. Praeterea ad efficaciam catecheseos maxime confert testimonium vitae et catechistae et communitatis ecclesialis [44].

Catechesis, igitur, transferre debet verbum Dei, prout ab Ecclesia proponitur, in loquendi modo hominum ad quos dirigitur [45]. Deus, cum Se humano generi revelavit, verbum suum humano verbo consignavit, illud exprimens sermone qui ad peculiarem culturam pertinebat [46]. Ecclesia, cui Christus revelationis depositum concredidit, usque ad consummationem saeculorum conatur illud modo vivo ad populos cuiusvis culturae et ad homines cuiusvis condicionis transmittere eisque explicare ac interpretari.

33. *Paedagogia Dei in revelando et Ecclesiae in catechizando*—Deus in historia revelationis ea ratione paedagogia usus est, ut suum consilium salutis in antiquo Foedere prophetice ac mediantibus figuris nuntiaret et ita adventum praepararet Filii sui, auctoris novi Foederis atque consummatoris fidei [47].

Nunc vero, post revelationis consummationem, Ecclesia integrum mysterium salutis nostrae in Christo cum catechizandis communicare debet. Memor autem paedagogiae a Deo adhibitae, ipsa quoque paedagogia utitur, nova tamen quae novis sui nuntii requisitis respondeat. Curat nempe ut, hoc nuntio sine adulteratione aut mutilatione proposito, ipsum accommodet catechizandorum ingenio.

Ex una parte igitur ut exiguo quorumdam ingenio parcat, simplicius breviusque res exponit, adhibitis etiam summariis formulis aptis quae postea magis explicentur. Ex altera parte vero vividiorum aut valentiorum ingeniorum exigentiis satisfacere satagit profundioribus adhibitis explicationibus.

34. *Fidelitas Deo servanda et ratio habenda hominis*—Ecclesia huiusmodi munus praecipue absolvit ope catecheseos [48]. Veritatem hauriens e verbo Dei et fideliter inhaerens securae expressioni huius verbi, catechesis contendit plena fidelitate hoc Dei verbum docere; attamen eius munus restringi nequit
118 ad traditas formulas repetendas, sed postulat ut eaedem formulae intellegantur et, ubi res / ferat, etiam novis modis, fideliter exprimantur sermone audientium captui accommodato. Hic autem sermo diversus erit pro diversis aetatibus, socialibus hominum condicionibus, humanis culturis atque civilitatis formis [49].

35. *Testimonii ecclesialis necessitas*—Catechesis denique sive a catechistis sive a tota communitate ecclesiali postulat testimonium fidei, quod coniunctum habeat authenticum christianae vitae exemplum, et ad sacrificium aptitudinem [50].

Occursus enim hominis cum Christo non solum per sacrum ministerium evenit, sed etiam per singulos fideles eorumque communitates [51], quibus proinde officium incumbit testimonium exhibendi. Si testimonium huiusmodi deest, impedimentum acceptationi verbi Dei in auditoribus gignitur.

Catechesis fulciri debet testimonio communitatis ecclesialis. Nam catechesis efficacius loquitur de iis quae revera existunt in vita etiam externa communitatis. Catechista est quodammodo interpres Ecclesiae apud eos qui catechizandi sunt. Ipse legit et legere docet signa fidei, quorum praecipuum est ipsa Ecclesia [52].

Hinc patet quam necessarium sit ut, ad mentem Ecclesiae et ducentibus Pastoribus eius, communitas ecclesialis removeat aut corrigat quae deturpent vultum Ecclesiae et impedimentum hominibus constituant ad fidem amplectendam [53].

Catechistae itaque officium habent non solummodo directe impertiendi catechesim, sed etiam auxilium suum praestandi ad communitatem ecclesialem animandam, ita ut ipsa testimonium genuine christianum praebere valeat.

Actio catechistica, igitur, inseritur in illam generalem actionem pastoralem, in qua apto ordine disponuntur et inter se
119 colligantur omnia elementa vitae ecclesialis [54]. /

[43] *Hb.* 4, 12. [44] Cfr. n. 35. [45] Cfr. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 13 [LE 3345]; Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, 16 [LE 3334]. [46] Cfr. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 12. [47] Cfr. *Hb.* 1, 2. [48] Cfr. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 24. [49] Cfr. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 8; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 14. [50] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 12, 27; Decl. *Nostra aetate*, 2 [LE 3335]. [51] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 35. [52] Cfr. Conc. Vat. I, Const. *Dei Filius*, Dz.-Sch. 3014. [53] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 19. [54] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 4, 7, 43.

Pars III. De Nuntio christiano

36. *Significatio ac finis huius partis*—Fides, cuius maturatio per catechesim promovenda est [1], duplici modo considerari potest: vel tamquam plena hominis adhaesio Deo Sese revelanti sub influxu gratiae praestita *(fides qua)*, vel tamquam materia revelationis et nuntii christiani *(fides quae)*. Hi duo aspectus nequeunt separari natura sua et normalis maturatio fidei eorum cohaerentem progressionem supponit, tamen inter se distingui possunt ob rationes methodologicas.

In hac tertia parte sermo est de materia fidei, et quidem hoc modo: in priore capite indicantur normae seu criteria quae catechesis servare debet in invenienda et exponenda propria materia. In altero autem capite sermo erit de materia in se ipsa. Quod tamen minime ad hoc tendit ut singulas quasque christianas veritates exponat, quae fidei ac catecheseos obiectum constituunt; neque enumerationem quandam proponere cupit praecipuorum huius nostrae aetatis errorum aut illarum fidei veritatum quae hodie acrius negantur vel neglguntur. Ad hanc enim rem ordinarium et extraordinarium Ecclesiae Magisterium cum auctoritate providet suis publicis communicationibus.

Eoque minus in hoc capite ostendere praesumitur aptam viam ad componendas fidei veritates secundum organicam rationem in quadam synthesi quae aeque pendat obiectivam earundem hierarchiam vel quod summopere huius aetatis homines vehementius postulant; qui homines sive in eo quod ipsorum aetatem attinet, sive in eo quod institutionem socialem et culturalem respicit perspiciuntur. Hoc ad scientiam theologicam et ad varia christianae doctrinae expositionis genera pertinet.

In hoc altero capite e contra exponere opportunum visum est —illis globalibus formulationibus adhibitis quae ulteriores explanationes includant— quaedam praestantiora quae in nuntio salvifico continentur, organice sane inter se connexa, in iis potissimum peculiaribus lineamentis quae clarius manifestanda sunt in nova accommodata catechesi, fideliter suum
120 finem persequente. /

Caput I. Normae seu criteria

37. *Catecheseos materia relate ad varias vitae ecclesialis formas, relate ad dissimiles culturas atque dissonas hominum elocutiones*—Revelatio est mysterii Dei eiusque salvificae actionis in historia manifestatio, quae per communicationem personalem ex parte Dei homini fit, et huius communicationis materia salutis nuntium omnibus hominibus praedicandum constituit.

Summum itaque et omnino necessarium prophetici Ecclesiae ministerii munus est huius nuntii materiam intelligibilem reddere hominibus omnium temporum, ut ad Deum per Christum convertantur, totam ipsorum vitam lumine fidei interpretentur, considerata peculiari rerum temporumque condicione in qua eadem vita evolvitur, et vivere valeant congruenter illi dignitati, quam nuntius salutis eis attulit atque fides eisdem revelavit.

Ad hunc finem assequendum catechesis, velut tempus sane praestantissimum prophetici Ecclesiae ministerii, non solum magnam assiduamque coniunctionem colere debet cum variis vitae rationibus ecclesialis communitatis, sed fovere quoque studet arctiorem appropinquationem inter possibiles formulationes divini nuntii et varias culturas et diversas gentium locutiones.

38. *Meta catecheseos est ut tota materia proponatur*—Materia nuntii salutis constat ex partibus quae inter se arcte cohaerent, etsi eius revelatio gradatim a Deo data est, olim per prophetas, novissime in Filio [2]. Cum finis catecheseos, ut dictum est, in eo sit ut tum singulos christifideles tum quoque communitates ad maturam fidem perducat, ipsa diligenter curare debet ut integrum thesaurum nuntii christiani fideliter proponat. Quod sane fieri debet iuxta exemplum paedagogiae divinae [3], sed ratione habita plenitudinis revelationis divinitus communicatae, ut populus Dei ea nutriatur et ex ea vivat.

Catechesis igitur initium capit a simpliciore propositione structurae integrae christiani nuntii (formulis etiam summariis seu globalibus adhibitis), eamque proponit modo congruo cum variis condicionibus culturalibus et spiritualibus catechi- 121
zandorum. Minime tamen ipsa haerere / potest in hac proposizione initiali, sed id quoque cordi habeat oportet ut materiam modo semper fusiore atque explicitiore proponat, ita ut singuli fideles et christiana communitas ad profundiorem semper atque vitalem christiani nuntii agnitionem perveniant atque concretas vitae humanae condiciones aut praxes sub lumine revelationis diiudicent.

Hoc non facile catecheseos officium fiat necesse est sub ductu Ecclesiae magisterii, cuius est in tuto semper collocare nuntii divini veritatem praetereaque invigilare ut ministerium verbi debitis rationibus dicendi utatur prudenterque rationem habeat auxilii, quod inquisitio theologica et humanae scientiae afferre possunt.

39. *Materia catecheseos corpus quoddam organicum ac vitale constituit*—Obiectum fidei complectitur materiam sua natura complexam, scilicet: Deum in suo mysterio Eiusque salvificum interventum in historia; quae omnia nota sunt per ea quae ipse Deus de se suisque operibus revelavit. Momentum centrale sive in salvifico Dei interventu sive in Eiusdem hominibus manifestatione Christus obtinet. Propterea obiectum catecheseos sunt mysterium et opera Dei, scilicet opera quae

[1] Cfr. n. 21. [2] Cfr. *Hb.* 1, 1. [3] Cfr. n. 33.

http://www.obrascatolicas.com

Deus fecit, facit et facturus est propter nos homines et propter nostram salutem. Haec omnia apte atque arcte inter se cohaerent et oeconomiam salutis constituunt.

Catechesis quae talem materiae connexionem atque harmoniam neglegat, impar omnino evadere potest ad finem suum consequendum.

40. *Christocentrismus catecheseos*—Christus Iesus, Dei Verbum Incarnatum, cum suprema sit ratio qua Deus in mundo intervenit et Sese hominibus manifestat, est centrum nuntii evangelici in historiae salutis ambitu.

Ipse est «imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae; quoniam in Ipso condita sunt universa» [1]. Ipse enim re et veritate unus potens mediator extat per quem Deus ad hominem accedit et homo ad Deum perducitur [2]. In Ipso Ecclesia suum fundamentum habet. In Ipso omnia instaurantur [3]. Res creatae itaque, hominum conscientia, genuini valores qui in ceteris religionibus inveniuntur, diversa temporum signa censenda viae et gradus sunt —etsi non uni-
122 voce— quibus, sub gratiae / influxu nec sine ordinatione ad Christi Ecclesiam, ad Deum accedi potest [4].

Quare catechesis christocentrica necessario esse debet.

41. *Theocentrismus trinitarius catecheseos*—Sicut Christus est centrum historiae salutis, ita mysterium Dei est centrum a quo haec historia originem ducit et in quod velut in finem ultimum ordinatur. Christus crucifixus et resuscitatus ducit homines ad Patrem mittendo Spiritum Sanctum in populum Dei. Quare structura totius materiae catecheseos theocentrico-trinitaria esse debet: per Christum, ad Patrem, in Spiritu.

Per Christum: Tota oeconomia salutis suum sensum accipit a Verbo Incarnato, cuius adventum praeparavit, cuius regnum in terris, post Eius mortem et resurrectionem, exhibet atque extendit usque ad secundum gloriosum Eius adventum, qui opus Dei consummabit. Sic fit ut mysterium Christi universam catecheseos materiam illuminet. Diversa elementa —biblica, evangelica, ecclesialia, humana immo et cosmica— quae institutio catechetica assumere et explicare debet, ad Filium Dei Incarnatum referenda sunt.

Ad Patrem: Finis supremus Incarnationis Verbi et totius oeconomiae salutis in eo est, ut omnes homines ad Patrem perducantur. Quare catechesis, cum auxilium ferre debeat ad magis magisque intelligendum hoc consilium amoris Patris Caelestis, eo spectare debet, ut ostendat supremum vitae humanae sensum hunc esse: Deum agnoscere, glorificare, ipsius voluntatem faciendo, sicut Christus nos docuit verbis et exemplo vitae suae, et ita ad vitam aeternam pervenire.

In Spiritu: Cognitio mysterii Christi et iter ad Patrem fiunt in Spiritu Sancto. Catechesis igitur in exponenda materia nuntii christiani semper in lucem ponere debet hanc Spiritus Sancti praesentiam, qua homines iugiter permoventur ad communionem cum Deo et hominibus habendam et ad sua munera explenda.

Si catechesis caret tribus hisce elementis aut negligit arctam eorum coniunctionem, profecto nuntius christianus propriam suam indolem amittere potest.

42. *Propter nos homines et propter nostram salutem*—Fines theocentrico-trinitarius oeconomiae salutis separari nequit a suo obiecto, quod in eo est, ut homines, a peccato eiusque
123 consectariis / liberati, quantum fieri potest Christo configurentur [5]. Sicut Incarnatio Verbi, ita omnis veritas revelata est propter nos homines et propter nostram salutem. Diversarum christianarum veritatum prospectus in relatione cum ultimo hominis fine est una ex condicionibus ad earum fructuosissimam intellegentiam [6].

Catechesis igitur clare ostendere debet arctissimam connexionem mysterii Dei et Christi cum existentia et fine ultimo hominis. Hac procedendi ratione minime contemnuntur fines terreni, ad quos privato aut communi conatu consequendos homines divinitus vocantur; sed aperte docetur finem hominis ultimum non contineri his temporalibus finibus, quin potius eos superare supra omnem expectationem, modo quem solus amor Dei erga homines excogitare potuit.

43. *Hierarchia veritatum in catechesi servanda*—In salutis nuntio adest quaedam hierarchia veritatum [7], quam Ecclesia semper agnovit, cum symbola vel compendia veritatum fidei confecit. Quae hierarchis non significat quasdam veritates minus quam alias ad ipsam fidem pertinere, sed quasdam veritates aliis tamquam principalioribus inniti et ab iis illuminari.

Catechesis in omnibus suis gradibus rationem habeat huius hierarchiae veritatum fidei.

Hae veritates colligi possunt secundum quattuor capita fundamentalia: mysterium Dei, Patris Filii et Spiritus Sancti, omnium creatoris; mysterium Christi, Verbi Incarnati, qui ex Maria Virgine natus, pro nostra salute passus et mortuus est atque resurrexit; mysterium Spiritus Sancti, praesentis in Ecclesia eamque sanctificantis et dirigentis usque ad gloriosum adventum Christi, Salvatoris et Iudicis nostri; mysterium Ecclesiae, quae Christi Corpus mysticum est, in qua Virgo Maria praestantissimum locum obtinet.

44. *Mysterii salutis indoles historica*—Salutis oeconomia perficitur in tempore: nam in tempore praeterito incepit, profecit ac in Christo apicem attigit, in tempore praesenti suam vim explicat, et consummationem in futurum expectat. Proinde praeteriti memoria, praesentis conscientia et futurae vitae spes in expositione materiae catecheseos omnino appareant oportet.

Quapropter catechesis recolit eventum supremum totius historiae / salutis, cum quo christifideles fide coniunguntur, 124
scilicet Incarnationem, Passionem, Mortem et Resurrectionem Christi.

Praeterea catechesis christifideles aptos reddit ad cognoscendum quomodo mysterium Christi salvificum per Spiritum Sanctum et Ecclesiae ministerium hodie et in saecula operetur atque eos ducit ad agnoscenda eorum officia erga Deum, erga seipsos et erga proximum.

Catechesis denique corda rite disponit ad spem vitae futurae, quae est totius salutis historiae consummatio, in quam christifideles cum filiali fiducia, non tamen sine sancto iudicii divini timore, tendere debent. Per quam spem christifidelium communitas intima exspectatione eschatologica perfunditur, quae eidem facultatem praebet ut de humanis terrestribusque bonis recte sentiat, eadem ad suam proportionem revocando, quin tamen ea ut irrita despiciat.

Hi tres praecipui prospectus assidue efficienterque in catecheseos materiae expositione intuendi sunt.

45. *Catecheseos fontes*—Catecheseos materia invenitur in verbo Dei scripto vel tradito; profundius intelligitur et explicatur a populo credente sub ductu Magisterii, quod solum authentice docet; celebratur in Liturgia; elucescit in vita Ecclesiae, praesertim in iustis et Sanctis; necnon aliquo modo innotescit ex ipsis genuinis valoribus moralibus, qui Deo providente existunt in hominum societate.

Haec omnia sunt catecheseos fontes, sive principales, sive subsidiariae. Quae igitur minime sensu univoco accipienda sunt. In horum usu catechista imprimis et semper respicere debet indubiam revelationis scriptae vel traditae praestantiam necnon Ecclesiae magisterii auctoritatem in rebus cum fide connexis.

Praeterea quod attinet ad quamlibet partem materiae fidei exponendam, catechista bene notare debet quomodo mysterium Christi sit centrum huius partis exponendae; quomodo Ecclesia hanc partem interpretetur atque definitam declaret, et quomodo eam celebret, ad effectum deducat ac participet in Liturgia et in praxi vitae christianae. Denique catechista bene perpendere debet quomodo, auxiliante Spiritu Sancto, consilium Dei in hodierna aetate adimpleri possit.

46. *Principium generale methodologiae catechisticae*—Normae supraindicatae, quae pertinent ad expositionem materiae catecheseos, applicari debent in variis catecheseos formis: sci/licet in catechesi biblica et liturgica, in compendio doctri- 125
nali, in interpretatione condicionum existentiae humanae, etc.

Ex eis tamen deduci nequit ordo servandus in materia exponenda. Fas est exordium sumere a Deo ut perveniatur ad Christum et e converso; item licet initium capere ab homine ut perveniatur ad Deum et e converso, etc. Methodus paedagogica seligenda est ratione habita circumstantiarum in quibus versantur communitas ecclesialis vel singuli fideles ad quos catechesis dirigitur. Hinc oritur necessitas sedula cum diligentia 'nvest'gandi ac reperiendi vias et rationes, quae variis rerum condicionibus aptius respondere possint.

Conferentiarum Episcopalium munus est in hac re normas pressius impertire ipsasque applicare ope directoriorum catechismorum pro diversa aetate et condicione culturali, necnon ceterorum subsidiorum quae ad rem opportuna videantur [11].

Caput II. Nuntii christiani praestantiora elementa

47. *Mysterium unius Dei: Patris, Filii, Spiritus Sancti*—Historia salutis idem est ac historia viae ac rationis qua Deus verus et unus: Pater, Filius, Spiritus Sanctus, Sese hominibus revelat eosque a peccato aversos sibi reconciliat et coniungit.

Vetus Testamentum, dum unitatem Dei in mundo polytheistico praeclare affirmat, iam quaedam mysterii Trinitarii praenuntia adumbrat, quae tamen plene explicantur in persona, in operibus et in verbis Iesu Christi. Qui quidem, dum se Filium Dei revelat, simul etiam Patrem et Spiritum Sanctum revelat. Intima Dei veri cognitio totum afficit animum divini Magistri, qui eam cum suis asseclis communicat, ipsos vocans ut filii Dei fiant per donum sui Spiritus filialis, quod iisdem dilargitur [12].

In catechesi igitur occursus cum Deo Uno et Trino, primo et principaliter contingit cum Pater, Filius, Spiritus agnoscuntur tamquam auctores illius salutis consilii, quod suum culmen habet in morte et resurrectione Iesu [13]. Hoc modo, revelationi mysterii, ab Ecclesia transmissae, respondet augescens con- 126
scientia fidelium, qui in fide intelligunt suam vitam inde a baptismo consistere in intimiore familiaritate conse/quenda cum tribus Personis divinis, quatenus ad earumdem divinam naturam participandam vocati sunt. Deum christiani oculis fidei per donum Spiritus Sancti iam contemplari et filiali amore prosequi possunt SS.mam Personarum Trinitatem, qualem in intima Dei vita ex aeternitate est.

48. *Genuinus Dei cultus in mundo saecularizato*—«Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi» [14] est «Deus vivens»: [15] est Deus sanctus, iustus, misericors, est Deus auctor foederis cum hominibus, Deus qui videt, liberat, salvat, Deus qui amat ut pater, ut sponsus. Catechesis laetanter hunc Deum annuntiat, qui omnis spei nostrae fons est [16].

Catechesis autem ignorare nequit haud paucos homines nostrae aetatis vehementer sentire longinquitatem, immo

[1] *Col.* 1, 15. [2] *Cfr. 1 Tim.* 2, 5. [3] *Cfr. Eph.* 1, 10. [4] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 16 [LE 3212]. [5] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 39. [6] Cfr. Concilio Vat. I, Const. *Dei Filius*, Dz.-Sch., 3016. [7] Cfr. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 11 [LE 3235].

vitae spes in expositione materiae catecheseos omnino appareant oportet.

[11] Cfr. infra partem VI. [12] Cfr. *Io.* 1, 12; *Rom.* 8, 15. [13] Cfr. Irenaei, *Demonst. praedic. apost.*, n. 6, S. Chr., 26, p. 39 ss. [14] *Eph.* 1, 3. [15] *Mt.* 16, 16. [16] Cfr. *1 Petr.* 1, 3-4.

absentiam Dei. Hoc factum, quod pertinet ad eum saecularizationis processum, fidei sane periculum constituit, sed etiam nos impellit ut habeamus fidem magis puram atque magis humiles efficiamur coram Dei mysterio, ut oportet: «Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator» [17]. Sub hac luce fas est etiam facilius intellegere veram naturam cultus, quem Deus requirit et qui eum glorificat: cultus scilicet qui coniunctum habet propositum adimplendi Eius voluntatem in quolibet activitatis campo, et fideliter multiplicandi in caritate talenta a Domino tradita [18]. In sacra Liturgia fideles afferunt fructus cuiusvis actus caritatis, iustitiae et pacis, ut Deo eos humiliter offerant, atque exinde verba vitae et gratias percipiunt, quibus indigent ut in saeculo veritatem in caritate facere valeant [19] in communione cum Christo, qui suum Corpus et Sanguinem pro hominibus offert.

49. *Cognitio Dei et caritatis testimonium*—Id quo christifideles maxime adiuvare valent mundum atheum ut ad Deum accedat est testimonium eorum vitae conformis nuntio caritatis Christi atque fidei vivae et naturae, quae iustitiae et
127 caritatis operibus manifestetur [20]. /

Ne tamen negligatur usus rectus humanae rationis, quae, ut Ecclesia tenet ac docet [21], Deum rerum omnium principium et finem e rebus creatis cognoscere potest. Quae Dei agnitio nedum humanae dignitati officiat, eam potius fundat et firmat.

Etsi finis Ecclesiae sit hominum salus aeterna, nihilominus fides in Deum vivum secumfert urgens officium auxilium praestandi etiam ad quaestiones humanas solvendas [22]: hoc in campo christifideles de valore nuntii Domini suis operibus testimonium reddant oportet.

50. *Iesus Christus, Filius Dei, primogenitus omnis creaturae et Salvator*—Supremum fastigium operum Dei est Incarnatio Filii sui Iesu Christi. Primogenitus omnis creaturae, Ipse est ante omnes et omnia in Ipso constant [23]. In Ipso, per Ipsum et ad Ipsum condita sunt universa [24].

Factus oboediens usque ad mortem, superexaltatus est ut Dominus omnium, manifestatus est nobis ex resurrectione Filius Dei in virtute [25]. Primogenitus ex mortuis, omnes vivificat [26]: in Ipso creati sumus homines novi; [27] per Ipsum universa creatura liberabitur a servitute corruptionis [28]. «Non est in alio aliquo salus» [29].

51. *Creatio, initium oeconomiae salutis*—Universus mundus ex nihilo creatus, est mundus in quo reapse perficitur salus et redemptio per Iesum Christum.

Iam in Vetere Testamento, veritas actionis creatricis Dei non proponitur veluti principium philosophicum abstractum; sed intrat in animos Israelitarum, ope notionis unitatis Dei, tamquam nuntium potentiae et victoriae Jahwe, tamquam argumentum quo demonstratur Dominum semper cum suo populo permanere [30]. Omnipotentia Dei creatoris eximie etiam manifestatur in resurrectione Christi, in qua revelatur «su-
128 pereminens magnitudo virtutis eius» [31].

Quare veritas creationis non est simpliciter proponenda velut veritas / per se stans a ceteris avulsa, sed tamquam aliquid quod de facto ordinatur ad salutem a Iesu Christo patratam. Creatio visibilium et invisibilium, mundi et angelorum, est exordium historiae salutis [32]; creatio hominis [33] habenda est primum donum et prima vocatio quae ad glorificationem in Christo perducit [34]. Dum explanationem doctrinae circa creationem audit, christianus, praeterquam consideret primum actum quo Deus «creavit caelum et terram» [35], mentem etiam convertat oportet ad omnia incepta salvifica Dei. Haec semper praesentia sunt in historia hominis et mundi et elucescent praesertim in historia Israel et ad supremum eventum resurrectionis Christi ducunt, et denique tandem consummabuntur in fine mundi cum caeli novi et terrae novae erunt [36].

52. *Iesus Christus, centrum totius oeconomiae salutis*—In Iesu Christo fidelis sese coniunctum agnoscit cum tota historia et in communione cum omnibus hominibus. Media in historia mundi perficitur historia salutis, qua Deus suum consilium adimplet, ut populus Dei seu «Christus totalis» in tempore perficiatur. Christianus homo, cum simplicitate et sinceritate, agnoscat se partem habere in huiusmodi opere, quod Iesu Salvatoris virtute eo spectat, ut creatio quam maxime Deum glorificet [37].

53. *Iesus Christus, ut verus homo et verus Deus, in unitate Personae divinae existens*—Hoc magnum mysterium, nempe Christus Caput et Dominus rerum universarum, «manifestatum est in carne» [38] hominibus. Homo Christus Iesus, qui inter homines habitavit, suis manibus ut homo laborans, mente humana cogitans, humana voluntate agens, corde humano diligens, est vere Verbum et Filius Dei, qui per Incarnationem quodammodo cum singulis hominibus sese coniunxit [39].

Catechesis praedicare debet Iesum in sua existentia concreta
129 et in suo nuntio; scilicet hominibus ita aditum patefacere debet ad mirabilem / Eius humanitatis perfectionem, ut ipsi mysterium Eius divinitatis agnoscere possint. Revera, Christus Iesus, assidua ac singulari precandi consuetudine cum Patre coniunctus, in arcta semper communione cum hominibus vixit. Bonitate sua omnes complexus est, iustos et peccatores, pau-

[17] *Is.* 45, 15. [18] Cfr. *Mt.* 25, 14 ss. [19] Cfr. *Eph.* 4, 15. [20] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 21 [LE 3366]. [21] Cfr. Conc. Vat. I, in Const. *Dei Filius*, Dz.-Sch. 3004-3005, 3026. [22] Cfr. *1 Io.* 4, 20-21; [23] Cfr. *Col.* 1, 15-17. [24] Cfr. *Col.* 1, 15 ss. [25] Cfr. *Rom.* 1, 4. [26] Cfr. *1 Cor.* 15, 22. [27] Cfr. *Eph.* 2, 10. [28] Cfr. *Rom.* 8, 19-21. [29] *Acta* 4, 12. [30] Cfr. *Is.* 40, 27-28; 51, 9-13. [31] *Eph.* 1, 19. [32] Cfr. Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 3 [LE 3345]. [33] Cfr. Pii XII, Enc. *Humani generis*, *A. A. S.* 42 (1950), p. 575 [LE 2147]; Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 12, 14 [LE 3366]. [34] Cfr. *Rom.* 8, 29-30. [35] *Gen.* 1, 1. [36] Cfr. *2 Pet.* 3, 13. [37] Cfr. *1 Cor.* 15, 28. [38] *1 Tim.* 3, 16. [39] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 22. [40] Cfr. *Io.* 1, 18. [41] Dz.-Sch. 150. [42] *RJ.* 39. [43] Cfr. *2 Cor.* 5, 19. [44] Cfr. *Rom.* 8, 29. [45] Cfr. *Hb.* 7, 26. [46] Cfr. *Phil.* 2, 8. [47] Cfr. *Rom.* 6, 23; Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 18 [LE 3366]. [48] Cfr. Conc. Tridentinum, *Decretum de sacramentis*, Dz.-Sch., 1601. [49] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 1 [LE 3232]. [50] Cfr. Conc. Trid., *Doctrina de sacrificio Missae*, Dz.-Sch., 1743. [51] Cfr. *1 Petr.* 2, 9; Const. dogm. de Ecclesia

peres et divites, cives et alienigenas; si quosdam prae ceteris dilexit, huiusmodi praedilectio aegrotos, pauperes, humiles spectavit. Erga personam humanam tali se gessit reverentia atque sollicitudine, qualem nemo umquam ante ipsum manifestavit.

Catechesis debet cotidie defendere et corroborare fidem in divinitatem Iesu Christi, ut Ipse non tantummodo excipiatur propter admirabilem suam vitam humanam, sed Eum homines ex eius verbis et signis agnoscant Filium Dei unigenitum [40], «Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri» [41]. Recta interpretatio mysterii Incarnationis in traditione christiana progressa est: per assiduam intelligentiam fidei, Patres et concilia nisus suos direxerunt ad notiones pressius determinandas, ad indolem propriam mysterii Christi altius exponendam, ad arcanas exquirendas necessitudines, quae Ipsi cum Patre caelesti atque hominibus intercedunt. Accessit vitae christianae de hac veritate testimonium, quod Ecclesia, decursu saeculorum, exhibuit: communio Dei cum hominibus, quae in Christo obtinetur, fons exstitit gaudii et inexhaustae spei. In Christo adest omnis plenitudo divinitatis, per Ipsum amor Dei erga homines manifestatur.

S. Ignatius ad Ephesios scribebat: «Medicus unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum mpassibilis et tunc passibilis, Iesus Christus Dominus noster» [42]

54. *Iesus Christus Salvator et Redemptor mundi*—Mysterium Christi apparet in hominum et mundi historia, peccato subiecta, non tantum ut Incarnationis sed etiam ut Salutis et Redemptionis mysterium.

Deus ita homines peccatores dilexit, ut Filium suum daret mundum sibi reconcilians [43]. Iesus igitur, tamquam primogenitus in multis fratribus [44], sanctus, innocens, immaculatus [45]
130 libere et filiali amore Patri / suo oboediens [46], pro fratribus suis peccatoribus et tamquam eorum Mediator mortem, quae eis stipendium peccati est, suscepit [47]. Hac sua sanctissima morte genus humanum a servitute peccati et diaboli redemit et in ipsum Spiritum adoptionis effudit, novam humanitatem in Seipso condens.

55. *Sacramenta, actiones Christi in Ecclesia, quae est sacramentum primordiale*—Mysterium Christi continuatur in Ecclesia, quae Eius praesentia iugiter gaudet atque Ipsi ministratur, in specie signis illis, a Christo institutis, quae donum gratiae significant et producunt ac sacramentorum nomine proprie designantur [48].

Ipsa autem Ecclesia, cum non sit tantum populus Dei, sed etiam in Christo veluti «signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis» [49], consideranda est quodammodo tanquam sacramentum primordiale.

Sacramenta sunt actiones praecipuae et fundamentales, quibus Iesus Christus iugiter dilargitur fidelibus suum Spiritum, eos efficiens populum sanctum, qui, in Ipso et cum Ipso, sese praebet oblationem Patri acceptam. Sacramenta profecto habenda sunt bona inaestimabilia Ecclesiae, ad quam potestas ea administrandi pertinet; eadem tamen semper referenda sunt Christo, a quo suam efficaciam accipiunt. Revera Christus est qui baptizat. Non est tam homo qui Eucharistiam celebrat, quam ipse Christus; Ipse enim ministerio sacerdotum in sacrificio Missae Sese offert [50]. Actio sacramentalis est, imprimis, actio Christi, cuius ministri Ecclesiae sunt veluti instrumenta.

56. *Sacramenta iuxta eorum integram rationem*—Catechesi curae erit septem sacramenta exhibere secundum eorum integram rationem.

Primo, exhibenda sunt tanquam fidei sacramenta. Ipsa certe efficacem Christi Salvatoris voluntatem ex sese exprimunt; homines vero, pro sua parte, sinceram voluntatem
131 respondendi Dei amori et misericordiae manifestare debent. Quapropter catechesis consulere debet in / deb'tis dispositionibus procurandis, in sinceritate et generositate excitanda ad dignam sacramentorum receptionem.

Secundo, sacramenta exhibenda sunt, certe unumquodque secundum suam naturam et finem, non solum tamquam remedia peccato eiusque consectariis, sed praesertim tamquam fontes gratiae in singulis et in communitatibus, ita ut tota dispensatio gratiae in fidelium vita ad oeconomiam sacramentalem quodammodo pertineat.

57. *Catechesis de Sacramentis*—Baptismus hominem a culpa originali et ab omnibus peccatis personalibus abstergit, eum in filium Dei regenerat, Ecclesiae incorporat atque Sancto Spiritus donis sanctificat, charactere indelebili in anima impresso eum initiali modo Christi muneris sacerdotalis, prophetici et regalis participem facit [51].

Confirmatio christianum perfectius Ecclesiae vinculat ac speciali Spiritus Sancti robore ditat, ut tamquam testis Christi in mundo vivat.

Cum autem christianorum vita, quae militia est super terram, tentationibus et peccatis sit obnoxia, via paenitentiae sacramenti eis aperitur, ut veniam a Deo misericordi consequantur atque cum Ecclesia sese reconcilient.

Ordo quosdam de populo Dei peculiari modo Christo Mediatori configurat eis sacram potestatem conferens, ut Ecclesiam pascant, verbo Dei fideles nutriant eosque sanctificent,

http://www.obrascatolicas.com

atque in primis sacrificium Missae Christi personam agentes offerant convivioque eucharistico praesint.

«Sacra Unctione infirmorum atque oratione presbyterorum Ecclesia tota aegrotantes Domino patienti et glorificato commendat, ut eos alleviet et salvet» [47].

In catechesi de sacramentis magnum momentum tribuatur explicationi signorum. Catechesis per signa visibilia christifideles perducat ad scrutanda invisibilia Dei salutaria mysteria.

58. *Eucharistia, centrum totius vitae sacramentalis*—Indubius est primatus Eucharistiae supra omnia sacramenta, nec non eius supereminens efficacia in Ecclesia aedificanda [48].

In Eucharistia enim, prolatis verbis consecrationis, realitas profunda (non phaenomenalis) panis et vini convertitur in
132 corpus et sanguinem Christi; quae mirabilis conversio in Ecclesia nomen suscepit «transubstantiationis». Proinde sub apparentiis (seu phaenomenali realitate) panis et vini, ipsa humanitas Christi, non tantum per suam virtutem sed per seipsam (id est substantialiter), coniuncta cum Eius divina Persona, ratione prorsus mysteriosa latet [49].

Hoc autem sacrificium non est tantum ritus commemorativus praeteriti sacrificii. In ipso enim Christus, decursu saeculorum, sacrificium Crucis ministerio sacerdotum incruento modo perpetuat [50] atque fideles Seipso, pane vitae, nutrit ut amore Dei amoreque proximi imbuti magis magisque efficiantur populus Deo acceptabilis.

Victima sacrificii Crucis nutriti, fideles genuino et activo amore praeiudicia removeant quibus aliquando arguuntur de cultu sterili, qui eos a fraternitate et collaboratione humana avertit. Convivium eucharisticum natum est ad efficiendum ut fideles in frequenti oratione magis in dies cor suum Deo coniungant atque exinde alios homines fratres Christi filiosque Dei Patris agnoscant et ament.

59. *Sacramentum matrimonii*—Hodie —servata praestantia quam nuntius christianus virginitati consecratae addicit— [51] peculiare momentum tribuendum est institutioni catechisticae de matrimonio, ab ipso Creatore instituto atque variis bonis, finibus et legibus praedito [52].

Innixa verbis fidei et lege naturali, sub ductu magisterii Ecclesiae, cuius est et legem moralem et naturalem authentice interpretari [53], simulque debitam habens rationem hodiernorum progressuum scientiarum anthropologicarum, catechesis in matrimonio fundamentum vitae familiaris ponere debet, quod attinet ad eius valores et divinam legem unitatis et indissolubilitatis, ad eius officia amoris, indole sua naturali, ad prolis procreationem et educationem ordinati. In procreatione regulanda castitas coniugalis iuxta doctrinam Ecclesiae servanda est [54].

Cum Christus matrimonium, pro baptizatis, ad sacramenti dignitatem evexerit, coniuges, sacramenti administri in perso-
133 nali et irrevocabili consensu eligendo, in gratia Christi vivantes imitantur et quodammodo repraesentant amorem ipsius Christi erga suam Ecclesiam [55]. Coniuges christiani ad sui status officia obeunda et dignitatem servandam hoc peculiari sacramento roborantur et veluti consecrantur [56].

Demum ad familiae vocationem pertinet ut communitas evadat quae etiam Ecclesiae et mundo pateat.

60. *Homo novus*—Homo, cum accipit Spiritum Christi, vitae rationem cum Deo instituit prorsum novam atque gratuitam.

Spiritus Sanctus, in anima christiani praesens, eum divinae naturae participem efficit, eumque Patri et Christo intime unit in communione vitae, quam ne mors quidem frangere potest [57]. Spiritus Sanctus hominem sanat quoad debilitates et infirmitates spirituales; eum a servitute passionum et immoderati amoris sui liberat, virtutem ei donando ad legem divinam servandam; spe et fortitudine roborat: illuminat in bono prosequendo; fructus caritatis, gaudii, pacis, patientiae, benignitatis, bonitatis, longanimitatis, mansuetudinis, fidei, modestiae, continentiae, castitatis infundit [58]. Ex hoc fit ut Spiritus Sanctus invocetur hospes animae.

Iustificatio a peccato et inhabitatio Dei in anima est gratia. Cum homo peccator dicitur iustificari a Deo, vivificari a Spiritu Dei, possidere in se vitam Christi, vel habere gratiam, utimur locutionibus quae, mutatis verbis, unam eamdemque rem significant, nempe: mori peccato, per spiritum adoptionis consortes fieri divinitatis Filii, in intimam vitae communionem cum SS.ma Trinitate ingredi.

Homo historiae salutis est homo ad gratiam adoptionis filialis atque ad vitam aeternam ordinatus. Anthropologia christiana indolem suam propriam in gratia Christi Salvatoris invenit.

61. *Libertas humana et christiana*—Divina vocatio hominis postulat ab eo liberum responsionem in Iesu Christo diandam.

Homo non potest liber non esse. Ad eius dignitatem et officium maxime pertinet, ut actionum suarum dominium habens, legem morum ordinis naturae et ordinis gratiae obser-
134 vet, itaque adhaereat Deo qui / sese in Christo revelavit. Hominis lapsi libertas ita vulnerata est, ut ne legis naturae

Lumen gentium, 32. [44] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 11; cfr. *Ia.* 5, 14-16. [45] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 11; cfr. Instr. *Eucharisticum mysterium*, nn. 5-15 [LE 3562]. [46] Cfr. Pauli VI, Litt. Encycl. *Mysterium fidei*, *A. A. S.* 57 (1965), p. 766 [LE 3316]. [47] Cfr. Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 47 [LE 3141]. [48] Cfr. *1 Cor.* 7, 38; Concilium Tridentinum, *Canones de sacramento matrimonii*, De.-Sch., 1820. [49] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 48 [LE 3366]. [50] Cfr. Litt. Encycl. *Humanae vitae*, n. 4, *A. A. S.* 60 (1968), p. 483 [LE 3676]. [51] Cfr. Litt. Encycl. *Humanae vitae*, n. 4, *A. A. S.* 60 (1968), p. 490. [52] Cfr. *Eph.* 5, 25. [53] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 48. [54] Cfr. *Io.* 14, 23. [55] Cfr. *Gal.* 5, 22-23.

quidem officia diu servare valeat sine auxilio gratiae Dei, sed accepta gratia eius libertas ita elevatur et roboratur ut quod vivit in carne, hoc sancte vivere valeat in fide Iesu Christi [59].

Ecclesiae est defendere et promovere verum libertatis sensum eiusque rectum usum contra cuiusvis generis iniustam coactionem. Ipsa insuper tuetur eam contra eius negatores, qui hominis operositatem simpliciter submissam censent determinismo psychologico et conditionibus oeconomicis, socialibus, culturalibus aliisque huiusmodi.

Minime tamen ignorat Ecclesia libertatem, etiam divina gratia adiutam, obnoxiam esse gravibus difficultatibus psychologicis necnon influxui condicionum externarum in quibus unusquisque vivit, ita ut humana responsabilitas non raro imminuatur, immo in quibusdam casibus vix aut ne vix quidem servetur. Rationem quoque habet investigationum et hodierni progressus scientiarum anthropologicarum circa libertatis humanae usum et limites. Quare sollicita est tum de educanda et excolenda genuina libertate, tum etiam de procurandis, in campo psychologico, sociali, oeconomico, politico et religioso, condicionibus idoneis ut libertas vere et iuste exerceri possit. Christiani, igitur, sedulo ac sincere operam praestare debent in rerum temporalium ordine, ut, quantum fieri potest, condiciones optimae pro recto exercitio libertatis instaurentur. Ipsi hoc officium quidem commune habent cum universis hominibus bonae voluntatis, sciunt tamen se eodem officio obstringi validiore et urgentiore ratione; agitur, enim, non tantum de promovendo bono quod ad hanc terrenam vitam pertinet, sed de officio quod tandem ad inaestimabile gratiae et salutis aeternae bonum adipiscendum inservit.

62. *Peccatum hominis*—Condiciones historiae atque vitae non sunt tamen habendae praecipuum impedimentum libertati hominis; homo, cum libere adhaeret operi salutis, maximum impedimentum invenit in peccato.

«In iustitia a Deo constitutus, homo tamen, suadente Maligno, inde ab exordio historiae, libertate sua abusus est, seipsum contra Deum erigens et finem suum extra Deum attingere cupiens» [60]. «Per unum hominem peccatum in*travit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt» [61]. «Na/tura humana 135
sic lapsa, gratiae munere destituta, quo antea erat ornata, in ipsis suis naturalibus viribus sauciata atque mortis imperio subiecta, omnibus hominibus traditur, qua quidem ratione omnis homo nascitur in peccato» [62]. Proinde peccatorum multitudo facta est dolenda hominum experientia et causa exstat etiam multiformis doloris et ruinae. Neque praetereunda est doctrina de natura et effectibus peccati personalis, quo homo, scienter et deliberate agens, actu legem moralem violat atque in re gravi etiam graviter Deum offendit.

Historia salutis est etiam historia liberationis a peccato. Omnes Dei interventus, sive in Vetere sive in Novo Testamento, eo quoque spectant ut homines in certamine contra vires peccati dirigantur; munus, quod in historia salutis Christo concreditum est, ad peccatum delendum refertur et per mysterium crucis absolvitur. Profundae considerationes, quae apud S. Paulum habentur [63] de realitate peccati et de consequenti «opere iustitiae» Christi, inter capita praecipua fidei christianae sunt recensendae, quae fas non est silentio praeterire in catechesi.

Attamen, salus a Christo allata multo magis excellit quam redemptio a peccato, cum per eam adimpleatur consilium a Deo initum, ut in Iesu Sese communicet tali plenitudine, quae hominis captum prorsus transcendat; de consilio agitur, quod non cessat propter hominum delicta, sed confert gratiam superabundantem relate ad mortem a peccato allatam [64]. Hoc consilium ex amore profectum, vi cuius homines vocantur ad participandam vitam ipsam divinam per Spiritum Sanctum, semper vim habet et ad omnia pertinet tempora. Homo, etiamsi est peccator, semper permanet in unico ordine quem voluit Deus, in eo scilicet ordine in quo Deus Sese clementer cum nobis communicat in Iesu Christo, ac proinde, gratia motus, potest per paenitentiam salutem attingere.

63. *Vita moralis christianorum*—Christus suis apostolis commisit ut docerent servare omnia quaecumque Ipse mandaverat [65]. Catechesis igitur complecti debet non tantum ea quae credenda, sed etiam ea quae agenda sunt.

Vita moralis christianorum, quae est ratio agendi homine necnon / filio Dei adoptivo digna, officio respondet vivendi et 136
crescendi sub ductu Spiritus Sancti in nova vita per Iesum Christum communicata.

Vita moralis christianorum gratia et donis Spiritus Sancti ducitur: «caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis» [66].

Docilitas, qua Spiritu Sancto obtemperandum est, secumfert etiam fidelem observantiam mandatorum Dei necnon legum Ecclesiae et iustarum legum civilium.

Libertas christiana adhuc necesse habet ut regatur et dirigatur in concretis vitae humanae condicionibus. Proinde consubici Ecclesiae magisterio, cuius est totam legem moralem scientia fidelium, etiam virtute prudentiae informata, debet auctoritative declarare, ut ordinem moralem obiectivum recte vereque exprimat.

Edoceri insuper debet ipsa christianorum conscientia normas etiam adesse absolutas, seu in omni casu et pro omnibus obligantes. Hae de causa, sancti per exercitium heroicarum virtutum Christum confessi sunt, immo martyres, ne Eum denegarent, etiam tormenta et mortem passi sunt.

[56] Cfr. *Gal.* 2, 20. [57] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 13. [58] *Rom.* 5, 12. [59] Pauli VI, *Professio Fidei*, n. 16, *A. A. S.* 60 (1968), p. 439 [LE 3671]. [60] Cfr. *Rom.* 5. [61] Cfr. *Rom.* 5, 15-17. [62] Cfr.

64. *Perfectio caritatis*—Actio Spiritus Christi tunc bene illustratur, cum in luce ponitur nota propria doctrinae moralis christianae, cuius universa praecepta et consilia, tamquam ad animam suam, reducuntur ad fidem quae per caritatem operatur [67].

Homo vocatur ad libere in omnibus adhaerendum voluntati Dei: haec est «oboeditio fidei, qua homo se totum libere Deo committit» [68]. Iamvero, cum Deus caritas sit Eiusque consilium eo spectet, ut in Iesu Christo Ipsius amor communicetur et homines ad mutuum convocentur amorem, inde consequitur quod libere et perfecte adhaerere Deo Eiusque consilio idem est ac talem vivendi rationem inire, quae, in observantia mandatorum, amore regatur: scilicet idem est ac amplecti et in vitae actionem traducere, tamquam novum mandatum, praeceptum caritatis.

Homo igitur vocatur ad amplectendam, in fide, vitam caritatis erga Deum et alios homines; in hoc posita est maxima eius responsabilitas eiusque excelsa dignitas moralis. Hominis sanctitas, quaecumque sint eius vocatio et status vitae, nihil
137 aliud est quam perfectio caritatis [69]. /

65. *Ecclesia, populus Dei et institutio salvifica*—Ecclesia, a Christo instituta, e morte et resurrectione Eius orta est. Ipsa est: novus populus Dei, praeparatus decursu historiae Israel, populus, quem Christus vivificat et amplificat per Spiritus effusionem atque suis donis hierarchicis et charismaticis perpetuo renovat ac dirigit; «de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata» [70].

Ecclesia, igitur, quatenus populus Dei, societas fidelium, communio hominum in Christo, opus est amoris salvifici Dei in Christo.

Principia, vero, quae christifideles generant et efformant ipsosque ut communitatem constituunt, nempe: depositum fidei, sacramenta, apostolica ministeria, in Ecclesia Catholica exstant, eidem commissa sunt, activitates ecclesiales gignunt. Aliis verbis, in Ecclesia sunt universa instrumenta necessaria ad ipsam congregandam et ad maturitatem perducendam qua communionem hominum in Christo. Opus hoc est fructus non solum actus transcendentis Dei, operationis Christi invisibilis Eiusque Spiritus, sed etiam Ecclesiae institutionum, munerum et actionum salvificarum. Ecclesia, ergo, praeterquam fidelium societas, est etiam, sua opera ministeriali et salutari, fidelium mater.

Ecclesia est populus Dei sanctus, qui de munere prophetico Christi participat [71] atque congregatus per verbum Dei, accipit et testificatur ipsum in universo mundo. Est populus sacerdotalis: «Christus Dominus, Pontifex ex hominibus assumptus, novum populum «fecit... regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo» [72]. Baptizati enim, per regenerationem et Spiritus Sancti unctionem consecrantur in domum spiritualem et sacerdotium sanctum, ut per omnia opera hominis christiani spirituales offerant hostias, et virtutes annuntient Eius qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum» [73]. Ecclesia autem est essentialiter societas hierarchica: populus ductus a Pastoribus suis coniunctis cum Summo Pontifice, Christi Vicario, et sub ipsius moderamine [74], ad quos christifideles respiciunt cum filiali amore et oboedienti obsequio. Est populus peregrinans ad plenitudinem mysterii Christi.

Praesentia Spiritus Sancti in Ecclesia, dum ex una parte in ipsa modo quidem indefectibili in tuto ponit condiciones obiectivas quae requiruntur ad ipsius sanctificantem occursum
138 cum Christo, ex alia / parte efficit ut ipsa in suis membris et propter sua membra ac in suis contingentibus structuris ad continuam purificationem et renovationem contendat.

66. *Ecclesia ut communio*—Ecclesia est communio: cuius veritatis ipsa pleniorem conscientiam adepta est in Concilio Vaticano II.

Ipsa est populus a Deo congregatus et arctis vinculis spiritualibus unitus. Structura eius postulat quidem diversitatem donorum et munerum; in ea tamen haec distinctio, licet possit esse non solum gradus sed etiam essentiae ut contingit inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium commune fidelium, minime tollit radicalem et constitutivam aequalitatem personarum. «Unus est ergo populus Dei electus: «unus Dominus, una fides, unum baptisma» [75]; communis dignitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione, communis filiorum gratia, communis ad perfectionem vocatio, una salus, una spes indivisaque caritas... Etsi quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores pro aliis constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem circa aedificationem Corporis Christi» [76].

In Ecclesia, igitur, quaelibet vocatio honore digna est et ad plenitudinem amoris, id est ad sanctitatem, appellat; quaelibet persona supernaturali sua excellentia gaudet, cui reverentia debetur; quaelibet munera et quaelibet charismata, etsi aliqua aliis obiective praestantiora [77], conspirant ad bonum universorum membrorum provida quadam multiplicitate formarum, quas munus apostolicum discernere et coordinare debet [78]. Hoc dicendum est etiam de singulis ecclesiis particularibus; in unaquaque, enim, licet exigua et paupere vel in dispersione degenti, «praesens est Christus, cuius virtute consociatur una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia» [79].

Mt. 28, 20. [71] *Rom.* 5, 5. [72] Cfr. *Gal.* 5, 6. [73] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 5 [LE 3345]. [74] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 39-42 [LE 3232]. [75] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 4. [76] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 12. [77] *Ap.* 1, 6. [78] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 10. [79] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22. [80] *Eph.* 4, 5. [81] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 32. [82] Cfr. *1 Cor.* 12, 31; 7, 38. [83] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 12. [84] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 26.

Fideles catholici de christianis seiunctis, qui in communione non plena cum Ecclesia catholica vivunt, solliciti sint oportet pro illis orando, de rebus Ecclesiae cum illis communicando, primos gressus ad illos movendo. In primis vero, pro sua cuiusque condicione, sincero attentoque animo ea perpendere
139 debent, quae in ipsa familia catholica / renovanda et efficienda sunt, ut eius vita fidelius et clarius testimonium reddat de doctrina institutisque a Christo per apostolos traditis [85].

67. *Ecclesia ut institutio salvifica*—Ecclesia non solum est communio inter fratres, quorum caput est Christus, sed «ese exhibet etiam ut institutionem, cui missio salvifica universalis concredita est. Populus Dei, a Christo «in communionem vitae, caritatis et veritatis constitutus, ab Eo etiam ut instrumentum redemptionis omnium adsumitur, et tamquam lux mundi et sal terrae, ad universum mundum emittitur» [86].

Hac de causa Ecclesia a Concilio Vaticano II exhibetur tamquam realitas, quae universam amplectitur historiam, omnes eius diversas culturas accipit et in Deum ordinat, et vi actionis Spiritus Christi constituta est «sacramentum universale salutis». Item ipsa exhibetur tamquam Ecclesia quae dialogum cum mundo instituit; signa autem temporum observans detegit ea quae apud homines momentum habent et de quibus cum eis convenit; praeterea curat ut intelligatur et agnoscatur a mundo, studens a se removere eas externas formas, quae minus evangelicae videntur et in quibus nimis manifesta apparent vestigia aetatum, quae iam conclusae sunt.

Ecclesia non est quidem de hoc mundo, «nulla ambitione terrestri movetur» [87], et perfecta erit tantum in caelis, ad quos aspicit atque iter facit; nihilominus connectitur cum mundo et eius historia. Tamen «impensa sollicitudo, qua Ecclesia, Christi Sponsa, hominum necessitates prosequitur, hoc est eorum gaudia et exspectationes, dolores et labores, nihil aliud est nisi studium, quo ipsa vehementer impellitur, ut iis praesens adsit, eo quidem consilio, ut Christi luce homines illuminet, universosque in Illum, qui ipsorum unus Salvator est, congreget atque coniungat. Nunquam vero haec sollicitudo ita accipienda est, quasi Ecclesia ad res huius mundi se conformet, aut deferveat ardor, quo ipsa Dominum suum Regnumque aeternum exspectat» [88].

68. *Maria, Dei genitrix, mater et exemplar Ecclesiae*—Ineffabili modo cum Domino coniungitur Maria, semper virgo Eius Mater, quae «in Sancta Ecclesia locum occupat post
140 Christum altissimum nobisque maxime propinquum» [89]. /

Donum Spiritus Christi in ipsa modo prorsus singulari manifestatur, quia Maria est «gratia plena» [90] et est «Ecclesiae typus» [91]. In ipsa, praeservata ab omni peccati originalis labe, libere et totaliter fideli erga Dominum, corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta, Spiritus Sanctus plene munus suum iam manifestavit. Ipsa, enim, plene conformatur «Filio suo, Domino dominantium, ac peccati mortisque victori» [92]. Cum sit Mater Dei et «mater nobis in ordine gratiae» [93], figura virginitatis et maternitatis totius Ecclesiae [94], signum certae spei et solacii pro peregrinanti populo Dei [95], Maria «maxima fidei placita in se quodammodo unit et reverberat» et «ad Filium suum Eiusque sacrificium atque ad amorem Patris credentes advocat» [96]. Quare Ecclesia, quae in honore habet fideles et Sanctos, qui iam apud Dominum sunt et pro nobis intercedunt [97], Matrem Christi matrem quoque suam peculiarissimo modo veneratur.

69. *Finalis communio cum Deo*—In Christo Iesus et per Eius mysterium, fideles iam in hac terrestri vita sperantes exspectant «Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae» [98]. Novissimae tamen realitates manifestae atque perfectae tunc tantummodo erunt, cum Christus adveniet cum potestate, iudex vivorum et mortuorum, ad historiam concludendam et populum suum Patri tradendum, ita ut «Deus sit omnia in omnibus» [99]. Donec «Dominus venerit in maiestate sua et omnes Angeli cum eo et, destructa morte, Illi subiecta fuerint omnia, alii e discipulis Eius in terris peregrinan*tur, alii hac vita functi purificantur, alii vero glorificantur intuentes 141
clare ipsum Deum trinum et unum, «icuti est» [100].

Tota Ecclesia, in die adventus Domini, ad suam perfectionem perveniet et in plenitudinem Dei ingredietur: in hoc posi-
tum est obiectum fundamentale spei et orationis christianorum («adveniat regnum / tuum»). Catechesis, quae de novissimis agit, dum ex una parte tradenda est sub signo consolationis, spei et salutaris timoris [101], quibus homines nostrae aetatis tantopere indigent, ex alia parte ita est impertienda ut plena veritas observetur. Fas enim non est immiuere gravem responsabilitatem, quam unusquisque habet quod attinet ad suam futuram sortem. Catecheis silentio praeterire nequit nec iudicium singulorum hominum post mortem, nec poenas piaculares Purgatorii, nec tristem ac luctuosam realitatem mortis aeternae, nec finale iudicium. In die illo quilibet homo plene suam ipsius sortem assequetur, quia omnes nos manifestabimur «ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria

[85] Cfr. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 4.5 [LE 3235]. [86] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 9 [LE 3232]. [87] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 3 [LE 3366]. [88] Pauli VI, *Professio fidei*, n. 27, *A. A. S.* 60 (1968), p. 444 [LE 3671]. [89] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 54. [90] *Lc.* 1, 28. [91] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 59. *tium*, 63 [LE 3232].

[92] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 61. [93] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 63-65. [94] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 69. [95] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 65. [96] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 49, 50. [97] *Ph.* 3, 21; cfr. *1 Cor.* 15. [98] *1 Cor.* 15, 24-28. [99] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 49. [100] Cfr., *1 Th.* 4. 18.

http://www.obrascatolicas.com

corporis, prout gessit sive bonum sive malum» [139], et «procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii» [140].

Pars IV. Elementa methodologiae

70. *Natura et finis huius partis*—Nostro hoc saeculo catechistae penitus investigaverunt quaestiones methodologicas propositas a scientiis psychologicis, didacticis et paedagogicis. Etenim studia suscepta sunt circa methodum in lectione catechismi adhibendam; indicatae sunt partes quae ad methodos activas spectant in catechesi tradenda; in omnibus suis partibus actus catecheseos investigatus est secundum leges quae artem discendi moderantur (experientia, imaginatio, memoria, intelligentia); denique elaborata est methodologia differentialis, quae scilicet varia est secundum aetatem, condiciones sociales et gradum maturitatis psychicae catechizandorum.

Hic non omnia huiusmodi problemata considerantur sed exponuntur tantummodo quaedam puncta, quibus hodie magnum momentum tribuitur. Aggredi haec problemata modo convenienti ac specifico apud singulas Nationes opus erit variorum Directoriorum ceterorumque laboris instrumen-
142 torum. /

71. *Catechistae munus*—Nulla methodus, quamvis usu valde comprobata, catechistam eximit a personali labore assimilandi et diiudicandi concretas circumstantias et a quadam accommodatione ad easdem. Optimae enim humanae et christianae qualitates catechistarum magis quam methodi selectae poterunt successus gignere.

Catechistae opus maioris momenti habendum est quam textuum aliorumque instrumentorum selectio [1].

Praestantia autem atque magnitudo operae a catechistis praestandae non impedit quominus limites statuendi sint, qui partes catechistarum circumscribant. Ad ipsos cura spectat eligendi et creandi condiciones opportunas, quae necessariae sunt ut nuntius christianus quaeratur, accipiatur et profundius investigetur. Eo usque pervenit actio catechistarum, atque hic sistit. Nam adhaesio catechizandorum, quae est fructus gratiae et libertatis, a catechista ultimatim non pendet; et ideo actionem catecheticam oratio comitetur oportet. Haec adnotatio, quamvis per se pateat, nihilominus utiliter recolitur in hodiernis condicionibus, quia hodie multum requiritur ab ingenio et a genuino spiritu christiano catechistae, ac simul ipse urgetur ut quam maximam observantiam habeat erga libertatem et «creativitatem» catechizandorum.

72. *Methodus inductiva et deductiva*—Methodus, quae inductiva vocatur, magnas utilitates praebet.

Eius munus consistit in praesentatione factorum (cuiusmodi sunt eventus biblici, actus liturgici, vita Ecclesiae et vita cotidiana) atque in eorum contemplatione et examine, eum quidem in finem, ut in iisdem agnoscatur significatio, quam in mysterio christiano habent. Haec methodus congruit cum oeconomia revelationis atque cum illo, inter alios, fundamentali processu spiritus humani, qui a rebus visibilibus ad intelligibilia pervenit; necnon cum nota propria cognitionis fidei, quae est cognitio per signa.

Methodus inductiva non excludit, immo postulat quoque methodum deductivam, cuius est facta explicare et describere procedendo ab eorum causis. Sed Synthesis deductiva ut plu-
143 rimum suam plenam vim ostendit, cum processus inductivus iam peractus fuit. /

73. *Formulae*—Commoda methodi inductivae, quorum praecipua sunt actuosum spiritualium facultatum exercitium et iugis relatio ad res concretas in explicandis conceptibus intellectualibus, nullo modo perducere debent ad oblivionem necessitatis et utilitatis formularum.

Formulae sinunt ut mentis cogitata accurate exprimantur, aptae ad rectam fidei expositionem et, memoriae mandatae, stabili veritatis possessioni favent. Denique efficiunt ut inter christifideles communis loquendi modus adhiberi possit.

Plerumque formulae tunc proponuntur atque explicantur, cum lectio aut investigatio ad synthesim pervenit.

Illae formulae prae ceteris sunt eligendae, quae, veritatem fidei fideliter exprimentes, captui audientium accommodantur. Obliviscendum non est formulas dogmaticas veram professionem doctrinae catholicae esse et proinde qua tales, sensu quo intellexit ac intelligit Ecclesia, a fidelibus accipiendas esse [2]. Formulae traditionales ad fidem profitendam atque ad orandum, ut Symbolum Apostolorum, oratio dominica, salutatio angelica aliaeque huiusmodi, sedulo docendae sunt.

74. *Experientia—a)* Experientia gignit sollicitudines atque quaestiones, spes atque anxitudines, reflexiones et iudicia, quae confluunt in quoddam studium moderandi humanam vivendi rationem.

Quare catechesis curam habere debet ut homines attentos reddat ad suas maioris momenti experientias, tam personales quam sociales; itemque eius munus est sub luce Evangelii ponere quaestiones quae exinde oriuntur, ita ut in ipsis hominibus rectum excitetur desiderium transformandi propriam vitae rationem.

Haec ratione, experientia etiam efficit ut homo modo activo se gerat erga Deum donum.

b) Experientia favere potest christiani nuntii intelligibilitati.

[139] 2 Cor. 5, 10. [140] Io. 5, 29; cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 48.

[1] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 17 [LE 3364].

[2] Cfr. Conc. Vat. I, Const. *Dei Filius*, De Sch. 3020, 3043.

Ipse Christus praedicavit Regnum Dei, illustrando eius naturam cum parabolis ex humanae vitae experientia desumptis. In mentem revocavit quasdam humanas situationes (mercatorem qui bonum negotium gerit, servos qui data sibi talenta plus vel minus fructificant, etc.), ut realitates eschatologicas et transcendentes explicaret et exinde vivendi rationem
144 doceret, quam realitates illae a nobis postulant. /

Ita fit ut experientia inserviat ad explorandas et assimilandas veritates quae in deposito revelationis continentur.

c) Experientia, in se ipsa considerata, lumine revelationis illustranda est. Catechesis homines iuvare debet ad suas experientias explorandas, interpretandas, iudicandas, itemque ad sensum christianum propriae existentiae tribuendum, in mentem revocando actionem Dei qui nostram salutem operatur.

Sub hoc aspectu experientia se habet velut obiectum a catechista interpretandum et illuminandum. Hoc munus, etsi difficultatibus non careat, praetermittere non licet.

75. *De activitate vel creativitate catechizandorum excitanda*—Quaelibet hominis institutio et quaelibet vera communicatio hoc primum postulant, ut possibilis reddatur et excitetur interior actio in eo ad quem diriguntur. In catechesi igitur suscitanda est activitas fidei (spei quoque et caritatis); nam rectitudo et vigor iudicii, quae per activam institutionem excitanda sunt, hic inserviunt ad verbum Dei accipiendum. Fiducia, quae activam educationem inspirat, numquam inducere debet ad obliviscendum actum fidei conversionem subiecti necessario involvere.

His praemissis, patet hanc activam rationem catecheseos plene congruere cum oeconomia revelationis et salutis. Ars paedagogica quae faveat activae responsioni catechizandorum, congruit cum generali statu vitae christianae, in qua christifideles activo modo respondent dono Dei per preces, per sacramentorum et sacrae Liturgiae participationem, per munerum susceptionem in Ecclesia et in vita sociali, per caritatis exercitium.

Catechizandi, praesertim si adulti sint, activo modo operam conferre possunt ad progressum catecheseos. Quare ab iis quaeratur quo modo christianum nuntium intellegant et quo modo suis ipsorum verbis illud valeant explicare. Deinde comparatio fiat inter exitum huius inquisitionis et ea quae a Magisterio ecclesiastico docentur; atque ea tantum accipiantur, quae cum fide concordant. Hoc modo valida subsidia inveniri poterunt ad unicum et verum christianum nuntium efficaci expositione tradendum.

76. *Coetus*—Momentum coetus in catechesi magis magisque invalescit

In catechesi puerorum, coetus munus habet favendi ipsorum edu/cationi ad vitam socialem, sive agatur de pueris qui si- 145
mul frequentant catechismi lectiones, sive agatur de iis, qui parvo numero adunati, nonnullis dedicantur activitatibus.

Pro adulescentibus et iuvenibus, coetus considerandus est tamquam vitalis necessitas. In coetu adulescens et iuvenis se agnoscunt, sustinentur, exstimulantur.

Si agitur de adultis, coetus hodie considerari potest tamquam condicio pro catechesi quae sibi proponat sensum christianae corresponsabilitatis fovendi.

Cum agitur de coetu qui complectitur adulescentes vel adultos, tunc catechesis indolem sumit investigationi communi propriam.

Huiusmodi investigatio communis eo spectat, ut explorentur mutuae relationes et necessitudines quae intercedunt inter materiam nuntii christiani, qui est semper norma credendi et experientias coetus.

Catechista partem habere debet in communi investigatione, ita tamen ut in coetu peculiarem locum obtineat. Nomine Ecclesiae se gerit tamquam testem christiani nuntii, qui aliis ministrat, fructus propriae fidei maturae cum eis communicat communemque inquisitionem in finem consequendum sapienter ordinat.

Hoc munus testis nuntii non necessario postulat ut catechista coetui praeponatur tamquam director.

Coetus, qui in suo munere absolvendo ad altum perfectionis gradum perveneriit, suis membris praebere poterit non solum occasionem institutionis religiosae, sed etiam optimam vitae ecclesialis experientiam.

Catechesis hoc modo peracta iuvenibus ostendere poterit Ecclesiam minime esse aliquid suae ipsorum existentiae extrinsecum, sed potius magnam realitatem de qua omnes, secundum vocationem suumque ministerium, quamdam responsabilitatem habent.

Pars V. Catechesis secundum aetates

77. *Natura et finis huius Partis*—Multiplices sunt viae ac rationes, quibus nuntius christianus diversis hominum necessitatibus accommodatur.

Si actio missionaria consideratur, habetur via evangelizationis, initiationis catechumenorum et neophytarum. /

Si consideratur evolutio physica et psychica hominum catechizandorum, habetur catechesis secundum aetates. 146

Si considerantur condiciones sociologicae et culturales, in quibus homines vivunt, habetur catechesis secundum varios mentis habitus (catechesis ad opifices, technicos, etc.).

Si denique considerantur agendi modi, quibus baptizati sese gerere poterunt erga fidem, tunc habetur catechesis pro credentibus qui pleniorem et profundiorem notitiam de fidei veritatibus sibi comparare volunt, vel catechesis pro iis qui adhuc requirunt vera fidei fundamenta.

Ad Directoria Catechistica nationalia vel regionalia pertinet hac in re normas specificas et definitas impertire, iuxta

nebit hac in re normas specificas et definitas impertire, iuxta concretas locorum condiciones et necessitates.

Hic, ad modum exempli, proponuntur tantum nonnulla elementa generalia, quae vim et momentum catecheseos secundum aetatem ostendere contendunt.

78. *De infantiae condicione et momento*—Initia vitae religiosae et moralis inde ab ipsis vitae humanae exordiis panduntur. In credentium familiis, primi vitae menses et anni, qui maximi sunt momenti ad futuri hominis aequilibrium, iam christianae personalitatis condiciones praebere possunt. Parvulorum baptisma integrum suum sensum sumit, quando christiana vita parentum, matris praesertim et non exclusive, praebet gratiae baptismali possibilitatem fructus gignendi. Parvulus enim, velut per «osmosis» processum, agendi modos sensusque suorum familiarium in se recipit. Itaque in eo quasi congloballur cumulus experientiarum, qui quoddam fundamentum erit illius vitae fidei, quae deinde paulatim explicabitur ac manifestabitur.

Animi fidentis dispositio initio innititur in bona relatione inter parvulum et matrem, deinde etiam inter ipsum et patrem: nutritur communicatione laetitiae atque experientia peramantis auctoritatis. Virtutum theologalium expedita evolutio partim pendet a nascente illa dispositione, dum eodem tempore ipsae ad eamdem roborandam conferunt. Hoc enim tempore inchoatur affirmatio personalitatis, seu autonomia, quae requiritur ad virtutes morales acquirendas et ad vitam in communitate degendam. Ipsamet aequilibrium exigit inter firmitatem et tolerantiam. Deinde, paulatim oriri poterit apti-
147 tudo ad sponte agen/dum, quae maxime necessaria erit ad vitam socialem ineundam necnon ad Dei Ecclesiaeque servitium promovendum et firmandum.

Hae acquisitiones coniunctam habere debent educationem ad precandum, ita ut infans addiscat invocare Deum qui nos diligit et servat; Iesum, Filium Dei et fratrem nostrum, qui nos ad Patrem ducit; Spiritum Sanctum, qui in cordibus nostris inhabitat; ita ut preces fiduciosas etiam dirigat ad Mariam, Matrem Iesu et Matrem nostram.

Si haec fundamenta desint, necesse est ut catechesis discernat an et quaenam insufficientiae inde exortae sint et quomodo compensari possint. Apti interventus parentum christianorum iuvandi sunt ope congruae formationis eis impertiendae: quae formatio, etsi simplex et accommodata ad eorum gradum culturalem, a competentibus educatoribus tradi debet. Neque hoc munus pastorum supererogatorium est; nam Ecclesia aedificatur, cum parentes adiuvantur ad sua munera recte exercenda. Id efficit ut etiam optima occasio detur catechizandi adultos.

79. *De pueritiae condicione et momento*—Cum scholas adit, puer ampliorem quam familiam societatem ingreditur et quidem modo intenso, qui magnam partem suarum virium ac sollicitudinum absorbet, initiatur societati adultorum. Sub scholae forma primam experientiam laboris facit [1].

Antea familia pro puero mediationem ad Dei populum constituebat. Nunc vero ipse ad Ecclesiae vitae directam participationem ineundam iam idoneus est, et ad sacramenta admitti potest.

Pueri intelligentia gradatim evolvitur. Catechesis huic mentis progressui sese accommodare debet. Puer de adultorum vita religiosa sibi rationem reddere quaerit. Proinde vita genuine christiana communitatis adultae optimum quoddam auxilium praebet ad profundam efformationem pueris proponendam, et quidem modo vere didactico, cum vita religiosa adultorum ac populi Dei activitates sub lumine historiae salutis apte explicantur.

Initialis laboris experientia non est consideranda quasi extranea a fine catecheseos. Laetitia agendi et quidem recte agendi, cum aliis cooperatio, disciplina perspicua ac rationalis quae exinde oritur: en permultae experientiae quae compa-
148 rantur et quae utiles sunt non solum ad insertionem in societatem, sed etiam ad activam participationem vitae Ecclesiae. /

His prae oculis habitis, paedagogia catechetica, quamcumque sequatur methodum, puerorum activitatem suscitare debet. Si in hoc deficiat, catechesis suum officium absolvere non poterit educandi credentem ad responsionem magis magisque personalem dandam verbo et dono Dei. Talis paedagogia activa non tantum in expressionibus exterioribus, quantumvis utilibus, inhaereat, sed ad responsum cordis, ad orationis gustum educere contendat. Haec vero interior educatio difficilior, sed magis necessaria, efficitur ob indolem civilizationis nostri temporis, quae dispersioni favet.

Cooperatio inter catechistas et parentes (mutua communicatio propriae sententiae circa programmata, methodos, difficultates quae occurrunt) necessaria est ut educatio puerorum apta et concordia ratione procedat. Huiusmodi cooperatio utilis est etiam utrisque, qui exinde auxilium accipiunt in specificis suis muneribus exercendis.

80. *Pueri qui scholas non frequentant*—Adsunt etiam regiones extensae ac nonnumquam incolis redundantes, ubi scholae non sufficiunt. In his casibus oportet ut impensa actio pastoralis dirigatur ad ipsas familias et, quantum fieri poterit, promoveantur variae associationes quae de pueris curam habeant, et quae opportuna ratione instructae sint, ita ut locorum condicionibus et spiritualibus puerorum necessitatibus respondere valeant.

81. *De pueris qui in familiis indifferentia religiosa laborantibus crescunt*—Magis magisque animadvertitur difficultas impertiendi catechesim pueris, qui in familiis et locis vivunt ubi praxis religiosa deest vel prorsus insufficiens est. Quandoque dubia moventur circa ipsam possibilitatem et convenientiam catecheseos impertiendae.

Profecto, omittenda non est huiusmodi puerorum catechesis, sed potius ita concipienda et perficienda est, ut congruat cum rerum adiunctis et condicionibus. In his casibus requiritur ut instituantur relationes cum familiis, earum mentes et consuetudines investigentur, ita ut inveniri possint media quae viam ad dialogum aperiant. Requiritur etiam ut catechesis ea ratione materiam proponat, quae vere accommodata sit ad concretas puerorum possibilitates.

82. *De adulescentiae ac iuventutis condicione et momento*—Adulescentiae periodus et, largiore sensu, «iuventutis phaenomenon» ut aiunt, maximum momentum habent [2]. In societa- 149
tibus prae/industrialibus quae parvo tantummodo scholarum numero fruuntur, transitus a pueritia ad communitatem adultorum fit quasi directe. Hac nostra aetate magis magisque consuetudo invalescit extendendi tempus institutionis scholasticae pro adulescentibus et haec consuetudo creat in societate generationem labori directe fructuoso non insertam, quae, etsi vigore physico et intellectuali iam gaudeat, nullam aliam activitatem exercet extra studium et acquisitionem futurae professionis. Haec classis socialis magnum pondus in adultorum societate habet; quod haud leve problema secumfert.

Hoc problema etiam in Ecclesia invenitur et quamquam sub formis diversis nihilominus non minus grave evadit. Adulescentes et iuvenes minus subiacent periculo sese violenter opponendi Ecclesiae quam tentationi eamdem relinquendi. Hoc est in catechesi gravissimum problema, etiam ex eo quod saepe adultis difficile est agnoscere quid validum adulescentes iuvenesque afferre queant.

Iuvenes vero eo minus diffidentes erunt, quo maius catechistae capacitatem eorum partes comprehendendi et acceptandi demostrabunt.

83. *De praeadulescentiae et iuventutis condicione et momento*—Expedit ut Directoria Nationalia praeadulescentiam, adulescentiam et iuventutem distinguant.

Hic quidem tantum animadverti potest, in regionibus humanitate excultis ubi quaestio ponitur, difficultates propriae praeadulescentiae in praxi non satis nec semper agnosci. Educator in tentationem incidere potest considerandi praeadulescentes eadem ratione ac pueros atque ideo timendum est ne eorum attentionem sibi non conciliet; vel etiam eos considerare potest tamquam adulescentes, quo in casu eisdem themata laborique methodos proponit, quae supponunt maturitatem personalitatis et experientiae nondum ab eis adeptam.

Praeadulescentiae aetas tamquam notam propriam habet laboriosum ortum subiectivitatis. Quare necesse est ne hac aetate pergat institutio simplex et obiectiva, quae puerorum propria est; sed etiam cavendum est ne proponantur problemata et themata quae ad adulescentiam pertinent.

Institutio concreta, quae vitam et opera Sanctorum hominumque bene meritorum illustret, necnon consideratio vitae actualis Ecclesiae catechizandis huius aetatis validum alimentum suppeditare possunt.

Iuventus stricte dicta, adulescentiam sequitur, est quoque vitae periodus parum adhuc studiis investigata, eiusque 150
peculiares notae nondum satis cognoscuntur. /

Quidam putant hac aetate inchoandam esse institutionem theologicam. Alii putant proponendas esse quaestiones humanas et sociales, additis explicationibus theologicis simplicibus et quibusdam hortationibus ad christiane agendum. Via, quae optanda videtur, est agere de problematibus fundamentalibus ac typicis huius aetatis seria cum documentatione theologica atque humana et simul apta cum methodologia discussionis collectivae.

84. *De vitae sensus inquisitione*—Adulescens profundas immutationes physicas et psychicas in seipso animadvertit. Ipse suum munus in societate quaerit. Suae infantiae religiositate non amplius contentus, nondum fidei maturitatem adulti propriam assecutus est; ideoque orientationem fundamentalem quaerit, qua denuo suam vitam ad unitatem reducere possit. Haec inquisitio tamen saepe ad crisim religiosam perducit.

Praecipuum munus catecheseos adulescentiae erit vitae sensum genuine christianum promovere. Ipsa christiani nuntii lucem effundere debet in realitates, quae magis adulescentem commovent, ut sunt corporalis existentiae sensus, amor et familia, norma in vitae cursu sequenda, labor et tempus liberum, iustitia et pax, etc.

85. *De attentione convertenda ad genuinos valores*—Adulescens suae vitae visionem, suum existentiae cursum secundum quosdam valores praecipuos ac primarios ordinare conatur. Iamvero hodie adulescens inter «valores» invicem oppositos sese immersum persentit. Hoc factum conflictum acuit in adulescente inter varios valores quos inquirit sibique persuadet ut illos valores reiciat, qui in vitae ratione adultorum non exprimuntur.

Catechesis illum iuvare debet ad genuinos valores magis magisque detegendos et ordinandos.

86. *De personalitatis autonomia*—Ut autonomiam, quam exoptat, adulescens attingat, sui ipsius affirmationem saepe exaggerat et ordinem vitae ab adultis acceptum nonnumquam reprehendit.

Adulti animadvertere debent adulescentes fidei adhaerere seseque in ipsa confirmare non vi cuiusdam identificationis cum adultis, sed ex propriis persuasionibus, gradatim exploratis.

Ex huiusmodi autonomia oritur illa, quae dici potest «tentatio naturalismi», qua adulescentes tendunt ad agendum et

[1] Cfr. Decl. de educatione sacerdotali *Gravissimum educationis*, 5 [LE 3335].

[2] Cfr. Decr. de apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem*, 12

http://www.obrascatolicas.com

ad salutem/ comparandam suis ipsorum viribus. Huiusmodi inclinatio eo fortior erit, quo magis personalitas prorumpit.
Catecheseos ideo est efficere ut adulescens ad illam personalem maturitatem perveniat, quae eum sinat, subiectivismo devicto, novam spem detegere in Dei fortitudine et sapientia.

87. *Adulescentium coetus*—Adulescentes, ad suam autonomiam obtinendam, consociationes inter se habere quaerunt, et quidem hac de causa, quo facilius suas ideas suamque indolem persequi possint et suam autonomiam ab adultorum coetibus protegant. In ambitu pariter horum coetuum, adulescens variis vitae valoribus impellitur et ad vivendum iuxta eos movetur. In cotidiana vitae praxi, adulescentes facilius cum iuvenibus eiusdem aetatis communicant quam cum adultis.
Catechesis munus habet agendi in his adulescentium consociationibus, quae medias se gerere possunt inter iuvenes et totam Ecclesiae communitatem [1].
Adulescentium consociationes non semper valores positivos continent. Quare urget necessitas promovendi relationes inter ipsas et communitates christianas, ita ut harum valores humani et christiani ab adulescentibus debite agnoscantur et aestimentur [2].

88. *Exigentiae intellectuales*—Adulescens ratiocinii usum «formalem» per se possidet. Ipse addiscit quomodo intellectu recte utendum sit, ac detegit culturam sibi propositam considerationem postulare et in sua vita applicandam esse.
Catechesis, ut experientiam vitae fidei suscitare possit, nullo modo neglegere potest efformationem religiosi modi cogitandi, qui connexionem mysteriorum inter se et cum hominis fine ultimo ostendat [3]. Ad interiorem huiusmodi religiosi cogitatus cohaerentiam firmam reddendam, testimonium non sufficit. Hodie ubique severitas scientifica postulatur; catechesis proinde omni cum cura etiam fundamenta rationabilia fidei praebere debet.
Structura intellectualis fidei adulescentium nullo modo quasi quoddam complementum, sed ut essentialis necessitas vitae fidei haberi debet. Peculiare momentum habet modus
152 docendi: catechista mentem adulescentis excitare debet, cum eo colloquens./

89. *Actio*—Actio necessaria est progressui personalitatis adulescentis. Liberatio ab egocentrismo et subiectivismo exigit commercium cum rerum realitate, sive cum successu sive cum adversa fortuna.
Catechesis, quae favere debet personali experientiae fidei simulque ordinatae reflexioni de rebus religiosis, tunc perficitur, cum ad absolvenda christiana munera perducit. Catechesis christiana debet adulescentes educare ad fidei responsabilitates assumendas eosque gradatim idoneos reddere ad christianam professionem coram omnibus sustinendam.

90. *Adulescentes qui scholas non frequentant*—Iuvenes, numero vere ingentes, qui manuales vel professionales artes exercent, ad properatum suae personalitatis progressionem trahuntur. Haec personalitatis properata progressio modo fausto vel infausto, integro vel imperfecto evenire potest.
Necessitas inde consequitur ut peculiaris catechesis pro huiusmodi adulescentibus instituatur. Haec debebit immediata cotidianae vitae problemata considerare, iuvenes sustinere dum suum quisque laborem incipit, eosque adiuvare ut, pro sua cuiusque facultate, activitatem exerceat, collaborando cum catholicis consociationibus.
Praeterea, prout in iuvene operario permanent characteristicae et exigentiae quae adulescentium sunt propriae, catecheseos erit non tantum illuminare eius concretam activitatem, sed eum adducere ad amplectendum totum Dei consilium.

91. *Pueri et adulescentes vitae condicionibus non aptati*—Munus hoc ut secundarium vel vicarium censeri nequit. Pueri et adulescentes non aptati non exiguam civium partem constituunt. Hodiernae societatis condiciones non raro difficilem reddunt consonam iuvenum vitae progressionem atque eorum congruam societati accommodationem.
Catechesis his possibilitatem vivendi vitam fidei iuxta suum statum praebere debet. Hoc est munus eminenter evangelicum ac magni momenti testimonium, quod Ecclesia omni tempore prosecuta est.
Educatio horum iuvenum in fide valorem pastoralem habet, et quidem magni momenti etiam ex eo quod possibilitatem offert attingendi perplures familias.
Tandem, peculiaris difficultas huius muneris absolvendi ac
153 necessitas impertiendi huiusmodi iuvenibus elementa tantummodo essentialia, catechesi universae beneficium afferre possunt fruendi methodis et viis quas pro his iuvenibus investigatio paedagogica detegit et offert.

92. *Actus adultus*—Hoc Directorium Generale instanter affirmat necessitatem catecheseos adultorum has ob causas:
a) Susceptio munerum in vita sociali, responsabilitates familiares, professionales, civiles, politicae postulant ab adultis, ut peculiari idoneaque ratione suam formationem christianam perficiant ad verbi Dei normam [4]. Opus est ut concors actio promoveatur inter eos qui in catechesim adultorum incumbunt et eos qui variis apostolatus laicorum formis dant operam.
b) Aptitudines et habilitates, quae perfectionem attingunt in adulta aetate, cuiusmodi sunt experientia vitae, maturitas personalitatis etc., per verbum Dei excolendae atque illuminandae sunt.
c) Adultus, praeterea, certa aetatis momenta discriminibus plena superare debet, quae etsi minus appareant quam quae adulescentes experiuntur, non minus tamen periculosa censenda sunt aut minus profunda; istis temporibus eius fides sine intermissione illuminari, evolvi atque muniri debet.

93. *Notae dynamicae adultae aetatis - Communio et solitudo.* Cum homo ad adultam aetatem pervenit, ordinarie magis capax evadit communionem et mutuas rationes cum aliis habendi.
Huiusmodi aptitudo atque communionis necessitas exercentur intra ambitum officiorum familiarium et in relationibus vitae socialis; quae omnia interdum huius communionis instrumentum simul et impedimentum exstant.
Revera homines saepe nimis, praesertim in hodierna societate, solitudinem experiuntur.
Catechesis ostendere debet Deum, qui caritas est, auctorem revera esse communitatis fidei, Ecclesiae scilicet, ac simul desiderium accendere communionis cum quovis homine instituendae. Coniugibus commemorat intimam eorum unionem, virtute matrimonii sacramenti, mysterium unitatis et fecundi amoris inter Christum et Ecclesiam significare et participare [5]./ 154
Intra ambitum parvorum christifidelium coetum, catechesis auxilium adultis praebebit ad christianam caritatem plene vivendam; quae quidem caritas, ut signum communis cuiusdam experientiae, efficit ut alter alterum in fide adiuvet.

94. *Perfectio personalitatis*—Aetas adulta praecipue distinguitur ob conscientiam integrae adeptae personalitatis.
Homo qui feliciter superavit singulos gradus suae evolutionis quique communionem cum aliis inire et creatricem activitatem exercere potuit, cum ad adultam aetatem pervenit, tunc conatur ad unitatem redigere omnes experientias suae vitae personalis, socialis atque spiritualis. Periculum in eo positum est, quod adultus, praesertim si pertinet ad societatem industrialem, putat se consequi posse hanc unitatem per meram sui ipsius adaptationem ad societatem, in qua versatur. Iamvero perfecta adeptio personalitatis non consistit in quodam tantum exteriore aequilibrio intra vitam personalem et ambitum socialem, sed praesertim spectat ad christianam sapientiam adipiscendam.
Quare catechesis eo contendere debet, ut hominem conducat ad servandum ordinem finium, id est ad plenius percipiendam veram significationem vitae et mortis, sub luce mortis et resurrectionis Christi.

95. *De senectute*—Senectutis momentum in ministerio pastorali non adhuc satis agnoscitur.
Nostris temporibus numerus senum magis magisque augescit. Ipsi vero ab hodierna societate non raro negleguntur; idque bene animadvertendum est, ad pastoralem activitatem quod attinet.
Iamvero senes haud parva commoda communitati praestare poterunt tum operositate sua, cuius aequa aestimatio non semper habetur, tum suae experientiae testimonio.
Praeterea officium iustitiae est adiuvare ope catecheseos senes relate ad mortem, quae biologice proxima est, socialiter quadantenus iam est in actu, quia fere nihil iam expectatur ex eorum activitate.
Catechesis senes educare debet ad spem supernaturalem, vi cuius mors consideratur tamquam transitus ad veram vitam et occursus cum divino Salvatore. Senectus hoc modo fieri potest signum praesentiae Dei, immortalis vitae et futurae resurrectionis. Quod quidem testimonium eschatologicum erit, quod senes praebere poterunt per patientiam erga se ipsos et erga alios, per benevolentiam, per preces effusas ad/ laudan- 155
dum Deum, per paupertatis spiritum et fiduciam in Deo collocatam.
Procul dubio gravis esset Ecclesiae iactura, si multitudo senum baptizatorum non ostenderet suam christianam fidem clariore luce resplendere, morte appropinquante.

96. *Peculiares formae catecheseos pro adultis*—Dantur rerum adiuncta atque circumstantiae quae peculiares formas catecheseos postulant.
a) Adest catechesis initiationis christianae vel catechumenatus adultorum.
b) Adest catechesis pro iis qui peculiari modo apostolatui laicorum addicti sunt. Patet in his casibus catechesim curare debere profundius studium nuntii christiani.
c) Adest catechesis quae impertienda est occasione praecipuorum vitae eventuum, quae sunt matrimonium, filiorum baptisma, prima communio et confirmatio, periodi difficiliores in filiorum educatione, aliculus infirmitas, etc. Haec sunt momenta in quibus homines quam maxime impelluntur ad veram vitae significationem quaerendam.
d) Adest catechesis quae impertienda est occasione alicuius mutationis in vitae condicionibus, scilicet occasione ingressus in laborem, vitae militaris, migrationis, mutationis professionis vel status socialis. Hae mutationes possunt quidem bona animi augere, sed possunt etiam animos perturbare et spem eripere. Communitatis christianae munus est necessaria subsidia fraterno amore eis suppeditare. Verbum Dei, quod in his casibus quandoque promptiore animo excipitur, lux et auxilium esse debet.
e) Adest catechesis quae spectat ad christianum temporis liberi usum, necnon quae tempore itinerum recreationis causa susceptorum facienda est [6].
f) Adest catechesis quae facienda est occasione eventuum peculiarium qui vitam Ecclesiae vel societatis respiciunt.
Hae speciales formae catecheseos nullo modo imminuunt necessitatem instituendi cyclos catecheseos, in quibus opera

[LE 3345]. [2] Cfr. Decl. de apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem*, 12. [3] Cfr. Decl. de apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem*, 12. [4] Cfr. Const. Vat. I, Const. *Dei Filius*, c. IV, De Sch. 3015-1020. [5] Cfr. Decr. de apostolatu Laicorum *Apostolicam Actuositatem*, 29-32. [6] Cfr. *Eph.* 5, 32. [7] Cfr. *Directorium Generale pro ministerio pastorali quoad iturismum*.

datur systematico studio totius nuntii christiani. Haec formatio organica atque ordinata non est profecto reducenda ad
156 simplicem seriem conferentiarum atque sermonum./

97. *Munera peculiaria catecheseos pro adultis*—Catechesis pro adultis ut semper idonea evadat ad respoudendum urgentioribus necessitatibus nostri temporis debet:
a) Educare ad mutationes sociologicas atque culturales hodiernae societatis sub lumine fidei recte aestimandas. Christianus populus magis magisque animadvertit necessitatem perscrutandi quonam perducere possit hodiernus progressus societatis et discernendi sive vera bona sive pericula praesentis humanae civilitatis. Ipse exoptat ut adiuvetur in aestimandis mutationibus quae continuo fiunt et vult illuminari circa agendi modos, quos potest ac debet suos facere.
b) Explanare hodierna quaestia de rebus religiosis atque moralibus. Catechesis sua facere debet nova quaesita, quae homines huius aetatis sibi proponunt. Exempli gratia, hodie magnum momentum tribuitur quaestionibus, quae ad relationes sociales spectant. Homo desiderat novam formam imprimere societati, in qua vivit. Huiusmodi renovationis conatus, in quo manifesto patent responsabilitates atque limites hominis [8], sollicitudinem catecheseos effugere nullo modo potest.
c) Illustrare relationes, quae inter actionem temporalem et actionem ecclesialem intercedunt. Ad catechesim pertinet christianos educare ad percipiendas mutuas relationes, quae inter munera temporalia et munera ecclesialia intercedunt. Catechesis clara in luce ponere debet perfunctionem munerum temporalium utiliter influere posse in ipsam ecclesialem communitatem, cum ipsam magis consciam reddat sui finis transcendentis et suae in mundo missionis, ac perfunctionem munerum ecclesialium vertere in commodum ipsius humanae societatis [9].
d) Evolvere fundamenta rationalia fidei. Ecclesia semper tuita est rationalia fidei fundamenta contra fideismum. Catechesis magis magisque evolvere debet rectam intelligentiam fidei, qua ostendatur actum fidei et veritates credendas cum exigentiis humanae rationis conformes esse. Catechesis monstrare debet Evangelium semper actuale et pertinens esse. Promovenda est igitur actio pastoralis de doctrina et de
157 cultura christiana./

Pars VI. De actione pastorali Ministerii Verbi

98. *Actio pastoralis*—Ex iis quae exposita sunt circa actum catechisticum et materiam catecheseos, ortum habet iter actionis pastoralis, cuius summa capita in hac parte considerantur.
Huiusmodi actio postulat organa idonea in ambitu nationali a Conferentiis Episcopalibus statuenda, quae sive deliberationem, sive investigationem et executionem spectent. Generatim haec organa complectuntur: *a)* commissionem episcopalem pro catechesi, in qua operam praestant membra ex officio cooptata et peritis; *b)* organum executivum permanens (officium, centrum, etc.).
Ut actio pastoralis ministerii verbi, ope horum organorum, modo efficaci ac coordinato peragi possit, necessarium est ut: 1) apparetur relatio circa reales rerum et loci condiciones et circa ea quae possibilia sunt in his condicionibus, ad ministerium verbi quod attinet; 2) in vulgus edatur programma actionis peragendae; 3) cura ponatur in efformandis atque instruendis iis qui de hac re responsabilitatem habent; 4) recte dirigantur et apparentur apta instrumenta laboris; 5) promoveantur aptae catecheseos structurae; 6) coordinetur actio pastoralis catechetica cum ceteris pastoralis laboris campis; 7) curetur investigatio; 8) faveatur cooperationi internationali.
Indicationes et suggestiones in hac parte propositae non semper et simul adimpleri possunt in omnibus Ecclesiae partibus. In iis nationibus aut regionibus, ubi actio catechetica nondum satis progressa est, huiusmodi suggestiones et indicationes metas gradatim assequendas indicare volunt.

Caput I. Analisis situationis

99. *Finis*—Necessarium est ut, intra Conferentiae ambitum, cognitio clara habeatur situationis, in qua ministerium
158 verbi exercetur./

Haec analysis eo spectat, ut appareat quanam mensura Ecclesiae actio evangelizationis propositum sibi finem assequatur. Quare attenta consideratione investigandum est, qua ratione ministerium verbi exercitum sit et quinam effectus —quantum humana cognitione percipi possunt—obtinendi sint per catechesim vel per alias formas quibus nuntium christianum proponitur. Examini subiciendi sunt incepta Ecclesiae, quomodo recepta sint, ubi et a quibus personis, quibus fructibus, etc.

100. *Obiectum*—Obiectum huius investigationis multiplex est; complectitur enim examen actionis pastoralis et analysim situationis religiosae necnon condicionum sociologicarum, culturalium et oeconomicarum, quatenus haec facta vitae collectivae magnum influxum habere possunt in processum evangelizationis.

101. *Modi*—Quoniam agitur de opere satis arduo, necessarium est ut duo pericula vitentur, scilicet cavendum est: *a)* ne tamquam certa habeantur elementa et iudicia quae non satis explorata vel comprobata sint; *b)* ne exigatur studium tali perfectione scientifica peractum, quae attingi nequit.

n. 19, 25 [LE 3745]. [8] Cfr. Litt. Encycl. *Populorum Progressio*, *A. A. S.* 59 (1967), pp. 257-299 [LE 3546]. [9] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 40-45 [LE 3366].

Probe etiam animadvertendum est investigationes technicas, per modum quaestionum vel consultationum institutas, parum prodesse, nisi praevia habeatur diligens consideratio circa varias formas pastoralis actionis, quae eligi possint. Quod ergo pro Conferentiis Episcopalibus videtur necessarium, est situationis integra visio, quae acquiri potest consulendo peritos vere doctos in documentorum existentium perscrutatione atque conclusiones ex eadem actione pastorali iam inchoata. Ad hoc studia monographica auxilium valde utile afferre poterunt.
Ad studium situationis tota communitas christiana operam conferre debet, ut conscia fiat quaestionum et ad agendum disponatur.

102. *Effectus*—Huiusmodi investigatio non est sibimet finis, sed in lucem ponere activitates validiores et ad eas suscipiendas viam sternere debet, tum incrementum dando operibus et inceptis quorum efficacia iam com/probata sit, 159
tum alia promovendo. Agitur enim de praevisione et de praeparatione earum rerum, quae necessario agenda sunt tempore futuro.
Huiusmodi investigatio persuadere etiam debet iis, qui in ministerium verbi dant operam, situationes humanas ambivalentes esse, quod attinet ad actionem pastoralem. Quare Evangelii operarii oportet ut discant possibilitates detegere, quae suae actioni in nova ac diversa situatione panduntur. Periculum adest, ne cognitio difficultatum ad concludendum inducat actionem pastoralem impossibilem esse. E contra, persuasum sibi quisque habeat realitates culturales non esse elementa inertia, immutabilia, univoca, ita ut circa eas gratia et activitas pastoralis quasi ad impotentiam redigantur. Semper enim transformationis processus possibilis est, qui aditum ad fidem patefacere valeat.

Caput II. Programma actionis

103. *Programma actionis*—Postquam diligenter explorata est situatio, necesse est ut procedatur ad evulgandum programma actionis, ope potissimum Directorii Catechistici. Hoc programma proposita, instrumenta actionis pastoralis catecheticae et normas, quae eamdem actionem dirigunt, determinat, ita quidem ut, cum propositis et normis Ecclesiae universalis omnino consona, loci necessitatibus plene respondeant.
In programmate actionis proponendo, bene prae oculis habeantur munera quae exercere possunt instituta stricte ecclesialia, cuiusmodi sunt: paroeciae, peculiares fidelium communitates, consociationes apostolatui addictae; institutum familiae; instituta educativa, ut schola tum christiana tum neutra; ac quaelibet alia forma coetuum socialium vel culturalium.
Metae assequendae et media adhibenda habeantur veluti cardo cuiusvis programmatis actionis.

104. *Metae assequendae*—Metae assequendae in campo pastoralis actionis gradus et modos varios suscipere possunt, secundum locorum et necessitatum diversitatem. Omnes tamen spectare debent ad progressum fidei et morum apud christifideles et ad incrementum relationum, quas ipsi habent cum Deo/ et cum proximo. Ut exempla afferantur, spectare 160
debent ut adulti fidei maturitatem adipiscantur, ut christiana doctrina ad scientificos et technicos coetus perveniat, ut familia sua christiana munera exercere possit, ut praesentia christiana vim habeat in opere transformationis socialis.
Quoniam vero metae generatim multiplices sunt, expedit omnino ut opportuno tempore eaedem decernantur, et quidem secundum ordinem prioritatis propositorum, quae sunt assequenda.
Opportunum etiam est, ut metae pastorales statutae pro quadam regione, opportune comparentur cum illis, quae statutae sunt a Conferentiis Episcopalibus magis proximis ratione territorii vel culturae.

105. *Media adhibenda*—Media adhibenda in primis sunt: instituta catechistica promovenda vel sustentanda, programmata, textus [1], instrumenta laboris, instructiones circa methodos [2], etc. Ambitus investigationis circa media, practice circumscribi nequit. Attamen bene semper id est attendendum, ut media quae proponuntur semper apte respondeant finibus spiritualibus, qui assequendi sunt.

106. *Normae*—Normae, quae de catechesi tradi possunt, multiplices sunt, et variant iuxta fines consequendos. Prae ceteris peculiare momentum habent normae quae respiciunt catechesim pro fidelibus ad sacramenta praeparandis, cuiusmodi sunt: normae spectantes catechumenatum adultorum, initiationem sacramentalem puerorum, praeparationem familiarum ad baptismum infantium.
Ut huiusmodi normae efficaces evadant, expedit ut paucae ac simplices sint et criteria externa potius quam interna definiant.
Uti patet, nulla norma particularis, sine Apostolicae Sedis beneplacito, legibus generalibus Ecclesiae et praxi communi derogare potest.

107. *Distributio et Promotio responsabilitatum*—In primis opera danda est ut perspicua atque efficax munerum et responsabilitatum distributio habeatur. Magni momenti est, verbi gratia, ut illustrentur et in sua luce ponantur responsabilitates familiarum christianarum, communitatum fidelium, 161
cleri, catechistarum./ Attamen satis non est ut in virium iam existentium distributione sistatur; necessarium etiam est, ut prorsus omnium christifidelium opera ut communitas christiana in dies conscia fiat sui muneris, quod in eo positum est,

[1] Cfr. caput 5 huius partis. [2] Cfr. Partem IV.

http://www.obrascatolicas.com

ut ipsa sit signum sapientiae et dilectionis Dei, nobis in Christo manifestatae. Quam ad rem expedit ut tum tota communitas tum singuli christifideles, quantum fieri potest, tempestive semper certiores fiant de iis, quae agenda sunt, itemque omnes invitentur ad activam partem habendam in inceptis suscipiendis, in decisionibus capiendis et in iis exsequendis quae statuta sunt.

In apparandis activitatis catechisticae programmatibus, id bene recolendum est, quod varia incepta quandoque incommoda et contentiones gignere possunt. Difficultates, verbi gratia, oriri possunt e mutationibus quae habentur in loquendi modo necnon in novis sententiis circa relationem educativam et apostolicam. In his casibus, omnibus viribus vitanda sunt ea omnia, quae animos indebite conturbare possunt.

Denique necessarium est ut omnes activitates catechisticae praeditae sint opportunis subsidiis oeconomicis.

Caput III. Formatio catechistica

108. *Formatio catechistica*—Quaelibet activitas pastoralis, ad quam absolvendam praesto non sint personae vera formatione ac praeparatione praeditae, necessario in irritum cadet. Ipsa laboris instrumenta efficacia esse nequeunt, nisi adhibeantur a catechistis rite formatis. Quare congrua catechistarum formatio antecedere debet renovationem textuum et solidiorem catecheseos tradendae organizationem.

In primis necessarium est ut cura habeatur de iis formandis, qui in campo nationali activitates catechisticas absolvunt. Hoc munus proprium est Conferentiarum Episcopalium. Formatio, tamen, eorum qui in campo nationali activitatibus catechisticis praesunt, coniunctam habere debet, tamquam suum naturale complementum atque continuationem, formationem catechistarum qui in ambitu regionali ac dioecesano hanc activitatem peragunt. Hoc alterum munus pertinet ad Conferentias Episcopales regionales, ubi exsistunt, et ad singulos
162 Episcopos./

109. *Instituta superiora et scholae catechisticae*—Fovenda vel condenda sunt instituta superiora pastoralis catechisticae, hac de causa, ut catechistae praeparentur idonei ad moderandam catechesim in campo dioecesano vel intra ambitum activitatum, quibus addictae sunt Congregationes religiosae. Haec superiora instituta esse poterunt nationalia, vel etiam internationalia. Ipsa similitudinem prae se ferre debent studiorum universitatum, quod attinet ad curriculum studiorum, ad tempus assignatum cursibus peragendis et ad condiciones admissionis.

Condantur etiam scholae catechisticae intra fines singularum dioecesium vel saltem Conferentiarum regionalium, quae eo spectent, ut, per curriculum studiorum inferioris quidem gradus sed tamen efficax, personae praeparentur quorum activitas officio catechizandi pleno tempore dedicetur.

110. *Formatio permanens*—Formatio permanens complectitur modos et gradus diversos. Ea profrahatur necesse est per totum temporis spatium, quo catechistae addicti manent suis muneribus. Quare respicit tum moderatores catecheseos tum communes catechistas.

Formatio permanens demandari non potest unice officiis centralibus; sed de ea curam gerere debent etiam minores communitates christianae, hanc quoque ab causam, quod condiciones et necessitates catecheseos variare possunt pro locorum diversitate. Clerus lique omnes, ad quos pertinent responsabilitates in catechesi moderanda ac dirigenda, officium habent curandi formationem permanentem suorum in catechesi cooperatorum.

111. *Finis formationis catechisticae*—Formationis catechisticae culmen et centrum positum est in aptitudine et habilitate nuntium evangelicum communicandi. Ipsa igitur postulat formationem theologico-doctrinalem, anthropologicam et methodologicam accuratam, pro gradu scientiae attingendo. Cognitiones doctrinales tamen non sunt terminus formationis. Nam formatio est completa cum catechista idoneus evadit ad seligendam rationem aptiorem nuntii evangelici communicandi coetibus et personis, qui versantur in condicionibus semper
163 diversis et singularibus./

112. *Formatio theologico-doctrinalis, anthropologica, methodologica*—a) *Doctrina*. Per se patet necessitas adipiscendi validum patrimonium doctrinale, quod semper complecti debet adaequatam cognitionem doctrinae catholicae et gradum theologiae scientificae attingere debet apud instituta catechistica superiora. Totius hulus formationis Sacra Scriptura sit veluti anima.

Utcumque sit, doctrina tali modo possideri debet, ut catechista valeat non solum nuntium evangelicum exacte tradere, sed etiam ipsos catechizandos capaces reddere ad recipiendum idem nuntium activo modo necnon discernendi in itinere spirituali catechizandorum id quod cum fide concordat.

b) *Scientiae humanae*. Nostra aetas permagno scientiarum de homine incremento signatur et distinguitur. Eaedem iam non solum viris doctis et peritis reservantur; ipsaemet hominis moderni consecntiam, quam de se ipso habet, penetrant. Eaedem afficiunt relationes sociales atque veluti texturam culturalem hodiernae humanitatis etiam mediocriter excultae efformant.

Magisterium scientiarum humanarum gignit arduas quaestiones quoad earum selectionem et methodum eas docendi, cum amplissimus sit numerus et diversitas harum disciplinarum. Quoniam agitur de instruendis non viris peritis in psychologia, sed catechistis, norma sequenda haec est, ut secernatur et deligatur id quod directe eos iuvare potest ad sibi comparandam communicandi capacitatem.

c) *Formatio methodologica*. Suapte natura methodologia nihil aliud est nisi attenta consideratio mediorum, quae experientia comprobata sunt. Quare maius momentum tribuendum est exercitiis practicis quam institutioni theoricae paedagogiae. Nihilominus institutio theorica necessaria est ad iuvandum catechistam, ut ipse variis situationibus apte obveniat, ad vitandam formam empiricam tradendi catechesim, ad percipiendas mutationes quae habentur in relationibus educativis, ad recte dirigendum futurum laborem.

Bene animadvertendum est, quod attinet ad formationem catechistarum communium (qui nempe prima catecheseos elementa tradunt), supra memoratas cognitiones melius acquiri posse, si tradantur eodem tempore quo labor absolvitur (v.g. tempore sessionum, in quibus parantur et ad trutinam
164 revocantur lectiones catecheseos)./

113. *Modus artem catechetícam discendi*—Requiritur talis catechistae praeparatio ut bene interpretari queat reactiones alicuius coetus vel personae, ut valeat eorum capacitates spirituales discernere et modum eligere, quo nuntius evangelicus fructuose et efficaciter recipi possit. Quam ad rem plures dari possunt methodi: exercitia practica, labores absolvendi in communi, analysis casuum, etc. Cardo totius quaestionis in eo est, ut bene perpendatur et percipiatur capacitas communicativa nuntii christiani. Catechesis, quae est praxis Ecclesiae, non addiscitur modo mere theorico. Ex experientia, e magistrorum peritorum ductu, ex ipso muneris exercitio acquiritur ars catechesis impertiendae, ad quam efformandam simul conferunt aptitudo ad apostolatum, cognitio fidei, hominum et legum quae dirigunt progressus sive singulorum hominum sive communitatum.

114. *Vita spiritualis catechistarum*—Munus catechistae concreditum ab eo postulat intensam vitam sacramentalem et spiritualem, orationis consuetudinem, sensum profundum praestantiae nuntii christiani eiusque efficaciae ad vitam transformandam, ac studium caritatis, humilitatis et prudentiae, quae sinant ut Spiritus Sanctus in catechizandis fecundam suam operam perficiat.

115. *Formatio catechistarum*—Necessprium est ut auctoritates ecclesiasticae aestiment formationem entechistarum tamquam munus maximi momenti.

Haec formatio dirigitur ad omnes catechistas [8], tum laicos tum religiosos, et etiam ad parentes christianos, qui exinde validum auxilium sumere possunt ad peragendam catechesim initialem et occasionalem, quae ad ipsos pertinet. Dirigitur diaconis et, peculiari modo, presbyteris. Ii, enim, vi sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis [9] ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti [10]. Revera in singulis paroeciis verbi Dei praedicatio maxime committitur coetui sacerdotum, qui tenentur thesauros sacrae scripturae christifidelibus aperire atque, per anni litur/gici cursum, fidei mysteria et nor-
165 mas vitae christianae homiliis exponere [11]. Quare magni momenti est ut accurata praeparatio catechetica in seminariis et scholasticatibus alumnis impertiatur, eademque postea praefata formatione permanenti [12] perficiatur.

Denique dirigitur ad religionis magistros in scholis publicis, quae tum ad Ecclesiam tum ad Rempublicam pertinent. Ad obeundum tam gravis momenti munus seligendi ii tantummodo sunt, qui ingenio, doctrina et spirituali vita praestent [13].

Valde optandum est ut in hac formationis provincia vera cooperatio habeatur inter varias activitates apostolicas et catechesim, quippe quae, etsi sub aspectu diverso, commune absolvunt munus nuntium christianum communicandi.

Caput IV. Instrumenta laboris

116. *Instrumenta laboris*—Inter praecipua catecheseos instrumenta haec recensentur: —directoria Conferentiarum Episcopalium; —programmata; —catechismi; —textus didactici; —media audiovisiva.

117. *Directoria Catechistica*—Directoria eo spectant ut promoveatur et coordinetur actio catechistica in territorio alicuius regionis vel nationis, vel etiam plurium nationum quae ad eamdem aream socio-culturalem pertinent. Antequam promulgentur, audiantur singuli locorum Ordinarii eaque approbationi Sedis Apostolicae subiciantur [14].

118. *Programmata*—Programmata statuunt iuxta aetates vel loca vel tempora determinata fines educativos attingendos, criteria methodologica adhibenda et materiam in catechesi tradendam. Curandum omnino est ut mysteria / fidei, a fide-
166 puerorum et adulescentium modo eorum aetati adaptato iam indicentur [15].

119. *Catechismi*—Summum momentum tribuendum est catechismis ab auctoritate ecclesiastica publicatis. Eorum finis est praebere per compendium et modo practico documenta revelationis traditionisque christianae et elementa quae inservire debent ad actuositatem catechistiaestimatione habeantur documenta traditionis et maxima diligentia cavendum est ne proponantur tamquam doctrina fidei peculiares interpretationes, quae nonnisi opiniones pri-

[8] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 17, 26 [LE 3364]. [9] Cfr. *Hb.* 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28. [10] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 28 [LE 3232]. [11] Cfr. Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 51, 52 [LE 3141]. [12] Cfr. n. 110. [13] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo hnius tempora *Gaudium et spes*, 5 [LE 3366]. [14] Cfr. n. 134. [15] Cfr. n. 134.

vatae vel sententiae alicuius scholae theologicae sunt. Ecclesiae doctrina fideliter referenda est. Hoc in loco applicandae sunt normae expositae in capite I tertiae partis.

Attentis gravibus redactionis difficultatibus necnon peculiari horum documentorum momento, summe expedit ut: *a)* adhibeatur socia opera plurium in re tum catechetica tum etiam theologica peritorum; *b)* consulantur viri periti in aliis disciplinis tum religiosis tum humanis necnon ceterae pastorales organizationes; *c)* singuli locorum Ordinarii consulantur et de eorum sententiis ratio attente habeatur; *d)* experimenta particularia praecedant definitivam publicationem; *e)* certo temporis spatio transacto, hi libri debite recognoscantur.

Hi catechismi, antequam promulgentur, examini et approbationi Sedis Apostolicae subiciendi sunt [16].

120. *Textus didactici*—Textus didactici sunt subsidia oblata communitati christianae, quae in catechesim incumbit. Nullus textus substituere potest vivam nuntii christiani communicationem. Nihilominus textus magnum momentum habent, quia inserviunt ad diffusiorem explicationem documentorum traditionis christianae et elementorum quae favent catecheticae actuositati. Pro redactione quoque horum textuum requiritur ut adhibeatur socia opera plurium in re
167 catechetica peritorum atque consulantur alii viri periti./

121. *Libri ad usum catechistarum*—Hi libri complecti debent: —explanationem nuntii salutis (iugis relatio fieri debet ad fontes, et bene distinguendum est inter ea quae ad fidem et ad doctrinam tenendam pertinent et ea quae sunt merae opiniones theologorum); —consilia psychologica et paedagogica; —suggestiones ad methodum spectantes.

Praevideantur etiam libri seu scripta pro exercenda inquisitione et activitate catechizandorum. Haec scripta poterunt inseri in ipsis libris ad usum catechizandorum vel evulgari ut libelli distincti.

Cura denique habeatur ut libri in usum parentum edantur, i agitur de catechesi pueris impertienda.

122. *Media audiovisiva*—Media audiovisiva adhibentur praesertim: *a)* ut documenta ad institutionem catechisticam elementis obiectivis ditandam; hoc in casu excellere debent veracitate, diligenti notitiarum selectione et perspicuitate didactica; *b)* ut imagines ad sensibilitatem et imaginationem recte educandas; hoc in casu prae se ferre debent notas pulchritudinis et efficaciae in animis commovendis.

Haec sunt munera necessaria quoad haec media: —promovere studia circa criteria quae dirigere debent creationem et selectionem horum mediorum, congruenter ad peculiares aspectus nuntii christiani qui proponendi sunt et ad peculiares coetus hominum quibus destinantur; — instruere catechistas ad rectum usum horum mediorum (saepe enim contingit ut catechistae nesciant naturam propriam locutionis per imagines; multo saepius fit etiam ut media audiovisiva male adhibita perducant ad se gerendum non active sed passive; etc.).

123. «*Mass media*»—«Mass media» quae dicuntur, inter alia id efficiunt, ut notas realitatis et actualitatis tribuant factis, institutis et ideis, de quibus loquuntur, et, e contra, imminuant in communi aestimatione momentum earum rerum, de quibus tacent.

Nuntius ergo salutis locum habere debet inter media com-
168 municationis socialis. [17] Quare satis non est ut perficiantur media, quibus Ecclesia / iam gaudet in hoc campo, sed necessarium etiam est ut promoveatur cooperatio inter productores, scriptores et scaenicos artifices qui in hunc finem operam praestant. Huiusmodi cooperatio postulat ut in ambitu nationali et internationali instituantur coetus virorum peritorum, qui veram utilitatem afferre possint, si consulantur circa programmata activitatum, quae religionem respiciant.

Item munus catecheseos est educare christifideles ad discernendam naturam atque valorem earum rerum, quae per «mass media» proponuntur. Hoc tamen, uti patet, requirit praeviam cognitionem technicam locutionis propriae horum mediorum.

124. «*Instructio iuxta programmata*»—In ambitu mediorum audiovisivorum, quae catechesis adhibere potest ac debet ut suum finem melius consequi possit, neglegenda non est illa nova ac hodie magis magisque invalescens methodus, quam in rei didacticae campo «instructionem iuxta programmata» («Istruzione programmata») appellant.

Hac in re, tamen, debita ratione habita difficultatum quae oriuntur tum ex veritatibus docendis tum ex fine ipsius catecheseos, caveantur extemporales explicationes; sed tum in apparandis programmatibus tum etiam in veritatibus ope imaginum exprimendis, coniuncta advocetur opera hominum peritorum in sacra theologia, in catechesi, in arte didactica audiovisiva.

Caput V. Catecheseos organizatio

125. *Catecheseos organizatio*—Intra ambitum cuiusvis Conferentiae Episcopalis, organizatio catecheseos potissimum complectitur structuras dioecesanas, regionales, nationales.

Fines praecipui harum structurarum sunt: *a)* promovere activitates catechisticas; *b)* cooperari cum ceteris inceptis et operibus apostolicis (v.g. cum commissione liturgica, consolationibus apostolatus laicorum, commissione oecumenica,
169 etc.), quia hae omnes activitates Ecclesiae partem habent, etsi modo diverso, in ministerio verbi./

126. *Structurae dioecesanae*—Decreto *Provido sane* [18] statutum est Officium Catechisticum dioecesanum, cuius munus est totam organizationem catechisticam moderari. Huiusmodi Officium dioecesanum complecti debet coetum personarum, quae specifica competentia praeditae sint. Amplitudo et diversitas quaestionum, de quibus est agendum, postulant ut responsabilitates distribuantur inter plures, qui vere sint periti.

Officium dioecesanum promovere quoque debet ac dirigere laborem earum organizationum (uti sunt centrum catechisticum paroeciale, confraternitas doctrinae christianae, etc.), quae sunt veluti cellulae fundamentales actionis catechisticae.

Centra permanentia ad catechistas formandos condenda sunt a communitatibus localibus. Hoc modo manifeste patet apud populum christianum opus evangelizationis et actionem docendi nuntium salutis ad omnes pertinere.

Officium Catechisticum igitur, quod ad Curiam dioecesanam pertinet, est instrumentum quo Episcopus, caput communitatis et magister doctrinae, utitur ad universas activitates catechisticas dioeceseos dirigendas ac moderandas.

Nulla dioecesis proprio Officio Catechistico carere potest.

127. *Structurae regionales*—Expedit ut variae dioeceses propriam actionem coniungant, in communem utilitatem conferentes experimenta et incepta, officia et subsidia; ut dioeceses melius instructae auxilium afferant ceteris et ut programma communis actionis apparetur quod universam regionem attingat.

128. *Structurae nationales*—Necessarium omnino est ut Conferentia Episcopalis, ac magis directe Commissio Episcopalis pro catechesi, organo quodam permanenti instruatur.

Hoc Officium vel Centrum Catechisticum Nationale sibi duplex munus proponit: — inservire necessitatibus catechisticis quae ad totam Nationem pertinent. Huc spectant scripta typis edita quae momentum habeant in tota Natione, congressus nationales, relationes cum «mass media»,/ et ge- 170
neratim ea omnia opera et incepta quae facultates singularum dioecesium vel regionum excedunt; — inservire dioecesibus et regionibus ut evulgentur notitiae et incepta catechistica, actio coordinetur et auxilium afferatur dioecesibus minus in re catechetica maturis.

Praeterea pertinet ad Officium vel Centrum Nationale etiam coordinare propriam actionem cum actione ceterorum institutorum pastoralium nationalium, itemque cooperari cum universo motu catechistico internationali.

Caput VI. Coordinatio actionis pastoralis catechisticae cum universa actione pastorali

129. *Catechesis et actio pastoralis*—Cum quilibet actus, qui momentum habeat in Ecclesia, ministerium verbi participet, et cum catechesis semper relationem habeat cum universa vita ecclesiali, hinc sequitur actionem catechisticam necessario coordinationem postulare cum generali actione pastorali. Finis huius cooperationis in eo positus est, ut communitas christiana congrua ordinataque ratione crescat atque evolvatur, quippe quae, etsi variis specificis muneribus distinguatur, nihilominus ad unicam fundamentalem metam contendit.

Necessarium igitur est, ut catechesis cum ceteris activitatibus pastoralibus consocietur [19], hoc est cum motu biblico, liturgico, oecumenico, cum apostolatu laicorum, cum actione sociali, etc. Praeterea prae oculis habendum est hanc cooperationem necessariam esse inde ab initio, hoc est inde a tempore, quo studia et rationes organizationis laboris pastoralis inchoantur.

130. *Catechumenatus adultorum*—Catechumenatus adultorum, qui simul est catechesis, participatio liturgica et vita communitaria, praeclarum exhibet exemplum talis instituti, quod gignitur e cooperatione diversorum munerum pastoralium. Eius finis enim est dirigere iter spirituale hominum, qui ad baptismatis receptionem sese praeparant, eorum mentis habitus et morum mutationem moderari. Est schola praepa-
171 ratoria vitae christia/nae, introductio ad vitam religiosam, liturgicam, caritativam et apostolicam populi Dei [20]. Universa communitas christiana per patrinos, qui eius vicem gerunt, non autem solum sacerdotes vel catechistae, in hoc opus incumbit.

Caput VII. Necessitas promovendi investigationem scientificam

131. *Investigatio scientifica*—Attenta celeri evolutione culturae hodiernae, motus catechisticus, investigatione scientifica destitutus, progredi nullo modo poterit.

Quare necessarium est ut organa nationalia Conferentiarum Episcopalium investigationes consociatas promoveant. Opus scilicet est ut decernatur programma quaestionum investigandarum; ut cognitio habeatur quaestionum, quarum studium iam in cursu est, et opportunae ineantur rationes cum viris peritis qui in eas incumbunt; ut studium instituatur quaestionum nondum investigatarum, collatis hanc ad rem necessariis subsidiis oeconomicis.

Occurrere possunt argumenta investigationum, quorum momentum universale est: v. g. relationes quae intercedunt catechesim inter et exegesim hodiernam, catechesim et an-

[16] Cfr. n. 134. [17] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 3 [LE 3143].

[18] Cfr. *A. A. S.* 27 (1935), pp. 151 ss. [LE 1254]. [19] Cfr. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, 17 [LE 3457]. [20] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 13-14 [LE 3364]; Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 65 [LE 3141]; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia

http://www.obrascatolicas.com

ethropologiam, catechesim et «mass media», etc. Natura atque difficultates harum investigationum saepe cooperationem internationalem suadent.

Caput VIII. Cooperatio internationalis et relationes cum Sede apostolica

132. *Cooperatio internationalis*—Collegium Apostolicum modo solidali munere suo fungitur [14]. Pluries in hac Directorii parte considerata sunt consectaria, quae orta ex hac solidarietate catechesim attingunt (v.g.: caput II: comparatio metarum pastoralium inter nationes magis proximas; caput III: erectio institutorum superiorum; caput IV: elaboratio instrumentorum communium laboris; caput VII: inquisitio scien-
172 tifica)./

Cooperatio internationalis requiritur etiam in iis quae pertinent ad ministerium verbi directum ad emigrantes.

Munus absolvendum duplex est. Ex una parte necessarium est ut migrantibus verbum Dei praebeatur. Cum diversa sint lingua, cultura, consuetudines, id postulat mutuum commercium sive notitiarum sive personarum inter ecclesias nationum unde migrantes proveniunt et ecclesias nationum quae eos excipiunt. Ex altera parte necessarium est ut ministerium verbi valeat reddere christianos nationum, quae hospitium dant, conscios problematum quibus migrantes premuntur, et promptos ad eos fraterno amore excipiendos.

Cooperatio internationalis requiritur etiam pro catechesi «turistarum». Constat enim «turismum», quem vocant, magis magisque inter omnes nationes propagari [15].

Cooperatio internationalis observantiam ostendere debet erga munera et condiciones ecclesiarum localium. Quare nationes quae magis progressae sunt quoad personas, bona oeconomica et investigationem scientificam, auxilium afferant ceteris nationibus minus progressis, neque exigant ut suae cogitandi agendique rationes suaeque methodi adhibeantur.

133. *Sancta Sedes*—Sicut Petrus constitutus est caput Collegii Apostolorum et fundamentum super quod aedificatur Ecclesia, ita Successor Petri, Romanus nempe Pontifex [16], est caput visibile Collegii Episcoporum totiusque populi Dei. Ipse suum universale munus docendi atque regendi adimplet ut Vicarius Christi et totius Ecclesiae Pastor [18] semper ad utilitatem spiritualemque progressionem populi Dei. Potest autem hoc suum munus secundum necessitates Ecclesiae libere adimplere, sive modo personali, sive modo proprie collegiali, una scilicet cum Ecclesiae universae Episcopis. Modum autem personalem exercet vel propriis actis vel per acta ministerialia, in primis Dicasteriorum suae Romanae Curiae.

134. *Sacra Congregatio pro Clericis*—Responsabilitas centralis catecheseos territoriorum iuris sic dicti communis Sacrae Congregationi pro Clericis (Officio Secundo) commissa est. Ipsa munere fungitur adlaborandi, coordinandi et moderandi in iis fovendis quae spectant praedicationem verbi Dei et
173 apostolatus/ opera; notitias evulgandi collaborationemque inter varias nationes, prout fieri potest, promovendi.

Operam impendit in incrementum et moderamen officiorum quae catechesi praeficiuntur.

Recognoscit et approbat directoria de catechesi, catechismos atque programmata praedicationis verbi Dei a Conferentiis Episcoporum confecta. Congressus catechisticos nationales fovet vel internationales probat aut cogit [20].

Addendum. De primo accessu ad Sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae

Inter alia catecheseos munera praeparatio puerorum ad sacramenta paenitentiae et Eucharistiae magnum momentum habet. Ad rem quod attinet opportunum retinetur quaedam principia in memoriam revocare et quaedam animadvertere de quibusdam experientiis, quae in aliquibus Ecclesiae regionibus aut locis novissimis his temporibus peractae sunt.

1. *De aetate discretionis*—Aetas apta ad horum sacramentorum receptionis initium faciendum, censetur aetas quae in Ecclesiae documentis appellatur rationis seu discretionis. Haec aetas «tum ad confessionem tum ad communionem ea est in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis» [1]. Laudabile est hanc aetatem, quae per gradus se evolvit, quae variis condicionibus submittitur et quae in singulis pueris propriam indolem praebet, investigationibus psychologiae pastoralis scrutari atque describere. Caveatur tamen ne tempus in quo praeceptum confessionis et communionis per se obligare incipit extra praedictos limites, ceterum non rigidos, extendatur.

2. *De conscientiae moralis puerorum formatione et incremento*—In puero, dum pedetentim ratiocinandi capacitas evolvitur, etiam conscientia moralis excolitur, id est facultas actiones suas relate ad normam moralem diiudicandi. Ad hanc

Christus Dominus, 14 [LE 3332]. [15] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22-23 [LE 3232]; Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 38; Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 2, 4. [17] Cfr. *Directorium Generale pro ministerio pastorali quoad turismum* [LE 3745], passim. [18] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22 [LE 3232]. [19] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22.
[20] Cfr. Const. Apost. *Regimini Ecclesiae universae*, 69 [LE 3457]; Litteras Secretariae Status diei 20 augusti 1969, n. 143741.
[1] Decr. *Quam singulari*, 1, *A. A. S.* 2 (1910), p. 582.

conscientiam moralem pueri/ efformandam varia concurrunt 174
elementa et adiuncta: familia eiusque indoles et disciplina, quae in primis vitae pueri annis inter alias educationis causas eminet; cum aliis consuetudo necnon opera et testimonium communitatis ecclesialis. Catechesis, vero, munus suum institutionis et efformationis fidei christianae exsequens, haec varia educationis elementa ordinat, eisque favet et coniunctim cum eis agit. Hoc tantum modo ipsa poterit iter pueri ad coelestem Patrem opportune dirigere atque deflectiones aut non rectas orientationes vitae, quae evenire poterunt, corrigere. Absque dubio hac aetate pueris loquendum est modo quantum fieri potest simplici: de Deo ut Domino et Patre nostro, de Eius erga nos amore, de Iesu, Filio Dei, qui pro nobis factus est homo, mortuus est et resurrexit. Dilectionem Dei considerans, puer poterit gradatim percipere malitiam peccati, quod semper Deum Patrem Iesumque offendit, quodque adversatur caritati qua proximum et nosmetipsos diligere debemus.

3. *De momento sacramenti paenitentiae pueris explicando*—Puer, qui incipit Deum peccato offendere, incipit quoque affici desiderio veniae assequendae non tantum a parentibus aut propinquis sed etiam a Deo. Catechesis illum adiuvet in hoc eius desiderio salubriter colendo eique inculcet sanctam aversionem a peccato necnon necessitatem emendationis et potissimum amoris in Deum. Peculiare munus catecheseos, ad hoc quod attinet, in eo est ut idoneo modo explicet confessionem sacramentalem esse medium veniae suscipiendae Ecclesiae filiis oblatum, immo per se et necessarium, cum quis in grave peccatum inciderit. Profecto parentes christiani et educatores religiosi ita puerum instituant oportet, ut in primis satagat progredi in intimiorem Domini Iesu dilectionem et genuinum proximi amorem. Doctrina de sacramento paenitentiae proponenda est in amplo ambitu purificationis et profectus spiritualis conquirendi cum magna fiducia in Dei amore et misericordia. Hoc modo pueri non solum paulatim exquisitum conscientiae sensum acquirere possunt, sed nec animum demittunt, cum in quid minus rectum inciderint.

Eucharistia est apex et centrum totius vitae christianae. Ad communionem recipiendam, praeterquam quod status gratiae requiritur, magna animae puritas plane convenit. Sedulo tamen cavendum est ne pueris videatur necessariam esse confessionem ante susceptionem Eucharistiae, etiam cum quis, Deum sincere diligens, a via divinorum mandatorum
non graviter discessit./ 175

4. *De quibusdam novis experientiis*—Novissimis his temporibus in quibusdam Ecclesiae regionibus, ad primum accessum ad sacramenta paenitentiae et Eucharistiae quod attinet, experimenta facta sunt, quae tamen dubium et perplexitatem movent.

Ad apte anticipandam puerorum communionem, ad vitandas futurae vitae christianae psychologicas perturbationes quae ex festinato confessionis usu provenire possunt, ad fovendam denique meliorem educationem spiritus paenitentiae necnon validiorem praeparationem catecheticam ad ipsam confessionem, visum est nonnullis pueros admittendos esse ad primam communionem absque praevia susceptione sacramenti paenitentiae.

Verumtamen accessus ad sacramentum paenitentiae inde ab initiis aetatis discretionis, dummodo, ut par est, benignam prudentemque praeparationem catecheticam sequatur, per se animos puerorum non laedit. Spiritus autem paenitentiae, institutione catechetica etiam post primam communionem protracta, amplius evolvi poterit; ac pari modo crescere poterit cognitio et aestimatio magni doni quod Christus hominibus peccatoribus sacramento veniae ab ipsis accipiendae reconciliationisque cum Ecclesia largitus est [1].

Haec non impediverunt quin in quibusdam locis introducta sit praxis qua aliquot anni de more intercedant inter primam communionem et primam confessionem. In aliis vero locis innovatione cautiores factae sunt, sive quia prima confessio non adeo procrastinata est, sive quia ratio habetur iudicii parentum qui malunt ut pueri ante primam communionem ad sacramentum paenitentiae accedant.

5. *Praxis communis vigens magni facienda*—Summus Pontifex Pius X declaravit: «Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda» [2]. Vix autem consuli potest iuri quod pueri baptizati habent peccata sua confitendi, si ineunte aetate discretionis ad sacramentum paenitentiae non praeparantur suaviterque adducuntur.

Prae oculis etiam habenda est utilitas confessionis, quae virtutem suam retinet, etiam cum circa peccata tantum venialia versatur et quae gratiae et caritatis augmentum confert, bonas pueri dispositiones/ ad Eucharistiam accipien- 176
dam auget et ad christianam vitam perficiendam iuvat. Videtur proinde utilitatem confessionis excipi non posse nomine illarum formarum paenitentialium aut ministerii verbi, quibus apte virtus paenitentiae in pueris excolitur, quae tamen fructuose peragi possunt una cum paenitentiae sacramento, apta catechesi praeparato. Experientia pastoralis Ecclesiae, quae compluribus testimoniis etiam hodiernis illustratur, eam docet quantopere aetas, quae discretionis dicitur, idonea sit ad efficiendum ut gratia baptismalis puerorum ope receptionis bene praeparatae sacramentorum paenitentiae et Eucharistiae primos fructus, postea utique cum auxilio prolatae catecheseos augendos, edat.

Omnibus perpensis, prae oculis habita praxi communi et generali quae per se derogari nequit sine Sedis Apostolicae

[1] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 11 [LE 3232]. [2] Decr. *Quam singulari*, VII, *A.A.S.* 2 (1910), p. 583.

beneplacito, auditis Conferentiis episcopalibus, eadem Sancta Sedes expedire iudicat ut vigens in Ecclesia consuetudo praemittendi confessionem primae communioni servetur; quod minime impedit quin variis modis haec consuetudo perficiatur verbi gratia ope celebrationis paenitentialis communis quae praecedat aut sequatur accessum ad sacramentum paenitentiae.

Peculiares diversarum regionum rationes et adiuncta, Sancta Sedes non negligit, sed hortatur Episcopos ut in hoc non levi negotio ab usu vigenti non discedant, nisi sermone prius cum ipsa inito in spiritu hierarchicae communionis. Neque ipsi ullo modo sinant ut parochi aut educatores aut religiosa instituta usum vigentem derelinquere incipiant aut pergant.

In regionibus autem ubi novae praxes iam introductae sunt quae a pristina notabiliter discedunt, Conferentiae episcopales ista experimenta novo examini subicere velint; quod si deinde eadem longius protrahere cupiant, id ne faciant, nisi sermone cum Sede Apostolica prius habito atque cum eadem Sede, quae eas libenter audiet, animo uno.

Hoc Directorium Generale una cum Addendo Summus Pontifex Paulus Papa VI, Litteris suae Secretariae Status n. 177335 *diei 18 Martii* 1971, *approbavit et auctoritate sua confirmavit et publici iuris fieri iussit.*

Romae, die 11 aprilis 1971, in Resurrectione Domini.—Ioannes I. Card. Wright, *Praefectus*. Petrus Palazzini, *a Secretis*.

3966

1971 APR 11.-SC CULTUS, DECRETUM. AAS 63 (1971) 712

Latina editio libri Liturgiae Horarum iuxta ritum Romanum evulgatur et typica declaratur

Horarum Liturgia, quam ex antiqua consuetudine diei decursu celebrare consuevit, Ecclesia praeceptum Domini adimplet de oratione numquam intermittenda, simulque laudes Deo Patri persolvit et pro mundi salute interpellat.

Quapropter Concilium Vaticanum II, traditam Ecclesiae disciplinam plurimi faciens, eandemque renovare cupiens, sollicite curavit, ut huius precationis apta fieret instauratio, quo melius ac perfectius sive a sacerdotibus sive ab aliis Ecclesiae membris in hodiernis rerum adiunctis peragi posset (cfr. Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 84) [LE 3141].

Opere nunc instaurationis ad exitum perducto et a Paulo Pp. VI approbato per Constitutionem Apostolicam *Laudis canticum*, die 1 novembris 1970 signatam [LE 3914], Sacra haec Congregatio pro Cultu Divino librum, lingua Latina exaratum ad celebrandam Liturgiam Horarum iuxta ritum Romanum, evulgandum curavit, eiusque editionem, quae nunc exhibetur, typicam esse declarat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 11 aprilis anni 1971, dominica Paschae in Resurrectione Domini.—Arturus Card. Tabera, *Praef.* H. Bugnini, *a Secretis*.

Adn. vide sub die 1971 Apr. 11: LE 3967.

3967

1971 APR 11.-SC CULTUS DIVINI, DECRETUM. PART.*

INSTITUTIO GENERALIS DE LITURGIA HORARUM

Caput I

De Liturgiae Horarum seu Officii Divini momento in vita Ecclesiae

1. Publica et communis oratio populi Dei inter munera Ecclesiae primaria merito habetur. Inde ab initio qui baptizati sunt «erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communione, fractione panis et orationibus» (*Act* 2, 42). Pluries autem Actus Apostolorum testantur communitatem christianam unanimiter oravisse [1].

Singulos quoque fideles certis horis in orationem incubuisse Ecclesiae primaevae testimonia docent. In variis deinde regionibus consuetudo mox invaluit peculiaria tempora communi precationi destinandi, veluti postremam diei horam, cum advesperascit ac lucerna accenditur, vel primam, cum nox sub diurni sideris ortum vergit ad finem.

Decurrente autem tempore, precatione communi sanctificabantur ceterae quoque Horae, quas Patres in Actibus Apostolorum adumbratas legebant. Ibidem enim discipuli perhibentur hora tertia congregati [2]. Apostolorum Princeps «ascendit in superiora ut oraret circa horam sextam» (10, 9); «Petrus ... et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis

[1] Cf. *Act.* 1, 14; 4, 24; 12, 5, 12; cfr. *Eph.* 5, 19-21. [2] cf. *Act.* 2, 1-15.

nonam» (3, 1); «media ... nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum» (16, 25).

2. Huiusmodi orationes in communi peractae paulatim ad modum definiti Horarum cursus instruebantur. Haec Liturgia Horarum seu Officium divinum, lectionibus quoque ditata, est praecipue oratio laudis et deprecationis, et quidem oratio Ecclesiae cum Christo et ad Christum.

I. De oratione Christi

Christus exorator Patris

3. Cum venit ad Dei vitam hominibus impertiendam, Verbum quod a Patre procedit ut splendor gloriae eius, «summus Novi atque Aeterni Testamenti sacerdos, Christus Iesus, humanam naturam assumens, terrestri huic exsilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur» [3]. Exinde in corde Christi laus Dei resonat verbis humanis adorationis, propitiationis et intercessionis: quae omnia novae humanitatis princeps et Mediator Dei et hominum nomine et in bonum omnium Patri exhibet.

4. Ipse autem Filius Dei, «qui cum Patre suo unum» est (cf. *Io.* 10, 30) et ingrediens mundum dixit: «Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam» (*Hebr.* 10, 9; cf. *Io.* 6, 38), orationis suae dignatus est etiam documenta concedere. Saepissime enim eum orantem referunt Evangelia: cum eius missio a Patre revelatur [4], antequam Apostolos vocet [5], cum Deum in panis multiplicatione benedicit [6], cum transfiguratur in monte [7], cum surdum mutumque sanat [8] et Lazarum resuscitat [9], antequam a Petro confessionem postulet [10], cum discipulos docet orare [11], cum discipuli a missione revertuntur [12], cum parvulos benedicit [13] et pro Petro rogat [14].

Cotidiana eius navitas arcte cum oratione nectebatur, quin etiam ex ea quasi fluebat, cum ipse in desertum vel in montem secedebat ut oraret [15], diluculo valde surgens [16] aut sero usque ad quartam vigiliam noctis [17] pernoctans in oratione Dei [18].

Ipse quoque, ut merito creditur, partem habuit in precibus tum iis, quae publice fundebantur et in synagogis, quas intravit die sabbati «secundum consuetudinem suam» [19], et in templo quod domum orationis appellavit [20], tum iis, quae privatim a piis Israelitis de more cotidie recitabantur. Proferebat etiam traditas benedictiones Dei in cenis, ut expresse narratur in multiplicatione panis [21], in Cena sua novissima [22], in cena Emmaus [23]; similiter cum discipulis hymnum dixit [24].

Usque ad extremum vitae, appropinquante iam Passione [25], in novissima Cena [26], in agonia [27] et in cruce [28] orationem divinus Magister ostendit id esse quod ministerium suum messianicum et paschalem exitum animaret. Ipse enim «in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia» (*Hebr.* 5, 7), et perfecta oblatione in ara crucis «consummavit in sempiternum sanctificatos» (*Hebr.* 10, 14); suscitatus denique a mortuis, semper vivit et orat pro nobis [29].

II. De oratione Ecclesiae

Praeceptum orationis

5. Iesus, quod ipse fecit, nobis quoque facere praecepit. «Orate» enim saepe dixit, «rogate», «petite» [30], «in nomine meo» [31] formam etiam precandi tradidit in oratione quae dominica dicitur [32], et orationem monuit esse necessariam [33], et quidem humilem [34], vigilantem [35], perseverantem et in bonitate Patris confidentem [36], intentione puram et Dei naturae consentaneam [37].

Apostoli vero, qui in Epistolis passim orationes, praesertim laudis et gratiarum actionis, nobis tradunt, et ipsi nos monent de orationis in Spiritu Sancto [38], per Christum [39] Deo oblatae [40], instantia et assiduitate [41] deque eius efficaci vi ad sanctificationem [42] necnon de oratione laudis [43], gratiarum actionis [44], petitionis [45] et pro omnibus intercessionis [46].

Orationem Christi Ecclesia continuat

6. Cum homo totus a Deo sit, hanc Creatoris sui dominationem agnoscere et fateri debet, quod pii homines omnium temporum orando revera fecerunt.

Oratio vero, quae ad Deum dirigitur, conectatur oportet cum Christo omnium hominum Domino, unico Mediatore [47], per quem solum habemus accessum ad Deum [48]. Ipse enim ita universam hominum communitatem sibi coagmentat [49]

[3] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 83 [LE 3141]. [4] *Lc.* 3, 21-22. [5] *Lc.* 6, 12. [6] *Mt.* 14, 19; 15, 36; *Mc.* 6, 41; 8, 7; *Lc.* 9, 16; *Io.* 6, 11. [7] *Lc.* 9, 28-29. [8] *Mc.* 7, 34. [9] *Io.* 11, 41 ss. [10] *Lc.* 9, 18. [11] *Lc.* 11, 1. [12] *Mt.* 11, 25 ss.; *Lc.* 10, 21 ss. [13] *Mt.* 19, 13. [14] *Lc.* 22, 32. [15] *Mc.* 1, 35. [16] *Mc.* 1, 35; 6, 46; *Lc.* 5, 16 cf. *Mt.* 4, 1 par.; *Mt.* 14, 23. [17] *Mt.* 14, 23. 25; *Mc.* 6, 46. 48. [18] *Lc.* 6, 12. [19] *Lc.* 4, 16. [20] *Mt.* 21, 13 par. [21] *Mt.* 14, 19 par.; *Mt.* 15, 36 par. [22] *Mt.* 26, 26 par. [23] *Lc.* 24, 30. [24] *Mt.* 26, 30 par. [25] *Io.* 12, 27 s. [26] *Io.* 17, 1-26. [27] *Mt.* 26, 36-44 par. [28] *Lc.* 23, 34. 46; *Mt.* 27, 46; *Mc.* 15, 34. [29] Cf. *Hebr.* 7, 25. [30] *Mt.* 5, 44; 7, 7; 26, 41; *Mc.* 13, 33; 14, 38; *Lc.* 6, 28; 10, 2; 11, 9; 22, 40. 46. [31] *Io.* 14, 13 s.; 15, 16; 16, 23 s. 26. [32] *Mt.* 6, 9-13; *Lc.* 11, 2-4. [33] *Lc.* 18, 1. [34] *Lc.* 18, 9-14. [35] *Lc.* 21, 36; *Mc.* 13, 33. [36] *Lc.* 11, 5-13; 18, 1-8; *Io.* 14, 13; 16, 23. [37] *Mt.* 6, 5-8; 23, 14; *Lc.* 20, 47; *Io.* 4, 23. [38] *Rom.* 8, 15. 26; *1 Cor.* 12, 3; *Gal.* 4, 6; *Iud.* 20. [39] *2 Cor.* 1, 20; *Col.* 3, 17. [40] *Hebr.* 13, 15. [41] *Rom.* 12, 12; *1 Cor.* 7, 5; *Eph.* 6, 18; *Col.* 4, 2; *1 Th.* 5, 17; *1 Tim.* 5, 5; *1 Petr.* 4, 7. [42] *1 Tim.* 4, 5; *Iac.* 5, 15 s.; *1 Io.* 3, 22; 5, 14 s. [43] *Eph.* 5, 19 s.; *Hebr.* 13, 15; *Ap.* 19, 5. [44] *Col.* 3, 17; *Phil.* 4, 6; *1 Th.* 5, 17; *1 Tim.* 2, 1. [45] *Rom.* 8, 26; *Phil.* 4, 6. [46] *Rom.* 15, 30; *1 Tim.* 2, 1 s.; *Eph.* 6, 18; *1 Th.* 5, 25; *Iac.* 5, 14. 16. [47] *1 Tim.* 2, 5; *Hebr.* 8, 6; 9, 15; 12, 24. [48] *Rom.* 5, 2; *Eph.* 2, 18; 3, 12.

ut intima vigeat necessitudo inter orationem Christi atque orationem totius generis humani. Nam in Christo in eoque solo religio humana pretium salutiferum finemque attingit.

7. Specialis tamen atque arctissima necessitudo inter Christum intercedit illosque homines, quos tamquam membra in suum corpus, quod est Ecclesia, per sacramentum regenerationis assumit. Sic enim a capite in totum corpus diffunduntur omnes divitiae, quae sunt Filii: communicatio nempe Spiritus, veritas, vita et participatio eius divinae filiationis, quae in tota eius oratione, cum apud nos degeret, manifestabatur.

Sacerdotium etiam Christi a toto corpore Ecclesiae participatur, ita ut baptizati per regenerationem et Spiritus Sancti unctionem consecrentur in domum spiritualem et sacerdotium sanctum [50], fiantque capaces Novi Testamenti cultus, qui non e viribus nostris, sed e Christi merito ac donatione procedit.

«Nullum maius donum praestare posset Deus hominibus, quam ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, et illos ei tamquam membra coaptaret, ut esset Filius Dei et Filius hominis, unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus, ut et quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde Filium separemus, et quando precatur corpus Filii, non a se separet caput suum, sitque ipse unus salvator corporis sui Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, qui et oret pro nobis, et oret in nobis, et oretur a nobis. Orat pro nobis ut sacerdos noster, orat in nobis ut caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster. Agnoscamus ergo et in illo voces nostras et voces eius in nobis [51].

In eo igitur posita est christianae dignitas orationis, ut ipsam Unigeniti pietatem erga Patrem eamque orationem participet, quam ille in vita terrestri verbis expressit, quaeque nunc, nomine quoque et in salutem totius generis humani, in universa Ecclesia et in omnibus eius membris indesinenter perseverat.

Actio Spiritus Sancti

8. Unitas vero orantis Ecclesiae a Spiritu Sancto efficitur, qui idem est in Christo [52], in tota Ecclesia et in singulis baptizatis. Ipse «Spiritus adiuvat infirmitatem nostram» et «postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus» (*Rom.* 8, 26); ipse, utpote Spiritus Filii, ingerit nobis «spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater» (*Rom.* 8, 15; cf. *Gal.* 4, 6; 1 *Cor.* 12, 3; *Eph.* 5, 18; *Iud.* 20). Nulla ergo oratio christiana haberi potest sine Sancti Spiritus actione, qui, totam Ecclesiam uniens, per Filium ducit ad Patrem.

Indoles communitaria orationis

9. Exemplum proinde et praeceptum Domini atque Apostolorum semper et instanter orandi habenda sunt non tamquam regula mere legalis, sed pertinent ad intimam essentiam ipsius Ecclesiae, quae communitas est quaeque indolem suam communitariam orando quoque debet declarare. Hinc in Actibus Apostolorum, cum primum de communitate fidelium sermo fit, congregata ipsa in actu orationis apparet «cum mulieribus et Maria Matre Iesu et fratribus eius» (*Act.* 1, 14). «Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una» (*Act.* 4, 32), quorum unanimitas verbo Dei, communione fraterna, oratione et Eucharistia innitebatur [53].

Licet autem oratio, quae fit in cubiculo et clauso ostio [54], semper quidem necessaria et commendanda [55], a membris Ecclesiae per Christum in Spiritu Sancto peragatur, orationi tamen communitatis dignitas competit specialis, cum ipse Christus dixerit: «Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum» (*Mt.* 18, 20).

III. De Liturgia Horarum

Consecratio temporis

10. Cum Christus praeceperit: «Oportet semper orare et non deficere» (*Lc.* 18, 1), Ecclesia, huic admonitioni fideliter obtemperans, preces fundere numquam intermittit atque hisce verbis nos adhortatur: «Per ipsum (Iesum) offeramus hostiam laudis semper Deo» (*Hebr.* 13, 15). Huic praecepto satisfit non tantum Eucharistia celebranda, sed etiam aliis modis, praesertim Liturgia Horarum, cuius inter alias liturgicas actiones id ex antiqua traditione christiana proprium est, ut totus per eam cursus diei ac noctis consecretur [56].

11. Quoniam ergo sanctificatio diei totiusque operositatis humanae ad finem pertinet Liturgiae Horarum, eius cursus ita instauratus est, ut Horis veritas temporis, quantum fieri posset, redderetur, simulque ratio haberetur hodiernae vitae condicionum [57].

Quare «praestat sive ad diem revera sanctificandum, sive ad ipsas Horas cum fructu spirituali recitandas, ut in Horarum absolutione tempus servetur, quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae [58]».

Ratio inter Liturgiam Horarum et Eucharistiam

12. Liturgia Horarum dilatat [59] ad varias diei horas laudes et gratiarum actiones, necnon memoriam mysteriorum salutis, deprecationes ac caelestis praelibationem gloriae, quae prae-

Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 83, [LE 3141]. [50] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 10 [LE 3232]. [51] S. Augustinus, *Enarrat. in psalm.* 85, 1: CCL 39, 1176. [52] Cf. *Lc.* 10, 21, quando Iesus «exsultavit Spiritu Sancto, et dixit: 'Confiteor tibi, Pater...'». [53] Cf. *Act.* 2, 42 gr. [54] Cf. *Mt.* 6, 6. [55] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 12 [LE 3141]. [56] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 83-84 [LE 3141]. [57] Cf. *Ibid.*, n. 88. [58] *Ibid.*, n. 94. [59] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5 [LE 3365].

bentur in mysterio eucharistico, quod est «centrum et culmen totius vitae communitatis christianae» [60].

Eucharistiae vero celebratio per Liturgiam Horarum et ipsa optime praeparatur, cum dispositiones ad fructuosam Eucharistiae celebrationem necessariae, ut sunt fides, spes, caritas, devotio seseque abnegandi studium, ea congrue excitentur et alantur.

Christi sacerdotalis muneris exercitatio in Liturgia Horarum

13. «Humanae redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus» [61] Christus in Spiritu Sancto per Ecclesiam suam exercet non tantum cum Eucharistia celebratur et sacramenta administrantur, sed etiam, prae ceteris modis, cum Liturgia Horarum persolvitur [62]. In ea ipse praesens adest, dum coetus congregatur, dum verbum Dei profertur, «dum supplicat et psallit Ecclesia» [63].

Sanctificatio hominis

14. Ita autem sanctificatio hominis efficitur [64] et Dei cultus exercetur in Liturgia Horarum, ut in ea quasi commercium instituatur seu dialogus ille inter Deum et homines, quo «Deus ad populum suum loquitur, ... populus vero Deo respondet tum cantibus tum orationes» [65].

Sanctificationem profecto uberrimam ex Liturgia Horarum assequi possunt participantes per salutare Dei verbum, quod in ea magnum momentum obtinet. Ex sacra enim Scriptura lectiones fiunt, Dei verba in psalmis tradita in conspectu eius canuntur, atque eius afflatu instinctuque aliae preces, orationes et carmina perfunduntur [66].

Non solum ergo quando leguntur ea quae «ad nostram doctrinam scripta sunt» (*Rom.* 15, 4), sed etiam dum Ecclesia orat vel canit, participantium fides alitur, mentes in Deum commoventur, ut rationabile obsequium ei praestent gratiamque eius abundantius recipiant [67].

Laus Deo tributa, in unione cum Ecclesia caelesti

15. In Liturgia Horarum Ecclesia, sacerdotale Capitis sui munus exercens, «sine intermissione» [68] Deo hostiam laudis offert, id est fructum labiorum confitentium nomini eius [69]. Haec oratio est «vox ipsius Sponsae, quae Sponsum alloquitur, immo etiam oratio Christi cum ipsius Corpore ad Patrem» [70]. «Omnes proinde qui haec praestant, tum Ecclesiae officium explent, tum summum Sponsae Christi honorem participant, quia laudes Deo persolventes stant ante thronum Dei nomine Matris Ecclesiae» [71].

16. Laudem in Horis Deo tribuens, Ecclesia illi concinendo laudis carmini consociatur, quod in supernis sedibus omne per aevum canitur [72]; praegustat simul caelestem illam laudem a Ioanne in Apocalypsi descriptam, quae assidue ante sedem Dei et Agni resonat. Arcta enim coniunctio nostra cum Ecclesia caelesti ad effectum deducitur, cum «divinae maiestatis laudem socia exsultatione concelebramus, et universi, in sanguine Christi ex omni tribu et lingua et populo et natione redempti (cf. *Ap.* 5, 9) atque in unam Ecclesiam congregati, uno cantico laudis Deum unum et trinum magnificamus» [73].

Quam caelestem liturgiam Prophetae in victoria diei sine nocte, lucis sine tenebris fere praeviderunt: «Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam» (*Is.* 60, 19; cf. *Ap.* 21, 23, 25). «Erit dies una, quae nota est Domino, non dies neque nox, et in tempore vesperi erit lux» (*Zac.* 14, 7). Iam vero «fines saeculorum ad nos pervenerunt (cf. 1 *Cor.* 10, 11) et renovatio mundi irrevocabiliter est constituta atque in hoc saeculo reali quodam modo anticipatur» [74]. Nos ita per fidem de sensu etiam vitae nostrae temporalis edocemur, ut cum omnibus creaturis revelationem filiorum Dei exspectemus [75]. In Liturgia vero Horarum hanc fidem proclamamus, hanc spem exprimimus et alimus, gaudium perpetuae laudis et diei, qui nescit occasum, quodammodo participamus.

Deprecatio et intercessio

17. At praeter Dei laudem, Ecclesia in Liturgia vota et desideria omnium Christifidelium refert, immo pro totius mundi salute Christum et per eum, Patrem interpellat [76]. Quae vox non est tantum Ecclesiae, sed etiam Christi, cum preces proferantur Christi nomine, hoc est «per Dominum nostrum Iesum Christum», et sic Ecclesia eas preces supplicationesque facere pergat, quas Christus effudit in diebus carnis suae [77], quaeque idcirco singulari efficacitate pollent. Itaque non tantum caritate, exemplo et paenitentiae operibus, sed etiam oratione ecclesialis communitas verum erga animas ad Christum adducendas maternum munus exercet [78].

Quae res praesertim ad omnes attinet, qui ad Liturgiam Horarum persolvendam speciali mandato vocati sunt: episcopi

[60] Conc. Vat. II, Decr. de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 30 [LE 3332]. [61] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 5 [LE 3141]. [62] Cf. *Ibid.*, nn. 83 et 98. [63] *Ibid.*, n. 7. [64] Cf. *Ibid.*, n. 10. [65] *Ibid.*, n. 33. [66] Cf. *Ibid.*, n. 24. [67] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 33 [LE 3141]. [68] 1 *Th.* 5, 17. [69] Cf. *Hebr.* 13, 15. [70] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 84. [71] *Ibid.*, n. 85. [72] Cf. *Ibid.*, n. 83. [73] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 50 [LE 3232]; cf. Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 8 et 104 [LE 3141]. [74] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 48. [75] Cf. *Rom.* 8, 19. [76] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 83. [77] Cf. *Hebr.* 5, 7. [78] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de presby-

videlicet et presbyteri, pro plebe sua ac toto Dei populo ex officio precantes [79], aliique ministri sacri necnon religiosi [80].

Culmen et fons actionis pastoralis

18. Qui ergo in Liturgia Horarum partem habent, plebem dominicam arcana fecunditate apostolica dilatant; [81] labores enim apostolici ad id ordinantur, «ut omnes, per fidem et baptismum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, sacrificium participent et cenam dominicam manducent» [82].

Sic fideles vivendo exprimunt et aliis manifestant «mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam, cuius proprium est esse ... visibilem invisibilibus praeditam, actione ferventem et contemplationi vacantem, in mundo praesentem et tamen peregrinam» [83].

Vicissim lectiones et preces Liturgiae Horarum fontem vitae christianae efficiunt. E mensa enim sacrae Scripturae et verbis Sanctorum vita illa nutritur, precibus vero roboratur. Nam Dominus solus, sine quo nihil facere possumus [84], a nobis rogatus, operibus nostris efficacitatem et incrementum dare potest [85], ita ut cotidie aedificemur in templum Dei in Spiritu [86], usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi [87], simulque vires nostras roboremus ad Christum evangelizandum iis, qui foris sunt [88].

Mens concordet voci

19. Ut autem oratio illa sit propria uniuscuiusque eorum, qui eam participant, itemque fons pietatis et multiplicis gratiae divinae, atque orationis personalis actionisque apostolicae nutrimentum, oportet ut in ea digne, attente ac devote persolvenda mens ipsa voci concordet [89]. Supernae gratiae seduli omnes cooperentur, ne eam in vacuum recipiant. Christum quaerentes, eiusque mysterium oratione semper intimius penetrantes [90], Deum laudent supplicationesque fundant eadem illa mente, qua divinus ipse Redemptor precabatur.

IV. De iis qui celebrant Liturgiam Horarum

a) *De celebratione in communi agenda.*

20. Liturgia Horarum, sicut ceterae actiones liturgicae, non est actio privata, sed ad universum corpus Ecclesiae pertinet, illudque manifestat et afficit [91]. Eius vero ecclesialis celebratio tunc maxime elucet, ac proinde summopere suadetur, quando cum suo Episcopo, a presbyteris et ministris circundato [92], illam peragit Ecclesia particularis, «in qua vere inest et operatur una sancta catholica et apostolica Christi Ecclesia» [93]. Quae celebratio, etiam cum, absente Episcopo, a capitulo canonicorum vel ab aliis presbyteris peragitur, semper fiat veritate temporis servata ac, quantum fieri potest, cum populi participatione. Quod dicendum est etiam de capitulis collegialibus.

21. Alii fidelium coetus, inter quos eminent paroeciae, velut dioecesis cellulae, localiter sub pastore vices Episcopi gerente ordinatae, quique «quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam» [94], Horas praecipuas, ubi fieri possit, in ecclesia communiter celebrent.

22. Si ergo fideles ad Liturgiam Horarum convocantur et in unum conveniunt, corda et voces simul consociantes, manifestant Ecclesiam mysterium Christi celebrantem [95].

23. Munus autem eorum, qui sacro ordine insigniti vel peculiari missione canonica praediti sunt [96], est indicere et dirigere orationem communitatis: «laborem impendant ut omnes quorum cura sibi est commissa, unanimes sint in orationes» [97]. Curent ergo ut fideles invitentur et debita catechesi formentur ad celebrandas in communi, diebus praesertim dominicis et festis, potiores Liturgiae Horarum partes [98]. Eos edoceant sinceram orationem ex eius participatione haurire [99], ideoque per aptam institutionem illos dirigant ad psalmos sensu christiano intellegendos, ita ut gradatim ad ampliorem gustum et usum orationis Ecclesiae manuducantur [100].

24. Communitates canonicorum, monachorum, monialium aliorumque religiosorum, quae vi Regulae vel Constitutionum, sive communi sive particulari ritu Liturgiam Horarum integre

terorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 6 [LE 3365]. [79] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 41 [LE 3232]. [80] Cf. *infra*, n. 24. [81] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae, *Perfectae caritatis*, n. 7 [LE 3333]. [82] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 10 [LE 3141]. [83] *Ibid.*, n. 2. [84] Cf. *Io.* 15, 5. [85] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 86 [LE 3141]. [86] Cf. *Eph.* 2, 21-22. [87] Cf. *Eph.* 4, 13. [88] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 2 [LE 3141]. [89] Cf. *Ibid.*, n. 90; S. Benedictus, *Regula monasteriorum*, c. 19. [90] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 14 [LE 3365]; Decr. de Institutione sacerdotali, *Optatam totius*, n. 8. [91] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 26 [LE 3141]. [92] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41 [LE 3141]. [93] Conc. Vat. II, Decr. de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 11 [LE 3332]. [94] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 42; cf. Decr. de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem*, n. 10 [LE 3346]. [95] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 26 et 84. [96] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 17 [LE 3364]. [97] Conc. Vat. II, Decr. de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 15. [98] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 100. [99] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis* n. 5 [LE 3365]. [100] Cf. *infra*, nn. 100-109.

aut ex parte persolvunt, Ecclesiam orantem specialiter repraesentant: etenim exemplar Ecclesiae, quae sine intermissione concordi voce Dominum laudat, plenius exhibent et officium explent «adlaborandi», imprimis oratione, «ad aedificationem et incrementum totius mystici Corporis Christi et in bonum Ecclesiarum particularium» [101]. Quod dicendum est praesertim de iis qui vitam contemplativam agunt.

25. Sacrorum administri et clerici omnes, qui non sunt aliunde celebratione communi astricti, conviventes vel in unum convenientes, curent ut aliquam saltem Liturgiae Horarum partem in communi persolvant, praesertim Laudes mane et Vesperas sero [102].

26. Etiam religiosis utriusque sexus sodalibus, qui ad celebrationem in communi non obligantur, et cuiusvis Instituti perfectionis membris, enixe suadetur ut in unum conveniant, seorsum vel cum populo, ad hanc Liturgiam vel eius partem celebrandam.

27. Laicorum coetus ubivis congregati invitantur ut Ecclesiae officium expleant [103], Liturgiae Horarum partem celebrantes, quacumque de causa, orationis, apostolatus, aliusve rationis sunt adunati. Oportet enim discant praeprimis in actione liturgica Deum Patrem in spiritu et veritate adorare [104], meminerintque se publico cultu et oratione omnes homines attingere et ad totius mundi salutem non paulum conferre posse [105].

Expedit denique ut familia, quasi domesticum sacrarium Ecclesiae, non tantum communes preces Deo fundat, sed etiam partes quasdam Liturgiae Horarum pro opportunitate persolvat, quo Ecclesiae arctius se inserat [106].

b) *De mandato Liturgiam Horarum celebrandi.*

28. Sacrorum administris Liturgia Horarum tam peculiari modo concreditur, ut singulis, etiam cum populus abest, persolvenda sit, utique cum aptationibus exinde necessariis. Ecclesia enim illos ad Liturgiam Horarum deputat, ut munus totius communitatis certe et constanter saltem per eos adimpleatur, et oratio Christi indesinenter perseveret in Ecclesia [107].

Episcopus, utpote qui eminenti et aspectabili modo Christi personam gerat et sui gregis sacerdos magnus sit, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet [108], primus in oratione inter Ecclesiae suae membra esse debet, eiusque oratio in Liturgiae Horarum recitatione semper Ecclesiae nomine ac pro Ecclesia sibi commissa peragitur [109].

Presbyteri, cum episcopo cunctoque presbyterio coniuncti, et ipsi personam specialiter gerentes Christi sacerdotis [110], idem munus participant, Deum deprecantes pro toto populo sibi commisso, immo pro universo mundo [111].

Hi omnes boni Pastoris ministerium adimplent, qui pro suis rogat, ut vitam habeant et ideo sint consummati in unum [112]. In Liturgia autem Horarum ab Ecclesia ipsis proposita non solum inveniant fontem pietatis et orationis personalis nutrimentum [113], sed etiam ex abundantia contemplationis actionem pastoralem ac missionalem alant foveantque in oblectamentum totius Ecclesiae Dei [114].

29. Episcopi ergo et presbyteri, aliique ministri sacri, qui mandatum ab Ecclesia acceperunt (cf. n. 17) Liturgiam Horarum celebrandi, integrum eius cursum cotidie persolvant, Horarum veritate, quantum fieri potest, servata.

Debitum in primis momentum tribuant Horis, quae huiusmodi Liturgiae sunt veluti cardo, id est Laudibus matutinis et Vesperis, caveantque ne has Horas omittant, nisi gravi de causa.

Officium quoque lectionis, quod est potissimum celebratio liturgica verbi Dei, fideliter peragant; ita munus, peculiari ratione sibi proprium, verbum Dei in seipsos recipiendi, cotidie adimplent, quo perfectiores fiant Domini discipuli et profundius sapiant investigabiles divitias Christi [115].

Quo melius totum diem sanctificent, cordi insuper ipsis erit recitatio Horae mediae et Completorii, quo ante cubitum integrum «Opus Dei» perficiant seseque Deo commendent.

30. Maxime decet stabiles diaconos aliquam saltem Liturgiae Horarum partem, ab Episcopali Conferentia definiendam, cotidie recitare [116].

31. *a)* Capitula cathedralia et collegialia illas partes Li-

[101] Conc. Vat. II, Decr. de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 33; cf. Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae, *Perfectae caritatis*, nn. 6. 7. 15; cf. Decr. d activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 15. [102] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 99. [103] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 100. [104] Cf. *Io.* 4, 23. [105] Cf. Conc. Vat. II, Declar. de educatione christiana, *Gravissimum educationis*, n. 2 [LE 3335]; Decr. de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem*, n. 16 [LE 3346]. [106] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem*, n. 11. [107] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 13. [108] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 21. [109] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26; Decr. de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 15. [110] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 13. [111] Cf. *Ibid.*, n. 5. [112] Cf. *Io.* 10, 11; 17, 20, 23. [113] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 90. [114] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 41. [115] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de divina revelatione, *Dei Verbum*, n. 25; Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 13. [116] Paulus VI, Motu proprio, *Sacrum Diaconatus ordinem*, 18 iunii 1967, n. 27: *A. A. S.* 59

http://www.obrascatolicas.com

turgiae Horarum in choro persolvere debent, quae iis iure communi vel particulari imponuntur.

Singuli vero horum Capitulorum sodales, praeter Horas, quae omnibus sacrorum administris persolvendae sunt, illas Horas soli recitare debent, quae in eorum Capitulo persolvuntur [117].

b) Communitates religiosae Liturgia Horarum adstrictae, earumque singuli sodales, Horas celebrent ad normam iuris sui particularis, salvo praescripto n. 29 circa eos, qui Ordinem sacrum acceperunt.

Communitates vero choro adstrictae integrum cursum Horarum cotidie in choro persolvant [118]; extra chorum autem sodales Horas recitent ad normam iuris sui particularis, salvis semper praescriptis sub n. 29.

32. Ceterae religiosae Communitates, earumque singuli sodales, monentur ut, pro adiunctis, in quibus versantur, aliquas partes celebrent Liturgiae Horarum, quae est Ecclesiae oratio, omnes ubique dispersos efficiens cor unum et animam unam [119].

Eadem hortatio etiam laicis adhibetur [120].

c) *De structura celebrationis.*

33. Liturgia Horarum suis legibus ordinatur, peculiari modo componens ea elementa, quae in ceteris celebrationibus christianis inveniuntur, et ita instruitur, ut semper habeatur, praemisso hymno, psalmodia, deinde longior vel brevis lectio sacrarum Scripturarum, denique precationes.

Sive in celebratione communi, sive in recitatione a solo facta, essentialis structura huius Liturgiae manet, colloquium nempe inter Deum et hominem. Celebratio tamen communis clarius manifestat naturam ecclesialem Liturgiae Horarum, favet participationi activae omnium secundum unhusculusque condicionem per acclamationes, dialogum, alternam psalmodiam et alias res huiusmodi, et meliorem rationem habet variorum expressionis generum [121]. Proinde quoties celebratio communis cum frequentia et actuosa participatione fidelium fieri potest, ea praeferenda est celebrationi singulari et quasi privatae [122]. Praestat insuper Officium iuxta suam cuiusque partis naturam singularumque partium munus in choro et in communi pro opportunitate cantare.

Sic denique monitio adimpletur Apostoli: «Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo» (*Col.* 3, 16; cf. *Eph.* 5, 19-20).

Caput II

De sanctificatione diei seu de variis Horis Liturgicis

I. De totius Officii introductione

34. Totum Officium de more introducitur Invitatorio. Hoc constat versu *Dómine, lábia mea apéries*: *Et os meum annuntiábit laudem tuam*, et psalmo 94, quo cotidie invitantur christifideles ad laudes Dei concinendas et ad vocem eius audiendam, denique alliciuntur ad «requiem Domini» exspectandam [1].

Pro opportunitate tamen, loco psalmi 94, psalmi 99 vel 66 vel 23 adhiberi possunt.

Praestat psalmum invitatorium dicere prout describitur suo loco, more responsoriali, id est cum sua antiphona, quae statim proponitur ac repetitur, iterum post unamquamque strophan resumenda.

35. Invitatorium locum suum habet initio totius cursus orationis cotidianae, scilicet praeponitur aut Laudibus matutinis aut Officio lectionis, prout alterutra actio liturgica diem inchoat. Pro opportunitate tamen, psalmus cum sua antiphona omitti poterit, quando Laudibus praeponendus est.

36. Ratio variandi antiphonam ad invitatorium, iuxta diversitatem dierum liturgicorum, suo cuiusque loco indicatur.

II. De Laudibus matutinis et Vesperis

37. «Laudes, ut preces matutinae, et Vesperae, ut preces vespertinae, e venerabili universae Ecclesiae traditione duplex cardo Officii cotidiani, Horae praecipuae habendae sunt et ita celebrandae» [2].

38. Laudes matutinae ad sanctificandum tempus matutinum destinantur et ordinantur, sicut ex multis earum patet elementis. Quae indoles matutinalis optime exprimitur his sancti Basilii Magni verbis: «Matutinum quidem ut animi ac mentis nostrae primi motus Deo consecrentur, et nihil aliud prius curandum suscipiamus, quam exhilarati fuerimus Dei cogitatione, sicut scriptum est: «Memor fui Dei et delectatus sum» (*Ps.* 76, 4), neque corpus ante admoveatur operi, quam effecerimus quod dictum est: «Ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi et videbo» (*Ps.* 5, 4-5)» [3].

Haec Hora praeterea, quae nova diei luce recurrente persolvitur, resurrectionem revocat Domini Iesu, qui est lux vera, illuminans omnes homines (cf. *Io.* 1, 9) et «sol iustitiae» (*Mal.* 4, 2), «oriens ex alto» (*Lc.* 1, 78). Quapropter bene intelligitur sancti Cypriani monitum: «Mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur» [4].

39. Vesperae celebrantur, cum advesperascit et inclinata est iam dies, ut «de iis quae in ipsa data sunt nobis, aut recte a nobis gesta sunt, persolvantur gratiae» [5]. Redemptionem etiam recolimus per orationem, quam «sicut incensum in conspectu Domini» dirigimus et in qua «elevatio manuum nostrarum» fit «sacrificium vespertinum» [6]. Hoc autem «de illo quoque vero sacrificio vespertino sacratius intellegi potest, quod vel vespere a Domino Salvatore, cenantibus Apostolis, traditur, cum initiaret Ecclesiae sacrosancta mysteria, vel quod ipse die postero sacrificium vespertinum, in fine scilicet saeculorum, elevatione manuum suarum pro salute totius mundi oblatus est Patri» [7]. Ut denique ad lucem, quae nescit occasum, spem convertamus, «oramus et petimus ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis aeternae gratiam praebiturum» [8]. Demum in hac hora, cum Ecclesiis orientalibus consonamus invocantes: «Lumen hilarum sanctae gloriae aeterni Patris caelestis, beatum Iesum Christum; ad occasum solis perducti, videntes lumen vespertinum, canimus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum Deum ...».

40. Maximi ergo faciendae sunt Laudes matutinae et Vesperae, ut oratio communitatis christianae: earumque celebratio publica vel communis foveatur praesertim apud eos qui communem vitam agunt. Immo earum recitatio commendetur etiam singulis fidelibus, qui celebrationem communem participare nequeunt.

41. Laudes matutinae et Vesperae inchoantur a versu introductorio *Deus, in adiutórium meum inténde*: *Dómine, ad adiuvándum me festína*, quem sequitur *Glória Patri* cum *Sicut erat* et *Allelúia* (quod omittitur tempore Quadragesimae). Quae tamen omnia supprimuntur ad Laudes, quando Invitatorium immediate praecedit.

42. Deinde statim dicitur hymnus congruus. Hymnus ita instruitur, ut det suum cuique Horae vel festo velut colorem et, praecipue in celebratione cum populo, initium facilius et iucundius orationi praebeat.

43. Post hymnum vero fit psalmodia, ad normam nn. 121-125. Psalmodia Laudum constat uno psalmo matutino, deinde cantico ex Vetere Testamento deprompto, et altero psalmo laudativo, secundum Ecclesiae traditionem.

Psalmodia Vesperarum constat duobus psalmis, vel duobus partibus psalmi longioris, aptis huic Horae et celebrationi populari, et uno cantico ex Apostolorum Epistolis vel Apocalypsi sumpto.

44. Absoluta psalmodia, habetur lectio, sive brevis, sive longior.

45. Lectio brevis ponitur pro qualitate diei vel temporis vel festi; legenda est et audienda, ut vera proclamatio verbi Dei quae vehementer aliquam sententiam sacram proponat, quaeque iuvet ad illustranda quaedam breviora dicta, quae in lectione continua Scripturarum minus forte attendantur.

Lectiones breves variantur per singulos dies cursus psalmodici.

46. Ad libitum vero, et praecipue in celebratione cum populo, longior lectio biblica eligi potest sive ex Officio lectionis, sive ex iis quae in Missa leguntur, praecipue ex textibus qui proferri, varia de causa, non potuerunt. Nihil praeterea impedit, quominus interdum etiam alia lectio aptior eligatur, ad normam nn. 248-249, 251.

47. In celebratione cum populo, pro opportunitate, addi potest brevis homilia ad praedictam lectionem illustrandam.

48. Post lectionem vel homiliam, pro opportunitate, spatium aliquod silentii servari potest.

49. Ad respondendum verbo Dei, praebetur cantus responsorialis seu responsorium breve, quod pro opportunitate omitti potest.

Alii cantus tamen eiusdem muneris et generis possunt in eius locum substitui, dummodo sint rite a Conferentia Episcopali ad hoc approbati.

50. Deinde sollemniter cum sua antiphona dicitur canticum evangelicum, scilicet ad Laudes matutinas canticum Zachariae *Benedictus*, ad Vesperas canticum B. Mariae V. *Magnificat*. Quae cantica, usu saeculari et populari Ecclesiae Romanae confirmata, laudem redemptionis et gratiarum actionem exprimunt. Antiphona ad *Benedictus* et *Magnificat* indicatur pro qualitate diei, temporis vel festi.

51. Absoluto cantico, in Laudibus matutinis fiunt preces ad diem opusque Domino consecrandum, in Vesperis vero intercessiones (cf. nn. 179-193).

52. Post praedictas preces vel intercessiones, *Pater noster* ab omnibus dicitur.

53. Dicto *Pater noster*, dicitur immediate oratio conclusiva, quae pro feriis ordinariis invenitur in Psalterio, pro aliis diebus in Proprio.

54. Deinde, si praest sacerdos vel diaconus, ipse populum dimittit per salutationem *Dóminus vobíscum* et benedictionem ut in Missa, quam sequitur invitatio *Ite in pace*, Ry. *Deo grátias*. Secus celebratio concluditur per *Dóminus nos benedícat*, etc.

III. De Officio lectionis

55. Officium lectionis eo spectat, ut uberior meditatio sacrae Scripturae auctorumque spiritualium optimae paginae

[117] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, n. 78 b: *A. A. S.* 56 (1964), p. 895 [LE 3217]. [118] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 95. [119] Cf. *Act.* 4, 32. [120] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 100. [121] Cf. *Ibid.*, nn. 26, 28-30. [122] Cf. *Ibid.*, n. 27.

[1] Cf. *Hebr.* 3, 7 - 4, 16. [2] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 89 a [LE 3141]; cf. *Ibid.*, n. 100. [3] S. Basilius M., *Regulae fusius tractatae*, Resp. 37, 3: *PG* 31, 1014. [4] S. Cyprianus, *De oratione dominica* 35: *PL* 4, 561. [5] S. Basilius M., *op. cit.*: *PG* 31, 1015. [6] Cf. *Ps.* 140, 2. [7] Cassianus, *De institutione coenob.*, lib. 3, c. 3: *PL* 49, 124, 125. [8] S. Cyprianus, *De oratione dominica* 35: *PL* 4, 560. [9] Pontificale Romanum, *De ordinatione presbyterorum*, n. 14. [10] S. Ambrosius, *De officiis ministrorum* I, 20, 88: *PL* 16, 5; Conc. Vat. II, Const. dogm. de divina revelatione, *Dei verbum*, n. 25 [LE 3345]. [11] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 89 c [LE 3141]. [12] *Sermo Guelferbytanus* 5: *PLS* 2, 550. [13] *Id. Ib*: *PLS* 2, 552.

proponantur populo Dei, praecipue autem iis qui modo peculiari sunt Domino consecrati. Etsi enim ditior sacrae Scripturae cursus in Missa cotidiana legitur, thesaurus ille revelationis et traditionis, qui in Officio lectionis continetur, in magnum spiritus profectum cedet. Has divitias imprimis quaerant sacerdotes, ut verbum Dei, quod ipsi acceperint, omnibus dispensare valeant suamque doctrinam facere «pabulum populo Dei» [9].

56. Cum vero oratio comitari debeat «sacrae Scripturae lectionem, ut fiat colloquium inter Deum et hominem, nam "illum alloquimur cum oramus, illum audimus cum divina legimus oracula"» [10], ideo Officium lectionis constat etiam psalmis, hymno, oratione aliisque formulis, ut indolem praese ferat verae orationis.

57. Officium lectionis, ex Constitutione *Sacrosanctum Concilium*, «quamvis in choro indolem nocturnae laudis retineat, ita accommodetur ut qualibet diei hora recitari possit et e psalmis paucioribus lectionibusque longioribus constet» [11].

58. Si ergo qui iure suo peculiari debent, et ii qui laudabiliter volunt huic Officio indolem nocturnae laudis servare, sive id dicunt noctu sive summo mane et ante Laudes matutinas, hymnum tempore per annum eligunt ex ea serie, quae huic fini destinatur. Praeterea, pro diebus dominicis, sollemnitatibus et quibusdam festis, animadvertenda sunt quae nn. 70-73 de vigiliis dicuntur.

59. Firma praedicta dispositione, Officium lectionis qualibet diei hora recitari potest, etiam horis nocturnis diei praecedentis, post peractas Vesperas.

60. Si Officium lectionis ante Laudes matutinas dicitur, tunc ei praemittitur invitatorium, ut supra (nn. 34-36) dictum est. Secus, incipit a versu *Deus, in adiutórium* cum *Glória, Sicut erat*, et, extra tempus Quadragesimae, *Allelúia*.

61. Deinde dicitur hymnus qui, per annum, eligitur aut ex serie nocturna, ut supra n. 58 indicatur, aut ex serie diurna, prout veritas temporis postulat.

62. Sequitur psalmodia constans tribus psalmis (vel partibus, si psalmi occurrentes sint longiores). In triduo paschali, diebus infra octavas Paschae et Nativitatis, necnon in sollenitatibus et festis, psalmi sunt proprii, cum suis propriis antiphonis.

In dominicis vero et in feriis, psalmi cum suis antiphonis sumuntur e Psalterio currente. Item e Psalterio currente sumuntur in memoriis Sanctorum, nisi forte adsint psalmi vel antiphonae propriae (cf. nn. 218 ss.).

63. Inter psalmodiam et lectiones dicitur de more versus, quo oratio transeat a psalmodia ad lectiones audiendas.

64. Duplex lectio adhibetur, quarum prior est biblica, altera vel ex operibus Patrum aut Scriptorum ecclesiasticorum deprompta, vel hagiographica.

65. Post vero unamquamque lectionem dicitur responsorium (cf. nn. 169-172).

66. Ea lectio biblica de more usurpanda est, quae occurrit in Proprio de Tempore, secundum normas infra, nn. 140-155, tradendas. In sollemnitatibus tamen et festis, lectio biblica sumitur e Proprio vel e Communi.

67. Lectio altera cum suo responsorio sumitur vel ex libro Liturgiae Horarum vel ex Lectionario ad libitum, de quo agitur infra n. 161. Ea est de more, quae occurrit in Proprio de Tempore.

In sollemnitatibus vero et festis Sanctorum, adhibetur lectio propria hagiographica, qua deficiente legitur lectio altera e respectivo Communi Sanctorum. In memoriis Sanctorum, quarum celebratio non impeditur, lectio hagiographica sumitur item loco lectionis alterius occurrentis (cf. nn. 166, 235).

68. In dominicis extra Quadragesimam, diebus infra octavas Paschae et Nativitatis, in sollemnitatibus et festis, post lectionem alteram cum suo responsorio, dicitur hymnus *Te Deum*, qui vero omittitur in memoriis et in feriis. Ultima pars hymni, scilicet a versiculo *Salvum fac pópulum tuum* usque ad finem, ad libitum potest omitti.

69. Officium lectionis concluditur de more oratione diei propria et, saltem in recitatione communi, acclamatione *Benedicámus Dómino*. Ry. *Deo grátias*.

IV. De Vigiliis

70. Vigilia paschalis a tota Ecclesia celebratur sicut in respectivis libris liturgicis describitur. «Huius noctis vigilia tanta est», ait sanctus Augustinus, «ut sola sibi etiam ceterarum commune nomen velut proprium vindicaret» [12]: «illam noctem agimus vigilando, qua Dominus resurrexit, et illam vitam... ubi nec mors ulla nec somnus est, in sua carne nobis inchoavit...; proinde, cui resurgenti paulo diutius vigilando concinimus, praestabit ut cum illo sine fine vivendo regnemus» [13].

71. Sicut in Vigilia paschali, mos fuit diversas diversis in ecclesiis sollemnitates vigilia inchoare: inter quas eminent Nativitas Domini et dies Pentecostes. Mos quidem ille servandus et fovendus est secundum usum proprium uniuscuiusque Ecclesiae. Sicubi alias forte sollemnitates vel peregrinationes vigilia ornari conveniat, observentur generales normae pro celebrationibus verbi divini propositae.

72. Patres vero atque spirituales auctores saepissime fideles, eos praecipue qui vitam contemplativam agunt, adhortati sunt ad orationem nocturnam, qua exprimitur et excitatur exspectatio Domini, qui redibit: «Media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei» (*Mt.* 25, 6); «Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes» (*Mc.* 13, 35-36). Laude ergo digni sunt omnes, qui Officio lectionis indolem nocturnam servant.

73. Praeterea, cum in Ritu Romano, respectu habito praesertim eorum, qui in opus apostolicum incumbunt, Officium lectionis eiusdem semper brevitatis sit, ii qui celebrationem vigiliae dominicalis, sollemnitatum et festorum protrahere, iuxta traditionem, cupiant, sequenti modo procedant.

Primo Officium lectionis celebretur sicut est in libro Liturgiae Horarum usque ad lectiones inclusive. Post vero ambas lectiones et ante *Te Deum* addantur cantica, quae ad hoc in Appendice eiusdem libri indicantur; deinde legatur Evangelium, de quo pro opportunitate fieri potest homilia, postea canitur hymnus *Te Deum* et dicitur oratio.

Evangelium vero in sollemnitatibus et festis sumatur e Lectionario Missae, in dominicis autem e serie de mysterio paschali, quae in Appendice libri Liturgiae Horarum describitur.

V. De Tertia, Sexta et Nona, seu de Hora media

74. Ex perantiqua traditione soliti sunt christiani privata devotione diversis per diem temporibus orare, medio etiam labore, ad imitandam Ecclesiam apostolicam; quae traditio, modis diversis et decursu temporis, liturgicis celebrationibus instructa est.

75. Mos liturgicus, tam Orientis quam Occidentis, retinuit Tertiam, Sextam et Nonam, praecipue quia iis horis adnectebatur memoria eventuum Passionis Domini et primae propagationis evangelicae.

76. Statuit autem Concilium Vaticanum II, ut Horae minores Tertia, Sexta et Nona in choro serventur [14].

Mos liturgicus dicendi has tres Horas retineatur, salvo iure particulari, ab iis qui vitam contemplativam agunt; suadetur etiam omnibus, iis praesertim qui recessum spiritualem vel conventum de re pastorali participant.

77. Extra chorum tamen, salvo iure particulari, ex tribus Horis unam seligere licet diei tempori magis congruentem, ita ut servetur traditio orandi per diem in medio opere.

78. Ita ergo componitur ordo dicendi Tertiam, Sextam et Nonam, ut ratio habeatur simul et eorum qui unam tantum Horam seu «Horam mediam» dicant, et eorum qui tres omnes Horas persolvere debeant aut velint.

79. Tertiae, Sextae et Nonae vel Horae mediae initium fit versu introductorio *Deus, in adiutórium*, cum *Glória, Sicut erat*, et *Allelúia* (quod omittitur tempore Quadragesimae). Deinde dicitur hymnus, Horae congruens. Postea fit psalmodia, deinde lectio brevis, quam sequitur versus. Hora concluditur oratione et, saltem in recitatione communi, acclamatione *Benedicámus Dómino*. Ry. *Deo grátias*.

80. Hymni et orationes pro singulis Horis ita proponuntur diversa, ut veritati temporis, iuxta acceptam traditionem, conveniant, atque aptius horarum sanctificatio procuretur; ideoque qui unam tantum Horam dicit, ea seligere debet elementa, quae ipsi Horae respondent.

Praeterea, lectiones breves et orationes variantur pro qualitate diei, temporis vel festi.

81. Duplex psalmodia proponitur: altera currens, altera complementaris. Qui unam tantum Horam dicit, psalmodiam currentem sumat. Qui vero plures Horas dicit, in una Hora psalmodiam currentem sumat, in ceteris complementarem.

82. Psalmodia currens constat tribus psalmis (vel partibus si agitur de psalmis longioribus) e textu Psalterii, qui adhibentur cum suis antiphonis, nisi aliter suo loco indicatur.

In sollemnitatibus, triduo paschali et diebus infra octavam Paschae, antiphonae propriae dicuntur cum tribus psalmis e psalmodia complementari seligendis, nisi adhibendi sint psalmi speciales, vel celebratio sollemnitatis occurrat die dominica, quo in casu sumuntur psalmi de dominica hebdomadae I. ca.

83. Psalmodia complementaris constat ternis psalmis, ex iis de more selectis qui «graduales» nuncupantur.

VI. De Completorio

84. Completorium est ultima diei oratio, ante nocturnam quietem facienda, etiam post mediam noctem si casus ferat.

85. Completorium inchoatur, sicut aliae Horae, a versu *Deus, in adiutórium*, cum *Glória, Sicut erat* et *Allelúia* (quod omittitur tempore Quadragesimae).

86. Deinde laudabiliter peragitur conscientiae discussio, quae in celebratione communi vel fit silentio, vel inseritur in actum paenitentialem secundum formulas Missalis Romani.

87. Deinde dicitur hymnus congruus.

88. Psalmodia constat, die dominica, post I Vesperas, psalmis 4 et 133; post II Vesperas, psalmo 90.

Ceteris diebus tales psalmi selecti sunt, qui fiduciam in Domino praecipue excitent; conceditur tamen, ut pro iis substituantur psalmi dominicae in commodum praecipue eorum, qui forte memoriter Completorium recitare velint.

89. Post psalmodiam, fit lectio brevis, quam sequitur responsorium *In manus tuas*; deinde dicitur cum sua antiphona canticum evangelicum *Nunc dimíttis*, quod est quasi culmen totius Horae.

[14] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 89 c [LE 3141].

http://www.obrascatolicas.com

90. Oratio conclusiva dicitur, sicut in Psalterio.
91. Post orationem dicitur, etiam a solo, benedictio *Nocem quietam*.
92. Demum dicitur una ex antiphonis de B. Maria Virgine. Tempore vero paschali, erit semper antiphona *Regina caeli*. Praeter antiphonas, quae in libro Liturgiae Horarum exstant, aliae possunt approbari a Conferentiis Episcopalibus [14].

VII. De modo uniendi pro opportunitate Horas Officii cum Missa vel inter se

93. In casibus particularibus, si adiuncta id requirant, fieri potest in celebratione publica vel communi arctior coniunctio inter Missam et Horam Officii, iuxta normas quae sequuntur, dummodo Missa et Hora de uno eodemque Officio sint. Cavendum tamen est, ne hoc in detrimentum operis pastoralis vertat, praesertim die dominica.

94. Cum Laudes matutinae in choro vel in communi celebratae Missam immediate praecedunt, actio incipere potest aut a versu introductorio et hymno Laudum, praesertim diebus ferialibus, aut a cantu Introitus cum processione ingressus et salutatione celebrantis, diebus praesertim festivis, in casu alterutro omisso ritu initiali.

Deinde prosequitur psalmodia Laudum more solito usque ad lectionem brevem exclusive. Post psalmodiam, omisso actu paenitentiali et, pro opportunitate, *Kyrie*, dicitur iuxta rubricas *Gloria in excelsis* et celebrans profert orationem Missae. Deinde sequitur liturgia verbi more solito.

Oratio universalis fit loco et forma, in Missa consuetis. Diebus tamen ferialibus, in Missa matutinali, loco formularii cotidiani orationis universalis, dici possunt preces matutinales de Laudibus.

Post communionem cum suo proprio cantu, canitur *Benedictus* cum sua antiphona de Laudibus; deinde dicuntur oratio post communionem et cetera more solito.

95. Si Hora media, scilicet Tertia, Sexta vel Nona, prout veritas Horarum requirit, publice celebrata, Missam immediate praecedit, actio incipere pariter potest aut a versu introductorio et hymno Horae, praesertim diebus ferialibus, aut a cantu Introitus cum processione ingressus et salutatione celebrantis, diebus praesertim festivis, omisso in casu alterutro ritu initiali.

Deinde prosequitur psalmodia Horae more solito usque ad lectionem brevem exclusive. Post psalmodiam, omisso actu paenitentiali et, pro opportunitate, *Kyrie*, dicitur iuxta rubricas *Gloria in excelsis* et celebrans profert orationem Missae.

96. Vesperae eodem modo, quo matutinae Laudes uniuntur cum Missa, quam immediate praecedunt. Primae tamen Vesperae sollemnitatum vel dominicarum vel festorum Domini, die dominica occurrentium, non possunt celebrari nisi iam peracta Missa diei praecedentis aut sabbati.

97. Cum autem Hora media, scilicet Tertia, Sexta vel Nona, aut Vesperae Missam sequuntur, tunc Missa celebratur more solito usque ad orationem post communionem inclusive.

Dicta oratione post communionem, absolute incipit psalmodia illius Horae. In Hora media, peracta psalmodia, statim, omissa lectione brevi, dicitur oratio et fit dimissio, ut in Missa. Ad Vesperas, peracta psalmodia et omissa lectione, additur statim canticum *Magnificat* cum sua antiphona et, omissis precibus atque oratione dominica, dicitur oratio conclusiva ac benedicitur populo.

98. Excepto casu noctis Nativitatis Domini, excluditur ex more coniunctio Missae cum Officio lectionis, cum Missa ipsa suum iam habeat cursum lectionum, ab altero distinguendum. Si quando tamen id per modum actus fieri oporteat, tunc statim post secundam lectionem Officii cum suo responsorio, ceteris omissis, incipit Missa ab hymno *Gloria in excelsis*, si dicendus sit, secus ab oratione.

99. Si Officium lectionis dicitur immediate ante aliam Horam Officii, tunc initio Officii lectionis praeponi potest hymnus, huic Horae congruus; deinde in fine Officii lectionis omittitur oratio et conclusio, atque in sequenti Hora omittitur versus introductorius cum *Gloria Patri*.

Caput III
De variis Liturgiae Horarum elementis

I. De psalmis deque eorum necessitudine cum oratione christiana

100. In Liturgia Horarum Ecclesia magna ex parte orat illis praeclaris carminibus, quae, divino afflante Spiritu, sacri auctores composuerunt in Vetere Testamento. Ex origine enim sua talem habent virtutem, qua hominum mentes ad Deum attollant, pios et sanctos in eis excitent affectus, in rebus secundis mire eos adiuvent ad gratias agendas, in adversis consolationem afferant animique firmitatem.

101. Psalmi tamen umbram tantum referunt illius plenitudinis temporum, quae apparuit in Christo Domino et ex qua vim suam accipit oratio Ecclesiae; quapropter fieri interdum potest ut, quamvis omnes christifideles in summa psalmorum aestimatione consentiant, quaedam tamen his difficultas occurrat, dum conentur veneranda illa carmina orando facere sua.

102. Sed Spiritus Sanctus, quo afflante psalmistae ceciderunt, semper eis gratia sua adest, qui bona voluntate credentes illa carmina psallendo proferunt. Insuper vero necesse est, ut «biblicam, praecipue psalmorum, institutionem sibi uberiorem comparent» [1] pro suis quisque viribus, ideoque intellegant quomodo quaque methodo recte orare queant illos recitantes.

103. Psalmi non sunt lectiones neque preces, oratione soluta compositae, sed poemata laudativa. Etsi ergo aliquando more lectionis proferri potuerunt, tamen e genere suo litterario recte in lingua hebraica vocantur «Tehillim», id est «cantica laudis» et in lingua graeca «psalmoi», id est «cantica ad sonum psalterii proferenda». Vere enim omnibus psalmis inest indoles quaedam musica, qua determinatur modus conveniens proferendi. Quare etsi psalmus sine cantu recitatur, immo a solo et in silentio, regatur oportet indole sua musica: praebens quidem textum menti fidelium, magis tamen tendit ad movenda corda psallentium et audientium, immo ludentium «psalterio et cithara».

104. Qui ergo psallit sapienter, meditando percurrit versum post versum, semper corde paratus ad respondendum, sicut Spiritus vult, qui inspiravit psalmistam idemque aderit piis hominibus, ad gratiam suam accipiendam paratis. Quare psalmodia, licet reverentiam exigat quae Dei maiestatem decet, ex gaudio animi atque caritatis dulcedine procedere debet, sicut sacrae poesi divinoque cantui convenit, maxime autem libertati filiorum Dei.

105. Saepe quidem verbis psalmi facilius et ferventius orare possumus, sive gratias agentes et magnificantes Deum in exsultatione, sive deprecantes de profundis angustiarum. Attamen —maxime si psalmus non immediate alloquitur Deum— difficultas quaedam aliquando exoritur. Psalmista enim, quippe qui poeta sit, saepe loquitur ad populum, revocans scilicet historiam Israel; aliquando alios interpellat ne exceptis quidem iis creaturis, quae rationis capaces non sunt. Immo Deum ipsum et homines inducit loquentes et etiam, sicut in psalmo secundo, inimicos Dei. Inde patet psalmum non eandem habere rationem orationis, quam precem seu collectam ab Ecclesia compositam. Praeterea cum poetica et musica indole psalmorum convenit, ut non necessario alloquantur Deum, sed ut cantentur ante Deum, sicut monet sanctus Benedictus: «Consideremus qualiter oporteat in conspectu Divinitatis et angelorum eius esse, et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae» [2].

106. Qui psallit, cor suum aperit iis affectibus, quos spirant psalmi, secundum peculiare litterarium genus, sive est genus lamentationis, fiduciae, gratiarum actionis, sive sunt alia genera, quae exegetae merito extollunt.

107. Adhaerens sensui verborum, psallens attendit ad momentum textus pro humana credentium vita.

Constat enim unumquemque psalmum in adiunctis peculiaribus compositum esse, quae tituli in psalterio hebraico praeposita adumbrare intendunt. Verum quidquid est de eius origine historica, quilibet psalmus habet sensum proprium, quem etiam nostris temporibus neglegere non possumus. Etsi illa carmina complura abhinc saecula apud Orientales exorta sunt, dolores et spem, miseriam et fiduciam hominum cuiusvis aetatis ac regionis apte exprimunt, fidemque praecipue in Deum, et revelationem atque redemptionem concinunt.

108. Qui psallit in Liturgia Horarum, non tam in propria persona psallit quam nomine totius Corporis Christi, immo et in persona ipsius Christi. Haec si quis prae oculis habet, evanescunt difficultates, si forte animadvertat sensus sui cordis, dum psallit, discrepare ab iis affectibus quos psalmus exprimit, quando nempe, tristi et maerore affecto psalmus obvenit iubilationis, felici autem psalmus lamentationis. Quod quidem in oratione mere privata facile vitatur, in qua facultas est eligendi psalmum congruum affectui proprio. In Officio autem divino haud privatim, sed nomine Ecclesiae publicus cursus psalmorum peragitur etiam ab eo, qui fortasse solus Horam persolvit. Qui autem Ecclesiae nomine psallit, semper causam laetitiae vel tristitiae invenire potest, quia etiam hac in re vim suam servat illud Apostoli: «gaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus» (*Rom.* 12, 15), et ita humana fragilitas, amore sui sauciata, eo gradu caritatis sanatur, quo mens voci psallenti concordet [3].

109. Qui nomine Ecclesiae psallit, debet ad plenum sensum psalmorum, praesertim ad sensum messianicum, attendere, propter quem Ecclesia Psalterium induxit. Sensus ille messianicus in Novo Testamento factus est plene manifestus, immo declaratus est ab ipso Christo Domino dicente Apostolis: «Quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysis et prophetis et psalmis de me» (*Lc.* 24, 44). Cuius exemplum notissimum est ille dialogus apud Matthaeum de Messia, Filio David Dominoque eius [4], in quo psalmus 109 intellegitur de Messia.

Hanc viam prosecuti, sancti Patres totum Psalterium acceperunt et enarraverunt tamquam prophetiam de Christo et de Ecclesia; eademque ratione in sacra Liturgia psalmi electi sunt. Etsi aliquando quaedam interpretationes contortulae proponebantur, tamen generatim tam Patres quam Liturgia in psalmis legitime audierunt Christum clamantem ad Patrem, aut Patrem loquentem cum Filio, immo vocem agnoscebant Ecclesiae, Apostolorum vel martyrum. Haec methodus interpretationis etiam medio aevo floruit: in multis enim Psalterii codicibus ea aetate scriptis, titulo singulis psalmis praeposito sensus christologicus psallentibus proferebatur. Interpretatio christologica nequaquam refertur ad illos tantum psalmos, qui messianici existimantur, sed ad multos etiam extenditur, in quibus sine dubio sunt merae accommodationes, traditione tamen Ecclesiae commendatae.

[1] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 90 [LE 3141]. [2] *Regula monasteriorum*, c. 19. [3] Cf. S. Benedictus, *Regula monasteriorum*, c. 19. [4] *Mt.* 22, 44 ss.

Maxime in psalmodia dierum festorum, psalmi ratione quadam christologica electi sunt, ad quam illustrandam plerumque antiphonae ex ipsis psalmis excerptae proponuntur.

II. De antiphonis deque aliis quae orationem psalmorum adiuvant

110. Tria in traditione latina multum contulerunt ad psalmos intellegendos vel in precationem christianam vertendos, scilicet tituli, orationes super psalmos et praecipue antiphonae.

111. In Psalterio Liturgiae Horarum, unicuique psalmo praemittitur titulus de eius sensu et momento pro humana credentis vita. Hi tituli in libro Liturgiae Horarum tantum ad utilitatem psallentium proponuntur. Ut autem foveatur oratio in lumine revelationis novae, additur sententia Novi Testamenti vel Patrum, invitans ad orandum sensu christologico.

112. Orationes super psalmos, quae recitantes adiuvent in eorum interpretatione praecipue christiana, in Supplemento libri Liturgiae Horarum pro singulis psalmis proponuntur et possunt ad libitum adhiberi ad normam veteris traditionis, ita scilicet ut, absoluto psalmo et aliquo silentii spatio observato, oratio psallentium affectus colligat et concludat.

113. Etsi Liturgia Horarum sine cantu persolvitur, suam quisque psalmus habet antiphonam, etiam a solo dicendam. Antiphonae enim adiuvant ad illustrandum psalmi genus litterarium; psalmum in orationem personalem vertunt; in luce meliore ponunt sententiam attentione dignam, quae potest, effugere; colorem quendam peculiarem alicui psalmo diversis in adiunctis tribuunt; immo, dummodo excludantur insolentes accommodationes, multum iuvant ad interpretationem typologicam vel festivam; incundam et variam reddere possunt recitationem psalmorum.

114. Antiphonae in Psalterio ita instructae sunt, ut possint in linguas vernaculas converti, immo post unamquamque strophan repeti, iuxta ea quae dicuntur n. 125. In Officio vero per annum sine cantu, loco harum antiphonarum, adhiberi possunt pro opportunitate sententiae psalmis adiunctae (cf. n. 111).

115. Quando psalmus pro sua longitudine in plures partes dividi potest intra unam eandemque Horam, singulis partibus apponitur propria antiphona ad varietatem inducendam, praesertim in celebratione cum cantu, necnon ad psalmi divitias melius percipiendas; licet tamen psalmum integrum sine interruptione persolvere, adhibita prima tantum antiphona.

116. Antiphonae propriae habentur pro singulis psalmis ad Laudes et Vesperas in triduo paschali, diebus infra octavas Paschae et Nativitatis, necnon in dominicis temporis Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, item in feriis Hebdomadae sanctae, temporis paschalis et diebus e 17 ad 24 decembris.

117. In sollemnitatibus, ad Officium lectionis, Laudes matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam et Vesperas, antiphonae propriae proponuntur; secus sumuntur e Communi. In festis idem servatur ad Officium lectionis, Laudes matutinas et Vesperas.

118. Si quae memoriae Sanctorum antiphonas proprias habent, eas retinent (cf. n. 235).

119. Antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat*, in Officio de Tempore, sumuntur e Proprio de Tempore, si adsint, secus e Psalterio currente; in sollemnitatibus et festis, sumuntur e Proprio, si adsint, secus e Communi; in memoriis vero quae antiphonam propriam non habent, ad libitum dicitur antiphona vel de Communi vel de feria currente.

120. Tempore paschali, omnibus antiphonis additur *Alleluia*, nisi forte a sensu antiphonae discrepet.

III. De modo psallendi

121. Prout cuiusque psalmi genus litterarium vel longitudo postulat, utque ipse psalmus lingua vel latina vel vernacula dicitur, atque praecipue prout a solo vel a pluribus, vel cum populo congregato fit celebratio, alius alios psalmos recitandi modus proponi potest, quo facilius ii qui psallunt percipiant illam quasi fragrantiam spiritualem et venustatem psalmorum. Psalmi enim non adhibentur ut quantitas quaedam orationis, sed varietati consultum est et indoli propriae uniuscuiusque carminis.

122. Psalmi canuntur vel dicuntur aut uno tractu (seu «in directum»), aut alternis versibus vel strophis a duobus choris vel coetus partibus, aut modo responsoriali, secundum diversos traditione vel experientia probatos usus.

123. Sua semper psalmi cuiusque initio proferatur antiphona, ut supra dictum est nn. 113-120; in fine vero totius psalmi, servatur usus concludendi cum *Gloria Patri* et *Sicut erat. Gloria* enim ea est apta conclusio, quae traditione commendatur, quaeque tribuit orationi Veteris Testamenti sensum laudativum, christologicum et trinitarium. Post psalmum vero, pro opportunitate, repetitur antiphona.

124. Quando adhibentur psalmi longiores, tales partitiones psalmorum signantur in Psalterio, quae membra psalmodiae ita dividant, ut ternariam Horae structuram adumbrent, respectu tamen stricte habito sinceri eiusdem psalmi sensus. Quam divisionem convenit observare, praecipue in celebratione chorali lingua latina persolvenda, addito *Gloria Patri* in fine uniuscuiusque partis.

Licet tamen vel hunc modum traditum retinere, vel moram inter partes diversas eiusdem psalmi interponere, vel psalmum integrum uno tractu proferre cum sua antiphona.

125. Praeterea, quando genus litterarium psalmi id suadebit, divisiones strophicae ideo indicabuntur, ut, praesertim si psalmi lingua vernacula canantur, possint persolvi intericeta antiphona post unamquamque stropham, et tunc sufficiet *Gloria Patri* post finem totius psalmi adicere.

IV. Qua ratione Psalmi in Officio distributi sint

126. Psalmi distributi sunt per circulum quattuor hebdomadarum, ea tamen lege ut perpauci psalmi omittantur, alii vero traditione insignes frequentius repetantur, et Laudes matutinae, Vesperae ac Completorium psalmis respectivae Horae consentaneis instruantur [5].

127. Ad Laudes matutinas et Vesperas, utpote quae celebrationi populari magis destinentur, selecti sunt ii psalmi, qui aptiores sunt ad celebrationem cum populo.

128. Ad Completorium observata est norma descripta n. 88.

129. Die dominica, etiam ad Officium lectionis et ad Horam mediam, ii psalmi selecti sunt, qui ad mysterium paschale exprimendum traditione insignes sint. Feriae sextae aliqui psalmi assignati sunt vel paenitentiales vel de Passione.

130. Reservantur temporibus Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae tres psalmi, scilicet 77, 104 et 105, qui historiam salutis Veteris Testamenti clarius patefaciunt ut praenuntiam illius, quae in Novo completur.

131. Tres vero psalmi 57, 82 et 108, in quibus praeponderat indoles imprecatoria, omittuntur in Psalterio currente. Item aliqui versus nonnullorum psalmorum praetermissi sunt, ut indicatur initio singulorum. Quorum textuum omissio fit ob quandam difficultatem psychologicam, etsi psalmi ipsi imprecatorii in pietate Novi Testamenti occurrunt, exempli gratia *Ap.* 6, 10, nulloque modo intendunt ad maledicendum inducere.

132. Psalmi qui longiores sunt quam ut in una Officii Hora contineantur, variis distribuuntur diebus in eadem Hora, ita ut integre recitari possint ab iis qui alias Horas haud dicere soleant. Sic psalmus 118 secundum suam propriam divisionem distribuitur per viginti duos dies ad Horam mediam, quippe qui horis diurnis traditione assignatus sit.

133. Cyclus quattuor hebdomadarum Psalterii ita cum anno liturgico conectitur, ut a prima hebdomada, omissis forte allis, resumatur dominica I Adventus, hebdomada I per annum, dominica I Quadragesimae, dominica I Paschae.

Post vero Pentecosten, cum tempore per annum cyclus Psalterii seriem sequatur hebdomadarum, ab ea Psalterii hebdomada resumitur, quae in Proprio de Tempore indicatur initio suae respectivae hebdomadae per annum.

134. In sollemnitatibus et festis, triduo paschali, diebus infra octavas Paschae et Nativitatis, ad Officium lectionis psalmi proprii assignantur ex iis, qui traditione probantur, eorumque aptitudo plerumque antiphona illustratur. Quod fit etiam ad Horam mediam in quibusdam sollemnitatibus Domini et in octava Paschae. Ad Laudes matutinas sumuntur psalmi et canticum de dominica I in Psalterio. Ad I Vesperas sollemnitatum psalmi sunt e serie *Laudate* secundum morem antiquum. Ad II Vesperas sollemnitatum et ad Vesperas festorum psalmi et canticum sunt propria. Ad Horam mediam sollemnitatum, exceptis iis de quibus supra dictum est et nisi occurrant die dominica, psalmi sumuntur ex gradualibus; ad Horam mediam festorum psalmi dicuntur diei currentis.

135. In ceteris casibus psalmi sumuntur e Psalterio currente, nisi forte adsint antiphonae propriae vel psalmi proprii.

V. De canticis Veteris et Novi Testamenti

136. In Laudibus, inter priorem et alterum psalmum, inseritur, ut mos est, canticum Veteris Testamenti. Praeter seriem antiqua traditione romana acceptam, alteramque a sancto Pio X in Breviarium insertam, ita plura Psalterio addita sunt cantica ex variis Veteris Testamenti libris excerpta, ut singuli dies feriales quattuor hebdomadarum suum proprium canticum habeant, diebus vero dominicis duae partes cantici trium Puerorum alternentur.

137. In Vesperis, post duos psalmos, inseritur canticum Novi Testamenti, ex Epistolis vel Apocalipsi excerptum. Septem indicantur cantica pro singulis uniuscuiusque hebdomadae diebus. In dominicis vero Quadragesimae, loco cantici alleluiatici ex Apocalypsi, dicitur canticum ex Epistola I Petri. Praeterea in sollemnitate Epiphaniae et in festo Transfigurationis Domini dicitur canticum, suo loco indicatum, ex Epistola I ad Timotheum.

138. Cantica evangelica *Benedictus*, *Magnificat* et *Nunc dimittis* eadem sollemnitate ac dignitate honestentur, quibus ipsum solet audiri Evangelium.

139. Sive psalmodia sive lectiones ea firma lege traditionis componuntur, ut primo Vetus Testamentum, deinde Apostolus, ultimo vero Evangelium proferatur.

VI. De lectione sacrae Scripturae

a) *De lectione sacrae Scripturae in genere.*

140. Lectio sacrae Scripturae, quae ex antiqua traditione fit publice in Liturgia, non tantum in celebratione eucharistica, sed etiam in Officio divino, omnibus christianis ideo maximi habenda est, quia ab ipsa Ecclesia proponitur, non singulorum electione vel propensione animi inclinatione, sed in ordine ad mysterium, quod Sponsa Christi «per anni circulum explicat, ab Incarnatione et Nativitate usque ad Ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatae spei et adventus Domini» [6]. Insuper in celebratione liturgica lectionem sacrae

[5] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 91.
[6] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 102.

http://www.obrascatolicas.com

Scripturae semper comitatur oratio, ita ut lectio pleniorem fructum afferat et vicissim oratio, praesertim psalmorum, ex lectione plenius intellegatur et pietate fiat impensior.

141. In Liturgia Horarum, sacrae Scripturae tum lectio longior, tum lectio brevior proponitur.

142. Lectio longior, in Laudibus matutinis et Vesperis ad libitum facienda, describitur supra, n. 46.

b) *De cursu lectionis sacrae Scripturae in Officio lectionis.*

143. In cursu lectionis sacrae Scripturae in Officio lectionis, ratio habetur tum eorum temporum sacrorum, quibus ex venerabili traditione certi quidam libri legendi sunt, tum cursus lectionis in Missa. Ita ergo Liturgia Horarum cum Missa componitur, ut lectio Scripturae in Officio compleat lectionem quae fit in Missa, utque conspectus praebeatur totius historiae salutis.

144. Firma exceptione, de qua in n. 73, Evangelium in Liturgia Horarum non legitur, cum in Missa quotannis integre legatur.

145. Duplex habetur cursus lectionis biblicae: alter, qui insertus est libro Liturgiae Horarum, unum tantum annum complectitur; alter, ad libitum adhibendus, qui in Supplemento continetur, est biennalis, sicut cursus lectionis per annum in Missa feriali.

146. Cursus biennalis lectionum ita instructus est, ut omnes fere libri sacrae Scripturae quotannis, atque textus longiores et difficiliores, qui vix in Missa locum obtinere possunt, Liturgiae Horarum assignentur. Dum tamen Novum Testamentum integre —partim in Missa, partim in Liturgia Horarum— quotannis legitur, ex libris Veteris Testamenti eae selectae sunt partes, quae ad intellegendam historiam salutis et ad pietatem alendam maioris momenti sunt.

Congruentia tamen inter lectiones Liturgiae Horarum et lectiones Missae, nedum eosdem textus iisdem diebus proponat, vel eosdem libros passim iisdem temporibus distribuat, quod Liturgiae Horarum relinqueret minoris momenti pericopas seriemque textuum perturbaret, necessario exigit, ut idem liber recurrat annis alternis in Missa et in Liturgia Horarum aut saltem, si eodem anno legitur, quodam temporis spatio interiecto.

147. Tempore Adventus, secundum antiquam traditionem, leguntur pericopae ex libro Isaiae excerptae, lectione semi-continua, et quidem alterna alternis annis. Adduntur liber Ruth et quaedam prophetiae ex libro Michaeae. Cum a die 17 usque ad diem 24 decembris legantur lectiones iis diebus specialiter assignatae, omittuntur eae lectiones hebdomadae III Adventus, quae locum non obtineant.

148. A die 29 decembris ad diem 5 ianuarii legitur anno I Epistola ad Colossenses, qua Incarnatio Domini consideratur intra fines totius historiae salutis, et anno II Canticum canticorum, quo adumbratur unio Dei et hominis in Christo: «Tunc enim Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanae naturae coniunxit, quando Deus ante saecula fieri voluit hominem in fine saeculorum» [7].

149. A die 7 ianuarii ad sabbatum post Epiphaniam leguntur textus eschatologici, ex Isaia 60-66 et Baruch sumpti; lectiones vero, quae locum obtinere nequiverunt, eo anno omittuntur.

150. In Quadragesima anno I leguntur excerpta e libro Deuteronomii et Epistola ad Hebraeos. Anno II praebetur conspectus historiae salutis e libris Exodi, Levitici et Numeri. Epistola ad Hebraeos foedus antiquum luce mysterii paschalis Christi interpretatur. Ex eadem Epistola feria VI in Passione Domini, legitur excerptum de sacrificio Christi (9, 11-28), et Sabbato sancto de requie Domini (4, 1-16). Aliis vero diebus Hebdomadae sanctae anno I leguntur e libro Isaiae cantus tertius et quartus Servi Domini et pericopae e libro Lamentationum depromptae; anno II propheta Ieremias ut typus Christi patientis legitur.

151. Tempore paschali, exceptis dominicis I et II Paschae ac sollemnitatibus Ascensionis et Pentecostes, iuxta traditionem leguntur anno I Epistola I Petri, liber Apocalypsis et Epistolae Ioannis, anno II Actus Apostolorum.

152. A feria II post dominicam Baptismatis Domini usque ad Quadragesimam et a feria II post Pentecosten usque ad Adventum, currit series continua triginta quattuor hebdomadarum per annum.

Quae series interrumpitur a feria IV Cinerum usque ad diem Pentecostes: feria II post dominicam Pentecostes, resumitur lectio per annum ex ea hebdomada, quae sequitur hebdomadam occurrente Quadragesima interruptam, omissa vero lectione quae dominicae assignatur.

Annis autem, quibus numerantur tantum 33 hebdomadae temporis per annum, omittitur hebdomada quae incidit immediate post Pentecosten, ita ut semper legantur lectiones hebdomadarum ultimarum, quae sunt indolis eschatologicae.

Libri Veteris Testamenti distribuuntur secundum historiam salutis: Deus seipsum revelat decursu vitae populi, qui per gradus subsequentes ducitur et illuminatur. Ideo prophetae inter libros historicos leguntur ratione habita temporis, quo vixerunt et docuerunt. Quapropter anno I series lectionum Veteris Testamenti proponit insimul libros historicos et oracula prophetarum a libro Iosue ad tempus exsilii inclusive; anno II, post lectiones Genesis ante Quadragesimam peragendas, resumitur historia salutis post exsilium usque ad tempus Machabaeorum. Inseruntur eodem anno prophetae recentiores, libri sapientiales et narrationes librorum Esther, Tobiae et Iudith.

Epistolae Apostolorum, quae non leguntur temporibus specialibus, distribuuntur ratione habita tum lectionum Missae, tum ordinis chronologici, quo scriptae sunt.

153. Cursus vero unius anni ita abbreviatus est, ut quotannis partes selectae sarae Scripturae legantur, ratione habita utriusque cursus lectionum Missae, cui complemento sint.

154. In sollemnitatibus et festis lectio propria assignatur; secus sumitur e Communi Sanctorum.

155. Singulae pericopae, quantum fieri potest, unitatem quandam servant; ideo ne longitudo aequa, ceteroquin diversa secundum diversa genera litteraria librorum, superetur, interdum aliquot versus omittuntur, quod semper indicatur. Laudabiliter vero integre legi possunt in textu approbato.

c) *De lectionibus brevibus.*

156. Lectiones breves, seu «capitula», quarum momentum in Liturgia Horarum n. 45 descriptum est, ita selectae sunt, ut sententiam vel monitionem presse ac distincte exprimant. Varietati praeterea consultum est.

157. Constitutae sunt ergo quattuor series hebdomadales lectionum brevium per annum, quae inseruntur Psalterio, ita ut cotidie per quattuor hebdomadas varietur lectio. Series hebdomadales insuper habentur pro temporibus Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae. Accedunt lectiones breves propriae pro sollemnitatibus et festis, et quibusdam memoriis, necnon series unius hebdomadae pro Completorio.

158. In seligendis lectionibus brevibus, servata sunt haec, quae sequuntur: *a)* secundum traditionem exclusa sunt Evangelia; *b)* quantum fieri potest, indoles diei dominicae vel etiam feriae VI et ipsarum Horarum observata est; *c)* lectiones ad Vesperas, cum sequantur canticum Novi Testamenti, e Novo tantum Testamento selectae sunt.

VII. De lectione Patrum
et Scriptorum ecclesiasticorum

159. Iuxta Ecclesiae Romanae traditionem, in Officio lectionum, post lectionem biblicam, habetur lectio Patrum vel Scriptorum ecclesiasticorum cum suo responsorio, nisi dicenda sit lectio hagiographica (cf. nn. 228-239).

160. In hac lectione proponuntur textus e scriptis sanctorum Patrum, doctorum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum, ad Ecclesiam pertinentium cum Orientalem tum Occidentalem, deprompti, ita tamen ut primae partes sanctis Patribus tribuantur, qui peculiari auctoritate in Ecclesia gaudent.

161. Praeter lectiones libro Liturgiae Horarum pro unoquoque die assignatas, habetur Lectionarium ad libitum, ubi maior copia lectionum praebetur, quo latius pateat iis qui Officium divinum persolvunt, thesauros Ecclesiae traditionis. Datur facultas unicuique lectionem alteram sumendi aut e libro Liturgiae Horarum aut e Lectionario ad libitum.

162. Praeterea Conferentiae Episcopales possunt alios etiam textus apparare, traditionibus et ingenio suae regionis congruentes [8], qui in Lectionarium ad libitum pro supplemento inserantur. Qui textus depromantur ex operibus Scriptorum catholicorum, doctrina et morum sanctitate excellentium.

163. Munus huiusmodi lectionis est praecipue meditatio verbi Dei, qualiter ab Ecclesia in sua traditione accipitur. Ecclesia enim necessarium semper duxit verbum Dei christifidelibus authentice declarare, ut «propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur» [9].

164. Ex assidua frequentatione documentorum, quae universalis traditio Ecclesiae perhibet, legentes ad pleniorem meditationem sacrae Scripturae eiusque suavem et vivum affectum ducuntur. Scripta enim sanctorum Patrum praeclara testimonia sunt illius meditationis verbi Dei, per saecula productae, qua Verbi incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, «quae secum habet consilium et spiritum Sponsi et Dei sui» [10], ad profundiorem in dies Scripturarum sacrarum intellegentiam assequendam accedere satagit.

165. Lectio Patrum in sensum quoque temporum festorumque liturgicorum christianos inducit. Insuper eis patefacit accessum ad inaestimabiles divitias spirituales, quae Ecclesiae patrimonium egregium efficiunt, simulque vitae spiritualis fundamentum praebent atque uberrimum pietatis nutrimentum. Praecones autem verbi Dei praeclara exempla sacrae praedicationis ita in promptu cotidie habent.

VIII. De lectione hagiographica

166. Nomine lectionis hagiographicae appellatur sive textus alicuius Patris aut Scriptoris ecclesiastici, qui de Sancto celebrato proprie loquitur vel ad illum recte applicatur, sive excerptum ex scriptis ipsius Sancti, sive eius vitae narratio.

167. In conficiendis Propriis Sanctorum particularibus, consulendum est veritati historicae [11] et vero profectui spirituali eorum, qui lectionem hagiographicam legent vel audient; sedulo autem cavendum ab iis, quae solam mirationem moveant; in luce vero ponatur peculiaris indoles spiritualis Sanctorum, modo hodiernis condicionibus accommodato, necnon eorum momentum ad vitam et pietatem Ecclesiae.

168. Parva notitia biographica, quae notas mere historicas praebet et curriculum vitae breviter describit, ponitur ante lectionem ipsam ad instructionem tantum; non igitur proferenda est in celebratione.

[7] S. Gregorius Magnus, *Homilia 34 in Evangelia*: *PL* 1282. [8] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 38 [LE 3141]. [9] S. Vincentius Lirinensis, *Commonitorium*, 2: *PL* 50, 640. [10] S. Bernardus, *Sermo 3 in vigilia Nativitatis 1*, *PL* 183 (edit. 1879), 94. [11] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacro-*

IX. De responsoriis

169. Lectionem biblicam in Officio lectionis sequitur proprium eius responsorium, cuius textus ita e thesauro tradito selectus vel e novo compositus est, ut lucem novam afferat ad lectionem mox lectam intellegendam, vel lectionem inserat in historiam salutis, vel ex Vetere Testamento ad Novum perducat, vel lectionem vertat in orationem et contemplationem, vel denique pulchritudine sua poetica iucundam praebeat varietatem.

170. Similiter lectioni alteri idoneum apponitur responsorium, quod tamen cum textu lectionis minus arcte coniungitur, ideoque libertati meditationis magis favet.

171. Responsoria igitur cum partibus suis, repetendis etiam in recitatione a solo, suum retinent pretium. Pars vero, quae repeti solet in responsorio, in recitatione sine cantu omitti potest, nisi repetitio ipso sensu postuletur.

172. Simili sed simpliciore modo responsorium breve ad Laudes matutinas, Vesperas et Completorium de quo supra nn. 49 et 89, atque versus ad Tertiam, Sextam et Nonam respondent lectioni brevi, veluti acclamatio quaedam, qua verbum Dei altius penetret animum audientis seu legentis.

X. De hymnis aliisque canticis non biblicis

173. Hymni, iam perantiqua traditione in Officio locum obtinentes, nunc quoque locum suum retinent [12]. Revera, non solum sua natura lyrica ad Dei laudem nominatim destinati sunt, sed partem constituunt popularem, quin etiam plerumque Horarum vel singulorum festorum individuam indolem magis quam aliae Officii partes statim demonstrant, et ad piam celebrationem animos movent et alliciunt. Quam efficacitatem auget saepe litteraria pulchritudo. Praeterea in Officio hymni sunt veluti praecipuum poeticum elementum, ab Ecclesia conditum.

174. Hymnus doxologia terminatur ad normam traditionis, quae de more ad eandem personam divinam dirigitur, ad quam hymnus ipse.

175. In Officio temporis per annum, ad consulendum varietati, duplex cursus hymnorum ad omnes Horas institutus est, alternis hebdomadis adhibendus.

176. Praeterea in Officium lectionis duplex cursus hymnorum temporis per annum invectus est, prout hymni nocte vel die recitantur.

177. Hymni noviter inducti melodiis eiusdem numeri et metri adornari possunt, quae usu traditae sunt.

178. Ad celebrationem in lingua vernacula quod attinet, fit facultas Conferentiis Episcopalibus aptandi ad naturam propriae linguae hymnos latinos, necnon novas hymnodicas compositiones introducendi [13], dummodo spiritui Horae aut temporis vel diei festi prorsus congruant; sedulo praeterea cavendum est, ne cantiunculae populares admittantur, quae nullum artis pretium prae se ferant neque Liturgiae dignitati sint vere consentaneae.

XI. De precibus, de oratione dominica,
de oratione conclusiva

a) *De precibus seu intercessionibus in Laudibus et Vesperis.*

179. Liturgia Horarum laudes quidem Dei celebrat. Traditio tamen sive iudaica sive christiana a laude divina orationem petitionis non disiungit, hanc ab illa haud raro aliquomodo deducens. Apostolus quidem Paulus hortatur ut fiant «obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate: hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire» (*1 Tim.* 2, 1-4). Quam monitionem Patres haud raro interpretati sunt, ut mane et vespere intercessiones faciendae essent [14].

180. Intercessiones, quae in Missa ritus Romani instauratae sunt, fiunt etiam ad Vesperas modo tamen diverso, ut infra describitur.

181. Cum insuper ea traditio orationis sit, ut mane Deo commendetur totus dies, in Laudibus matutinis fiunt invocationes ad diem Deo commendandum vel consecrandum.

182. Nomine precum appellantur tum intercessiones, quae fiunt ad Vesperas, tum invocationes ad diem Deo dicandum, quae fiunt ad Laudes matutinas.

183. Varietatis causa, maxime vero ad Ecclesiae hominumque necessitatum multiplicitatem melius exprimendam secundum diversos status, coetus, personas, condiciones et tempora, diversae proponuntur formulae precum pro singulis diebus cursus Psalterii per annum et pro sacris temporibus anni liturgici, necnon pro quibusdam celebrationibus festivis.

184. Praeterea Conferentiis Episcopalibus ius est tam aptandi formulas in libro Liturgiae Horarum propositas quam novas approbandi [15], servatis tamen normis quae sequuntur.

185. Ut in oratione dominica, petitionibus oportet coniungere laudem Dei, seu confessionem eius gloriae, vel memoriam historiae salutis.

186. In precibus Vesperarum ultima intentio semper est pro defunctis.

187. Cum Liturgia Horarum sit praecipue oratio totius Ecclesiae pro tota Ecclesia, immo pro totius mundi salute [16], oportet ut in precibus intentiones universales primum omnino locum obtineant, scilicet oretur pro Ecclesia cum eius ordinibus, pro potestatibus saecularibus, pro iis qui paupertate, morbo vel maerore laborant, pro orbis universi necessitatibus, nempe pro pace et aliis huiusmodi rebus.

188. Licet tamen, sive ad Laudes matutinas sive ad Vesperas, quasdam intentiones addere particulares.

189. Tali structura praeditae sunt preces in Officio adhibendae, ut possint aptari et celebrationi populari et celebrationi in parva communitate et recitationi a solo.

190. Preces igitur in recitatione cum populo vel communi introducuntur brevi invitatione, a sacerdote vel ministro facienda, in qua specimen responsionis, a congregatione invariabili modo repetendae, proponitur.

191. Intentiones praeterea enuntiantur sermone ad Deum directo, ita ut possint convenire tam celebrationi communi quam recitationi a solo.

192. Quaelibet intentionum formula duabus partibus constat, quarum altera potest adhiberi ut responsio variabilis.

193. Quare modi diversi adhiberi possunt, ita scilicet ut sacerdos vel minister utramque partem dicat et congregatio responsum uniforme vel pausam silentii interponat, aut sacerdos vel minister dicat tantum priorem partem et congregatio alteram.

b) *De oratione dominica.*

194. Ad Laudes matutinas et Vesperas, utpote Horas magis populares, post preces locum obtinet pro sua dignitate oratio dominica, ad normam venerabilis traditionis.

195. Oratio ergo dominica in posterum ter in die sollemniter dicetur, scilicet ad Missam, Laudes matutinas et Vesperas.

196. *Pater noster* ab omnibus dicitur, praemissa pro opportunitate brevi monitione.

c) *De oratione conclusiva.*

197. In fine totius Horae, ad complendum dicitur oratio conclusiva, quae in celebratione publica et populari, ad normam traditionis, sacerdoti aut diacono competit [17].

198. Haec oratio, in Officio lectionis, de more est diei propria. Ad Completorium, semper est in Psalterio.

199. Ad Laudes matutinas et Vesperas, oratio sumitur e Proprio in dominicis, in feriis temporis Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, necnon in sollemnitatibus, festis et memoriis. In feriis vero per annum, ea oratio dicitur, quae in cursu Psalterii indicatur ad indolem propriam harum Horarum significandam.

200. Ad Tertiam, Sextam et Nonam, seu ad Horam mediam, oratio sumitur e Proprio in dominicis et in feriis temporis Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, necnon in sollemnitatibus et festis. Aliis diebus dicuntur eae oraciones, quae cuiusque Horae indolem exprimunt et in Psalterio dispositae sunt.

XII. De sacro silentio

201. Cum generatim in actionibus liturgicis curandum sit, ut «sacrum quoque silentium suo tempore servetur» [18], in ipsa persolvenda Liturgia Horarum opportunitas silentii praebeatur.

202. Pro opportunitate ergo et prudentia, ad plenam vocis Spiritus Sancti in cordibus resonantiam assequendam, et ad orationem personalem arctius cum verbo Dei ac publica Ecclesiae voce coniungendam, spatium silentii interponi licet aut post singulos psalmos, repetita sua antiphona, secundum morem maiorum, et praecipue si, post silentium, additur oratio psalmica (cf. n. 112); aut post lectiones, sive breves, sive longiores, et quidem sive ante sive post responsorium.

Cavendum est tamen, ne tale silentium introducatur, quod structuram Officii deformet, aut molestiam seu taedium participantibus afferat.

203. In recitatione vero a solo, amplior facultas est moram faciendi in meditatione alicuius formulae, quae spiritualem affectum promoveat, neque hac de causa Officium suam publicam amittit indolem.

Caput IV

De variis celebrationibus per anni circulum

I. De celebratione mysteriorum Domini

a) *De die dominica.*

204. Officium dominicae incipit a I Vesperis, in quibus omnia sumuntur e Psalterio, iis exceptis quae ut propria assignantur.

205. Quando festum Domini die dominica celebratur, habet I Vesperas proprias.

206. De modo vigilias dominicales pro opportunitate celebrandi, dictum est supra n. 73.

207. Maxime convenit ut, ubi fieri potest, cum populo celebrentur saltem Vesperae, secundum perveterem consuetudinem [1].

sanctum Concilium, n. 92 c. [12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 93. [13] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 38. [14] Sic ex. gr. S. Ioannes Chrysostomus, *In Epist. ad Tim. I*, Homilia 6: *PG* 62, 530. [15] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 38. [16] Cf. Conc. Vat. II Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 83 et 89. [17] Cf. *infra* n. 256. [18] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium* n. 30 [LE 3141].

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*,

http://www.obrascatolicas.com

b) *De triduo paschali.*

208. In triduo paschali Officium celebratur, sicut describitur in Proprio de Tempore.

209. Ii vero, qui Missam vespertinam in Cena Domini vel celebrationem Passionis Domini feria VI participant, Vesperas respectivi diei non dicunt.

210. Feria VI in Passione Domini et Sabbato sancto habeatur ante Laudes matutinas, quantum fieri potest, publica et popularis celebratio Officii lectionis.

211. Completorium Sabbati sancti ab iis tantum dicitur, qui Vigiliae paschali non intersunt.

212. Vigilia paschalis locum tenet Officii lectionis: qui ergo sollemni Vigiliae paschali non interfuerunt, ex ea legant saltem quattuor lectiones cum cantibus et orationibus. Expedit eligere lectiones Exodi, Ezechielis, Apostoli et Evangelii. Sequuntur hymnus *Te Deum* et oratio diei.

213. Laudes dominicae Resurrectionis ab omnibus dicuntur; convenit Vesperas celebrari modo sollemniore ad tam sacri diei occasum colendum et apparitiones commemorandas, quibus Dominus suis discipulis se ostendit. Diligentissime, ubi viget, servetur particularis traditio celebrandi, die Paschae, eas Vesperas baptismales, in quibus, dum cantantur psalmi, fit processio ad fontes.

c) *De tempore paschali.*

214. Indolem paschalem accipit Liturgia Horarum ex acclamatione *Alleluia*, qua concluduntur pleraeque antiphonae (cf. n. 120); insuper ex hymnis, antiphonis et precibus specialibus, denique e lectionibus propriis, cuique Horae assignatis.

d) *De Nativitate Domini.*

215. In nocte Nativitatis Domini, ante Missam convenit, ut sollemnis vigilia celebretur per Officium lectionis. Completorium ab iis qui huic vigiliae intersunt non dicitur.

216. Laudes in die Nativitatis de more dicuntur ante Missam in aurora.

e) *De aliis sollemnitatibus et festis Domini.*

217. Ad ordinandum Officium in sollemnitatibus et festis Domini, serventur ea quae dicuntur infra nn. 225-233, mutatis tamen rebus mutandis.

II. De celebratione Sanctorum

218. Ita componuntur Sanctorum celebrationes, ut diebus festis vel sacris temporibus ipsa mysteria salutis recolentibus non praevaleant [1], neve cursum psalmodiae et lectionis divinae passim deprimant aut repetitiones indebitas pariant, utque legitima veneratio uniuscuiusque opportune foveatur. Iis principiis innititur tum reformatio Calendarii, iussu Concilii Vaticani II peracta, tum ea ratio celebrandi Sanctos in Liturgia Horarum, quae sequentibus numeris describitur.

219. Celebrationes Sanctorum sunt aut sollemnitates, aut festa, aut memoriae.

220. Memoriae vero sunt aut obligatoriae aut, si nihil indicatur, ad libitum. Ad decernendum utrum conveniat necne talem memoriam ad libitum celebrari in Officio cum populo vel in communi persolvendo, ratio habeatur boni communis vel verae ipsius coetus devotionis, non solius praesidis.

221. Si eadem die plures occurrant memoriae ad libitum, una tantum celebrari potest, ceteris omissis.

222. Sollemnitates, eaeque solae, transferuntur ad normam rubricarum.

223. Normae quae sequuntur vim obtinent tam pro Sanctis, qui in Calendario Romano generali inscribuntur, quam pro iis, qui in calendariis particularibus recensentur.

224. Partes proprias, si forte desint, supplent respectiva Communia Sanctorum.

1. *Quomodo ordinandum sit Officium in sollemnitatibus.*

225. Sollemnitates habent I Vesperas die praecedente.

226. In Vesperis, tam primis quam secundis, hymnus, antiphonae lectio brevis cum suo responsorio, oratio conclusiva sunt propria; quod si propria deficiant, sumantur de Communi.

Uterque psalmus, in I Vesperis, sumitur de more ex serie *Laudate* (scilicet ex psalmis 112, 116, 134, 145, 146, 147) secundum antiquam traditionem; canticum Novi Testamenti indicatur suo loco. In II Vesperis psalmi et canticum sunt propria; preces sunt propriae vel de Communi.

227. In Laudibus matutinis hymnus, antiphonae, lectio brevis cum suo responsorio, oratio conclusiva sunt propria; quod si propria deficiant, sumantur de Communi. Psalmi vero sumendi sunt de dominica I in Psalterio; preces sunt propriae vel de Communi.

228. In Officio lectionis, omnia sunt propria, sive hymnus, sive antiphonae et psalmi, sive lectiones et responsoria. Lectio prior est biblica, altera hagiographica. Si vero agitur de Sancto, qui cultum localem tantum habet neque in Proprio quidem locali partes speciales obtinet, omnia sumuntur de Communi.

In fine Officii lectionis dicuntur hymnus *Te Deum* et oratio propria.

229. In Hora media, seu Tertia, Sexta et Nona, hymnus dicitur cotidianus, nisi aliter indicatur; psalmi sunt ex gradualibus cum antiphona propria; die tamen dominica psalmi sumuntur de dominica I in Psalterio, lectio brevis et oratio conclusiva sunt propriae. Attamen in quibusdam sollemnitatibus Domini proponuntur psalmi peculiares.

230. Ad Completorium, omnia sunt de dominica, respective post I et post II Vesperas.

2. *Quomodo ordinandum sit Officium in festis.*

231. Festa non habent I Vesperas, nisi agatur de festis Domini, quae occurrunt die dominica. Ad Officium lectionis, Laudes matutinas et Vesperas omnia fiunt ut in sollemnitatibus.

232. In Hora media, seu Tertia, Sexta et Nona, hymnus dicitur cotidianus; psalmi cum suis antiphonis dicuntur de feria, nisi ad Horam mediam ratio peculiaris vel traditio requirat, ut antiphona propria dicatur, quod suo loco indicabitur. Lectio brevis et oratio conclusiva sunt propriae.

233. Completorium dicitur sicut diebus ordinariis.

3. *Quomodo ordinandum sit Officium in memoriis Sanctorum.*

234. Inter memoriam obligatoriam et memoriam ad libitum, si haec reapse celebratur, nulla est differentia in ratione ordinandi Officii, nisi agatur de memoriis ad libitum, quae temporibus privilegiatis forte occurrant.

a) *De memoriis diebus ordinariis occurrentibus.*

235. In Officio lectionis, Laudibus matutinis et Vesperis: *a)* psalmi cum suis antiphonis sumuntur e feria currente, nisi forte adsint antiphonae propriae vel psalmi proprii, qui singulis locis indicantur; *b)* antiphona ad invitatorium, hymnus, lectio brevis, antiphonae ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, preces, si sunt propria, dicenda sunt de Sancto; secus dicuntur aut de Communi aut de feria currente; *c)* oratio conclusiva dicenda est de Sancto; *d)* in Officio lectionis lectio biblica cum suo responsorio est de Scriptura occurrente. Altera lectio est hagiographica cum responsorio proprio vel de Communi; si autem non est propria, sumitur ex textibus Patrum diei currentis.

Non dicitur *Te Deum*.

236. In Hora media, seu Tertia, Sexta et Nona, et ad Completorium nihil fit de Sancto, sed totum de feria.

b) *De memoriis tempore privilegiato occurrentibus.*

237. In dominicis, sollemnitatibus et festis, necnon in feria IV Cinerum, in Hebdomada sancta et in octava Paschae, nihil fit de memoriis forte occurrentibus.

238. In feriis a die 17 ad diem 24 decembris, necnon in octava Nativitatis et in feriis Quadragesimae, nulla celebratur memoria obligatoria, ne in calendarii quidem particularibus. Quae vero accidentaliter tempore Quadragesimae occurrunt, habentur eo anno ut memoriae ad libitum.

239. Iisdem vero temporibus, si quis voluerit celebrare Sanctum, qui ea die ut memoria inscribitur. *a)* in Officio lectionis, post lectionem e Patribus in Proprio de Tempore cum eius responsorio, addat lectionem hagiographicam propriam cum eius responsorio et concludat cum oratione de Sancto; *b)* praeterea ad Laudes matutinas et Vesperas potest, orationem conclusivam, omissa conclusione, addere antiphonam (propriam vel de Communi) et orationem de Sancto.

c) *De memoria Sanctae Mariae in sabbato.*

240. Sabbatis per annum, quibus permittuntur memoriae ad libitum, celebrari potest, eodem ritu, memoria ad libitum Sanctae Mariae cum sua lectione propria.

III. De calendario adhibendo deque facultate eligendi aliquod Officium vel aliquam eius partem

a) *De calendario adhibendo.*

241. Officium in choro et in communi persolvendum est iuxta calendarium proprium, scilicet dioecesis, vel familiae religiosae, vel singularum ecclesiarum [2]. Sodales autem familiarum religiosarum cum communitate Ecclesiae localis funguntur in celebrandis dedicatione ecclesiae cathedralis et Patronis principalibus loci et amplioris dicionis, ubi degunt [3].

242. Quivis clericus aut religiosus, Officio divino quolibet titulo adstrictus, qui Officium participat in communi iuxta aliud calendarium aut alium ritum ac suum, hoc modo suo muneri quoad hanc partem Officii satisfacit.

243. In celebratione, quae, a solo fit, servari potest aut calendarium loci aut calendarium proprium, praeterquam in sollemnitatibus et festis propriis [4].

b) *De facultate eligendi aliquod Officium.*

244. In feriis, quae admittunt celebrationem memoriae ad libitum, iusta de causa celebrari potest, eodem ritu (cf. nn. 234-239), Officium alicuius Sancti inscripti eo die in Martyrologio Romano aut in eius Appendice rite approbato.

245. Extra sollemnitates, dominicas Adventus, Quadragesimae et Paschae, feriam IV Cinerum, Hebdomadam sanctam, octavam Paschae et diem 2 novembris, publicam ob causam aut devotionis gratia celebrari potest, sive in toto sive ex parte, aliquod Officium votivum: quod fieri potest ex. c. ratione peregrinationis, festi localis, sollemnitatis externae alicuius Sancti.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 111 [LE 3141]. [2] Cf. Normae universales de anno liturgico et de calendario, n. 52 [LE 3728] [3] Cf. *Ibid.*, n. 53 c. [4] Cf. Tabula dierum liturgicorum, nn. 4 et 8: *h.m.*, pp. 93-94.

c) *De facultate eligendi aliqua formularia.*

246. In quibusdam casibus particularibus eligi possunt in Officio formularia diversa ab iis quae occurrunt, dummodo ne laedatur ordinatio generalis uniuscuiusque Horae et serventur regulae quae sequuntur.

247. In Officio dominicarum, sollemnitatum, festorum Domini quae inscripta sunt in Calendario generali, feriarum Quadragesimae et Hebdomadae sanctae, dierum infra octavas Paschae et Nativitatis, necnon feriarum a die 17 ad diem 24 decembris inclusive, numquam mutare licet ea formularia, quae sunt propria vel huic celebrationi accommodata; cuius generis sunt antiphonae, hymni, lectiones, responsoria, orationes et saepissime etiam psalmi.

Pro psalmis vero dominicalibus hebdomadae currentis possunt pro opportunitate substitui psalmi dominicales alius hebdomadae, immo, si agitur de Officio cum populo, alii psalmi ita selecti, ut populus per gradus adducatur ad psalmos intellegendos.

248. In Officio lectionis, lectio currens de sacra Scriptura semper in honore habenda est. Pertinet etiam ad Officium votum Ecclesiae, «ut, intra praestitutum annorum spatium, praestantior pars Scripturarum sanctarum populo legatur» [1].

Iis attentis, temporibus Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, cursus lectionum de Scriptura, qui proponitur in Officio lectionis, ne derelinquatur; tempore per annum, iusta de causa, aliquo die vel paucis diebus continuis, eligi possunt lectiones inter eas, quae proponuntur pro aliis diebus, vel etiam inter alias lectiones biblicas, exempli gratia cum fiunt spirituales exercitationes vel conventus pastorales vel preces pro unitate Ecclesiae, et aliae res huiusmodi.

249. Si quando lectio continua ob aliquam sollemnitatem vel festum vel peculiarem celebrationem intermittitur, in eadem hebdomada licebit, prae oculis habita ordinatione totius hebdomadae, aut partes omissas cum aliis componere, aut quinam textus aliis praeferendi sint statuere.

250. In eodem Officio lectionis, loco lectionis alterius talli diei assignatae, eligi potest, iusta de causa, alia lectio eiusdem temporis, desumpta sive e libro Liturgiae Horarum sive e Lectionario ad libitum (n. 161). Insuper diebus ferialibus per annum et, si opportunum videtur, etiam tempore Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, fieri potest lectio quasi continua operis alicuius Patris, quod consonet cum mente biblica et liturgica.

251. Lectiones breves necnon orationes, cantus et preces, quae proponuntur pro feriis temporis peculiaris, dici possunt in aliis feriis eiusdem temporis.

252. Etsi unicuique observatio totius cursus Psalterii, per hebdomadas distributi, cordi esse debet [2], pro opportunitate tamen sive spirituali sive pastorali, loco psalmorum certo diei assignatorum dici possunt psalmi eiusdem Horae, alii diei assignati. Sunt etiam quaedam adiuncta per occasionem occurrentia, in quibus aptos psalmos et alias partes ad instar Officii votivi eligere licet.

Caput V

De Ritibus servandis in celebratione communi

I. De variis muneribus adimplendis

253. In celebratione Liturgiae Horarum non aliter atque in ceteris actionibus liturgicis «quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet» [1].

254. Si praeest episcopus, praesertim in ecclesia cathedrali, a suo presbyterio et ministris circumdetur, cum plenaria et actuosa participatione plebis. Cuilibet vero celebrationi cum populo de more praesit sacerdos vel diaconus, et adsint quoque ministri.

255. Presbyter vel diaconus, qui celebrationi praesidet, super albam vel superpelliceum induere potest stolam; presbyter etiam pluviale. Nihil praeterea impedit, quominus in maioribus sollemnitatibus plures presbyteri induant pluviale et diaconi dalmaticam.

256. Sacerdotis vel diaconi praesidentis est, ad sedem suam, Officii initium facere versu introductorio, orationem dominicam inchoare, orationem conclusivam proferre, populum salutare, benedicere et dimittere.

257. Preces proferre potest vel sacerdos vel minister.

258. Deficiente presbytero vel diacono, is qui praeest Officio est tantum unus inter pares; presbyterium non ingreditur, nec salutat nec benedicit populum.

259. Qui munere lectoris funguntur, loco apto stantes proferunt lectiones, sive longiores sive breves.

260. Antiphonarum vel psalmorum vel aliorum cantuum inchoatio a cantore seu cantoribus fiat. Ad psalmodiam quod attinet, serventur ea quae dicta sunt supra, nn. 121-125.

261. Dum canticum evangelicum editur ad Laudes matutinas et Vesperas, altare, et deinde etiam sacerdos et populus, incensari possunt.

262. Choralis obligatio communitatem afficit, non vero locum celebrationis, qui non est necessario ecclesia, praesertim si agitur de illis Horis, quae sine sollemnitate persolvuntur.

263. Omnes participantes stant: *a)* dum introductio Officii et versus introductorii uniuscuiusque Horae dicuntur; *b)* dum dicitur hymnus; *c)* dum dicitur canticum ex Evangelio; *d)* dum dicuntur preces, oratio dominica et oratio conclusiva.

264. Omnes sedentes, praeterquam ad Evangelium, auscultant lectiones.

265. Dum psalmi et alia cantica cum suis antiphonis dicuntur, coetus vel sedet vel stat iuxta consuetudines.

266. Omnes signant se signo crucis, a fronte ad pectus et ab umero sinistro ad dexterum: *a)* in principio Horarum, cum dicitur *Deus, in adiutórium*; *b)* in principio canticorum ex Evangelio, *Benedictus*, *Magnificat* et *Nunc dimittis*.

Signo crucis os sibi signant in principio Invitatorii ad verba *Dómine, lábia mea apéries.*

II. De cantu in Officio

267. In rubricis et normis huius Institutionis verba «dicere» vel «proferre» intellegi debent aut de cantu aut de recitatione, iuxta principia quae infra ponuntur.

268. «Celebratio divini Officii in cantu, utpote quae huius precationis naturae magis congruat, et indicium sit plenioris sollemnitatis atque profundioris unionis cordium in laudibus Dei persolvendis, enixe commendatur iis, qui in choro vel in communi ipsum Officium divinum persolvunt» [2].

269. Sicut ad omnem actionem liturgicam, ita praecipue ad Liturgiam Horarum pertinent ea, quae de cantu liturgico declarantur a Concilio Vaticano II [3]. Quamquam enim omnes et singulae partes ita instauratae sunt, ut etiam a solo cum fructu recitari possint, plures tamen ex iis generis sunt lyrici ideoque pleniorem suum sensum nonnisi cantu exprimunt, in primis psalmi, cantica, hymni et responsoria.

270. Cantus ergo in Liturgia Horarum persolvenda non ut ornatus quidam habendus est, qui quasi extrinsecus ad orationem accedat, sed potius ex profunditate animae orantis atque Deum laudantis profluit et communitariam cultus christiani indolem plene ac perfecte patefacit.

Laude igitur digni sunt christiani coetus cuiuslibet generis, qui formam hanc precationis quam saepissime usurpare nituntur; ad hoc debita catechesi atque exercitatione tum clerici ac religiosi, tum fideles instruendi sunt, ut potissimum diebus festis Horas cum gaudio concinere valeant. Quia vero difficile est Officium integrum cum cantu proferre, et ceterum laus Ecclesiae neque ex sua origine neque ex sua natura censenda est propria clericorum vel monachorum, sed ad totam communitatem christianam pertinet, plura simul prae oculis habenda sunt principia, ut celebratio Liturgiae Horarum in cantu et fieri recte possit et veritate ac nitore fulgeat.

271. In primis convenit, ut saltem diebus dominicis et festis cantus adhibeatur, et ex eius usu varii sollemnitatis gradus dignoscantur.

272. Item cum non omnes Horae eiusdem sint ponderis, expedit, ut etiam per cantum illae prae ceteris extollantur, quae revera cardines sunt Officii, nempe Laudes matutinae et Vesperae.

273. Praeterea etsi celebratio, quae tota in cantu peragitur, commendatur dummodo arte et spiritu excellat, utiliter tamen principium «progressivae» sollemnitatis quandoque adhiberi potest, tum ex rationibus practicis, tum ex eo quod varia celebrationis liturgicae elementa non indiscriminatim aequiparantur, sed suum quodque nativum sensum munusque verum denuo recipere potest. Tali modo Liturgia Horarum non tamquam pulchrum aetatis praeteritae monumentum conspicitur, quod ut immutatum fere conservetur postulat ad admirationem sui excitandam, sed e contrario nova ratione reviviscere atque incrementa capere potest rursusque clarum testimoninm fieri alicuius communitatis, vitae alacritate praeditae.

Principium itaque «progressivae» sollemnitatis illud est, quod plures gradus medios admittit inter Officium ex integro cantatum et simplicem recitationem omnium partium. Haec ratio magnam gratamque varietatem praebet, cuius mensura aestimanda est ex colore diei vel Horae quae celebratur, ex natura singulorum elementorum quae Officium constituunt, ex numero denique vel indole communitatis, necnon ex cantorum numero qui suppetit talibus in adiunctis.

Per hanc maiorem variandi copiam publica laus Ecclesiae frequentius quam antea in cantu peragi ac multimode variis accommodari adiunctis poterit; neque spes modica affulget fore, ut novae viae novaeque formae inveniantur pro nostra aetate, sicut semper in vita Ecclesiae evenisse constat.

274. In actionibus liturgicis in cantu lingua latina celebrandis, cantus gregorianus, utpote Liturgiae Romanae proprius, principem locum, ceteris paribus, obtineat [4]. «Nullum» tamen «genus musicae sacrae Ecclesia ab actionibus liturgicis arcet, dummodo spiritui ipsius actionis liturgicae et naturae singularum eius partium respondeat et debitam actuosam populi participationem non impediat» [5]. In Officio cantato si deest melodia pro antiphona proposita, sumatur alia antiphona ex iis, quae sunt in repertorio, dummodo apta sit ad normam nn. 113, 121-125.

275. Cum autem Liturgia Horarum lingua vernacula persolvi possit, «congrua cura habeatur ut parentur melodiae,

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 28 [LE 3141]. [2] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 99 [LE 3141]. [3] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 113 [LE 3141]. [4] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 116. [5] S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 9: *A. A. S.* 59 (1967), p. 303; cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra [LE 3141]. [1] S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 37: *A. A. S.* 59 (1967), p. 310 [LE 3541]; cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 99 [LE 3141]. [2] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 113 [LE 3141].

http://www.obrascatolicas.com

quae in cantu divini Officii lingua vernacula adhibeantur» [4].

276. Nihil tamen impedit, quominus in una eademque celebratione partes aliae alia lingua canantur [7].

277. Quaenam elementa sint praeprimis eligenda ut cum cantu proferantur, e genuina celebrationis liturgicae ordinatione deducitur, quae postulat, ut sensus et natura cuiusque partis et cantus probe serventur. Sunt enim, quae cantum per se requirant [8]: huismodi sunt imprimis acclamationes, responsiones post salutationes sacerdotis et ministrorum et in precibus litanicis, ac praeterea antiphonae et psalmi, necnon versus intercalares seu responsa repetita, atque hymni et cantica [9].

278. Psalmos constat (cf. nn. 103-120) arcte conecti cum musica, quod traditione tam iudaica quam christiana comprobatur. Revera ad plenam intellegentiam multorum psalmorum non parum confert quod ipsi canuntur vel saltem in hac luce poetica et musica semper perspiciuntur. Si igitur fieri potest, haec forma praeferenda videtur, saltem diebus et in Horis praecipuis atque secundum nativam indolem psalmorum.

279. Diversi modi psalmodiam exsequendi supra nn. 121-123 describuntur, inter quos varietas inducatur non tam ex externis adiunctis, quam ex diverso eorum psalmorum genere, qui in una celebratione occurrunt: ita melius fortasse erit audire psalmos sapientiales aut historicos, cum e contrario hymni aut gratiarum actiones per se cantum communem secumferant. Id unum autem maxime interest, ut celebratio neque durior sit neque nimium elaborata, seu de exsequendis tantummodo normis mere formalibus sollicita, sed rei veritati respondeat. Ad hoc enim primo enitendum, ut animi genuinae studio orationis Ecclesiae informentur et iucundum sit Dei celebrare laudem (cf. *Ps.* 146).

280. Hymni orationem etiam recitantis Horas alere possunt, si doctrinae et artis excellentia pollent; per se tamen ad cantum destinantur, ideoque suadetur, ut hac forma, quantum fieri potest, proferantur in celebratione communitaria.

281. Responsorium breve post lectionem ad Laudes et Vesperas, de quo n. 49, per se ad cantum, et quidem popularem, destinatur.

282. Responsoria etiam, quae lectiones sequuntur in Officio lectionis, ex sua indole atque munere cantum deposcunt. In cursu tamen Officii ita instructa sunt, ut etiam in recitatione a solo et privata vim suam retineant. Cantus vero frequentius adhiberi poterit in iis, quae modis musicis simplicioribus ac facilioribus ornati sunt, quam in iis, qui e fontibus liturgicis promanarunt.

283. Lectiones sive longiores sive breves per se ad cantum non destinantur; cum proferuntur, sedulo attendendum est, ut digne, clare et distincte legantur et ab omnibus reapse percipi ac probe intellegi possint. Ille ergo solus modus musicus in lectione accipi potest, quo auditio verborum et intellegentia textus melius obtineri valeant.

284. Textus qui singulatim a praeside proferuntur, velut orationes, decore et apte cani possunt, praesertim lingua latina. Hoc tamen difficilius fiet in quibusdam linguis vernaculis, nisi verba textu per cantum clarius ab omnibus percipi possunt.

Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 116. [4] S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 41; cf. nn. 54-61: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 312, 316-317. [7] S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 51, *A. A. S.* 59 (1967), p. 315. [8] Cf. *Ibid.*, n. 6: p. 302. [9] Cf. *Ibid.*, nn. 16 a. 38: pp. 305, 311.

1. Octogesima adveniens anniversaria memoria Litterarum Encyclicarum, a verbis «Rerum Novarum» incipientium, quarum nuntio animi ad agendum pro sociali iustitia pergunt incitari, Nos movet, ut nonnulla proferamus mentis cogitata; quod quidem eo facimus consilio, ut quaedam conferamus in medium, Decessorum Nostrorum persequentes doctrinam de re sociali atque normas suasionesque edicentes, quas necessitates postulant mundi, qui continenter mutatur. Namque Ecclesia una cum hominum societate peregrinatur, eiusdemque est particeps sortis in rerum ac temporum vicissitudinibus. Quamvis ipsa ad Dei amorem et ad salutem nobis a Christo allatam annuntianda incumbat, tamen Evangelii lumine humanam navitatem collustrat atque homines adiuvat ad Dei con/silium, amoris 402
plenum, exsequendum, eorumque desideria plene satianda.

2. Animadvertimus autem —quod Nostram alit fiduciam— Spiritum Domini in mortalium animis pergere operari et ubique communitates congregare christianas, quae officiorum suorum in societate sint consciae. In omnibus enim terris continentibus, in quovis hominum genere, in quavis natione cultusque ingenii forma, quibuscumque in vitae condicionibus, Dominus germanos Evangelii apostolos non desinit excitare.

Hos quidem datum est Nobis convenire et admirari et eorundem confirmare animos, cum recentiora Nostra itinera faceremus. Ad hominum multitudines accessimus, quarum audivimus postulationes atque clamores, qui simul erant inopiae ac spei indicia.

Tunc nova luce eminere Nobis visae sunt graves, quae nostra aetate agitantur, quaestiones, peculiares quidem cuique regioni, tamen communes universae hominum consortioni; hi enim se ipsi interrogant de sorte sua futura atque de cursu et significatione illarum, quas nunc fieri contingit, mutationum. Gravia exstant discrimina, si ad progressionem in re oeconomica, in ingeniorum cultu et in re politica apud varias nationes attendatur: aliae enim regiones machinariis industriis optime sunt instructae, aliarum regionum vero oeconomica ratio adhuc in agrorum cultura innititur; aliae nationes opibus affluunt, aliae inopia laborant; alii populi in disciplinarum artiumque cultu summum fastigium assecuti sunt, alii vero litterarum elementorum ignorantiam depellere adhuc nituntur. Ubique plus expetitur iustitiae et pax affectatur securior, mutua inter homines ac populos servata reverentia.

3. Profecto diversae sunt rerum condiciones, in quibus christiani, volentes aut inviti, secundum cuiusque regionem, instituta socialia-politica, formasque cultus humani versantur. Hic enim coguntur silere, suspecti habentur,
quasi in societatis / partes secundarias sunt detrusi, absoluto 403
civitatis imperio, libertate destituti, continentur. Illic vero, tenues inferioresque numero inveniuntur, quorum vox difficile audiatur. Aliis in nationibus, in quibus Ecclesia locum obtinet bene constitutum, interdum etiam legitimum ac publicum, ictibus est obnoxia ex illo orientibus discrimine, quo hominum societas concutitur, atque nonnulli eius sodales alliciuntur rationibus nodi expediendi turbulentis violentisque, unde prosperiores exitus se sperant consequi posse. Cum tamen nonnulli, iniustitiarum, quae nunc sunt, incuriosi, praesentem rerum statum prolatare nitantur, alii commentis irretiuntur seditiosorum, quae iis humanam consortionem perpetuo meliorem, falsa rei imagine fallente, promittunt.

4. Si tam diversae condiciones rerum considerantur, arduum profecto Nobis est unam enuntiare sententiam, qua solutio, omnibus locis congruens, proponatur. Verumtamen eiusmodi studio minime ducimur neque hoc est of-

http://www.obrascatolicas.com

ficii Nostri. Etenim ipsae christianae communitates id agere debent, ut propriae regionis statum ex rei veritate perscrutentur, ut eum luce immutabilium Evangelii verborum illustrent, ut principia cogitandi, iudicandi normas, regulas operandi e sociali doctrina Ecclesiae hauriant; doctrinam dicimus eam, quae temporum cursu est confecta, maxime vero hac machinaria aetate, ex illo scilicet die, historia digno, quo Leo XIII «de opificum conditione» nuntium edidit, cuius anniversariam memoriam recolere est Nobis hodie et honoris et laetitiae causa. Eiusmodi ergo christianarum communitatum est, adiuvante Spiritu Sancto, discernere —dum communione cum episcopis, ad quos pertinet, coniunguntur et cum ceteris christianis fratribus et omnibus bonae voluntatis hominibus colloquia serunt— quae viae ineantur et quae munia suscipiantur oporteat ad illas in rem socialem, politicam, oeconomicam inducendas mutationes, quae necessariae esse videntur, neque ullam
404 moram saepe patiuntur. /

Dum ergo eiusmodi promovere mutationes contendunt, christifideles imprimis fiduciam confirment, quam in efficacitate Evangelii atque in propria singularique indole eius postulationum habent collocatam. Non enim ideo obsoletum est Evangelium, quod annuntiatum est, scriptum et ad vitae usum deductum in prorsus diversis rei socialis animorumque cultus condicionibus. Ea quae docet ac suggerit, per illam vivam experientiam locupletata, quae in traditione christiana saeculorum cursu est habita, semper nova sunt, quod attinet ad conversionem hominum et progressionem vitae socialiter ducendae; quibus tamen non ita uti licet, ut ad peculiares causas temporales vertantur, oblitterato evangelico nuntio universali atque perenni [1].

5. In huius aetatis perturbatione rebusque incertis, Ecclesia singularem nuntium edere, nisusque hominum confirmare valet, qui ad propriam sortem futuram efficiendam admovent manus eandemque ad sua consilia student conformare. Ex quo tempore per Encyclicas Litteras, a verbis «Rerum Novarum» incipientes, vivaciter impenseque pronuntiata est indigna probrosaque opificum condicio in societate, quae oriebatur, quaestuosae industriae dedita, progressio rerum alia capita et alias rationes iustitiae socialis mentibus insinuavit, quemadmodum etiam per Litteras, a verbis *Quadragesimo Anno* [2] et *Mater et Magistra* [3] appellatas, iam est declaratum.

Recens autem Concilium Oecumenicum operam navavit hisce quaestionibus expediendis, praesertim in Constitutione Pastorali, quae a verbis *Gaudium et Spes* initium sumit. Ac Nosmet ipsi per Encyclicas Litteras, *Populorum Progressio* inscriptas, hasce agendi normas iam amplifica-
405 vimus: *Illud hodie / maxime interest omnes pro certo habere ac veluti sentire, socialem quaestionem nunc ad universam coniunctionem inter homines hominum magnopere pertinere* [4]. *Cum enim Ecclesia clarius etiam altiusque iudicavisset et expendisset quid hac de re Christi Iesu Evangelium flagitaret, suum esse duxit hominibus magis etiam egregiam navare operam, ut non modo gravissimae huius quaestionis ii momenta omnibus vestigiis indagarent, sed etiam sibi persuaderent, hac summi discriminis hora, communi omnium actione vehementer opus esse* [5].

Hoc officio, cuius penitus conscii sumus, Nos hodie impellimur, ut nonnulla cogitata suasionesque proponamus, quas amplissimae quaestiones hominibus hac aetate expediendae gignunt.

6. Ceterum proximae Synodo Episcoporum erit propositum, ut accuratius expendat altiusque perscrutetur munus Ecclesiae implendum in iis, quae ad graves spectant quaestiones, quas iustitia in mundo hodie ponit. At anniversaria memoria Litterarum Encyclicarum «Rerum Novarum» Nobis hodie opportunitatem praebet sollicitudines et cogitata Nostra de hac quaestione in te, Venerabilis Frater Noster, deponendi, utpote qui Commissionis Nostrae a «Iustitia et Pace» et Consilii de Laicis Praesidem agas.

Hoc modo Nobis perplacet etiam huiusmodi Sanctae Sedis Instituta adhortari ad opus efficaciter persequendum, quo Ecclesiae actionem pro hominibus promovere contendunt.

7. Verumtamen, non immemores quaestionum perennium, ad quarum studium Decessores Nostri se contulerunt, Nos de aliis volumus admonere quaestionibus, quae propter instantem necessitatem, amplitudinem, implica-

[1] Cfr. Conc. Oecum. Vatic. II, Const. Past. *Gaudium et spes*, 10: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1033 [LE 3366]. [2] *A. A. S.* 23 (1931), p. 209 sq. [LE 1027]. [3] *A. A. S.* 53 (1961), p. 429 [LE 2984]. [4] 3: *A. A. S.* 59 (1967), p. 258 [LE 3547]. [5] *Ibidem*, 1: p. 257.

tionem in futuros annos habeant oportet christifideles sollicitos, ut una cum ceteris hominibus vires suas impendant
novis difficultatibus / expediendis, quibus ipsa hominum 406
sors futura in discrimen vocatur. Etenim quaestiones sociales, quas hodierna ratio oeconomica infert —cuius generis sunt condiciones humanae opum gignendarum, aequa bonorum permutatio ac divitiarum partitio, significatio et momentum auctarum rerum, quae necessitatis causa consumuntur, participatio munerum— in ampliore novi cultus civilis complexione collocentur oportet. In mutationibus, quae nunc tam vehementer tamque velociter fiunt, homo se cotidie denuo detegit seque interrogat de significatione sui ipsius ac de communi hominum superstite vita. Cum vero haereat, num documenta superioris aetatis, quam prorsus abiisse nimiumque iam discrepare arbitratur, sibi sint accipienda, homini tamen opus est futuram suam sortem —eam tam incertam esse animadvertit quam instabilem— illustrare per veritates immutabiles et aeternas, quae eum sine dubio transcendunt, sed quarum vestigia ipse, dummodo velit, potest reperire [6].

I

8. Maioris vero ponderis res eaque singularis hodie Nostrum animum tangit, id est nimis densatus urbium incolatus; quae res in cunctis accidit regionibus, sive in iis, quae quaestuosa industria iam sunt instructae, sive in iis, quae ad humani cultus progressum adhuc nituntur. Post longum cursum saeculorum civilis cultus agrarius iam imminuitur. Ceterum, num sufficiens cura intenditur in recte disponendam melioremque reddendam vitam agrestium, quorum condicio, quoad rem oeconomicam minor et interdum misera, causa est, cur in suburbia, tristes hominum coacervationes, illi commigrent, ubi neque opus faciendum inveniunt neque habitationem?

Continens haec e rure demigratio, incrementa machina-
riae / industriae, non intermissus populorum auctus, vis illa 407
attractiva magnarum urbium efficiunt, ut multitudines ibi conglobentur, quarum immensitas vix possit animo fingi; siquidem iam sermo fit de ingentibus urbibus, quae, «megalopoles» nuncupatae, a centies ac pluries centenis milibus hominum habitentur. Sunt quidem urbes, quarum amplitudo eiusmodi est, ut aequior habeatur incolarum dispositio. Quae, iis, qui propter agri culturae progressiones vacui sunt, copiam operis faciendi dantes, hominum convictum et societatem praebent, quibus proletariae condicionis inductio civiumque conglobatio devitentur.

9. Immodica autem harum urbium accretio ad auctus accedit quaestuosae industriae, non tamen par fit cum iisdem. Inductio enim machinariae industriae, in technologicis inquisitionibus naturaeque mutatione innixa, propositum sibi iter sine intermissione insistit, vim suam effectivam continenter demonstrans. Cum autem aliae societates in opibus gignendis amplificantur atque in unum se colligunt, aliae pereunt aut sede sua commoventur, novas afferentes difficultates sociales, videlicet invitam cessationem ab opere, sive ad artes sive ad regiones quod attinet, personarum ad alias artes accommodationem earumque mobilitatem, stabilem opificum aptationem, inaequalitatem condicionum, in quibus variae partes quaestuosae industriae versantur. Certatio omnem modum excedens hodiernisque instrumentis usitans ad res in vulgus suadendas aptis, novas semper, quas peperit, res in medium confert, illosque allicit, qui eas consumant, cum veteres officinae, quae rectum adhuc tenent cursum, inutiles reddantur. Dum permagnae populi partes praecipuis necessitatibus vitae consulere nequeunt, contenditur, ut appetitiones rerum supervacanearum excitentur; qua de causa non immerito ponitur quaestio, num homo, licet tanta sit assecutus, operositatis suae fructum in se ipsum retorqueat.
Postquam ergo naturae opes, ut par / est, in suum usum 408
convertit [7], nonne ipse servus efficitur operum a se fabricatorum?

10. Nonne vitae cultus, qui proprius est densati urbium incolatus et augescenti civili cultui, in machinaria industria posito, iungitur, reapse sapientiam hominis provocat, eius facultatem res disposite temperandi, eius praevidens ingenium? In ipso gremio societatis, quaestuosa industria florentis, nimium illud urbis incolendae studium convellit vitae consuetudines et instituta usu recepta, in quibus aevum transigi solet: familiam, vicinitatem, ipsius etiam christianae communitatis compages. Homo enim novam experitur solitudinem, non quidem ex natura sibi infensa, cui ut dominaretur, est per saecula annisus, sed

[6] Cfr. 2 Cor. 4, 17. [7] Cfr. Litt. Encycl. *Populorum Progressio*, 22: *A. A. S.*

in ipsa multitudine sibi ignota, qua circumfunditur et in qua se velut peregrinum esse persentit. Densatus urbium incolatus, qui est sine dubio quasi quidam gradus progredientis societatis humanae quique iam retroagi nequit, non facile expediendas quaestiones homini affert: scilicet quomodo urbium incrementa coerceat, earum temperet dispositionem, alacritatem civibus iniciat ad omnium bonum. In hac autem confusa accretione novi oriuntur proletarii; qui in media se collocant urbe, unde divites quandoque recedunt; qui in suburbiis considunt, quae, miseria squalentia, circumsaepiunt, adhuc tacita quasi cum expostulatione, urbes nimio luxu fruentes, ubi nempe bona effrenate consumuntur ac saepe dissipantur. Urbs non fraternas promovet congressiones nec mutuum auxilium, sed discrimina fovet atque etiam neglectionem; novas concitat formas immoderati quaestus ac dominationis, quatenus nonnulli, aliorum necessitates ad suum usum convertentes, inde lucra faciunt prorsus improbanda. Pone aedium frontes multae latent miseriae, quas etiam proxime habitantes vicini ignorant; aliae autem sunt apertae, videlicet ubi
409 dignitas / humana abicitur: cuius modi sunt delicta, scelera, medicamenta psychotropica, erotismus, qui dicitur.

11. Infirmiores autem cives illis vitae condicionibus conflictantur, quibus humanitas exuitur, deprimitur conscientia, damna familiae instituto inferuntur; promiscua domicilia popularia minimum quiddam intimae intra domesticos parietes consuetudinis haberi non sinunt; iuvenes recens matrimonio iuncti habitationem sibi consentaneam, cuius mercedi solvendae sint pares, frustra exspectantes, animos demittunt, quod etiam eorum unitatem in discrimen adducere possit; pueri puellaeque, e domo nimis angusta fugientes, in viis hac utuntur compensatione, ut sociis amicisque adhaereant nec sit, qui inspiciat et vigilet. Gravi ergo officio ii, ad quos pertinet, obstringuntur annirendi, ut eiusmodi rerum cursum moderentur ac recte dirigant.

Est ergo necessarium illam restitui socialis vitae veluti contextam rationem, qua quisque humanae personae iustis appetitionibus possit satisfacere, ac quidem quod pertinet ad urbis vias, ad regiones, ad civium universitatem. Instituendae sunt, ratione ducta communitatum et paroeciarum, sedes animis recreandis variaque eruditione excolendis idoneae, multiplici quidem consociationum forma servata; praeterea circuli honesto otio apti, loca coetibus agendis destinata, conventus, quae rei spiritualis causa celebrentur; ubi singuli, e solitudine evadentes, fraternas cum aliis necessitudines iungere possunt.

12. Est autem munus, quod christiani debent participare, eo videlicet pertinens, ut urbs aedificetur quasi locus, ubi homines eorumque communitates amplificatae exsistant, ut novae ineantur rationes vicinitatis aliusque necessitudinis, ut peculiares modi excogitentur iustitiam socialem ad effectum deducendi, ut sors futura, quae om-
410 nium est propria et / quam fore difficilem praesentitur, a cunctis in se recipiatur. Hominibus, in promiscua urbium confusione stipatis —quod tolerari iam nequit— afferendus est nuntius spei ope fraternitatis, quae vivendo exprimatur, et iustitiae visu manifestae. Christiani, huius novi, quo tenentur, officii conscii, ne deficiant animis in immensitate urbis, quae nota caret singulari, sed Ionae prophetae meminerint, qui Niniven, urbem magnam, diu perlustravit, ut faustum nuntium misericordiae divinae ibi annuntiaret, in infirmitate sua roboratus sola vi verbi Dei Omnipotentis. Re quidem vera in sacris Bibliis urbs saepe perhibetur locus peccati et superbiae, qua elatus homo sibi fidit vitam sine Deo se instituere posse, quin immo potentem adversus eum sese ostendere. Est tamen etiam Ierusalem, urbs sancta, locus, ubi Deo occurritur; quae est promissum civitatis descendentis de caelo [8].

13. Urbanae vitae ratio ac mutationes, per machinariam industriam inductae, quaestiones pleniore in luce ponunt, quae usque adhuc minus recte intellectae sunt. Exempli causa, in hominum societate, quae nunc oritur, quinam mulierum iuvenumque proprius erit locus?

Revera arduum ubique hodie est colloquium, quod cum adultis iuvenes habent, qui appetitiones rerumque novarum studia afferunt, atque etiam de futuri aevi sorte incerti penitus sunt. Quem effugit hinc graves oriri posse contentiones, discidia, munerum abdicationem, intra ipsa domestica saepta, immo in controversiam vocari sive auctoritatis exercendae rationes, sive institutionem ad libertatem, sive traditionem quorundam bonorum firmarumque opinionum, quae omnia humanae ipsius societatis fundamenta penitus attingunt?

59 (1967), pp. 269-70 [LE 3547]. [8] Cfr. Apoc. 3, 12; 21, 2.

Item apud plures nationes in id studia impenduntur —quod interdum acriter expostulatur— ut lex de mulierum statu sanciatur, quae quidem, iniusto quovis remoto
discrimine quod / obtineat inter utrumque sexum, mulieri 411
paritas iurium attribuatur, debita ratione eius dignitatis. Non equidem de commenticia illa loquimur paritate, quae differentias denegat a Creatore ipso statutas, ac muneri idcirco adversatur, praecipui sane momenti quod ad mulierem spectat in intimo domestico convictu haud secus ac media in societate. Leges, quae hac in re progressu temporis ferentur, ita erunt perficiendae, ut peculiare mulieris munus tutentur, ad quod ipsa suapte natura vocatur, eique simul agnoscant et iustam personae suae libertatem et iura aequalia, quibus partem habeat in civili cultu, in vita oeconomica et sociali atque in publicae rei administratione.

14. Ecclesia in recenti Oecumenico Concilio haec graviter affirmavit: *Principium, subiectum et finis omnium institutorum socialium est et esse debet humana persona* [9]. Unusquisque ergo homo iure est praeditus operis faciendi, facultatis habendae, ex qua ingenii dotes suamque personam in muneris exsecutione promoveat, aequae accipiendae mercedis, qua *suam suorumque vitam materialem, socialem, culturalem, spiritualemque digne excolat* [10], illis demum fruendi auxiliis, quibus indigeat tum ob aegritudinem tum ob provectam aetatem.

Si populares civitates ad huiusmodi iura tuenda principium de condendis opificum collegiis agnoscunt, eaedem tamen non semper promptas se praebent ad illius exercitationem. Profecto harum consociationum momentum magnum est: eo enim spectant, ut variarum opificum classium personam gerant, legitimam eorum sociam operam promoveant ad oeconomicam societatis prosperitatem, iidemque magis magisque conscii fiant suorum officiorum in communi bono procurando. Nihilominus actio collegiorum opificum difficultate non caret: nam voluntates cupi-
ditate inflammari, hic et illic, possunt, / cuiusdam domina- 412
tionis opportunitate utendi, ut, praesertim per operis desertionem —quae ut extrema ratio propria iura defendendi legitima sane habenda est— condiciones nimis graves imponantur generali rei oeconomicae vel toti corpori sociali, aut etiam expostulationes prorsus politicae fulciantur. Quodsi praesertim agitur de ministeriis, in publicam utilitatem exsequendis iisque cotidianae vitae totius communitatis necessariis, tunc fines sunt aeque aestimandi, qui si transcendantur, damna societati illata omnino sunt improbanda.

15. Ut breviter dicamus, quaedam iam progressiones factae sunt, quo plenior iustitia et maior munerum participatio in mutuas inter homines necessitudines inducerentur. Verumtamen, hac in amplissima provincia, multa adhuc sunt patranda. Quare in rebus perpendendis, indagandis, experiendis naviter perseverandum est, ne serius iustis operariorum appetitionibus prospiciatur; quae quidem eo magis invalescunt, quo magis eorum institutio, ipsorum dignitatis conscientia, eorundem vigor consociationum proficiunt atque augescunt.

Caecus propriae utilitatis amor dominandique studium indesinenter animos sollicitant; quare usque diligentius rerum iudicium necessario requiritur, ut iniustae rerum condiciones inde ab earum ortu perspectae penitus habeantur, atque ea gradatim iustitiae forma instauretur, quae minus ac minus manca evadat. Ac revera, si ad mutationes attendatur per machinales structuras invectas, quae postulant, ut iis vitae ratio cito assidueque accommodetur, facile cernimus eos, quibus inde nocumentum inferatur, numero fieri crebriores eosdemque minus valere ad vocem interponendam suam.

Ad hos recentiores «pauperes» —qui scilicet sunt vel corpore invalidi, vel minus apti ad se in societatem inserendos, vel senes, vel variis de causis socialis vitae segreges— Ecclesia suas convertit sollicitudines, ut eos reperiat, adiuvet locumque ipsis debitum eorumque dignitatem tuea-
tur in homi/num consortione, quae ob aemula certandi stu- 413
dia prosperique cupiditatem successus omnem veluti humanitatem exuisse videtur.

16. Hominum numero, qui in iniusta rerum condicione versantur, accensendi sunt —quamvis de re haud nova pro dolor agatur— ii quoque qui, stirpis, originis, coloris, civilis cultus, sexus vel religionis causa, iure aut re discrimini sunt obnoxii.

Discrimen autem, a stirpis diversitate quaesitum, im-

[9] Const. Past. *Gaudium et spes*, 25: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1045. [LE 3386].
[10] *Ibidem*, 67: p. 1089.

http://www.obrascatolicas.com

pensiore hodie studio attenditur, quippe quod acres gignat animorum contentiones tum intra quasdam civitates, tum ad necessitudines quod attinet inter varias nationes. Iure homines arbitrantur nullo pacto probari posse, ac propterea prorsus reiciendam esse propensionem ad tolerandas vel sanciendas leges aut se gerendi rationes, quae constanter a praeiudicatis de stirpe opinionibus proficiscantur. Etenim humanae familiae membra eandem naturam, ideoque eandem dignitatem participant una cum iisdem iuribus iisdemque primariis officiis, quemadmodum ad eandem supernaturalem sortem vocati sunt. Quibus communis est patria, omnes aequales esse debent coram lege, iisdemque oportet pari iure pateat aditus ad vitam oeconomicam, ad animi culturam, ad rem politicam et socialem, nec non ad aequam civitatis opum partitionem.

17. Cogitatio Nostra convertitur etiam ad precarium statum, in quo magnus operariorum numerus versatur, qui ad exteras gentes migrarunt, et, cum sint illic alienigenae, difficilius legitima sua iura socialia valent vindicare, quamvis ad rei oeconomicae incrementum nationis, a qua sunt recepti, reapse conferant. Omnino necessarium est illam exsuperari agendi rationem, in nimio propriae nationis studio positam, ut lex de illorum statu condatur, qua ipsis migrandi agnoscatur ius, facilius iidem populi corpori inserantur, expeditius iis reddatur suae artis profectus, et
414 copia praebeatur convenienti domo utendi, / ubi familiae, data opportunitate, cum iis coniungi possint [11].

Cui hominum classi accensendae sunt gentes, quae ut opus quaerant, vel ut calamitatem quandam aut locum insalubrem fugiant, suas relinquunt regiones et alibi domo extorres degere coguntur.

Omnium profecto ac potissimum christianorum hominum [12] officium est alacriter allaborare, ut fraterna omnium gentium instauretur coniunctio, quae quidem necessarium verae Iustitiae fundamentum ac stabilis pacis condicio est existimanda: *Nequimus vero Deum omnium Patrem invocare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Habitudo hominis ad Deum Patrem et habitudo hominis ad homines fratres adeo connectuntur, ut Scriptura dicat:* «*Qui non diligit, non novit Deum*» (*1 Io.* 4, 8) [13].

18. Ob natorum incrementa, praesertim apud novas nationes, proxima aetate augescet numerus eorum qui opere vacant, ac propterea miserorum aut parasitorum more vitam traducere coguntur, nisi forte homines, conscientia officiorum salutariter excitati, omnium vires voluntatesque coniungant, eo quod efficax promoveatur ratio pecuniae collocandae, recte ordinandi apparatus gignendarum, emendarum vendendarumque opum, itemque de cetero aptam institutionem impertiendi. Nobis plane compertum est, quam vigili cura apud Instituta internationalia huiusmodi quaestiones expendantur; quare vota ex animo proferimus, ut iis, quae ab eorum membris declarata sunt, quam primum facta iungantur.

Non sine trepidatione animadvertere est hac in re quendam fatalis necessitatis sensum etiam eorum animos invadere, penes quos est publica potestas. Qui sensus eo interdum impellit, ut remedia quaerantur a malthusianae doctrinae commentis, tam impense in vulgus praedicata, ut
415 tum proli im/pediendae tum abortibus faciendis faveatur. Verum in huiusmodi tam gravi rerum discrimine, id asserere oportet, familiam, sine qua nulla societas potest consistere, ius habere iis subsidiis utendi, quibus ad congruam perfectionem pervenire valeat. *Non est dubium* —ut in Encyclicis Litteris, «Populorum Progressio» inscriptis, monuimus— *quin potestates publicae, quantum ad eas pertinet, in haec se queant interponere, cives hac de re docentes et accommodata rei consilia capientes, dummodo haec praescriptis legis moralis congruant, et iusta coniugum libertas absolutissime servetur. Cum vero ius firmissimum matrimonii et procreationis demitur, actum est de humana dignitate* [14].

19. Profecto numquam apertius quam nostra aetate inducuntur homines ad socialia incepta excogitanda. Quare prorsus necesse est, ut ad id operis ingenii vires ac divitiarum copia impendantur, quanta in militares apparatus et in rei technicae experimenta insumuntur. Si homo oblatas agendi opportunitates praetermittit, ac nisi novas orituras de re sociali quaestiones tempestivo tempore prospicit, hae aliquando graviores sane fient quam ut liceat sperare eas pacate componi posse.

[11] Cfr. Litt. Encycl. *Populorum Progressio*, 69: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 290-291 [LE 3546]. [12] Cfr. *Mt.* 25, 35. [13] Conc. Oecum. Vatic. II, Decl. *Nostra aetate*, 5: *A. A. S.* 58 (1966), p. 743 [LE 3336]. [14] 37: *A. A. S.* 59 (1967), p. 276 [LE 3546].

20. Praecipuas nostrae aetatis mutationes commemorantes, nolumus silentio praeterire augescens cotidie momentum instrumentorum communicationis socialis, eorumque efficacem vim ad mentis habitum, ad rerum cognitiones, ad humana instituta et ad societatem ipsam immutanda. Ipsa profecto bene multa afferunt commoda: eorum enim auxilio, notitiae undique terrarum ferme illico ad nos perferuntur, coniunctionem perficiendo, quae locorum longinquitates praetergreditur, et inter omnes homines unitatis causas promovendo, ita ut institutio optimarumque artium cultus latius propagari possint. Verumtamen huiusmodi communicationis socialis instru/menta, suapte operandi natura, novum quoddam dominatus genus pedetemptim efficiunt. Quidni igitur quaeritur de iis, penes quos est reapse horum instrumentorum moderatio, de propositis quae sibi constituant, de subsidiis ad eadem persequenda, de effectu demum, qui eorum opera consequitur, quod attinet ad singulorum libertatis exercitationem, itemque ad rerum politicarum doctrinarumque provinciam, sive etiam ad vitam socialem atque oeconomicam et ad animi culturam? In homines, horum instrumentorum potestate pollentes, praegrave recidit conscientiae onus, ratione habita sive veritatis nuntiorum ipsis evulgandorum, sive necessitatum et effectuum, quae sunt inde consecutura, sive denique vitae bonorum, quae proponuntur. Praeterea, televisifici instrumenti ope, singularis aperitur cognoscendi modus et lineamenta novi cuiusdam civilis cultus adumbrantur: qui ab imagine appellatur.

Potestatibus publicis, ut patet, non licet ignorare neque augescentem vim instrumentorum communicationis socialis, neque commoda aut pericula, quae eorum usus infert, quod ad verum progressum atque incrementum civilis societatis pertinet.

Unde earum munus est, ad serviendum bono communi suas recte obire partes, fructuosa incepta promovendo et auxilia praebendo singulis hominibus et coetibus, cum hi primaria bona personae et communitatis humanae defendere nituntur. Iis praeterea curae erit, ut, opportunis initis consiliis, arceatur id quod suapte natura communi noceat veluti patrimonio vitae bonorum, in quibus germana societatis progressio innititur [15].

21. Dum rerum conspectus, in quo homo ponitur, ita secundum imagines convertitur, quae selectae ei exhibentur, alia quoque animadvertitur immutatio, quae modo sane calamitoso et inopinato humanam consequitur navitatem. Cuius rei fere repentino conscii homines hodie fiunt: se scilicet ex rebus / naturae tam inconsiderate lucra fecisse, 417
ut periculum sit, ne eam destruant damnumque huiusmodi pravi usus in ipsos vicissim recidat. At non modo ea, quae circa hominem sunt, huic continenter infesta redduntur, cuius generis sunt naturae contaminationes, purgamenta, novi morbi absoluta delendi potentia; verum etiam ipsi humanae consortioni homo amplius non moderatur, ita ut vitae condiciones, in quibus in posterum conversabitur, sibi prorsus intolerabiles inducere possit. Agitur de quaestione sociali, quae tam late patet, ut universam humanam familiam attingat.

Ad huiusmodi novos rerum prospectus cogitationes suas christiani convertant oportet, ut una cum ceteris hominibus valeant in se recipere sortem, quae iam omnibus communis dicenda est.

II

22. Dum doctrinarum technicarumque artium progressus faciem terrestris hominum sedis maximopere permutat ac novas affert rationes cognoscendi, operandi, rebus utendi mutuasque ineundi necessitudines, homo in hodiernis hisce vitae condicionibus duplici se moveri studio demonstrat, et quidem eo vehementius quo magis ipsius rerum cognitio atque educatio proficiunt: studium scilicet aequalitatis assequendae et studium officia participandi; quae sunt duae formae dignitatis ac libertatis humanae.

23. Ut autem haec bina studia in rerum ordinem atque in publicas structuras insererentur, progressus facti iam sunt in definiendis hominis iuribus et in pactionibus inter nationes ineundis, quibus haec iura possent ad usum transferri [16]. Verumtamen iniqua discrimina, quae fiunt inter homines diversae stirpis, animi cultus, religionis, rerum publicarum formae, semper renascuntur. Revera saepius humana iura, si non spernuntur, adhuc tamen non agnoscuntur, vel externa tantum / coluntur observantia. Pluries 418
etiam accidit, ut serius leges condantur quam inductae rerum condiciones poscant. Quae leges, etsi necessariae,

[15] Cfr. Conc. Oecumenico Vatic. II, Decr. *Inter mirifica*, 12: *A. A. S.* 56 (1964), p. 149 [LE 3143]. [16] Cfr. Litt. Encycl. *Pacem in Terris*: *A. A. S.* 55

nihilominus satis non sunt ad necessitudines inter homines nectendas, quae vere in Iustitia et aequalitate nitantur. At Evangelii doctrina, cum nobis caritatem praescribat, docet etiam praecipuam reverentiam pauperibus deberi eosque in societate peculiarem obtinere locum: ac praeterea fortunatiores homines officio obstringi quibusdam suis iuribus abdicandi, quo liberalius bona sua in aliorum commodum impendant. Etenim si hominibus altior, quam iuris praecepta imperant, deest conscientia officii allos observantia colendi eosque adiuvandi, ipsa civium aequalitas, lege statuta, ut causa praetexi poterit iniqua et manifesta discrimina faciendi, aliena opera continenter male utendi, alios reapse contemnendi. Nisi renovato studio instituuntur animi ad mutuas hominum necessitudines fovendas, legis aequalitas, quae plus aequo urgeatur, vivendi genus inducere potest nimis privatis favens utilitatibus, quo sua quisque vindicet iura, communi bono posthabito.

Estne quin videat, quanti momenti sit hac in re christianae vitae sensus, qui ceterum cum intimis hominum appetitionibus congruit, qui diligi cupiunt? *Amor erga hominem, quod primarium est bonum in rerum natura*, pacis condiciones parat sive socialis sive internationalis, dum fraternam omnium hominum coniunctionem confirmat [17].

24. Duplex, quod diximus, studium assequendae aequalitatis et munerum participationis ad promovendum sane quoddam popularis societatis genus spectat. Varia autem huiusce proponuntur exempla, quorum aliqua iam sunt in usum traducta; sed eorum nullum omni numero probatur, adeo ut hac de re investigationes inter opiniones doctrinales et experiendi rationes adhuc esse pergant. Chri-
419 stianorum vero officium est / in huiusmodi inquisitione partem habere, haud secus atque in ordinatione et in vita civilis societatis. Cum enim sit animal sociale, homo suae faber fortunae est intra plures peculiares coetus, qui ut perficiantur ulteriusque provehantur, ampliorem necessario societatem, quae universalis indolis sit, politicam nempe societatem, postulant. In hac igitur prolata societate quaelibet singulorum hominum navitas est collocanda, et hac ipsa de causa indolem boni communis induit [18]. Quod idem valet ac dicere quantum momenti habeat ad vitam in societate agendam illa institutio, qua, praeterquam quod de uniusculusque iuribus tradatur notitia, in memoriam revocentur ea, quae cum ipsis necessario nexu cohaerent: agnitio scilicet officiorum, quibus alius erga alium tenetur. Conscientia autem et perfunctio iniuncti sibi muneris vicissim maximeque pendent ex sui animi moderatione, ex susceptione onerum necnon modorum, quibus certi libertatis termini sive singulis sive peculiaribus coetibus describuntur.

25. Politica actio —estne opus animadvertere hic de actione, non autem de composita quadam doctrina agi?— per adumbratam societatis figuram est suffulcienda, quae plane sibi constet in certis subsidiis adhibendis et in capiendis consiliis, e plenaria profluentibus notitia vocationis humanae et dissimilium pariter formarum, quas eadem vocatio in societate obtinet. Nunc autem neque ad civitates, neque ad politicas quidem factiones, quae in seipsas tantum omnem curam intendant, pertinet dare operam ad aliquam doctrinam imperandam, iis adhibitis, quae duram secumferant in animos dominationem, omnium sane pessimam. Illorum tantum coetuum, qui animi cultus et religionis vinculis coniunguntur, proprium est —salva, ut patet, libertate sodalium— alere ac fovere, sine sui studio
420 propriasque tenendo vias, in medio societatis corpore / hasce certas ac definitas persuasiones, quae hominis societatisque naturam, originem ac finem respiciant.

In hac porro provincia repetere iuvat principium illud, quod Concilium Vaticanum II renuntiavit: *Nec aliter veritatem sese imponere nisi vi ipsius veritatis, quae suaviter simul ac fortiter mentibus illabitur* [19].

26. Qui igitur christianus suam vivere fidem vult, politicam exsequendo actionem veluti ministerium in aliorum utilitatem, ne secum ipse pugnet, illis doctrinarum placitis nequit favere, quae, vel radicitus vel ob praecipua disciplinae capita, abhorreant a fide, quam profitetur, et ab iis, quae de homine sentit. Neque igitur marxianis favere ei licet doctrinis earumque materialismo atheo et dialecticae, qua violentiam asserunt, illi demum rationi, qua personae libertatem in communitate absorbent, cum interea quamlibet denegent transcendentem praestantiam homini atque rebus, sive a singulis sive ab universis gestis.

(1963), p. 261 sq. [LE 3110]. [17] Cfr. Nuntium ad universos homines, Calendis Ianuariis diem fovendae paci per totum terrarum orbem dicatum celebraturos: *A. A. S.* 62 (1970), pp. 5-[illegible]. [18] Cfr. Conc. Oecum. Vatic. II, Const. Past. *Gaudium et spes*, 74: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1067-1068 [LE 3366]. [19] Decl. *Dignitatis*

Neque christianus liberalium, qui audiunt, favet doctrinis, quae personae libertatem extollere affirmant, eam a quavis regula seiungentes eamque exstimulantes ad rerum utilitatem et potentiam tantummodo conquirendas, ac demum sociales inter homines nexus ita aestimantes quasi facile paeneque sua sponte ex privatorum inceptis consequantur, non autem sint potius finis et primaria ratio, unde ordinatae societatis excellentia perpendatur.

27. Numquid est opus, quae subesse possint in sociali qualibet doctrina, ambiguitates explicare? Modo enim illa actionem sive politicam sive socialem eo perducit, ut simpliciter ad rerum ordinem accommodet abstrusum quoddam cogitatum, quod in mentis tantum sensu continetur; modo autem ipsum est cogitatum, quod patrando operi deservit tamquam nuda / callide agendi via. Nonne utroque 42
in casu, homo ita periclitatur, ut a semetipso paene abalienetur? Christiana fides hasce profecto doctrinas exsuperat iisque interdum adversa et contraria collocatur, quatenus Deum omnia transcendentem omniumque creatorem agnoscit, qui, per cunctos rerum creatarum gradus, et vocat et alloquitur hominem certa praeditum libertate certisque devinctum officiis.

28. Aliud etiam periculum oritur, cum alicui doctrinae penitus inhaeretur, quae verae omnibusque numeris expletae scientiae fundamento careat, ad eandemque confugitur quasi definita sit prorsusque sufficiens; atque adeo novum quoddam idolum effingitur, cuius quidem absoluta et coercens indoles, nonnumquam inscio animo, retineatur. In ea enim doctrina se quiddam invenire arbitrantur, unde suam, quamvis violentam, actionem defendant, pariterque magnanimo aliis ministrandi proposito satisfaciant; quod propositum certe permanet, sed tamen tali absorbetur doctrina, quae, etiamsi vias ad hominem liberandum suadeat, eum tandem aliquando in servitutem addicat.

29. Si autem in praesenti studiosi viri de huiusmodi doctrinarum regressione loqui coeperunt, id fortasse opportunitatem afferre potest, ut ad transcendentem soliamque christianae religionis praestantiam aditus aperiatur; simul tamen id contingere potest, ut mentes vehementiore motu in novam positivismi, ut aiunt, formam prolabantur: technicam dicimus artem, quae tam longe lateque est pervulgata, ut videatur quasi ratio praecipua humanae navitatis atque praeponderans vivendi consuetudo, immo etiam modus quidam loquendi; verumtamen reapse non quaeritur, quid ipsa significet.

30. Verum, eiusmodi positivismo praetermisso, qui in homine unam tantum partem seu mensuram considerat —quamvis eam hodie multum habere ponderis constet— eumque hac / de causa veluti detruncat, christianus, dum 42
suum persequitur opus, inter rerum ipsum cursum conspicit aliquot incepta, quae a compositis antea doctrinis profecta sunt, sed aliqua ex parte ab iisdem distinguuntur. Iam pridem Ioannes XXIII, Decessor Noster fel. rec., in Encyclicis Litteris, quae «Pacem in Terris» inscribuntur, inter ea distingui posse ostendit: *Par omnino est* —ut ait ipse— *a falsis philosophorum placitis de natura, de origine, de fine mundi et hominis plane incepta distinguere, quae sive res oeconomicas et sociales, sive ingenii cultum, sive civilitatis temperationem contingunt, etiamsi incepta hoc genus ab illis placitis originem et incitamentum ducant; quoniam, dum formula disciplinae, postquam definite descripta est, iam non mutatur, incepta illa, utpote quae in mutabilibus rerum condicionibus versentur, his non possunt quin sint admodum sane obnoxia. De reliquo quis eat infitias, in hisce inceptis, quatenus videlicet cum rectae rationis praeceptis congruant et iustas hominis appetitiones referant, posse aliquid boni et probandi inesse?* [20].

31. Hisce temporibus christifideles allicIuntur doctrinis socialismi eiusque variis formis, quae temporis decursu ortae sunt. In quibus studia aliqua ac proposita reperire conantur, quae in ipsorum animis, vi suae christianae fidei, insident. Existimant enim se in hanc historiae viam dirigi atque illuc cupiunt suam conferre operam. Illa autem historiae via, aliis in continentibus terris generibusque civilis cultus, alias prae se fert rationes sub eodem nomine, tametsi hic motus excitatus est atque excitatur saepius doctrinis, quae cum christiana fide componi nequeunt. Peracre igitur subtileque postulatur iudicium, quoniam crebrius christiani, socialismo allecti, eo inclinant, ut generatim quidem et universe illum sibi fingant tamquam aliquid omni ex parte perfectum: ex quo socialismus fit voluntas servandae Iustitiae, mutuae necessitudinis et ae- 42
quali/tatis. Ipsi praeterea agnoscere recusant violentas coercitiones motuum socialismi historicorum, qui ex iis doctri-

Humanae, 1: *A. A. S.* 58 (1966), p. 930 [LE 3363]. [20] *A. A. S.* 55 (1963),

http://www.obrascatolicas.com/

nis, unde exorti sunt, pendere pergunt. Inter varios illos modos, quibus socialismus declaratur —huius generis sunt magnanima cupiditas et inquisitio aequioris societatis, motus historici cum ordinatione ac proposito rei politicae, composita doctrina, quae se profitetur hominis considerationem exhibere integram liberamque prorsus —discrimina sunt instituenda, quibus ipsis rerum in adiunctis certa selectio fiat. Verumtamen discrimina haec efficere non debent, ut modi illi putentur inter se omnino separati ac seorsum consistentes. Vinculum definitum, quod pro re nata iis intercurrit, liquido denotari oportet; quae quidem perspicientia christianos comprehendere sinet, quousque liceat sese immiscere atque implicare his consiliis, iis servatis bonis praesertim libertatis et officiorum conscientiae et spatii vitae spiritus tribuendi, quae omnia plenum spondent hominis progressum ad perfectionem.

32. Alii autem christiani ex se exquirunt, utrum historica marxianae doctrinae explicatio iam permittat certum aliquem ad eam accessum. Namque ii percipiunt dissolutionem quandam marxismi, qui hucusque se praebuit unum doctrinarum corpus, unde homo totus atque mundus in suo progressionis cursu explanarentur, ac propterea atheus fuit. Praeter doctrinarum concertationem, quae publice dividit formas diversas marxismi-leninismi in ipsa interpretatione mentis conditorum, et extra apertas illas contentiones inter plura genera publicae rei administrandae, quae ab eadem doctrina hodie repetuntur, nonnulli discrimina ponunt inter multiplices declarandi marxismi modos.

33. Alii scilicet existimant marxismum potissimum manere actuosam exsecutionem illius pugnae, quae inter varias sociales classes pugnetur. Quoniam perpetuam vim semperque recrudescentem acerbitatem dominationis atque iniqui quae/stus ex hominibus facti experiuntur, nihil aliud marxismum esse arbitrantur nisi pugnam, interdum sine ullo alio consilio, certationem nempe, quam necesse sit ali et etiam continenter excitari. Aliis vero ipse in primis est exercitatio communis politicae atque oeconomicae potestatis sub unius factionis moderatione, quae se solam asseverat exprimere ac despondere bonum omnium, adempta sive singulis sive ceteris coetibus universa agendi eligendique potestate. Iuxta alios, tertio, marxismus —sive rerum potitus est sive minus— refertur ad doctrinam socialisticam, innixam in materialismo historico, quem vocant, atque in negatione omnium naturam transcendentium. Allis demum is apparet formam praeferens magis extenuatam, quae nostrorum temporum homines magis allicit: nempe habetur opera aliqua ad scientiae normas exacta, accuratissima via investigandarum rerum socialium ac politicarum, rationabile idemque iam historia probatum vinculum inter meram mentis notionem atque usum turbulentae rerum conversionis. Quamvis hic explicandi modus commendet nonnullas rei ipsius facies, ceteris neglectis, easdemque interpretetur secundum doctrinae placita, tamen idem quibusdam suppeditat, una cum operandi subsidio, firmam mentis persuasionem praeviam actioni, dum sibi sumit *scientifico* se modo dispicere impulsiones progredientis hominum societatis.

34. Si autem in illa marxiana doctrina, qualis in ipsius vitae actionem traducitur, hae variae distingui possunt facies atque quaestiones, quae inde christifidelibus proponuntur tum ad deliberandum tum etiam ad agendum, vanum profecto est atque periculosum eam ob causam oblivisci arctissimi illius vinculi, quod penitus easden coniungit; item diversa amplecti elementa marxianae investigationis, nulla habita ratione necessitudinis, quae cum doctrina ipsis intercedit; denique ingredi in mediam illam classium contentionem eius/que marxianam interpretationem, dum perspicere omittitur genus societatis violentae atque imperii absoluti, ad quae paulatim actio illa perducit.

35. Ex altera vero parte conspicitur renovatio doctrinarum liberalismi, quem vocant. Hic enim motus vigescit tum nomine oeconomicae efficacitatis, tum voluntate tuendi uniuscuiusque adversus dominatum magis magisque pervagatum institutorum atque etiam adversus proclivitates imperiosas publicarum auctoritatum. Incepta singulorum sunt quidem sustinenda atque provehenda; sed christiani, qui hanc ingrediuntur viam, nonne ita sibi fingunt liberalismum omni ex parte perfectum, qui ideo fit tamquam pro libertatis causa pronuntiatio? Ii exoptant novum huiusce doctrinae genus ad nostram aetatem accommodatius, attamen facile obliviscuntur liberalismum philosophicum, suapte origine et ortu, falsam esse asseverationem singulorum hominum autonomiae, quod attinet ad eorum navitatem, ad agendarum rerum causas atque ad libertatis exercitationem. Quod profecto significat liberalium doctrinam prudens iudicium a christianis pariter postulare.

36. Dum ergo variae doctrinae novo vigore ei occurrunt, christianus ex ipsis fidei suae fontibus atque ex Ecclesiae magisterio hauriat oportet principia opportunasque agendi normas ad id praecavendum, ne ipse alliciatur neve deinde includatur in aliquam doctrinarum compagem, cuius termini et absolutissima auctoritas fortasse serius apparebunt, nisi eas ipsis in radicibus dispiciat. Is enim, quodlibet systema praetergressus, neque tamen hanc ob causam ministerium pro fratribus omittens, in iis, quas eligit, viis peculiarem confirmabit operam, quam christiani ad societatem in melius vertendam conferunt [21]. /

426

37. His ceteroqui temporibus clarius deprehenditur doctrinarum debilitas per ipsa scilicet systemata, quibus ad effectum deduci nituntur. Etenim graphiocraticus socialismus, capitalismus, qui dicitur, technocraticus, imperiosum democratiae genus plane declarant, quam aegre ac difficulter magna illa hominum quaestio una simul vivendi solvi possit secundum iustitiam et aequalitatem. Quonam pacto poterunt illi revera effugere materialismum, nimium suarum utilitatum studium, vel crudelem etiam oppressionem, quam ea secum necessario inferunt? Unde illa repetenda est reclamatio, quae passim exoritur uti signum altae animorum anxitudinis, cum interea homines spectant resurgentes, ut vulgo aiunt, utopias, quae autumant se melius ceteris doctrinarum rationibus valere ad politicas expediendas hodierni temporis societatum quaestiones? Quod autem minus tutum est infitiari, provocatio ad aliquam commenticiam societatem saepius commoda excusatio illis est, qui vere instantia officia subterfugere cupiunt, ut in mundum quendam opinabilem fictumque recedant. Cum quis cogitatione in futuro tempore vivit, facile causam praetexere potest, cur praesentia munera deserat. Attamen, quod omnino agnoscendum est, haec ratio reprehendendi societatem, quae nunc est, crebro exsuscitat mentis motum prospicientis, quae una simul percipiat in his temporibus ea, quae forte ignorata ibi inveniuntur, atque etiam homines dirigat ad melius tempus futurum; item sustinet dynamicam societatis vim, per illam fiduciam, quam ingerit inventrici facultati spiritus cordisque humani; denique, si ad omnia patet, potest etiam christianae religionis invitamentis occurrere. Etenim Spiritus Domini, qui animat hominem renovatum in Christo, turbare non cessat fines illos, ubi eius saepe mens securitatis causa requiescere cupit, ac terminos ultimos, ubi libenter industria eius inclusa contineatur; vis aliqua eum revera pervadit, quae impellit, ut omne systema rationemque doctrinae praetergrediatur. In medio ipso mundo est positum mysterium / hominis, 427
qui se filium Dei esse agnoscit intra cursum quendam historicum et psychologicum, in quo certant vicesque variant oppressio et libertas, onus peccati et Spiritus afflatus.

Alacris tum fidei christianae vis ratiunculas omnino superat caeci propriae utilitatis amoris. Virtute Spiritus Iesu Christi, Salvatoris hominum, commotus et spe roboratus, christianus se devovet aedificandae civitati humanae, pacificae, iustae atque fraternae, quae evadat Deo accepta oblatio [22]. Reapse, *exspectatio... novae terrae extenuare non debet, sed potius excitare sollicitudinem hanc terram excolendi, ubi Corpus illud novae familiae humanae crescit, quod aliqualem novi saeculi adumbrationem iam praebere valet* [23].

38. Hoc in mundo, qui est obnoxius mutationi, disciplinis technicisque artibus invectae, quae eum in novam positivismi formam adducere potest, en alia movetur quaestio eaque multo maloris ponderis. Etenim, postquam rationis ope rerum naturam sibi subicere contendit, statim homo sese veluti inclusum deprehendit intra suae ipsius ratiocinationis limites: tum ipse vicissim scientiae materia fit. «Humanae scientiae» hodie significantem prorsus impulsionem experiuntur. Ex altera parte, criticae investigationi radicitus subiciunt cognitiones, quae hucusque de homine receptae sunt, utpote, quae appareant aut nimis in factis, aut nimis in cogitatis innixae. Ex altera vero parte humanae scientiae ob ipsam suae methodi necessitatem et ob praeiudicatas opinationes paulatim segregant, per rerum condiciones inter se discrepantes, quosdam certos aspectus hominis, iisdemque propterea tribuere student explicationem, quam universalem esse volunt, aut saltem interpretationem, quam omnia complecti defendunt, res considerando ex ratione tantummodo quantitatis vel phaenomenologiae. Qui nisus omnia scientiarum ope in unum redigendi, / consilium quoddam prodit, periculorum plenum. 428
Nam primarias partes investigationi seu analysi tribuere, idem est atque hominem detruncare et, specie alicuius viae *scientificae*, efficere, ut ipse non amplius se totum comprehendat.

[21] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. Past. *Gaudium et spes*, 11: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1033 [LE 3366]. [22] Cfr. *Rom.* 15, 16. [23] Conc. Oecum. Vat. II, Const. Past. *Gaudium et spes*, 39: *A. A. S.* 58

39. Necesse autem est haud minus attendere ad effectus, quos scientiae humanae gignere possint, quippe cum initium faciant elaborandorum socialium exemplorum, quae postea iniungantur tamquam agendi normae, ratione *scientifica* comprobatae. Tum homo fieri potest et ipse tractanda veluti materia, dum optata eius et necessitates reguntur, mores commutantur, ac vel ipse eius ordo bonorum afficitur. Nihil proinde dubitari potest, quin haec omnia in grave discrimen et periculum adducant venturas societates atque ipsum hominem. Etenim, si omnes inter se conveniunt de nova exstruenda societate, quae homini revera deserviat, id oportebit imprimis scire, quali de homine agatur.

40. De scientiis humanis suspicio magis quam alios christifidelem contingit, qui tamen inermis non deprehenditur. Etenim, sicut Nos ipsi scripsimus in Encyclicis Litteris, a verbis «Populorum Progressio» incipientibus, hac in provincia Ecclesia potest sua praestare peculiaria civili cuilibet cultui beneficia: *Hinc, siquidem Ecclesiae cum hominibus meliores appetitiones sunt coniunctae, eidemque magnus dolor inuritur, quod eorum spes saepe ad irritum cadunt, has ob causas iis adesse excupit, ut maximis auctibus crescant, cuius rei gratia, id ipsis proponit quod uni sibi est proprium, hoc est, universalem sive hominis sive rerum humanarum conspectum* [24]. Num igitur oportet Ecclesiam adversari scientiis humanis in progressionibus suis, eaque, quae sibi arrogant, vituperare? Quemadmodum se gerit erga naturales scientias, ita Ecclesia plane confidit eiusmodi investigationibus, atque adeo simul christianos incitat, ut actuosam iisdem operam navent [25]. Christiani ergo,
429 qui studiorum / necessitate ac voluntate melius cognoscendi hominis impelluntur, quique simul fidei suae lumine collustrantur, dum humanis scientiis se dedunt, colloquium instituere poterunt—quod iam nunc frugiferum fore videtur— inter Ecclesiam et eos, qui hac in nova inventorum provincia versantur. Profecto unaquaeque *scientifica* disciplina, vi particularis indolis suae, attingere non poterit nisi partem tantum, quamvis veram, hominis; at cunctarum comprehensio partium atque significatio eam praeterit. Verumtamen intra hos fines, scientiae humanae utile ac solidum explent officium, quod Ecclesia libenter agnoscit. Ipsae etiam possunt terminos ac modos libertatis humanae latius producere, quam iam cognitae condiciones prospicere sinunt. Eaedem insuper prodesse poterunt christianae de moribus socialibus doctrinae, quae provinciam suam tum certe definiri et coarctari intelleget, cum de aliquibus exemplis socialibus proponendis agitur; contra, eius munus res diiudicandi et ad altiorem ordinem revocandi valde confirmabitur, cum demonstrabit, quam incertae ac finitae illae regulae et bona sint, quae eadem illa societas exhibebat tamquam perfecta atque ipsi hominis naturae ingenita. Cum igitur sint condiciones pernecessariae quidem, simulque non omnino sufficiant, ut id, quod humanum est, convenientius pateat, hae scientiae sunt quodammodo sermo, qui implicatior fit in singulos dies, sed qui cordis humani mysterium amplificat magis quam explicat, quique non plane respondet appetitioni, ex intimis animi penetralibus exsurgenti.

41. Haec perfectior hominis cognitio sinit, ut melius perpendantur atque explanetur quaedam notio principalis, in qua hodiernae societates tamquam in sua causa et regula et meta innituntur: progressionis nempe notio. Etenim, iam inde ab undevicesimo saeculo, occidentales communitates aliaeque complures, cum ipsis necessitudine coniunctae, spem suam posuerunt in progressione quadam,
430 sine intermissione renovata ac veluti infinita. Quae progressio iis videbatur esse hominis nisus libe/randi a postulatis naturae socialisque vitae angustiis: in ea quippe condicio et norma erat libertatis humanae. Verum, dum instrumentis recentioribus communicationis itemque cupiditate sciendi resque magis ac magis consumendi propagatur, ipsa progressio fit quaedam composita doctrina, quae ubique viget. Quam ob rem hodie in dubium vocatur, quid valeat ipsa notio quorsusque spectet. Quid enim signficat implacabilis ista conquisitio progressionis, quae elabitur, quoties quis eam se esse adeptum arbitratur? Progressio, quae nulli est obnoxia normae, contentum haud plane reddit hominem. Sine dubio denuntiati sunt, iure quidem merito, termini et etiam damna incrementi oeconomici, quod sola opum magnitudine contineatur, et beneficia quoque exoptantur, quae ad ipsam rerum qualitatem pertineant. Modus et veritas necessitudinum inter homines, gradus participationis munerum et officiorum haud minoris signi ac momenti sunt, ad futuram societatem quod attinet, quam copia varietasque rerum confectarum atque consumptarum. Devicta cupiditate et voluntate omnia pendendi et metiendi ex rei oeconomicae efficacitate bonorumque commutatione et secundum vires et utilitates, homo in praesenti pro eiusmodi rationibus, e quantitate sumptis, substituere vult impensam communicandi copiam, doctrinarum cultusque humani formarum propagationem, aliorum erga alios ministerium, omnium ad commune opus conspirationem. Nonne veri nominis progressio in excolenda morali conscientia consistit, quae hominem adducit ad suscipienda amplificatae socialis vitae munia, atque ad sese tum aliis tum Deo libere promptum praebendum? Ei, qui christianus est, progressio ad eschatologicum mortis mysterium necessario pertingit: mors enim Christi eiusque resurrectio atque insinctus Spiritus Domini hominem adiuvant, ut, beneficiorum memor, procreatricem suam libertatem in cuiusvis progressionis veritate reponat atque in ea solummodo spe, quae non confundit [26]. /

III

42. Cum tot tantaeque occurrant novae quaestiones, Ecclesia perspicere conatur, qua ratione hominum exspectationi, intra fines suae actionis proprios, satisfacere possit. Si difficultates, quae hodie sunt, singulares esse videntur sive ob suam amplitudinem, sive quia ipsis properato respondendum est, numquid homo potestate earum solvendarum est destitutus? Socialis Ecclesiae doctrina, omni suopte intimo vigore, homines in huiusmodi inquisitione comitatur. Si eam operam non interponit ut iam stabilitam quandam structuram auctoritate sua confirmet vel praestitutum exemplum proponat, ea tamen non aliqua generalia principia in eorum mentem tantum revocat: sed cogitatione et studio, quae ad mutabilia huius mundi rerum adiuncta applicantur, ipsa crescit, impulsu scilicet Evangelii, renovationis fontis, quotiescumque eius nuntius, integra sua plenitudine suisque postulatis, affirmatur. Crescit praeterea socialis haec doctrina, ea sentiendi vi, quae Ecclesiae est propria, quaeque, remota quavis humana utilitate, serviendi officio et erga tenuiores caritate distinguitur; vires denique haurit ex habita experientia, per plurium saeculorum decursum ditata; id ideo ipsi permittit, ut, in continentibus perpetuisque eiusdem Ecclesiae sollicitudinibus, audaces creatricesque innovationes inducat, quas praesens mundi condicio postulat.

43. Plenior sane iustitia in partiendis bonis instauranda est, sive in singulis nationibus, sive inter omnes terrarum orbis civitates. Ad commercia in universo mundo quod spectat, rationes in potentia innixae superentur oportet, ut ad pactas consensiones, communis utilitatis gratia, perveniatur. Etenim hae potentiae rationes numquam durabilem veramque iustitiam constituerunt, etiamsi alternae a mutuis rationibus ortae vices fieri interdum sinant, quo faciliores colloquii condiciones inveniantur. Ceteroqui violentiae usus oppositas / excitat vires, unde quidam certationum status nascitur, quae ad effrenatas iniurias atque intemperantias ducunt [27]. Attamen, sicut Nos saepe affirmavimus, maximum iustitiae officium in eo consistit, ut unicuique populo fas sit propriam promovere progressionem, quae in communi adiutrice opera collocetur, cuilibet dominationi subducta, sive ad rem oeconomicam, sive ad rem politicam quod attinet. Profecto multae sunt eaeque implicatae difficultates, quae in hac materia exoriuntur, cum mutae rationes tam arcte hoc tempore conexae sint. Forti igitur animo opus est, ut praesentes necessitudines inter nationes recognoscantur, sive agitur de gignendarum opum inter populos partitione, sive de commerciorum structura, sive de emolumentorum inspectione, sive de rei nummariae ordinatione —neque praetermittenda sunt communia beneficentiae incepta— ideoque fiat, ut exemplaria, ad quorum mensuram ditiores nationes crescunt, in dubium revocentur, ut mentes animique convertantur atque aperiantur ad priores partes internationali iuri attribuendas, ut denique instituta inter nationes exstantia renoventur ad maiorem efficacitatem consequendam.

44. Novis efficiendarum rerum rationibus impellentibus, nationum fines quodammodo dehiscunt et novae oriuntur oeconimicae potestates, nempe incepta plures nationes attingentia, quae, ob opes in unum collectas simulque ad omnia efficienda aptas, gerendi modos habere possunt nemini obnoxios, magna ex parte a politicis nationum auctoritatibus immunes, atque adeo ab omni censura liberos, quod attinet ad bonum commune. Pro sua amplificata opera, privata huiusmodi instituta ad novam eamque illicitam oeconomicae dominationis formam in campo sociali,

[24] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. Past. *Gaudium et spes*, 31: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1054 [LE 3366]. [25] Cfr. *Rom.* 5, 5. [26] Cfr. Litt. Encycl. *Populorum*

http://www.obrascatolicas.com/

in ingeniorum cultu atque etiam in re politica pervenire possunt. Nimis coacervatae opes atque potestates, quas
433 iam Pius XI r. m., quadragesimo expleto anno / ab editis Litteris, quibus index «Rerum Novarum», reprehendit, novam definitamque induunt formam.

45. Nostro hoc tempore homines percupiunt, ut a necessitate atque ab aliena potestate liberentur. Huiusmodi autem liberatio initium ab interna libertate sumit, quam ipsi recuperare debent ad sua bona atque ad agendi facultatem quod spectat. Hanc autem nullo modo adipiscentur, nisi alios transcendenti hominem amore diligant, atque adeo nisi serviendi habitum revera alant. Alioquin, ut liquido patet, eae doctrinarum rationes, quae vel maxime rebus novandis perturbandisque student, ad nihil aliud quam ad aliquam dominorum mutationem perducunt; hi enim novi domini, vicissim dominationis potiti, privilegiis muniuntur, libertates imminuunt, atque permittunt, ut novae iniustitiae formae instaurentur.

Verum enimvero, inter plures nostri temporis homines de ipso civilis societatis exemplo quaeritur. Etenim multarum nationum ambitiosa voluntas inter certamina, quibus eae ducuntur vel inter se opponuntur, eo tendit, ut dominatum assequatur in rebus ad technicam artem, ad oeconomicam rem, ad militiam attinentibus; quam ob causam haec voluntas impedit, quominus eae structurae in effectum deducantur, quibus progressionis impulsio ad plenioris iustitiae normam potius temperetur, quam mutuae differentiae augeantur et homines in suspicione contentioneque vivant, quibus pax in discrimen continenter vocatur.

46. Ceterum, nonne angusti fines, quibus res oeconomica continetur, hic penitus apparent? Oeconomica navitas, cum necessaria sit, efficere quidem potest, dummodo humanae personae inserviat, ut *fraterna caritas quasi efflorescat providentisque Dei auxilium perspicue significetur* [28]; ea occasionem praebet, ut definita inter homines commer-
434 cia instituantur, ut / iura agnoscantur, ut beneficia dentur et accipiantur, ut humana affirmetur in labore dignitas. Res oeconomica, etsi quaedam sit veluti acies, ubi adversae militiae conferunt manus et dominantur, colloquia tamen promovere potest et consociatam auxiliatricem excitare operam. Attamen ipsa in periculo est, ne vires libertatemque immoderate absorbeat [29]. Haec ergo est causa, cur necesse sit, ut res oeconomica ad rem politicam transeat. Procul dubio, cum «res politica» nominatur, plures induci possunt opiniones, quae mentem perturbant quaeque ideo definiendae sunt; attamen inter omnes constat in campo sociali atque oeconomico —sive nationum proprio sive inter nationes exstante— extremam deliberationem ad politicam potestatem spectare.

Haec vero politica potestas, quae veluti vinculum e natura manans atque necessarium est, ut sociale corpus in se firmiter cohaereat, ad bonum commune procurandum tendere debet. Salvis legitimis personarum, familiarum et subsidiariorum coetuum libertatibus, ea valet ad vitae condiciones omnibus hominibus efficaci ratione procurandas, quae sane requiruntur, ut verum totumque attingatur hominis bonum, in quod ipsius quoque spiritualis destinatio includitur. Haec potestas operatur quidem intra suae dicionis fines, qui multum differre possunt apud singulas nationes atque populos. Suam ea semper interponit operam, studio iustitiae permota seseque devovendi communi bono, cuius summum onus et officium in se recipit. Ea tamen singulis hominibus et subsidiariis corporibus minime subtrahit propriam agendi provinciam propriaque officia, quibus ipsi ducuntur, ut adiutricem operam ad bonum commune procurandum navent. Profecto, *socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis*
435 *socialis debet, numquam vero eadem destruere et absorbere* [30]./ Exsequendo munus, ad quod proprie vocata est, politica potestas a particularibus utilitatibus oportet se liberet, ut in se ipsam onus recipiat omnium hominum bonum procurandi, etiam praeter ipsos nationum fines. Cum res politica acri quo par est studio pertractatur, varios suos spectando campos, qui locos, regiones, nationes ipsumque mundum comprehendunt, hoc idem est atque hominis officium asserere, et quidem uniuscuiusque hominis, cognoscendi quid reapse sit quantumque valeat libera optio, quae ipsi offertur, ut sociam conferat operam ad suae urbis, nationis, generisque humani bonum in rem deducendum. Ars politica difficilem severumque modum praebet —non tamen

Progressio, 56 sq.: *A. A. S.* 59 (1967), p. 285 sq. [LE 3546]. [28] Cfr. Litt. Encycl. *Populorum Progressio*, 86: *A.A.S.* 59 (1967), p. 299 [LE 3546]. [29] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. Past. *Gaudium et spes*, 63: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1085 [LE 3366]. [30] Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A. A. S.* 23 (1931), p. 203 [LE 1027]; cfr. Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A. A. S.* 53 (1961), pp. 414, 428 [LE 2984]; Conc. Oecum. Vat. II, Const. Past. *Gaudium*

unicum— servandi grave illud officium, quo christianus homo aliis inservire tenetur. Quamvis omnes quaestiones ea plane solvere nequeat, nititur tamen, ut mutuae hominum necessitudines ad bonum exitum ducantur. Eius campi et fines, ampli sane atque multa complectentes, alios haudquaquam excludunt. Illud vero agendi propositum, quo res politica omnia invadat atque immoderata fiat, in maximum convertitur periculum. Quam ob rem christifideles, qui publicae rei operam dare contendunt, licet rationem politicam suis legibus regi oporteat, enitentur atque laborabunt, ut suae optiones cum Evangelio cohaereant atque, inter plura eaque legitima instituta et opiniones, suam christianam fidem, sive singuli sive simul collecti, esse veram atque sinceram testentur, per quam, aliorum, non sui commodi studiosi, efficaciter ad hominibus serviendum impellantur.

47. Transitus vero ad rei politicae campum id etiam declarat, quod hodierna aetate homines poscunt, maiorem nempe partem in officiis suscipiendis et in consiliis ineundis. Quae legitima eorum postulatio eo maior fit quo civilis cultus gradus augescit, libertatis sensus maturescit atque homines plenius animadvertunt, quantum ponderis, ad futurae vitae condiciones determinandas, iam nunc ea habeant, quae hoc tempore incer/tae spei eliguntur. Decessor 436
Noster f. r. Ioannes XXIII in Litteris Encyclicis, quibus initium «Mater et Magistra» [31], ostendit accessum ad munera et officia ab hominis natura praecipue efflagitari, eundemque esse certam definitamque libertatis exercitationem, simulque viam ad singulorum fovendam progressionem; atque rationes exposuit, quibus in rerum oeconomicarum provincia, ac praesertim in societatibus bonis gignendis, haec munerum participatio in tuto collocaretur [32]. Hodie tamen huiusmodi campi et fines latius patent atque ad res sociales civilesque pertinent, ubi aequabilis munerum et consiliorum partitio instituatur et augeatur oportet. Profecto optiones, de quibus deliberandum est, magis magisque implicantur, cogitationes vero prae oculis habendae multiplices sunt, praevisio denique effectuum aleae est plena, etiamsi novae disciplinae libertatem in luce collocare contendant in hoc temporis discrimine. Idcirco, quamquam limites interdum ponendi sunt, hae tamen difficultates nullo pacto moram inferre debent, quominus plures usque homines partem habeant in consiliis elaborandis, aeque atque in rebus decernendis iisque efficiendis. Ut vero gliscenti technicorum potestati obsistatur, novae popularis imperii formae inveniendae sunt, hodiernae vitae consentaneae, ita ut non modo cuique homini tribuatur facultas res cognoscendi suamque de iis opinionem exprimendi, verum etiam is communi munerum et officiorum susceptione obstringatur. Hac ratione, hominum coetus in quaedam participationis et vitae consortia gradatim convertuntur. Hac ratione, libertas, quae sua nulli obnoxia iura repetendo saepius contra aliorum libertatem invalescit, secundum intimam suam ipsius naturam, humanitati congruentem, crescit: eo scilicet spectans, ut unusquisque enitatur atque se impendat ad consociatas agendi et vivendi voluntates formandas. Sed tunc / solum, sicut christiani viri censent, 437
fit, ut homo, in Deum sese proiciens, qui eum liberat, veram inveniat libertatem, in Christi Iesu morte et resurrectione instauratam.

IV

48. In rerum socialium provincia Ecclesia duplici semper munere fungi voluit: tum hominibus lumen praebere, ad eos iuvandos, ut veritatem eruant, atque securam viam agnoscant inter varias doctrinas, quibus alliciuntur; tum operam dare Evangelii virtuti diffundendae, certa cum sollicitudine hominibus efficaciter serviendi. Nonne ut huic consilio fideliter obsequeretur, Ecclesia quosdam sacerdotes, apostolico munere praeditos, ad opifices misit, qui, horum condicione prorsus suscepta, testes inter eos forent suae ipsius curae atque studiosae voluntatis?

Quam ob causam, iterum atque impensius omnes e christiana familia ad agendum compellamus, iisdem verbis usi, quibus, Encyclicis datis Litteris de populorum progressione promovenda, omnes coetus ad opus aggrediendum hortati sumus: *Oportet laici suas esse partes sentiant temporalium rerum ordinem in melius convertere. Etenim, si sacrae Hierarchiae est leges praeceptaque moralia docere atque cum auctoritate explanare, quibus hac in re obtemperandum est, laicorum officium est suis liberis consiliis inceptisque id*

et spes, 74, 75, 76: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1095-1100 [LE 3366]. [31] *A. A. S.* 53 (1961), pp. 420-422 [LE 2984]. [32] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. Past. *Gaudium et spes*, 68, 75: *A. A. S.* 58 (1966), pp. [illegible] 1097

efficere —haudquaquam aliunde normis aut praescriptis desidiose exspectatis— ut non tantum hominum mores mentisque habitus, sed etiam civilis communitatis leges et structuras christiano vitae sensu imbuant [33]. Unusquisque igitur in se inquirat, ut probet, quid usque adhuc fecerit quidve sibi operandum sit. Satis quidem non est generalia quaedam praecepta in hominum mentes revocare, proposita tantum declarare, graves iniustitias condemnare, iudicia prophetico quodam ausu proferre: haec omnia nullius sane ponderis erunt, nisi in unoquoque / homine cum vividiore
438 proprii officii conscientia atque cum certa et definita actione coniungantur. Facilius procul dubio est alios de praesentibus iniquis rerum condicionibus culpare, nisi eo ipso percipiatur qua ratione nemo non sit eiusdem culpae expers atque adeo in primis requiratur a singulis hominibus emendatio. Haec autem demisse sentiendi ratio, quae primaria habenda est, omnem asperitatem atque cuiusque factionis studium ab actione removebit pariterque praecavebit, ne vires deficiant ob opus exsequendum prope immensum. Christi assecla spem ex eo imprimis alit, quod scit Dominum Iesum nobiscum operari in mundo, in suo Corpore, quod est Ecclesia —et, huius gratia, in universo hominum genere— Redemptionem persequentem, quae, sacrificio crucis parta, victrix illuxit mane diei resurrectionis [34]; quae spes praeterea in eo sita est, quod christianus homo perspectum habet ceteros etiam operam dare, ut iustitiae pacisque incepta suscipiant, eodem spectantia; nam in cuiusvis hominis pectore sub aliqua neglegentiae specie tum voluntas certe latet fraterno more vivendi tum iustitiae pacisque sitis, quae expleatur oportet.

49. Itaque, in diversitate rerum condicionum, munerum, institutorum, unusquisque officia sibi exsequenda decernere debet atque, bona motus conscientia, pervidere, ad quae agenda ipse vocetur. Vivens inter consuetudines sibi discrepantes, ubi, legitimis cum appetitionibus, quaedam circumferuntur animi propensiones valde perplexae, christifidelis diligenter vias elegere debet, atque cavere, ne se alliget ad adiutricem operam aliis inceptis conferendam, nullis obstrictam condicionibus atque verae humanitatis principiis contrariam, etiamsi id fiat ratione necessitudinum, quae penitus animis sentiantur. Si is reapse vult, qua christianus, partes agere proprias et sua cum fide congruere —quod quidem et Fidei expertes ab eo expsectant—
439 advigilare debet in operando, ut manifestas faciat suas / agendi rationes et ea, quibus insistit, consilia transcendat, ampliore rerum consideratione ductus, quae pericula singularium cupiditatum et absolutae dominationis, quae libertatem opprimit, vitet.

50. In certis definitisque rerum condicionibus, atque ratione habita necessitudinum, quas quisque experitur, optio vias sequendi legitimas easque varias, quae patent, est agnoscenda. Una enim eademque fides christiana ad diversa munera suscipienda potest adducere [35]. Ecclesia christianos omnes invitat, ut duplex impleant officium, scilicet mundum christiano afflatu animandi atque renovandi, ut structurae ad perfectiorem formam provehantur atque ad veras horum temporum necessitates accommodentur. A christifidelibus, qui, diversa eligentes, prima facie inter se dissentire videntur, Ecclesia postulat, ut aliorum opiniones harumque allatas rationes mutua cum benevolentia et aestimatione intellegere nitantur; quodsi uniuscuiusque agendi modi eorumque probitas sincere perpendantur, id profecto singulis suadebit, ut habitum induant impensioris caritatis, qua, licet diversitates agnoscant, haud minus tamen fieri posse confidant, ut consilia tandem conspirent atque unitas concilietur. *Fortiora enim sunt ea quibus uniuntur fideles, quam ea quibus dividuntur* [36].

Constat sane multos in hodiernas structuras vitaeque condiciones veluti insertos suis opinionibus suisque muneribus potissimum compelli, si non etiam studio privatas utilitates tutandi; alios vero tam alte sentire de coniunctionis vinculis, quae inter varios ordines variosque civiles cultus intercedunt, ut sine exceptione omnes sententias omnesque selectas agendi vias eorum sibi sumant, quibuscum communiter degunt [37]. Quapropter unicuique cu-
440 rae sit, ut semet ipsum probet, utque illa / vera in Christo libertas exoriatur, quae sinit, ut animi hominum, in condicionibus etiam prorsus singularibus constitutorum, aperiantur ad ea, quae sunt universalia, amplectenda.

51. Eodem modo christifidelium consociationes, ratione habita variarum, quae iis propriae sunt, formarum, actionis communis officium in se recipiunt. Se abstinentes, ne

[LE 3366]. [33] 81: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 296-297 [LE 3546]. [34] Cfr. *Mt.* 28, 30; *Phil.* 2, 8-11. [35] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. Past. *Gaudium et spes*, [illegible] 8 (1966), p. 1061 [LE 3366]. [36] [illegible] p. 1113. [37] Cfr. [illegible] *Thess.* 5, 21.

in locum institutorum civilis societatis substituantur, eae exprimere debent, sua quidem ratione et ea, quae ipsis sunt propria, superando, definitas postulationes christianae fidei in humana societate aequo modo eodemque necessario mutanda [38].

Nostris diebus, magis quam ullis numquam, Dei Verbum nuntiari atque intellegi non poterit, nisi id comitetur testimonium potentiae Spiritus Sancti, qui in ipsa actione christifidelium fratribus deservientium operatur, in illis rerum adiunctis, in quibus eorum vita futuraque sors periclitantur.

52. Haec Nostra cogitata dum tecum, Venerabilis Frater Noster, communicamus, probe novimus Nos non omnes quaestiones sociales attigisse, quae mentes hominum sive fide imbutorum sive bona voluntate praeditorum hodie occupant. Adhuc animis haerent ea, quae recens declaravimus, quibus addendus est nuntius abs te editus, cum secundum indiceretur decennium ad «Humanam Progressionem» fovendam; egimus enim de officiis, quibus omnes nationes tenentur ad gravem illam expediendam quaestionem de homine omni ex parte communique opera adiutrice promovendo. Ea autem, quae hic explicavimus, ideo ad te sunt scripta, ut Consilio de Laicis et Pontificiae Commissioni Studiosorum a «Iustitia et Pace» nova suppeditaretur materia, simulque ea confirmarentur ad persequenda munera sibi commissa; per quae scilicet iis propositum est
Populum Dei universum excitare ad plenam adi/piscendam 4
conscientiam muneris sibi hisce temporibus demandati atque apostolatum... in variis nationibus promovere [39].

Haec animo agitantes, tibi, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIV mensis Maii, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri octavo.— PAULUS PP. VI.

[39] Cfr. Conc. Oecum. Vat. II, Const. Dogm. *Lumen gentium*, 31: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 37-38 [LE 3322]; Decr. *Apostolicam actuositatem*, 5: *A. A. S.* 58 (1966), p. 842 [LE 3346].

Adn. F. BIFFI in **Apoll.** 44 (1971) 707-720; G. HIGUERA in **Sal terrae** 59 (1971) 403-417, 503-531; A. TILLET in **L'ami du clergé** 82 (1972) 49-55, 113-120.

3976

1971 MAI 20.-SC INSTITUTIONIS CATH., DECR. PART.*

CANONICE ERIGITUR «SECTIO THEOLOGIAE OECUMENICO-PATRISTICAE GRAECO-BIZANTINAE A SANCTO NICOLAO» IN PONT. UNIVERSITATE S. THOMAE AQUINATIS IN URBE, PENES INSTITUTUM OECUMENICUM BARENSE SITA.

Barium cum sit Italiae ad orientem janua venerabilesque custodiat Sancti Nicolai Episcopi exuvias, iure catholicorum quasi porrecta manus habetur in orientales separatos fratres. Provide itaque Barensis Archiepiscopus inde a plerisque annis, Episcopali consentiente Apuliae Conferentia, amicas cum Orthodoxis Patriarchis christifidelibusque rationes nexuit ad oecumenismum animo actibusque in dies pandendum augendumque.

Dominicianae etiam Familiae Provinciae Neapolitanae («Regni» quam dicunt) sodales, quorum curis Sancti Nicolai barensis Basilica committitur, suum esse duxerunt, probante Pontificia romana Universitate Sancti Thomae Aquinatis, ad docentes perquam in re versatos in perpetuum offerendos se perstringere ut, cum aliis etiam orientalibus magistris, de theologicis disciplinis sub oecumenico aspectu consideratis, ordinatum studiorum curriculum instrueretur.

Quae cum ad Sacram Congregationem pro Institutione Catholica significata essent, postquam romana eadem Pontificia Universitas de studiis ad normam academicarum vigentium Ecclesiae legum rigorose ordinandis rite spondisset consensusque obtentus fuerit Italiae Conferentiae Episcopalis, inceptum, ad Augustum Pontificem delatum, ab Ipso benevole probatum est.

Quapropter Sacra Congregatio pro Institutione Catholica, legibus attentis sub titulo *Normae quaedam* die XX m. maii a. D. MCMLXVIII a se promulgatis, prae oculis habitis tum fide ab eadem Sancti Thomae Universitate sollemniter facta, tum pecuniariis a laudato Rev.mo Archiepiscopo Barensi praestitis cautionibus, peculiarem *Sectionem Theologiae Oecumenico-Patristicae Graeco-Bizantinae a Sancto Nicolao* in Facultate S. Theologiae Pontificiae Universitatis Sancti Thomae Aquinatis in Urbe, penes tamen Institutum Oecumenicum Barense sitam, hoc Decreto *ad triennium et ad experimentum* erigit erectamque declarat, ita quidem ut studentibus qui academicum studiorum curriculum rite emensi fuerint omniaque praescripta pericula superaverint LICENTIAE gradum post prius biennium, DOCTORATUS vero post alterum, romana Facultas Theologica conferre valeat, servatis de iure servandis,

http://www.obrascatolicas.com

in primis peculiaribus Statutis, necnon speciali cum Pontificio Instituto Studiorum Orientalium in Urbe conventione inita, fidentique inducta cum Theologica Facultate Neapolitana seu Italiae Meridionalis cooperatione; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis, die xx m. maii, in Ascensione Domini Nostri Jesu Christi, anno reparatae salutis MCMLXXI.—Gabriel Maria Card. GARRONE, *Praefectus*. Marchisano F., *a secretis*.

* AOP 79 (1971) 142-143.

3977

1971 MAI 21.-C. COM. SOC., INSTR. AAS 63 (1971) 593-656

INSTRUCTIO PASTORALIS AD DECRETUM CONCILII OECUMENICI VATICANI II DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS RITE APPLICANDUM DE MANDATO EIUSDEM CONCILII EXARATA

PROŒMIUM

1. Communio et progressio convictus humani potissima sunt proposita communicationis socialis eiusque instrumentorum, ut preli, cinematographei, radiophonici et televisifici inventi. Horum vero augescens in dies perfectio, qua pluribus usque hominibus singulisque maiorem in modum facilius praesto sunt, eos omnes magis ac magis implicat affectione quadam animi vitaeque ratione, in quam eadem technica subsidia penitus permanant.

2. In iis reperit Ecclesia «dona Dei» [1], quippe quae secundum providentissimi Dei consilium homines inter se
594 fraterna necessitudine conci/lient ut hi cum salutifera Eius concurrant voluntate. Plenior autem comprehensio et intelligentia acrior communicationis socialis, ideo muneris etiam instrumentorum eius in hodiernae societatis commodum, aliquot attingitur Concilii Vaticani Secundi documentis, praesertim in Constitutione *De Ecclesia in mundo huius temporis* [2], tum quoque in Decreto *De Oecumenismo* [3], Declaratione *De Libertate religiosa* [4], Decreto *De activitate missionali Ecclesiae* [5], Decreto *De Pastorali Episcoporum munere in Ecclesia* [6]; et proprie Decreto illo, quod totum instrumentorum communicationis socialis rem pertractat [7]. Ille autem altior rerum intellectus Concilii afflatu et doctrina fretus Christianos posthac docebit quo animo sese gerant in communicationis subsidiis eosque incitabit, ut in iis impensius elaborent.

3. Haec demum Instructio Pastoralis, iussu ipsius Concilii emissa [8], doctrinae principia atque consilia pastoralia in universum explicat, singulis nimirum minutisque partibus praetermissis, quae ob rei perpetuam vicissitudinem et progressionem proxime definiri valent tantummodo secundum peculiaria temporis cuiusque et loci adiuncta.

4. Quapropter erit Episcoporum eorumque Conventuum, quemadmodum Synodorum in Ecclesiis Orientalibus, libenter uti adiumentis hominum vere peritorum necnon consiliorum dioecesanorum, nationalium, internationalium ac sic hanc instructionem industria operosa et collegiaria ad effectum adducere, dum pressius eam explanabunt et accommodabunt ad singulares condiciones populorum ac finium, quibus praesunt, Ecclesiae totius unitati simul prospicientes. Quo in opere conventus Episcoporum
595 adhibebunt beneficia, quae sacerdotes, religiosi, laici / pro certo munere suo hac in re poterunt afferre, quandoquidem congruens usus instrumentorum communicationis socialis recidit in totum Populum Dei.

5. Sperare denique licet fore ut Instructio haec in optimam partem ab iis recipiatur, quicumque in communicationis socialis provincia officio aliquo perfungantur, atque ab omnibus qui pro sua bona voluntate humanae familiae progressibus studeant. Ita enim fiet, ut per mutuo habitum sermonem operamque adiutricem illorum hominum uberrima emolumenta, quae his portendantur instrumentis, in omnium revera bonum percipiantur.

[1] Cfr. Pius XII: Litt. Encycl. *Miranda Prorsus*, *A. A. S.* 49 (1957), p. 765 [LE 2690]. [2] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1025-1120 [LE 3366]. [3] Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, *A. A. S.* 57 (1965), pp. 90-112 [LE 3235]. [4] Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae*, *A. A. S.* 58 (1966), pp. 929-946 [LE 3363]. [5] Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, *A. A. S.* 58 (1966), pp. 947-990 [LE 3364]. [6] Decr. de past. Episcop. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, *A. A. S.* 58 (1966), pp. 673-696 [LE 3332]. [7] Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, *A. A. S.* 56 (1964), pp. 145-157 [LE 3143]. [8] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 23 [LE 3143].

PARS PRIMA

COMMUNICATIONIS SOCIALIS INSTRUMENTA IN CHRISTIANO RERUM PROSPECTU: ELEMENTA DOCTRINAE

6. Instrumenta communicationis socialis, tametsi ab ipsis communicatoribus ad homines singulos directa usurpentur, universam tamen hominum societatem reapse tangunt et movent [1], etenim plurimis hominibus celeriter perferunt cognitiones vitae mundi hodierni, praesentisque temporis animum aperiunt et mentem; plane idcirco necessaria sunt putanda ad intimas et saepius multiplicatas necessitudines atque opera nostrae societatis. Hanc ob causam in ipsa incidunt etiam ea principia, quae secundum prospectum christianum consortionem hominum moderantur. Excelso quidem proposito haec inventa eo spectant et ordinantur, ut quaestiones atque exspectationes humanae societatis in medium proferantur, quo citius eis satisfiat, utque homines in coniunctionem magis magisque arctam contrahantur. Quod quidem primarium est principium, unde proficiscitur aestimatio Christiana opportunitatum, quas hominum prosperitati instrumenta illa praebent. / 596

7. Ubicumque humana industria incumbit ad vitae terrestris condiciones in melius corrigendas, et imprimis quotiescumque aguntur recentissima scientiae humanae prodigia prosperrimique technicae artis successus, ibi profecto Christianorum visus atque existimatio de homine ipso, et necessitudinibus humanis, et tota mundi historia reperiunt aliquam responsionem —saepius vero inconsciam— illi praecepto divino ut homo «possideat et dominetur terrae» [2], eodemque tempore cernit participationem necnon productionem operis Dei rerum effectoris ac servatoris [3]. Atqui in eandem illam considerationem et mentem prorsus ingrediuntur communicationis socialis instrumenta, utpote quae ad scientiam inter homines communicandam ac proinde ad eorum mutuo praestitam effectricem operam valeant multum. Revera, cum hominem Deus fabricaretur ad imaginem suam, potestatem ei dedit simul partis capiendae in ipsa potentia creatrici, ut civitatem terrenam exstrueret [4].

8. Suapte natura id communicatio socialis efficere contendit, ut homines inter se commercia frequentantes maiore imbuantur vitae communis sensu. Ita quisque homo cum reliquis hominibus suis fratribus coniunctus ad consilium divinum in historia adimplendum confert tamquam Dei manu ductus [5]. Secundum fidem Christianam consortio hominum et communio, finis videlicet princeps omnis communicationis, primitus exoritur ipsa et veluti praemonstratur in mysterio summo aeternae societatis Dei inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, qui unam agunt vitam divinam.

9. Plurimum sane adiuvare possunt communicationis instrumenta ad hominum coniunctionem; attamen si animi et mentes inscitia laborant sive bona voluntas desideratur, usus eorum contrarium perficere valet, ut nempe minus homines inter se intellegant magisque dissentiant; unde / mala complura gignantur. Etenim nimium crebro experi- 597
mur per eadem instrumenta negari vel adulterari potissima bona vitae humanae; quibus ex depravationibus Christiana mens concludit necesse profecto esse hominem liberari et eripi peccato, quod in generis humani historiam primigeno intraverit casu [6].

10. Cum propria culpa homo a suo Conditore avertitur, per illam turbationem quae delictum sequitur ipse in discordiam prolabitur, tum altercationem exitiosam cum fratribus suis, et tandem interpellationem communicationis [7]. Verumtamen Dei amor erga homines non patitur se repudiari. Ipse enim auctor fuit, ut ineunte historia salutis [8] commercium haberet cum hominibus, atque appetente iam temporis plenitudine seipsum communicavit cum eis [9], et «Verbum caro factum est» [10]. Dum morte sua et resurrectione genus humanum liberavit Christus Dei Filius Incarnatus, Verbum simulque Imago Dei invisibilis [11], cum omnibus partitus est veritatem et Dei ipsius vitam maiore

[1] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 1 [LE 3143] [2] *Gn.* 1, 26-28; cfr. *Gn.* 9, 2-3; *Sap.* 9, 2-3 atque Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 34 [LE 3366]. [3] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 34. [4] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 57. [5] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 36; Ioannes XXIII: Litt. Encycl. *Pacem in terris*, *A. A. S.* 55 (1963), p. 257 [LE 3110] et passim. [6] Cfr. *Rom.* 5, 12-14. [7] Cfr. *Gn.* 4, 1-16; 11, 1-9. [8] Cfr. *Gn.* 3, 15; 9, 1-17; 12, 1-3. [9] Cfr. *Hb.* 1, 1-2. [10] *Io.* 1, 14. [11] Col. 1, 15; 2 Cor. 4, 4.

profecto ubertate geminataque copia. Ipse ut unus mediator inter Patrem et homines pacem seu communionem cum Deo stabilit fraternamque societatem inter homines comconit [12]. Quo ex tempore altissimum fundamentum atque primum exemplar coniunctionis inter homines invenitur in Deo, qui Frater Humanus est factus quique discipulis deinde praecepit, ut bonum nuntium universis hominibus perferrent cuiusvis aetatis ac regionis [13] pronuntiantes «in lumine» et «super tecta» [14].

11. Hisce commorans in terris Christus se ipse ostendebat Perfectum Communicatorem. Per «incarnationem» quidem naturam induit eorum, qui aliquando percepturi erant eius communicationem, quam et sermo/nibus et uni- versa vitae suae ratione peragebat. Ex interiore parte ille 598
loquebatur, id est e medio populo suo, proclamans nuntium divinum valide et tenaciter neque cum ulla exceptione; attamen sese aequabat eorum generi modoque loquendi et cogitandi rationi, cum ex ipsorum situ ac statu loqueretur. Ceterum plus secum infert communicatio quam cogitationum solam declarationem vel animi affectuum significationem; namque secundum reconditam suam naturam constat sui ipsius donatione ob amorem; et communicatio Christi spiritus est et vita [15]. Eucharistia autem sacra instituenda Christus nobis absolutissimam tradidit communionis formam, quae homini terrestri concedi poterat, communionem scilicet Deum inter et hominem, et hoc pacto proximam ac perfectissimam inter homines ipsos societatem. Christus denique nobis suum Spiritum Vivificantem communicavit, qui est principium congregationis et unitatis [16]. In Ecclesia, quae est Corpus Christi Mysticum et plenitudo abscondita Christi glorificati, Ipse complectitur universa [17]; sic fit ut in Ecclesia procedamus per verbum et sacramenta erecti ad spem novissimae coniunctionis, ubi «Deus erit omnia in omnibus» [18].

12. «Inter mirifica technicae artis inventa» [19], quibus socialis communicatio inter homines provehitur, Christifidelis reperit instrumenta illa provido Dei consilio excogitata ad hominum prosperandam consortionem his in terris peregrinantium. Novas enim pariunt illa necessitudines inter eos, et, ut aiunt, novam fabricantur linguam, quae homines sinit rectius se ipsos cognoscere ad aliosque facilius accedere. Quanto autem expeditius inter se comprehendunt et propensa voluntate utrimque inclinant, tanto vicissim celerius admoventur ad iustitiam et pacem, benevolentiam et beneficentiam, adiutorium mutuum, amorem ac tandem communionem. Quocirca communicationis instrumenta merito annumerantur inter validissimas opes atque facultates, quibus homo uti potest ad caritatis confirmationem, quae exprimit et progignit demum com- 599
munionem. /

13. Cuncti propterea bonae voluntatis homines magna cohortatione stimulantur ad coniuncte laborandum, ut instrumenta communicationis socialis veritati conquirendae et inveniendae necnon humanae progressioni amplificandae vere sint utilia. Ad illud autem faciendum christianus sua in fide confirmatur, quod Evangelii nuntius per eadem disseminatus huic proposito maxime proderit, cum fraternitatem hominum sub Dei paternitate efficiat. Mutua tamen communio et opera rerum effectrix inter homines denique reponuntur in eorum libera voluntate, quae autem movetur vicissim causis ex animo vel societate vel arte technica profectis. Itaque momentum suum et significatio ultima assignantur communicationis instrumentis, cum eadem adhibet humana libertas.

14. Ideo quoniam homo ipse constituit modum utendi communicationis inventis, principia moralia illuc spectantia inniuntur aequae considerationi dignitatis hominis, qui particeps reapse fieri debet communitatis filiorum Dei adoptivorum. Ex altera vero parte, haec principia manant ex intima natura communicationis socialis et qualitatibus cuiusque instrumenti propriis. Id quod colligitur etiam ex Constitutione *Gaudium et Spes*: «Ex ipsa enim creationis condicione res universae propria firmitate, veritate, bonitate propriisque legibus ac ordine instruuntur, quae homo revereri debet...» [20].

15. Quicumque ergo cupiverint communicationis subsidia eorumque usurpationem recte collocare in historia Creationis et Incarnationis Redemptricis atque iudicare eorum honestatem, iidem comprehendant necesse erit ho-

[12] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, 3 [LE 3364]. [13] *Mt.* 28, 19. [14] *Mt.* 10, 27; *Lc.* 12, 3. [15] *Io.* 6, 63. [16] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, *A. A. S.* 57 (1965), n. 9, p. 14 [LE 3232]. [17] *Eph.* 1, 23; 4, 10. [18] 1 Cor. 15, 28. [19] Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 1 [LE 3143]. [20] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 36.

minem integrum, et iam antea funditus perspexerint indolem socialis communicationis et eius instrumentorum. Sic pro sua quemque conscientia oportet omnes communicatores (i. e. illos qui pro munere suo communicationis subsidiis utuntur) studere sibi peritiam comparare ad munus rite obeundum necessariam [21]; hoc eo magis postulatur, quo gravius est onus cuiusque officii erga communicationis bonitatem. Eodem officio magis quidem obstringuntur ii, qui aliorum iudicium et arbitrium / illuminare atque edocere 600
debent, praesertim quorum maturitas vel animi cultura haud sufficit. Necessitas autem haec et obligatio ea omnia complectitur, quae uno aliove modo ditare valent aut vitiare humanitatem singulorum vel plurium hominum. Nihil deinde intentatum praetermittetur, ut receptores (i. e. illi qui legendo audiendo intuendo utilitates inde hauriunt) informentur tales, qui accurate interpretentur quidquid instrumenta haec praebuerint, qui plurimum inde emolumenti reportent, qui suas denique operosas partes in societatis vita expleant; namque hoc solo modo subsidia illa plenam suam assequentur efficacitatem.

16. Summa sive universitas cunctorum operum per varia ac diversa communicationis instrumenta in certo aliquo circumscripto loco confectorum, iudicari debet et aestimari, prout bono communi [22] ipsa inserviunt; srcilicet, per nuntios suos et artes et oblectamenta satisfacere illa decet eiusdem communitatis vitae atque progressibus. Afferendi sunt his instrumentis nuntii non tantum eventuum carptim evulsorum e rebus adiectis, verum etiam ipsorum adiunctorum, ut universi recipientes plane intellegant societatis quaestiones inque perfectionem eius suum quoque conferant studium et laborem. Aequam proinde proportionem conservari oportet inter nuntios publicos, instructionem scholasticam, oblectationes, inter otia liberaliora et vulgatiora.

17. Quaevis communicatio necesse est primariae legi sinceritatis, probitatis, veritatis obtemperet. Non sufficit igitur bonus animus et voluntas recta, ut communicatio evadat ilico honesta; opus est praeterea communicationem ex veritate referre res ipsas, hoc est, veram reddere imaginem rerum condicionis, atque praeditam esse propria sua interiore veritate. Laus et praestantia moralis alicuius communicationis non emerget ex solo argumento, neque ex doctrina eius mente tantum concepta, sed etiam / ex ra- 601
tione qua communicatur, ex modis et viis loquendi atque suadendi, ex rebus adiectis, ex ipsa illa hominum multitudine ad quam dirigitur [23].

18. Perfectior intellegentia maiorque inter homines indulgentia, consociatio adiutricis multorum et effectricis operae, quas socialis communicatio mirandum ad modum promovere valet, sunt quidem proposita consonantia cum ipsis finibus Populi Dei, qui suo tempore ea confirmant atque perficiunt. «Promotio enim unitatis cum intima Ecclesiae missione cohaeret, cum ipsa sit "in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis"» [24].

PARS SECUNDA

INSTRUMENTA SOCIALIS COMMUNICATIONIS UTI PARTES HUMANAE PROGRESSIONIS

CAPUT I

Actio Communicationis Instrumentorum in Hominum Societate

19. Recentiora artificia ad hominum provehendum commercium conglobant, ut dicitur, nostrae aetatis homines in aliquem circulum angustum, ut cuncti inter se colloquantur ad fraternitatem et communem omnium operam nitentes. Namque eisdem instrumentis resonant et excitantur ac per immensum iterantur collocutiones cotidianae singulorum hominum; ideoque publicum totius societatis colloquium per ea gignitur atque expeditur usquequaque.

[21] Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 43. [22] Quod hisce verbis definiunt Encyclicae Litterae Ioannis XXIII *Mater et Magistra* inscriptae: «Summam... earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possint plenius atque expeditius consequi». *A. A. S.* 53 (1961), p. 417 [LE 2984]. Cfr. etiam Litt. Encycl. *Pacem in terris*, *A. A. S.* 55 (1963), pp. 272-274 [LE 3110]. Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae*, 6 [LE 3363]; Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 26 et 74 [LE 3366]. [23] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 4 [LE 3143]. [24] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 42 [LE 3366]; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 1 [LE 3232].

http://www.obrascatolicas.com

Nuntiorum et opinionum profluentia, quae his rationibus perferuntur, revera facit ut totum per orbem terrarum universi homines illorum negotiorum ac difficultatum, quibus tam unusquisque eorum quam omne genus humanum afficitur, ita participes fiant ut condiciones simul impleantur necessariae ad mutuam comprehensionem et indulgen-
602 tiam omniumque inde progressum. /

20. Communicationis instrumenta adeo velociter perfecta evertunt et diruunt claustra, quae tempora et loca inter homines aliquando erexerant. Sese ergo praebent tamquam iunctioris propinquitatis firmiorisque consortionis artifices; etenim eorum beneficio cuiuslibet rei indicium seu cognitio continenter circuit orbis nostri extrema hominesque patitur vitam et eventa mundi hodierni multo magis actuose sectari. Utilitatem ex his instrumentis deportat traditio quoque doctrinae cuiusvis gradus; ceterum illa admodum prosunt dimicationis adversus plenam litterarum ignorantiam atque simul institutioni tum incipienti tum continuatae. Similiter conferre plurimum valent ad homines evehendos vereque liberandos praesertim in regionibus paulatim tantum progredientibus. Maiorem praeterea aequalitatem inter homines constituunt atque defendunt, in eam videlicet partem, ut cuncti societatis ordines sine discrimine iam perfrui possint bonis animi et oblectamentis. Mentes denique locupletant, dum eas per ipsius vitae sonos et imagines reducunt ad res aspectabiles et concretas eiusque pariter indicant maxime longinquas regiones atque tempora antiquissima. Ubicumque autem litterae paene omnino ignorantur, cives, quamvis culturae nativae et humanitatis mores magni existimare debeant, ad hodierni tamen mundi rationes et modos recentiores vitae cito suscipiendos adducuntur.

21. Adhortatur talium opportunitatum contemplatio, ut instrumenta communicationis socialis elementa validissima esse putentur, quibus et humana augeatur progressio et difficultates perseveranter superentur quas ipsa inferre possint. His vero incommodis tam communicatores quam receptores se intellegent provocari ad quaestiones multiplices resolvendas. Quomodo cavebitur certo, ut rerum nuntii, quos copiose et perpetuo, turbate saepius et plerumque summa celeritate diffundant, accurate aestimentur atque digerantur? Cum socialis communicationis instrumenta ex sua ipsorum natura ad quam plurimos illis utentes se dirigant ac, ne plures receptores offensa aliqua repellant, crebro faveant neutri parti, qua ratione in populis pluralisticis, quos dicunt, vera et falsa tuto discernentur honesta et prava? Quo pacto prohiberi potest, quominus, propter liberam competitorum aemulationem, ipsa captatio publici favoris cogat haec instrumenta aut compellat ad evocandas et inflammandas non tam generosas nec ho-
603 nestas impulsiones naturae humanae? Quomodo impe/dietur, ne nimis pauci homines ita instrumentis dominentur ut vera collocutio et consortio in societate exstinguatur? Quomodo adhibenda erunt haec subsidia ne communicationibus per artificia transmissis, praesertim si imaginibus efficiantur, necessitudines inter ipsas personas laedantur? Cum enim saepe eadem invitent hominem ad alio effugiendum per somnium quoddam, quid facere potest, ne eum ab ipsa vita absterreant in hoc praesenti tempore agenda? Qua ratione obstabitur, ne homines adigant ad desidiam et animi quandam lentitudinem? Quo denique pacto fiet, ne perpetua affectuum excitatio usum rationis praepediat?

22. Prolapsio regulae morum, quae in pluribus hodiernae vitae partibus deprehenditur, maximae curae est atque cordi universis bonae voluntatis hominibus; eiusdem autem demutationis signa facile notantur in omnibus instrumentis communicationis socialis. Quantum vero culpae harum rerum conferendum sit in illa, disputari quidem potest. Etenim plerique serio existimant per communicationis subsidia tantummodo relucere ac referri mores, qui in humana societate iam vigeant; alii contra arbitrantur ipsa confirmare latiusque propagare illas propensiones atque, dum eas exhibeant tamquam vitae humanae plane communes, paulatim efficere, ut usu tandem recipiantur; alii denique volunt culpam maximam transferri in eadem haec instrumenta. Quidquid id est, negari non potest ipsam societatem vitiis laborare atque, ut res in melius convertantur et restituantur, operam postulari parentum et magistrorum, animarum pastorum et eorum omnium, qui procurent bonum commune. In hoc autem laudabili conatu instrumenta communicationis haud mediocres sustinent partes, quamvis fieri nequeat, ut opus eorum ab ipsa vita et consuetudinibus populi seiungatur.

23. Quo melius agnoscantur certiusque colligantur beneficia humanae societati per socialem communicationem

oblata, quo insuper tutius eorundem obices supervadantur, aspectus praecipuos actionis instrumentorum in hominum commercio ponderari funditus oportet.

1. Publica Opinio

24. Forum aliquod publicum constituunt communicationis subsidia, ubi homines ultro citroque habeant sermones. Quo in colloquio enuntiatio / atque certatio diversarum 604
sententiarum quae pervulgantur ipsam societatis vitam penitus afficit et locupletat eiusque progressionem maturat.

25. Ex eo quod unusquisque sponte studet ita patefacere aliis sensus proprios, opiniones, affectiones animi, ut communes plurium evadant sententiae ac mores, exoritur «publica opinio», quae est hominum naturae socialis proprietas et nota. Iam pridem Pius XII publicam opinionem perspicue indicavit quasi quandam «imaginem naturalem vocis, communiter repercussam plus minusve spontaneam eventorum simul et conditionum actualium in animis atque iudiciis hominum» [1]. Propriae autem declarandae opinationis libertas est qualitas et pars pernecessaria in publica formanda opinione. Etenim sententiae propalam expressae aliis aperiunt mentem et iudicium circulorum maioris momenti in aliquibus certis adiunctis locorum, temporum, consuetudinum.

26. Illa libertas, qua valet sua quisque asseverare sensa et cogitata, prorsus necessario exposcitur ad recte convenienterque effingendam publicam opinionem. Oportet proinde una cum Concilio Vaticano II praedicare hanc libertatem, propriae eloquendae mentis, necessariam esse tam singulis quam consociatis hominibus intra honestatis bonique communis terminos [2]. Cum adiutrix omnium opera postuletur ut socialis vita revera proficiat, opus est comparatione quoque libera sententiarum, quae alicuius ponderis esse existimantur, ut —dum aliae concedantur vel assumantur, aliae vero repudientur vel perficiantur, aliae demum inter se concilientur vel accommodentur— solidiores quidem ex eis atque constantiores vere conspirare valeant ad commune quoddam agendi consilium.

27. Hinc elucet communicatorum munus sane esse gravissimum: ad opiniones nempe rite conformandas et colligendas et disseminandas maximam vim ipsi habent, dum uno tempore permittunt, ut libero acutoque rei iudicio inter se comparentur. / 605

28. Omnes autem cives rogantur ut publicae informandae opinioni conferant [3] etiam per legatos propriae mentis interpretes. Ii, qui ex officio vel propter dotes nativas aliamve ob causam magni aestimati plurimum in civitate possunt, sustinent partes magni quidem ponderis ad publicam gignendam opinionem, quoties suam indicant sententiam. Unde procedit officium quod tanto magis illos obstringit, quanto magis alios homines ipsi suo exemplo trahere valent.

29. Venditationem autem vel ostentationem (quam «propaganda campaign» vulgo nuncupant), tunc solummodo instrui licebit cum propositum eius et rationes homine sint dignae, cumque ipsi veritati prodesse contendat vel causis, quae communi emolumento favent sive illius nationis sive totius orbis, cum hominum singulorum tum coetuum eorum.

30. Attamen aliquod persuadendi consilium, quod bono communi adversatur, quod apertam et publicam responsionem impedire nititur, quod statum rerum detorquet vel hominum mentes praeiudiciis inficit —dimidiatis veritatibus seminandis vel secundum praestitutum finem selegendis vel etiam quibusdam gravioribus praetereundis— legitimam populi inhibet decernendi libertatem, et propterea nullo modo est ferendum. Id quod eo magis affirmari debet, quo humanarum disciplinarum, psychologiae cumprimis, et ipsorum communicationis socialis inventorum progressio maiorem semper potentiam tribuit huiusmodi publicis praeconiis ac nuntiis.

31. Non autem quaevis vulgatissima enuntiata continuo putanda sunt publica opinio, quae magnum hominum numerum complectitur. Namque populi iudicia inter se dissidentia nonnulla eodem tempore locoque exsistere possunt, quamvis aliquod saepe a pluribus proferatur. At maioris partis sententia non necessario optima est nec veritati proxima. Ceterum opinio publica crebrius mutatur, modo

[1] In allocutione ad Diurnarios Catholicos, die 17 februarii 1950. *A. A. S.* 42 (1950), p. 251; Cfr. Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 59 [LE 3366]; Litt. Encycl. *Pacem in terris*, *A. A. S.* 55 (1963), p. 283

[2] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 59

[3] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 8 [LE 3143].

augens modo amittens vim suam in vulgus. Has ob causas ne protinus homines sibi asciverint sententias, quae omnium sunt in ore ac manibus. Immo vero rationes praesto
606 esse possunt, cur eis directo obsistatur. /

32. Verum sententiae palam atque communiter dictae, quippe quae cogitationem et voluntatem populi recludant, sollerter sunt perpendendae, praesertim auctoritatibus tam religiosis quam civilibus.

2. Ius «informationis» consequendae atque impertiendae

33. Ut suo proprio modo emergat publica opinio, necesse est ipsi societati in antecessum tribuatur facultas adeundi originem et canales, ut aiunt, cognitionum, necnon libere suae patefaciendae mentis. Opinandi libertas atque ius rerum scientiae hinc acquirendae illinc participandae una simul consistunt. Ioannes XXIII [4], et Paulus VI [5], et Concilium Vaticanum II [6] hanc potestatem res comperiendi manifesto liquidoque praedicaverunt, quae quidem solidae necessitati innititur ipsius hominis et hodiernae societatis nostrae.

a) *Aditus ad fontes et vehicula notitiarum*

34. Opus est hominem nostri temporis probe et convenienter, plene et fideliter certiorem rerum fieri, primum ut mundum illum intellegat ubi versatur inter continuas huius aetatis vicissitudines, deinde ut sese rebus ipsis aequet ac mutantibus semper condicionibus quae iudicia eius et consilia cotidie postulant, tum ut partes actuosas et graves peragat in statu proprio sociali, postremo ut variis formis rei oeconomicae et politicae, societatis et humanitatis ac religionis huius temporis ipse intersit. Illi autem iuri, quod ex hisce requisitis procedit, officium vicissim respondet scientiae rerum praeripiendae; etenim ius illud impleri non poterit, nisi homo certior faciendus suam quoque operam praestiterit. Quem propterea oportet sua in potestate habere subsidia et instrumenta satis varii generis, ut libere seligat ea, quae propriis congruant necessitatibus tum privatis tum socialibus. Nam sine vera communicationis fontium diversitate exercitatio illius iuris inanis
607 erit et nulla. /

35. Societas etiam ipsa pro diversis suis ordinibus indiget talis rerum cognitionis atque similiter bene instructorum civium, recte ut sese gerat. Itaque ius istud comperiendi hodie videtur non solum potestas quaedam uniuscuiusque sed etiam boni communis postulatio.

36. Exinde homines, quorum est professio certius facere publicum forum, grave admodum et difficile explent officium, frequentibus conflicti molestiis. Crebro etiam ab iis vexantur, quorum interest obtegere et celare veritatem. Hoc praesertim in illos nuntiorum auctores cadit, qui ex propinquo referunt eventa, quique eam ob causam saepius itinera vel etiam in orbis extrema faciunt [7]. Dum autem ita conantur spectare «eventus, quemadmodum reapse contingunt» [8], saepenumero coguntur ut magnis se exponant periculis vitae; et plures quidem ita perierunt, cum tale suum officium exsequerentur. Quoniam ergo ius habent homines cognoscendi, praecipue statum rerum et condiciones in bellorum praeliorumque locis, quae ipsa sollicitant valde et angunt totum genus humanum, idcirco salus atque incolumitas eorum nuntiatorum semper est omnibus viribus protegenda. Quocirca deflet et improbat Ecclesia quamlibet vim his hominibus et cuivis alii generi communicatorum illatam, qui videlicet notitiis sibi comparandis aliisque recte ministrandis usum iuris illius hominum vindicent atque provehant.

37. Praeter communem hominis difficultatem veri integre percipiendi atque ostendendi, accedit etiam, ut ipsi nuntii, cum aliquid novi afferre debeant, suapte natura eas dumtaxat partes rerum illustrent, quae nuperrime mutatae ac praesentis utilitatis sint. Alia vero inde nascitur difficultas, quod narratores ex permagno nuntiorum congestu eos delibare oportet, quos alicuius ponderis esse existimaverint atque ad vulgus capiendum idoneos. Quo denique accidit, ut cognitiones receptae in frusta discerpantur nec necessario totam eventus gravitatem declarent.

38. Haec praeter, communicatores, cum res integras

[4] Cfr. Litt. Encycl. *Pacem in terris*, *A. A. S.* 55 (1963), p. 260 [LE 3110].

[5] Cfr. Allocutionem diei 17 mensis aprilis 1964 ad «Séminaire des Nations Unies sur la liberté de l'information» *A. A. S.* 56 (1964), p. 387 et ss.

[6] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 5; 12.

[7] Pius XII in oratione habita ad Diurnarios Americanos, die 21 mensis iulii 1945: [illegible] -VII-45. [8] [illegible] aprilis 1946. [illegible] -IV-46.

intellectuque faciles celeriter pronuntiare debeant, ab horum negotiorum peritis com/mentarios magis magisque quaerunt, qui nuntiorum principia adiectaque explicent atque iudicia propria conferant. Huius modi autem commentationes saepius flagitantur cito, vel etiam interdum ante eventum iamiam instantem. Nihilominus homines fidissimi munerisque sui maxime conscii, praesertim cum imperia gerunt vel auctoritate praecellunt, iure meritoque cunctantur raptim enarrare et explicare cursim eventa, priusquam totum rerum statum et contextum fuerint perscrutati. Qua de causa, cum suapte natura poscant communicationis instrumenta notationes et commentarios repentinos, accidit saepe ut neglegentiores atque imperitiores narratores sese interponant, qui ceteroquin proclivius et libentius opus illud exsequantur. Quod ne eveniat, vere periti quaestionis tractandae diligenter cavebunt. Se ipsos nempe, quantum fieri potuerit, parare conabuntur assequenda ultimorum eventuum cognitione, ut munus hoc nuntiandi ipsi praeripiant rectiusque populum certiorem faciant.

39. Alia autem difficultas ex eo oritur, quod nuntii, ut viriditatem suam asservent vulgique audientiam faciant, quam citissime sunt dispergendi; huc etiam additur, quod eorum aemula festinatio mercatoriam necessitatem imponit. Ideoque contingit, ut necessaria ista celeritas accuratae rerum narrationi officiat. Praeterea communicatoribus necesse est rationem ducere populi ipsius et gustus atque animi culturae eius, eodemque tempore considerare, quid ante omnia cognoscere et audire concupiscat. Talibus in adiunctis sane difficilibus communicatores ad veritatem adhaerescere debent, cum nuntios diffundunt.

40. Praeter illa incommoda, quae ex ipsa nuntiationis et instrumentorum communicationis natura proficiscuntur, aliud narratoribus offertur: eos scilicet oportet res explicare alicui vulgo, quod saepenumero urgetur ac distrahitur, vivide et accommodate ad eorum animos pelliciendos captandosque; at ipsi ex altera parte vetantur, ne idem vulgus percellere vehementer penitusque commovere conentur inusitata ratione, quae propter alicuius rei segregationem, amplificationem, scaenicam paene expositionem facere possit ut ipsi nuntii depraventur.

41. Receptores autem, qui dispersa indicia conglutinant, notionem concipere possunt inaequalem vel deformem totius rei. Aequitas autem / poterit quadamtenus restitui et reconciliari continuata suppeditatione nuntiorum ex variis diversisque capitibus, quae tamen acriter diiudicare semper oportet. Deinde receptores perspicere convenit beneque comprehendere illorum hominum condicionem, qui pro munere ac professione annuntient neque perfectionem certam ab eis efflagitare vires humanas plane excedentem. Ius nihilominus habent et officium postulare, ut nuntii aliquando falsi vel vitiosi cito manifestoque castigentur, tum commonefacere quae sint forsitan praetermissa, tum reclamitare quoties communicationis socialis instrumenta deformaverint facta ipsa, vel evellendis eis ex comitante rerum statu vel maiore quam mereri videntur pondere assignando vel contra nimis exiguo et parvo attribuendo momento. Hoc igitur receptorum ius efficaciter valet in tuto collocari ex codicibus normarum agendi ab ipsis communicatoribus conscriptis aut, si desunt tales, secundum leges nationis vel pacta inter populos conventa.

42. Verumtamen cognitionis ius definitis continetur terminis, quotiescumque exercitationi eius alia iura adversantur, ut sunt: ius veritatis quod bonam famam hominum totiusque societatis tuetur; ius vitae privatae quod intimum familiarum atque singulorum circulum defendit [9]; ius secreti, si necessitates vel condiciones muneris suscepti aut ipsum commodum publicum exigunt. Quoties bonum commune agitur, prudenter valde nuntiandum est et intellegenter.

43. Aperta descriptio et expositio rerum saevarum violentarumque maximam diligentiam et acrem curam postulat. Absque dubio immanitas et crudelitas foedat vitam humanam atque conspicitur potissimum in novissimis temporum conversionibus, et ita revera describi potest ut receptores ab ea abhorreant. Attamen si res istae cruentae saepius quam opus est et nimium vividis demonstrantur imaginibus, periculum est ne species recta vitae humanae eiusque verae condiciones detorqueantur neve interdum gignantur —sic censent plures periti— aliqua psychosis / vel certae animi habitudines, secundum quas vis et violentia habentur tamquam viae consuetae dissolvendarum contentionum.

[9] «Quoad modum, sit honesta et conveniens (communicatio), scilicet leges morales hominisque legitima iura et dignitatem... in nuntiis quaeritandis... sancte servet». Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 5.

b) *Communicandi libertas*

44. Ius illud congruenter rerum certiorem fieri arcte cohaeret cum ipsa communicandi libertate. Revera innititur tota socialis vita commercio et colloquio perpetuo inter singulos homines eorumque greges, quod quidem ad mutuam intellegentiam et sociam operam omnino deposcitur. Cum vero ad hoc colloquium vox ipsa instrumentorum communicationis accessit, novum quiddam exstat, quia cum pluribus hominibus vita ipsa participatur et profectus societatis.

45. Quoniam sociali sit homo natura, eum necesse est libere conferre suas cogitationes et comparare cum aliis; et hoc requiritur nostris diebus plus quam alias umquam, cum opera mentis et ingenii prosequuntur collegia potius et consociationes hominum, iam non singuli. Ceterum quoties homines, suae naturae proclivitatem sequentes, inter se rerum cognitiones permutant vel aliis suas declarant sententias, iure prorsus suo utuntur simulque satisfaciunt officio erga societatem.

46. Societates partium diversarum patientes (quas «pluralisticas» appelant) optime intellegunt quanti intersit libere posse nuntios et opiniones disseminari, ut cives revera actuosi versentur in vita sociali eandemque libertatem legibus ferendis tutentur. Illa Universalis Iurium Humanorum Declaratio cum hanc confirmaret ut primariam postulationem, implicite asseveravit necessariam libertatem instrumentorum communicationis socialis.

47. In usu vitaque communi licentia haec communicationis afferi quoque facultatem singulorum vel sociatorum hominum investigandi, scientiae rerum quoquoversus dispergendae, adeundi denique inventa socialis nuntiationis. Sed talis communicandi libertas, quae in ipsa sui exercitatione rationem non ducit genuinorum requisitorum illius iuris nuntios atque indicia recipiendi eiusque terminorum, plus certe oblectare studet communicantem vel annuntian-
11 tem quam vere prodesse populo audienti. /

3. Educatio, animi cultura et otium

48. Semper latiora et maiora officia obeunt communicationis socialis instrumenta in vasta provincia educationis humanae. Pluribus quidem in locis auditorii ac visifici apparatus, necnon et commodissimae sonorarum visualiumque taeniarum cistellulae («cassettes») atque scrinia radiophonica et televisifica iam evaserunt solita magistrorum utensilia ad doctrinas tradendas; quo etiam contingit, ut opera hominum in variis studiorum regionibus versatorum facilius praesto sint usque pluribus. Alibi autem communicationis socialis instrumenta comitantur atque opitulantur iam constitutae docendi rationi simulque adolescentibus et adultis occasiones praebent perficiendae eorum institutionis. Ubi vero didascalica subsidia haud sufficiunt, haec educationem religiosam afferunt et multiplices formas primariae educationis tamquam remedia ignorantiae plenae litterarum; tum etiam agri culturam docent, medicinam artem, valetudinis curandae disciplinam ac regulas complures prosperandae totius communitatis. Cum autem id fieri potuerit, talis industria per instrumenta communicationis explenda prae se feret indolem genuini colloquii, ut nempe per vim quandam effectricem discentes non solum doctrinis ornentur, verum etiam assuescant se ipsos iisdem instrumentis exprimere.

49. Insuper communicationis socialis instrumenta, quae ipsa iam sunt perspicua pars hodiernae culturae eiusque patefactio, singulari prorsus modo efficiunt, ut artis atque humanitatis monumenta suppeditentur maximae generis hominum parti, et mox forsitan toti. Hoc autem tam necessario pertinet ad germanos societatis humanae progressus quam ipsa amotio et abolitio oeconomicae socialisve inaequalitatis.

50. Cum inventa illa bene ditare valeant culturam huius temporis, sibi communicatores conscii erunt ius esse universis hominibus ut ad humanitatem informentur, ac propterea alacriter utentur praeclara opportunitate quam sumministrant ita dicta «Media multitudinis», quo maiores hominum numeros et coetus attingant. Eadem etiam permittunt obsequi et inservire necessitatibus studiisque variis
612 cultus humani, cum valenter et amoene pertractant opera ex omni artium liberalium pro/vincia. Cives proinde haec subdidia facile usurpare possunt ad ingenium expoliendum animumque perficiendum, dummodo suam deliberatam considerationem addiderint et frequentent cum aliis hominibus sermonis atque cogitationis commercium.

51. Exempla autem utilitatum, quas in genere culturae important communicationis instrumenta, deprehenduntur etiam in tralaticia humanitate et arte multarum gentium, in quibus scilicet narrationes et fabulae scaenicae, cantica et saltationes recludunt saecularem thesaurum culturae alicuius populi. Propter suam autem perfectionem technicam possunt illa instrumenta longe et late serere bona illa nativae humanitatis, conservare ea in receptaculis ut iterum atque iterum degustentur, perferre etiam in loca ubi iam pridem evanuerunt. Hoc pacto subsidia communicationis plurimum adiuvant ad inculcandam cuique nationi conscientiam proprietatis culturalis eamque indicandam aliis populis et nationibus, ut admirantes inde ditentur.

52. Oblivisci non licet complura opera magnae praestantiae in studiis ingenuis —potissimum in re musica, scaenica, litteraria— prius exhibita esse tamquam publicas oblectationes; unde apparet talia oblectamenta plurimum utilitatis animi culturae posse afferre [10]. Hisce autem diebus per communicationis subsidia excelsiores artis formae pollicentur maiori usque hominum numero relaxationem animi, plena intellectam verbi significatione, qua magis cotidie opus est in nostra admodum implicata societate. Simplex delectatio momentum suum etiam comprobat, cum onere sollicitudinis cotidianae mentem levat vel vacuum negotiis tempus utiliter implet. Propterea multiplex operum varietas, quae his inventis praebentur ad otium consumendum, hominibus nostrae aetatis valde proficiunt. Attamen satis sibi temperare posse debent receptores, ne ita venustate et pulchritudine operum exhibitorum vel ipsa curiosa quaerendi cupiditate patiantur se impelli, ut prementia officia deserant aut tempus inaniter profundant.

53. Ipsa communicationis instrumenta profecto novae partes sunt humanitatis nostri temporis, quandoquidem plurium hominum turmis / simul prospiciunt; illam vero 613
locupletare sane valent, sed etiam spoliare interdum ornatu suo et dignitate, quia crebro sese accommodant ad captum et intellectum infimi ordinis auditorum vel lectorum. Cumque homo tamdiu vacet his communicationis instrumentis facile prohiberi inde potest, ne consumens tempus in sui intellectus inferiore usu superiores utilioresve facultates neglegat. Continua denique spectatio operum leviorum facere vix potest, quin iudicium elegans et subtile deiciat eorum, qui superiorem culturam fuerint assecuti. Nihilominus pericula haec declinari valent et vitari, si communicatores ipsi non solum curae habent germana bona culturae, verum etiam ad optimam illam voluntatem adiunxerunt amplam cognitionem ipsius artis educandi. Sciendum insuper est instrumenta communicationis posse revera altissimos gradus excellentiae artis attingere, qui non necessario difficillimi sint neque omnino impervii plerisque hominibus.

4. Genera artis

54. Recentiores hi communicationis apparatus propagant per orbem terrarum veteres artis formas sed pariunt etiam nova artificiorum genera. Cum rete quoddam communicationum contegat universum mundum et rationes consuetudinis inter gentes duplicet, cumque in singula opera magis ac magis conferatur navitas et industria communicatorum variis ex gentibus, consentaneum est auctores et ipsos homines talibus artificiis utentes communiter quaerere universale aliquod iudicium et veluti characterem, non tantummodo ut et antiquiores et recentiores formae conservari valeant, verum ut observentur atque scienter admittantur artificia cunctarum gentium cuiuslibet cultus atque omnium minorum circulorum in eiusdem humanitatis regione.

55. Opera artis propter sua momenta et bona humana plurimi sunt aestimanda, etenim pulchritudo sua sponte attollit mentem eam contemplantem. Quodvis artificium referre potest et significare condicionem humanam usque in ultimum eius recessum, per sensum corporis aperire omnibus res spiritus et animi, tribuere homini meliorem sui cognitionem, id quod maxime optandum est non modo in litterarum et artium sed etiam morum et religionis provincia. «Verissimum autem illud est, cum vos scrip/tores 614
atque artifices ex condicione humana quantumvis humili et tristi elicere sciatis scintillam bonitatis, ilico aliquem pulchritudinis nitorem collustrare totum opus vestrum. Non sane rogamini, ut partes expleatis moralistarum; attamen adhuc creditur et confiditur arcanae potestati vestrae pandendi regionem illam lucis, quae post vitae humanae mysterium iacet» [11].

[10] Cfr. Litt. Encycl. *Miranda prorsus*, *A. A. S.* 49 (1957), p. 765 [LE 2690].
[11] Paulus VI: Allocutio habita permultis coram admissis... qui ludis scaenicis dant operam, vel arti cinematographicae [illegible] ad [illegible]

56. Quicumque igitur penitus comprehendere voluerit habitus animi et indolem alicuius certae aetatis, inspicere atque investigare oportebit, praeter historiam resque gestas eius, litteras quoque et universa artificia, quoniam ipsissima haec opera acriter et lucide, immo vero altius saepe et accuratius quam mentis descriptiones, ingenium alicuius populi, desideria eius et optata, cogitationes et sensus commonstrent. Etiam cum artifices animo evolantes ex hoc vero ac solido orbe persequuntur fictas mentis species, sinunt hominis naturam et proprietates utilissime introspici. Ipsae quoque fabulae, quas effinxit alicuius auctoris fervidum ingenium, cum simularent homines vivere et progredi in condicionibus rerum plene facticiis, suo proprio modo veritatem edocent. Licet non sint vera eventa, res tamen ipsas vitae eatenus tangunt, quatenus ex naturae humanae elementis componuntur [12]. Quin immo afficiunt istae fabellae origines vigoris atque ardoris humani: sic enim illustrant eas, ut homines sagaces inde perspiciant futuras inclinationes humanae progressionis animoque praesentiant.

57. Docet Summus Pontifex Pius XII vitam humanam: «Certe intellegi non posse, saltem in atrocibus eius et vehementibus certaminibus, si scelera illa ac vitia praetereantur, quae plerumque eorum sint causae et auctores... Atqui, nonne praestantissimum spectaculum cinematographicum explicare valet talia facta tamquam sibi propositum argumentum? Summi poetae et scriptores omnium temporum ac populorum hanc asperam et lubricam materiem
615 tractaverunt itemque facient posthac... / Quoties contentio haec cum malo, vel etiam temporalis victoria eius, una cum reliquo opere toto conducit ad vitam humanam eiusque rectam moderationem altius pervidendam et ad mores temperandos et ad probum iudicandi agendique modum illustrandum necnon confirmandum, toties elegi potest eiusmodi argumentum et intexi ut pars doctrinae in actione integra spectaculi. Huc igitur eadem norma ac iudicium adhibetur quod cuique operi litterario praeponi debet» [13]. Ibi nimirum deprehenditur opus ad profectum moralem admodum utile; namque illic germana excellentia artis et honestatis praestantia, quae liquido distinguuntur, non modo inter se minime adversantur, verum evocantur vicissim et corroborantur.

58. Difficultates interdum in re morali praebet artificium aliquod cum quidam spectatores aut omnino non valent aut aegerrime tantum comprehendere malum et pravitatem, quemadmodum oportet, vel propter aetatem vel animi inscitiam vel mancam institutionem. Artifici quidem obversatur ante oculos tota vita humana cum universis bonis malisve rationibus eius. Iudicium propterea et prudentia exiguntur, quotiescumque opus artis multiformem populum afficit, in quo nempe reperiuntur cives omnium ordinum societatis, et praesertim cum propositum argumentum est contentio hominis cum malo.

5. Nuntii laudativi

59. Momentum nuntiorum laudativorum in hominum nostrae aetatis consortione magis in dies augescit neque eorum vim refugere iam quisquam valet. Utilitates plurimas quidem sociales illi afferunt. Nam per eos emptor tum de bonis, quae ex necessitate quaeruntur, tum de ministeriis, quae in promptu sunt, certior redditur; ita evenit, ut iisdem larga distributio rerum arte effectarum promoveatur; quod cum agitur, quaestuosa industria adiuvatur ad progressus faciendos, qui tandem cedunt in bonum totius populi. Hoc nimirum probandum est, dummodo libertas emptoris in eligendo semper observetur —etiamsi suadeatur ei aliquid ad necessitates ipsius primarias pertinens ut desiderium cuiusdam rei procreatae excitetur—, et lauda-
616 tiones ipsae suo peculiari modo veritati consulant. /

60. Si tamen laudativis nuntiis bona noxia vel prorsus inutilia praedicantur in vulgus, si promissa falsa in rebus venditandis fiunt, si inferioribus hominum proclivitatibus obsecundatur, vulgatores huiusmodi praeconiorum societati humanae detrimentum important ac suam denique ipsorum fidem et auctoritatem amittunt. Singuli praeterea et familiae damno afficiuntur, cum falsae necessitates pariuntur, dum continenter instatur ut res voluptuariae emantur, quae forsitan eas comparantes impediant, ne occurrant, necessitatibus omnino primariis. Praesertim vitanda prorsus erunt praeconia, quae inverecunde torquent ac flectunt sexus libidinem ad pecuniae quaestum, vel quae recessus mentis humanae non conscios ita tangunt ut ipsa emptorum pericli/tetur libertas.

Quapropter sibimet ipsi vulgatores constituent fines necessarios, ne mercium venditatio laedat dignitatem humanam neve iniuriam communitati inferat.

61. Prudens ex contrario usus nuntiorum laudativorum civitates atque nationes progressum maiorem appetentes exstimulare potest, ut vitae suae condiciones ad altiorem statum evehere conentur. Nihilominus damnum grave afferatur, si laudis praedicatio et instans mercimoniorum suasio tam inconsiderate fiant, ut societates, praesertim quae ab inopia rerum ad consentaneam vitae instructionem progredi student, eiusmodi profectum suum contineri velint in satisfaciendo necessitatibus tantum commenticiis atque, ita praecipuam partem opum suarum missam facientes, veras necessitates et progressionem bonorum sibi propriorum illis posthabeant. 61

62. Copia tamen ingens pecuniarum nuntiis laudativis corrogatarum minitatur vicissim ipsis fundamentis communicationis instrumentorum, quoniam totum genus et rationes illorum praeconiorum periculum comparant, ne homines universe arbitrentur communicationes sociales paene solum dirigi ad naturae appetitus inflammandos, ut tandem alicuius rei usus propagetur. Praeterea ipsa libertas instrumentorum communicationis socialis propter vim atque impulsum commodorum oeconomicorum adduci revera potest in discrimen. Quoniam haec instrumenta eatenus exsistere valent, quatenus ope nummaria suffulciuntur, illa igitur sola per/manere valent, quae maiorem abun- 61
dantiam pecuniae ab his laudativis nuntiis perceptae pollicentur. Ita vero panditur via monopoliis, simulque ius nuntios accipiendi et reddendi necnon ipsum colloquium sociale difficultati obiciuntur. «Pluralismus», qui dicitur, in usu communicationis instrumentorum est omnino in tuto ponendus atque etiam aptis latis legibus, si necesse fuerit, adversus pericula muniendus inde nimirum orientia quod instrumentis validioribus globatim attribuuntur pecuniae ad nuntios laudativos pertinentes.

Caput II.

Condiciones aptissimae ad actionem congruentem

63. Ut instrumenta communicationis socialis hominibus reapse inserviant, ante omnia agnoscendum est momentum partis humanae in eorum functione, cuius quidem vis hoc in negotio multo maior est quam ipsa illa summe admiranda prodigia artis mechanicae et electronicae. Non enim ultro suaque sponte peragitur functio munerum, quae in hominum societate eiusmodi inventis communicationis sunt commissa. Qui propterea communicent et recipiant, oportet plane hac re sint instructi et eruditi, ut ex iisdem instrumentis utilitates omnes obtineantur. Cunctos ergo peculiarium partium sibi agendarum conscios esse penitus oportet atque ad hoc praeparari tam singulos quam ut sodales humanae communitatis. Et publicae auctoritates et ecclesiastici moderatores simulque educatores propria munia debent explere, ut bonum societatis, quod instrumenta illa egregie promittunt, plene efficiatur.

1. Institutio

64. Urget imprimis institutio, qua principia illa, quibus usurpatio communicationis socialis instrumentorum inter homines regitur, animis alte inculcentur; quae quidem praecepta ex hisce paginis iam innotuerint, ea omnibus hominibus necessaria esse hodie patet. Etenim communicationis subsidia mentem animumque hominis vere ditant, dummodo indoles eorum et usus probe comprehendantur; libertatem contra facile imminuunt eorum homi-
num, qui pondus eorum leviter tantummodo capiunt. Quapropter haec institutio complecti debet certa ac definita / 618
principia naturae singularis uniuscuiusque instrumenti communicationis, explicationem deinde praesentis eius status atque usus in quadam regione, et denique ea quae rectam applicationem tangunt; qua in re tota specialis respectus habeatur hominis et societatis.

a) *Receptorum*

65. Primaria institutione indigent receptores, ut ex instrumentis communicationis socialis maxima trahant be-

terisque communicationis socialis instrumentis, die 6 mensis Maii 1967. *A. A. S.* 59 (1967), p. 509.
[12] Cfr. Pius XII: Allocutio Cultoribus cinematographicae artis ex Italia Romae coadunatis. Die 21 mensis iunii 1955. *A. A. S.* 47 (1955), p. 509.
[13] Pius XII: Allocutio Cultoribus cinematographicae artis, ob Conventum [illegible] habitum, die [illegible] mensis octobris 1955. *A. A. S.* 47 (1955), pp. 822-823.

http://www.obrascatolicas.com

neficia non solum in proprium commodum sed eo etiam consilio, ut omnes suas partes exsequi valeant in colloquio seu dialogo societatis et in mutua illa adiutrici effectricique opera inter humanae communitatis membra, et ut aptissimas reperiant vias, quibus cuncta haec ad usum deducant, iustitiam propugnando in nationibus atque efficiendo, ut maximae inaequalitates inter populos opulentiores hinc et illinc egentiores debilioresque amoveantur.

66. Qua de causa receptoribus semper opus est cognitionibus progrediens tempus et aetates respicientibus, quae satis sint omnibusque in promptu ponantur. Homines igitur hac in re pro munere periti adiumenta praebebunt huic continuae institutioni per acroases, circulos, «fora» quae dicuntur, lectiones peculiares, conventus studio dicatos, instaurativa institutionis curricula.

67. Nemo poterit umquam incipere nimis mature in iuvenibus excolere atque acuere iudicium artis, subtilem aestimationem, proprii officii moralis conscientiam in delectu usuque scriptorum, ludorum cinematographicorum, trasmissionum radiophonicarum itemque televisificarum, quoniam pueri et adulescentes laedi facilius possunt et offendi, tum etiam quia stabilis animi habitus suique ipsius temperatio in teneriore aetate adepta proderunt eis certissime in omnem reliquam vitam. Infantes nimirum et adulescentes qualitates habent admirabiles liberalitatis et munificentiae, candoris et sinceritatis; verumtamen eaedem animi habitudines atque sui ipsius moderatio custodiri valent solummodo si ab ineunte aetate percoluntur et defenduntur. Parentes propterea aliique praeceptores cohortabuntur et dirigent pueros, ut inter communicationes proprio iudicio discernant et eligant, tametsi, ut decet interdum, ipsi sibi vindicent ultimum consilium hac in selectione.
619 Quod si oportere aliquando intel/lexerint se a filiis suis dissentire eorumque obstare iudicio cum eligantur atque adhibeantur communicationis instrumenta, curabunt diligenter et providebunt, ut rationes illius contrariae sententiae lucide explanentur. Namque plus revera efficitur persuadendo quam prohibendo, praesertim ubi hominum eruditio agitur. Reminiscentur similiter puerorum mentem et animum minime eandem esse atque adultorum, ac proinde communicationem aliquam, quae ipsis videatur omni carere iucunditate vel commoditate, pueris atque iuvenibus apprime congruere posse. Convenit autem ut plures adulescentes magistri fiant et institutores aequalium suorum. Eorum aetas sinit eos patere novis humanitatis formis aditumque facit ad coetum cuius sunt sodales. Talis industriae efficacitatem iam experimenta et usus comprobaverunt.

68. Magna deinde cum utilitate ipsi parentes et educatores spectabunt investigabuntque telehoramata, cinetographea, scripta, ad quae iuvenes animos maxime adiciunt, de quibus inde disputare valeant cum eis simul expolire studentes ingenium eorum criticum. Quoties opera artis dubia vel perplexa excutiuntur, parentes tempestive adiuvare filios debent manu veluti ducentes, ut bona eorum humana detegant simulque totum monumentum vel artificium contemplentur et singulas partes in totius operis compage reponant.

69. Haec quidem institutio stabili quadam et fixa ratione viaque tradenda est in scholis ipsis, ubi per omnes gradus discipuli paulatim sed certo perducantur ad principiorum cognitionem usumque vicissim, et ad librorum lectionem atque operum recentiorum interpretationem. In studiorum ratione definitum locum assumere debet ista doctrinae expositio, quae in auditoriis et congresibus seorsum enucleetur quaeque usurpetur exercitationibus ductu peritorum.

70. Liquet autem omnino nec parentes neque paedagogos his officiis satis facere valere, nisi et ipsi scienter versati sint in eadem aestimatione instrumentorum communicationis. At in hanc sententiam commonendum est parentes, qui nullis huius generis instrumentis circumdati adoleverint, eorum plerumque «linguam» difficilius intellegere quam iuvenes hodiernos. Iidem autem parentes idcirco
620 magis anguntur, quod commu/nicationis subsidia apertissime edisserunt universas quaestiones ac difficultates in cunctis tam civitatis quam Ecclesiae vitae provinciis. Quamquam proinde eorum tanti revera interest ut liberi sui probe utantur iisdem instrumentis, fidere tamen iis debebunt, dum sibi persuadent filios suos, natos et adultos et institutos alia in societate, aliter nimirum armatos esse atque instructos adversus multiplices variasque impulsiones quas ipsi patiantur.

b) *Communicatorum*

71. Plures inveniuntur administri, qui, licet incommunicationis socialis instrumentis expedite elaborent, consenmentius postulatur, quoniam monopoliorum proprium est in diverbii locum subdere soliloquium.

77. Communicatores qui studiis solummodo mercatoriis et nummariis vel cupiditate popularis aurae, quae levis est brevique transit, artificia sua et opera dedecorant, non tantum pessime provident clientibus suis, sed serius ocius de fama et existimatione professionis suae multum de- trahunt.

78. Ut proinde communicationes cuiusvis indolis semper versentur in summo honestatis utilitatisque gradu, et ut ipsi communicatores ad progressus faciendos adiuventur, critici iudices partes sustinent pernecessarias; hi enim sunt velut domestici censores ipsius professionis, cum et illi etiam communicent. Per hoc censurae agendae munus praecurrere valent cunctos impetus ab exteriore parte profectos. Intellegere omnes sibique persuadere oportet integritatem probitatemque esse huius artis animam. Ideoque iustitiae sensu ac veritatis amore semper pulsi, significabunt aequabili et vero iudicio cum laudes et virtutes tum vitia et errata variarum communicationum. Hac enim sola ratione receptoribus vere utiles erunt, ut hi probe sciant istarum merita diiudicare. Momentum autem eorum functionis reapse creatricis non est putandum aequo minoris, praesertim cum subtilitas eorum ingenii et scientiae in
623 artis opera pene/trantis valeat significationes et divitias detegere, quae fugere possunt ipsos artifices. Ita tamen demissos critici sese praebeant, ut oculos receptorum nolint ab ipsis operibus iudicatis ad se averti.

79. Consociationes communicatorum studiis, crebro commercio, et mutuo auxilio expeditius ac melius difficultatibus suo muneri insitis occurrere valebunt. Sic insuper in collegia conglobati poterunt, a principiis certis rerumque experimentis profecti, componere vel conscribere disciplinam aliquam et codicem morum, quibus opera et incepta omnium communicatorum ordinentur secundum postulata universalis communicationis socialis. Quae vero normae et regulae actionis magis affirmare debent quam negare, nec tantum notare evitanda verum facienda suadere ad commodius ministrandum hominibus.

80. Machinamenta communicationis flagitant collocationem maximarum pecuniarum, ut ipsa pariantur et administrentur et cum progrediente societate pariter ambulent. Cum igitur accidat ut instrumentorum possessores et moderatores pecunias publicas vel privatorum civium recte obliqueve conquirant, homines pecuniosi vim ad eadem instrumenta valde salutarem adhibere possunt, si ita decernunt quibus inceptis opes suas suppeditent, ut non lucro tantum et quaestui prospiciant, verum genuino hominum emolumento. Ceterum, si idem praedivites intellexerint instrumenta communicationis eodem tempore negotia meritoria esse atque ministeria socialis cultus et humanitatis, certo ipsi prohibebunt, ne in legitima sua libertate communicatores, effectores, receptores interpellentur.

b) *Receptorum*

81. Quae omnia receptores hac in re perficere valent revera sunt plura et maiora —proindeque officia eorum etiam graviora— quam plerumque existimatur. Magna ex parte verum et genuinum colloquium dependet ab ipsis receptoribus; quod si illi taciti prorsus et muti tantummodo patiendo subeant communicationum impulsum, in unam dumtaxat partem dirigatur locutio nec vera reciprocetur,
624 quatumvis enitantur communicatores dialogum instituere. /

82. At iidem receptores actuosos quidem sese praebebunt, si bene interpretabuntur nuntios allatos, ponderandis illis et aestimandis secundum originem et totum contextum, si diligenter cauteque seligant acriter iudicantes, si perlata indicia complebunt, cum necesse fuerit, aliunde repetitis notitiis, si denique non dubitaverint aperte significare assensionem suam vel exceptionem aliquam et condicionem, vel planam improbationem.

83. Si vero quispiam obiecerit cives, qui publicum illud forum impleant, singulos seorsum parum omnino valere, ne is obliviscatur conglomeratos eos et conglutinatos plurimum sane posse. Sicut ii qui pro munere suo communicationem socialem procurant, ita omnino vulgi cives debent se in circulos et sodalitates cum hoc solo fine colligare vel adiumentum adhibere aliorum institutorum, quae proposita consimilia sed ampliora persequuntur.

3. Consociata opera

a) *Inter cives et auctoritates*

84. Qu[illegible] progressioni totius societatis consulunt instrumenta communicationis; idcirco universi cives et ipsi magistratus certo officio hac in re obstringuntur. Eorum videlicet interest vindicare communicandi libertatem et procurare condiciones necessarias, ut omnes hac in provincia agant cum plena munerum suorum conscientia, tum etiam ut revereantur personam humanam atque observent bona nationis propriae et omnium gentium.

85. Politica namque communitas postulat ante omnia, ut homines singuli et consociati sint ipsi auctores inceptorum, utque sui ipsorum moderationem gerant ac temperantiam uti communicatores et receptores. Utile est crebroque necessarium institui sodalicia, quae ad tale aspirent propositum.

86. Partes vero magistratuum hac in re expleri oportet maxime affirmando, non negando dumtaxat; eorum scilicet finis non ilico sic intellegendus est, ac si cohibeant solum et reprimant, quamvis ad castigandum vel admonendum necesse sit intercedere nonnumquam. Concilium autem / Vaticanum Secundum explicat hominum libertatem, quantum fieri possit, percolendam esse et tutandam, atque tunc solum interpellandam, quoties et quatenus commune bonum id poposcerit [15]; censura proinde extremis solum continebitur casibus. Eaedem insuper publicae potestates obtemperare debent principio communicatae auctoritatis, seu subsidiarietatis, quam vocant, saepius a Magisterio Ecclesiae iterato: videlicet, ne ipsae suscipiant vel perficiant ea, quae singuli homines coetusve valent efficere et transigere tam bene, atque interdum melius, quam leges publicae.

87. Secundum hoc idem praeceptum leges ferantur oportet, quibus communicandi libertas protegatur una cum iure illo comperiendi, et quibus haec duo communiantur adversus vim et impetum oeconomicum, politicum, ideologicum, qui expeditam eorum exercitationem praepedire possunt. Leges item praestare debent et promittere civibus integram facultatem publice iudicandae totius administrationis instrumentorum communicationis, praesertim cum monopolium aliquod, maxime vero ipsius gubernii, ea regit. Dubium hodie non est quin subsidiorum usus disciplinam legum postulet, quae efficienter tutetur varietatem eorum et multitudinem a nimia coacervatione quam quaestuosa aemulatio urgeat et simul quoque defendat personarum atque consociationum dignitatem cultusque praestantiam, et operam denique det, ut condiciones impleantur quibus religiosa libertas per haec instrumenta exerceatur.

88. Praecipue suadetur, ut homines artem communicationis factitantes, vel aliae etiam hac in provincia sodalitates ultro ac sponte instituant conventus propriis normis firmatos, qui de cunctis rationibus huius operis consilia impertiant. Ad eosdem autem advocabuntur legati quoque variorum circulorum atque ordinum civium, qui in tota illa natione vel communitate inveniuntur. Sic fore speratur, ut ex altera parte arceatur interposita civitatis auctoritas et dominatus impulsionum oeconomicarum, ex altera vero mutua adiutrix opera ponatur inter ipsos communicatores, quo tandem plenius universa communicationis instrumentorum industria bono communi deserviat. Ve-
626 rumtamen aliquibus in locis ne/cesse fortasse erit ipsos magistratus publicos erigere huius generis consilia munere invigilandi instructa, quae autem ex lege ita ordinentur ut diversarum communitatis partium mens et voces attendantur.

89. Quantum in eis est situm, legis mandata defendent iuvenes a magnis aliquando detrimentis diuque mansuris, quae communicationes quaedam inferre valent eorum animis atque iudicio honestatis; in pueris et adulescentibus leges sustentabunt necessario auxilio operositatem didacticam familiae et scholae.

90. Similiter curabitur legibus aptis, ut congrue subveniatur inceptis, quae respiciunt usum instrumentorum communicationis socialis, quaeque manifesto prosunt bono communi —haec verbi gratia sunt varia instituta quae rerum nuntios disseminant, libri et scripta proprie ad docendum accommodata, cinematrographea et transmis·iones pro pueris confectae— quamquam ex talibus operibus vix expectari possunt lucra. Hoc tantumdem valet etiam ad ludos cinematographicos apparatissimos et primi ordinis, necnon scriptorum atque spectaculorum praestantes editiones, quae, quia definitis solum emptorum catervis dicantur, secus difficulter suscipi possunt.

91. Officia publicarum potestatum, ad communicationis instrumenta quod spectat, hodie iam amplectuntur totum orbem; etenim per conventa inter gentes prospicien-

[14] Paulus VI in Allocutione ad Consilium Primarium Consociationis Catholicae Scriptorum Diurnariorum Italicorum (U. C. S. I.), *L'Osservatore Romano*, 24 mensis ianuarii 1966.

[15] Cfr. Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae*, 7 [LE 3393].

http://www.obrascatolicas.com

dum est, ut communicationis subsidia perficiantur ubique et instituantur sine stirpium discrimine nulloque arrogato monopolio. Arte facti satellites ad eadem pacta internationalia pertinebunt. Hac ratione impertiri poterit omnibus populis dignus conveniensque locus in illa sermocinatione seu collocutione totius mundi.

b) *Inter Nationes*

92. Inter multiplices formas adiumenti internationalis, quod ipsa natura instrumentorum communicationis instantius efflagitat, peculiare quidem momentum habent illa auxilia, quibus eadem subsidia apud progredientes populos instituuntur ac perficiuntur. Nam privatio vel inopia instrumentorum communicationis indicia sunt tardorum
627 societatis pro/gressuum, quorum eadem indigentia effectus est simulque causa. Nulla natio machinamentis communicationis socialis recentioribus vacua sibi comparare valet congruentem rerum cognitionem nec consentaneam institutionem, unde vicissim periclitatur rerum oeconomicarum, socialium, politicarum eius profectus.

93. «Progressio novum pacis est nomen» [16], edixit Summus Pontifex Paulus VI. Nationes ergo, quibus sint machinae et officinae opibus gignendis, oportet, sicut in aliis rebus ita in his subsidiis communicationis, subvenire populis inopibus atque egenis, ut ii ministros et curatores peritos praeparent, ac simul technicae artis auxilia suppeditare necessaria, quoniam in eos recidat non solum proprii boni et emolumenti onus, verum prosperitatis et commoditatis totius generis humani. Quod autem officium eo gravius premit, quo mirabilior et velocior increbrescit technicae potentiae auctus. Civitates illae ita aliis adiuvandae sunt, ut sedes institutionis de rebus communicationem attingentibus intra proprios fines exstruantur, ne videlicet istius disciplinae tironibus alio terrarum proficiscentibus magno cum patriae terrae detrimento illustria ingenia foris amittantur.

94. Hoc autem auxilium asseverare debet atque conservare plane tralaticios populorum mores et cultus consuetudines, rationes quoque sermonis et artis, quae tanta bona humana prae se ferunt. Opitulatio talis hac in re non quasi stips quaedam est nec eleemosyna, sed permutatio bonorum ad mutuo locupletandos omnes.

95. In gentibus, quae student prosperitatis augmento, et potissimum, ubi litterarum ignorantia plenum incrementum impedit, instrumenta ad auditum et visum nata valent felicissime partiri et dividere cognitiones utilissimas,
628 quae prosunt agrorum culturae, societatibus machinariis et / mercantibus, publicae saluti et valetudini, personarum instructioni familiarum confirmationi, necessitudini ac menti sociali illorum populorum. Cum autem huiusmodi industria vix quaestuosa sit ac lucrosa, invocari oportebit liberalitatem et munificentiam singulorum civium, sodalitatum privatarum, nationum opulentiorum, vel facultates institutorum ex omnibus gentibus.

c) *Inter cunctos christianos, credentes, homines bonae voluntatis*

96. Socialis communicationis instrumenta finem propositum minime assequentur —ut nempe suas conferant partes in hominum progressionem— nisi etiam cum instantibus generis humani quaestionibus et difficultatibus confligent atque spem nostri temporis firmabunt, simul provehentia amplissimam actionis communionem inter omnes homines qui credunt Deum viventem, praecipue vero, qui baptismate devinciuntur. Ita docet Concilium Vaticanum in documentis de oecumenismo et religionibus non-christianis [17].

97. Ceteroquin ipsi Christiani hodierna artis opera per communicationis instrumenta examinantes melius perspicere scient statum naturamque mundi huius temporis, qui a Deo est saepe disiunctus. Scaenici artifices et diurnarii hanc hominis alienationem significanter admodum depingunt, cum aptis ingenii et cogitationum viribus humanam libertatem extollunt. Quae quidem vis effectrix atque peritia eorum optima causa est, cur gratus erga eos declaretur animus [18].

[16] Paulus VI: Epistula ad Excellentissimum Virum U Thant, Consilii Nationum Unitarum Secretarium Generalem. *A. A. S.* 58 (1966), p. 480. Cfr. etiam: Allocutio Delegatis viris, qui interfuerunt Coetui secundo Mediolani habito a Consilio quod dicitur «Conseil d'administration du Programme des Nations-Unies pour le développement» *A. A. S.* 58 (1966), p. 589.

[17] Cfr. Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, *A. A. S.* 57 (1965), pp. 90-112 [LE 3235].
Cfr. etiam: Decl. *Nostra aetate*, *A. A. S.* 58 (1966), pp. 740-744 [LE 3336].

[18] Ita «Instructio» a Concilio Oecumenico Ecclesiarum Upsalae, 1968, emissa, p. 381.

98. Fide vero sua inflammati homines credentes totius mundi efficaciter auxiliari valent communicationis subsidiis, non tantum ut inde progressus humani in societatis animique ordine fiant constantes, sed ut, tutore Providentissimo Deo, in prosperis condicionibus apparetur ille dialogus quam maxime sublimis et universalis, qui adducat homines ad fraternitatem propria vita melius exprimendam sub Deo Aeterno omnium Patre. / 629

99. Adiutrix nimirum ista et communis opera plurimis rationibus significari ad effectumque deduci potest. Commemorantur nonnullae, quae statim omnibus praesto sunt: communes radiophonicae et televisificae transmissiones, suppeditata coniuncte instructio parentibus praesertim et iuvenibus, congressiones et collocutiones inter populos et ipsos communicationis procuratores, praemia communiter optimis operibus proposita, consortium inceptorum et pervestigationum scientiae; quae omnia eo spectant, ut quam sollertissime adhibeantur communicationis instrumenta, maxime vero ut informentur eorum administri et ut omnes gentes inter se iuribus aequentur.

100. Haec autem ut aliquando contingant, requiruntur commune agendi consilium et facultates opesque consociatae. In illam autem sententiam utilissimum quiddam suasit Concilium Vaticanum II, videlicet Diem Communicationis Universi Orbis. Homines cuncti, qui in Deum credunt, rogantur ut hanc ipsam diem precationis atque deliberationis studiose agant, utpote cum difficiliores quaestiones et exspectationes futurae instrumentorum communicationis perquirantur, variorum subsidiorum curatores pro munere inter se congrediantur, novae copiae ac viae reperiantur ad opera et incepta instimulanda sicque proficiant generi humano communicationis inventa. Populo autem Dei, tum pastoribus tum fidelibus, cordi erit alacriter conspirare cum conatibus illis et studiis, quibus homines bonae voluntatis enituntur, ut communicationis socialis instrumenta ad iustitiam, pacem, libertatem, humanam progressionem plurimum conferant.

Pars Tertia

NAVITAS CATHOLICORUM QUOD AD COMMUNICATIONIS INSTRUMENTA

101. Cohortatur et incitat Catholicos Concilium Vaticanum II, ut acrius et attentius reputent nova illa mandata atque officia, quae secundum fidei doctrinam eius iniunxerint recentiora communicationis socialis reperta. Sicut modo perstringebatur res breviter in parte prima, historia / salutis ipsa comprobat munus sane egregium atque 630
eximium socialis communicationis in Dei Conditoris et Redemptoris opere, quod homines prosequi oportet. Dum igitur Ecclesia suum officium hac in rerum provincia interpretatur, componere simul in mente sua conatur fidei principia cum ipsis legibus intimis communicationis socialis. Et eo quidem modo satisfacit divinitus concredito muneri, videlicet universali illi curae pastorali, quae duplicem exhibet faciem progressionis hominum et Evangelii nuntiationis. In secunda autem parte huius instructionis explicabatur, quo pacto communicationis subsidia progressibus humanis obsecundarent, faverent, prodessent. Quid vero ad eos progressus adiciat res Christiana et Catholica, summatim attingetur hoc capite partis tertiae, quae tota locum eorum instrumentorum particulatim enucleet in vita Catholicorum fidelium.

Caput I.

Catholicorum beneficia erga Communicationem Socialem

102. Si in animo habeant Catholici sociali communicationi per novissima instrumenta effectae revera deservire, quia haec vicissim ipsis hominibus famulentur, exstat atque apparet in animabus sane rebusque spiritus summa et maxima beneficia eis collocanda esse. Confidit enim Ecclesia spirituali sua praebenda utilitate futurum esse, ut primariae leges communicationis socialis clarius perviadeantur diligentiusque observentur, simul autem dignitas hominis tam communicatoris quam receptoris plenius cognoscatur sanctiusque tractetur, ut denique communicatio, qua homines fiant inter se proximi, reapse perducat ad communionem.

103. Quapropter ministri communicationis instrumentorum Catholici, qui perite artem suam factitant, ea re ipsa non solum implent egregium communicationis socialis officium, verum etiam defini/as exsequuntur partes mu-

neris, quod Christianos mundo addicit. Deinde, praeter hoc principale testimonium quod reddunt tamquam opifices atque administri in officinis vel consociationibus nulli religioni faventibus, sententias Catholicas aperient de omnibus causis hominum societatem sollicitantibus. Ita quoque ipsi adiuvare valent scriptores et praecones nuntiorum, / 631
ne vitae religiosae eventa, quibus afficitur totus populus, praetermittant sed ut partem seu faciem religiosam omnium eventorum illuminent. Manifestum est tales Catholicos ibi adesse, non quidem ut dominentur et imperent, sed ut sedulam operam navent, quae ob perspicuam excellentiam suam socios et collegas captet atque conciliet.

104. Communicatoribus Catholicis potestas est, ut auxilium spirituale ab Ecclesia recipiant, quod ad officium adeo grave et difficile omnino accommodatur.

105. Huius excelsae professionis eique insitarum difficultatum prorsus conscia Ecclesia cupit vehementer agere et colloqui cum communicatoribus cuiuslibet religiosae opinionis, ecquid ipsa possit conferre in communem illum conatum dissolvendi proprias eorum muneris quaestiones atque hominibus quam plurimum proficiendi.

106. Episcopi autem et sacerdotes, religiosi et laici, quicumque scilicet Ecclesiae veluti personam quovis modo gerunt, magis concitantur in singulos dies, ut litterariae operositati laborem suum impertiant, utque in emissionibus radiophonicis, televisificis, cinematographicis loquantur atque compareant. Hanc quidem operam, ad quam ceterum stimulandi sunt illi et excitandi assidue, effectus subsequi possunt omni opinione maiores. At ipsa communicationis instrumentorum natura efflagitat, ut qui ea adhibent scribendo loquendo agendo sint ipsi usquequaque exercitati in eadem illa arte. Officiorum propterea cuiusque nationis atque institutorum ad eum finem spectantium interest, ut hisce subsidiis utentes vel aliquando usuri tempestive ac funditus perdoceantur.

107. Ecclesia instanter necessarium esse intellegit se praebere Christianae institutionis opportunitatem ipsis receptoribus. Quo faciendo bene etiam de communicatione sociali meretur, quoniam receptores praeclare docti poterunt valide serere sermones una cum instrumentis communicationis, atque eodem tempore postulare communicationes nobiliores et praestantiores. Scholas demum aliaque instituta Catholica addecet gravissimum suum hac in regione officium impensius perficere. Quibus in studiorum
632 sedibus ita discipuli scientia exornabuntur, ut non / solum boni lectores auditores spectatores evadant, verum ut ipsi hac «lingua totali» utantur, quae iisdem instrumentis usurpatur; itaque iuvenes plane fient cives aetatis communicationum socialium, quam hoc tempus praesens incohare videtur.

108. Cunctae autem res et rationes communicationis socialis suum quaeque obtinebunt locum in disciplinis theologiae, praesertim moralis et pastoralis, quoties eo spectat argumentum tractatum, ac secundum sua praecipua lineamenta in libris etiam catecheticis. Hoc autem congruentius multo contingat, cum theologi ipsi ea, quae pars prima huius instructionis indicavit, altius subtiliusque pervestigaverint.

109. Parentes vero et institutores, sacerdotes et sodalitates Catholicae non dubitabunt ordinare et dirigere ad professionem communicationis socialis eos iuvenes, qui sibi eo inclinare ac propendere videntur necessariisque ingenii dotibus eminent. Ut talis praeparatio fructus afferat et meliores candidati provehantur, opus est auxiliis nummariis ad illud destinatis. In regionibus progredientibus summi interest, ut Episcopis nationum illarum succurratur adiumentaque sumministrentur ad candidatos rite instituendos et rerum ipso usu imbuendos eadem in regione.

110. Pro suo quemque officio necesse est Episcopos et sacerdotes, religiosos et religiosas, necnon laicorum coetus agere proprias partes ad Christianam institutionem hac in re, quae vero visionem socialem non praetermittat. Quam ob rem sua quoque sponte eos cognoscere atque continenter edoceri novissima oportet, id quod poscit familiaritatem quandam usumque directum subsidiorum communicationis socialis. Similiter eos una cum communicatoribus accuratius studebunt communicationis socialis quaestionibus, dum permutant inter se experientias rerum ac sententias.

111. Ne procul omnino a rebus vitae detineantur neve impares deinceps accedant ad munia apostolica, futuri sacerdotes et religiosi religiosaeque, cum in seminariis et collegiis instituuntur, recte addiscent quomodo haec subsidia humanam societatem efficient, quaque ratione technica usurpentur. Haec cognitio pars integralis [illegible] dictur,
erit illorum institutionis. Etenim est condicio sine qua non 6
potest quisquam efficaciter exercere apostolatum in hodierna mundi communitate, quae eis instrumentis plus movetur in singulos dies [1]. Necesse praeterea est sacerdotes et religiosi viri ac mulieres penitus noverint, quo pacto opiniones et sensus gignantur indeque aptentur huius aetatis adiunctis, siquidem Verbum Dei hodiernis nuntiatur hominibus et illa instrumenta eidem nuntiationi validissimum subsidium ministrant. Qui autem ex alumnis peculiarem proclivitatem et facultatem ostenderint haec inventa communicationis adhibendi, perfectius condocefient.

112. Aestimationes et iudicia transmissionum per radiophonium et telehorasim, necnon cinematographeorum et commentariorum imaginibus ornatorum utilissima esse possunt ad humanam atque Christianam institutionem absolvendam, tum etiam ad scienter decernendum instrumentorum usum praesertim in familiis. Qua in re maximi ponderis ducendae sunt aestimationes auctoritate ac scientia praeditae, quae iussu Episcoporum variis in locis ab institutis peculiaribus eduntur de momento, utilitate, honestate, bono Christiano taeniolarum et transmissionum et scriptorum.

113. Universitates denique studiorum et aliae institutiones Catholicae studiose magisteria sua excolent et perficient, in quibus opera atque investigationes docte peragentur de communicatione sociali. Propositum autem eorum erit, ut omnia doctrinarum reperta illuc pertinentia in unum congerantur, ut adiumenta ad inquisitiones facile suppeditentur, ut demum cognitiones comparatae pervulgentur in commodum eruditionis Christianae; quem ad finem ipsae universitates studiorum stipibus et pecuniis indigebunt aliorum, et cum ceteris institutis operabuntur. / 63

Caput II.

Communicationis instrumentorum beneficia erga catholicos

1. Publica opinio et mutua arctaque communicatio in vita Ecclesiae

114. Sedulo laborat Ecclesia, ut amplificetur et confirmetur consortionis vinculum inter fideles suos; quamobrem communicatio atque collocutio plane sunt Catholicis necessariae. Ceterum versatur Ecclesia intra ipsam hominum societatem, quacum altiore ratione iungatur oportet per dialogum et necessitudinem. Haec autem proposita sermonis et communionis assequitur Ecclesia nuntiis cognitionibusque rerum permutandis, publica opinione intus et extra animadvertenda, colloquio cum et in mundo huius temporis habendo, dum hominum solvendis difficultatibus communis tribuitur opera.

a) *Dialogus in Ecclesia ipsa*

115. Quoniam vivum est corpus Ecclesia, opinione publica eget, quae colloquio inter membra sustentatur; namque haec condicio est progredientis cogitationis atque actionis eius. «... Vitae eius aliquid desit, si publica opinio deficiat, cuius rei culpa in pastores ac fideles derivetur» [2].

116. Idcirco necesse est conscii penitus sint Catholici illius verae libertatis eloquendi cogitata mentis, quae quidem in «sensu fidei» et in caritate ponitur: in sensu fidei, qui a Spiritu veritatis excitatur et sustentatur, ita ut Populus Dei sub ductu sacri magisterii, cui fideliter obsequens semel traditae sanctis fidei indefectibiliter adhaereat, recto iudicio in eam profundius penetret eamque in vita plenius applicet [3]; in caritate autem, unde eadem libertas ad communionem libertatis Christi extollitur, qui nos peccatorum nexibus expediens idoneos fecit, ut libere iudicare / valeremus secundum eius voluntatem. Potestates, 63
quas penes hoc est, curabunt et providebunt, ut legitimarum opinionum commercium libertate sermonis mentisque intra Ecclesiam frequentetur; normas proinde constituent condicionesque edicent huic congruentes fini [4].

117. Latissimus revera patescit campus ille, ubi intima Ecclesiae collocutio explicatur. Tametsi veritates fidei ad ipsam attingunt essentiam eius neque ullo modo possunt

[1] Cfr. Sacra Congregatio pro Institutione Catholica: «Ratio Fundamentalis Institutionis Sacerdotalis», *A. A. S.* 62 (1970), pp. 321-384 [LE 3817]. Ibidem vide potissimum par. 4, et num. 68.

[2] Pius XII: Allocutio Participantibus Conventui Internationali scriptorum ephemeridum, Romae habito. Die 17 mensis februarii 1950. *A. A. S.* 42 (1950), p. 256. [3] Cfr. Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 12 [LE 3232].
[4] Cfr. «Réflexions et suggestions concernant le dialogue oecuménique». *L'Osservatore Romano*, 21-22 mensis septembris 1970 [LE 3893].

http://www.obrascatolicas.com

permitti uniuscuiusque liberae interpretationi, tamen Ecclesia procedit per generis humani historiam; proinde ad peculiaria temporum locorumque adiuncta sese accommodare oportet necessariis capiendis consiliis, tum ut fidei veritates aeque demonstrentur diversis aetatibus atque humanitatis et cultus generibus, tum ut mutantibus temporibus atque condicionibus aptetur actuosa eius opera. Quamdiu ergo singuli Catholici Magisterium sequuntur, possunt illi et debent libere inquirere, ut veritates revelatas altius interpretentur vel melius variis mutabilibusque societatibus exponant. Haec vero libera sermocinatio in Ecclesia non tantum non nocet cohaerentiae et unitati eius, verum ob expeditum cursum publicae opinionis favere et proficere valet concordiae communique consilio. Ut autem rite alatur et prosperetur hoc colloquium, maximi refert caritatem percoli assidue in ipsa dissensione atque vehementem omnibus inesse cupiditatem firmandae et servandae consociationis omniumque conspirationis. Verumtamen agere oportet cum vera aedificandi non diruendi voluntate atque simul cum flagranti erga Ecclesiam amore et studio coniunctionis, quam Christus uti signum verae Ecclesiae indeque verorum fidelium habuit [5].

118. Hac de causa ne omiserint distinguere inter provinciam inquisitionis scientiae, ubi homines vere periti libertate fruantur suis operibus necessaria quaeque eis permittit ut pervestigationis fructus per commentationes suas et libros cum aliis communicent, atque provinciam eruditionis fidelium, ubi eas tantum doctrinas liceat proponi tamquam Ecclesiae proprias, quae a magisterio au-
636 thentico, quod appellatur, uti tales / denotentur, et praeterea illas sententias quae ut tutae proferri iam possint. Quoniam vero ex ipsa communicationis instrumentorum natura evenit, ut novae opiniones theologorum quandoque praematurae et saepius extra locum suum vulgentur, receptores illas opiniones, quae non sint confundendae cum doctrina authentica Ecclesiae, critice perpendere oportet; praeterea reminiscentur crebro sensum earundem opinionum ipso proponendi genere et lingua instrumentorum populari graviter detorqueri.

119. Sicut opinionis publicae incrementum in Ecclesia pernecessarium agnoscitur, ita vicissim fidelibus singulis potestas et facultas est omnino comperiendi universa illa, quae opus sunt ad actuosas partes in Ecclesiae vita sustinendas. Hoc autem poscit ut praesto sint communicationis instrumenta non tantum varia atque late divulgata, sed etiam, si necesse visum fuerit, Catholica, dummodo optime aptentur ad munus eorum adimplendum.

120. Consentanea vitae ac munerum perfunctio in Ecclesia postulat, ut cognitionum et indiciorum continuum flumen inter auctoritates ecclesiasticas cuiuslibet gradus et catholicorum instituta et ipsos fideles intercurrat in utramque partem idque fiat per totum mundum. Quod quo plenius contingat, opus sunt variae institutiones (ministeria nuntiorum, publici interpretes, congrediendi loca, consilia pastoralia) subsidiis necessariis dotatae.

121. Quotiescumque tractatio negotiorum in Ecclesia secretum exigit, normae generales, quae in civitatis institutis hanc rem tangunt, erunt pariter observandae. Ex altera vero parte divitiae spiritus, quas Ecclesia ipsa significat, expetunt ut nuntii quam integerrimi, verissimi, apertissimi proferantur de propositis eius et multiplici navitate. Ideo, cum religiosae auctoritates tales nuntios disseminare nolunt vel ex se ipsi non valent, ansam ilico dant ad rumores potius exitiosos circumferendos quam ad rei veritatem illustrandam. Secretum igitur continendum est et coarctandum solis necessitatibus famae existimationisque
637 alicuius hominis aut aliis iuribus singulorum vel coetuum. /

b) *Dialogus inter Ecclesiam et mundum*

122. Sermocinatio Ecclesiae non solos complectitur fideles, verum universum orbem. Doctrinam suam et res gestas oportet Ecclesiam ostendere ob ius cognoscendi omnibus filiis terrae tributum, quorum ipsa sit particeps fortunae, et ob clarum mandatum divinum [6]. Praeterea, ut docet Concilium Vaticanum II, debet ea «legere signa temporis», quippe quae modus sint etiam divinus loquendi et documentum Providentiae explicantis Historiam Salutis. Necesse igitur est Ecclesiam novisse quomodo cuncti coaetanei, non tantum Catholici, eventis et cogitationibus recentioribus respondeant. Quantum autem communicationis socialis instrumenta perferunt atque aperiunt responsiones illas, tantum conferunt in maiorem Ecclesiae scientiam.

123. Quicumque in Ecclesia potestatem gerant, eos per

[5] Cfr. 17, 21.
[6] Cfr. *Mt.* 28, 19.

communicationis socialis subsidia annuntiare veritatem plene et continenter oportet simulque contendere, ut genuina pingatur imago Ecclesiae eiusque vitae. Cum instrumenta haec saepe unicus sint trames et fons nuntiorum inter Ecclesiam et mundum, siquando ipsa neglegantur, tunc talenta a Deo tributa defodiantur revera in terris. Si confidit Ecclesia et sperat procurationes nuntiorum et ipsa communicationis instrumenta aliquando animos intentura esse ad argumenta religiosa eaque pertractatura esse omni cura quae naturae illius quaestionis congruat, ex sua parte notitias completas, accuratas, veras exhibere debet atque offerre hisce institutis, ut munere suo usquequaque bene perfungi valeant

124. Quae omnia supra [7] enuntiata sunt, hic de cognitionibus et commentariis rerum in vita Ecclesiae gestarum plenam vim suam exserunt. Unde sequitur, ut etiam experientes Ecclesiae rectores difficultati isti sua providentia antevertere debeant neve alios patiantur sibi primum motum et conatum eripere. Expedit denique consulta ecclesiastica et sententias maioris gravitatis certis quibusdam hominibus prius innotescere, qui autem vetentur ne ante tempus praestitutum divulgent, ut illa possint deinceps
ordinatim explanari et illuminari Ecclesiae commodi causa./ 638

125. Tribus itaque modis instrumenta communicationis socialis attinent ad Catholicos: adiuvant Ecclesiam ad sese mundo hodierno aperiendam; colloquium dein provehunt intra eam; eandem postremo commonent mentis et hominum nostrae aetatis, ad quos ipsa iussa est a Deo nuntium salutis perferre, eo autem utens sermone quem ii intellegerent illisque proficiscens a quaestionibus, quae genus humanum turbarent et angerent.

2. Instrumenta communicationis Evangelii propagationi utilia

126. Praecepit Christus Apostolis eorumque successoribus, ut docerent «omnes gentes» [8], ut essent «lux mundi» [9] ut Evangelium proclamarent omni tempore ac loco. Quemadmodum igitur Christus ipse prae se tulit perfectissimam formam et speciem «Communicatoris» in vita sua terrestri, et sicut Apostoli quoque usurpaverunt subsidia communicationis, quae tum praesto erant, ita omnino apostolicum munus nostro etiam tempore exsequendum est auxilio consiliorum atque instrumentorum, quae recentius inveteraverunt. Non igitur quisquam existimari poterit fidelis erga Christi mandatum, si opportunitates et utilitates praeterierit, quae importantur his instrumentis, ut scilicet ad homines quam plurimos perveniant instituta ac praecepta evangelica. Exinde Concilium Vaticanum II hortatur catholicos: «ut instrumenta communicationis socialis, nulla interposita mora et maxima adhibita industria, efficaciter in multiplicibus apostolatus operibus... usurpent» [10].

127. Quam sit necesse haec ita agere, apertius patebit cuilibet reminiscenti homines vere circumdari hodie et paene mergi abundantia communicationum socialium, quae perpetuo informent eorum opiniones animique habitus tam in provincia religiosa quam ceteris in rebus.

128. Recentiora inventa pandunt novas rationes et vias, quibus homines ipsi obviam ferantur nuntio evangelico, quibus dein permittatur Christianis procul etiam commo-
rantibus interesse sollemnibus ritibus / ecclesiasticis unde 639
tota Christianorum communitas propius cohaereat, quibus omnes postremo invitantur ut intimae participes fiant Ecclesiae vitae. Vix dicere attinet rationem haec omnia proponendi convenire oportere cum peculiari indole instrumenti usurpati. Alia namque est lingua instrumentorum, pulpitorum alia. Neque satis graviter instari potest et moneri praestantiam et excellentiam horum operum religiosorum aequandam esse omnino cum profanis operibus instrumentorum communium.

129. Utilissima praeterea haec instrumenta sunt ad omnibus Christianam facilius praebendam institutionem. Namque in auxilium peritos advocare valent educationis religiosae earumque causarum in quas pro re nata inquiritur; praesto similiter habere possunt omnem ornatum et apparatum technicum, quo res cum delectatione arteque recentissima exponantur. Pro sua etiam quodque natura conducere valent universae religiosae educationi renovandae conatibusque magistrorum ordinariorum adiuvandis. Quoniam deinde eadem subsidia usitatae sunt nuntiorum viae, qui animum ac mentem hominum istius aetatis recludunt, efficere simul possunt, ut, cotidianis eventis et quaestioni-

[7] Cfr. par. 38. [8] *Mt.* 28, 19. [9] *Mt.* 5, 14. [10] Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 13 [LE 3143].

bus excutiendis, eximiae dentur occasiones perducendi Christifidelis ad fidei propriae fundamentorum contemplationem, unde intellegat quomodo ipsa applicetur praesentis vitae actioni.

130. Nostri temporis homines ita assuefacti sunt blandissimo maximeque ingenioso loquendi suadendique genere communicationis socialis, ut vix tolerent deterius genus in publicis spectaculis eoque minus in operibus religiosis uti ritibus liturgicis, contionibus, Christianae doctrinae institutionibus.

131. Ut ergo doctrinarum fidei traditio et explanatio consueta animos audientium revera alliciat teneatque potenter, communicationis instrumenta adhiberi convenit quantum fieri potest, atque ipsa ad linguam et modum hodiernae communicationis socialis accommodari.

132. Valet Ecclesia mentem suam et sententiam declarare tum per inventa communicationis, quae ipsa non possidet tamen usurpare potest quibusdam sub conditionibus, tum, si ita res sese habent, per ea, quae recta via administrat et moderatur. Aliae condiciones aliis in natio-
640 nibus / et instrumentis sunt implendae. Auctoritatum vero religiosarum est sodalibus sui operis recta consilia dare, postquam peritos illius loci et nationis et, si casus fert, ex pluribus gentibus sollerter consuluerunt.

133. Multiplex haec navitas et industria Catholicorum, qui incumbunt in progressionem humanam secundum Evangelii praecepta, quique communicationi sociali suffragantur atque libenter utuntur subsidiis a providentissimo Deo ministratis ad proprios fines, efflagitat opes quidem et facultates nummarias maiores. Catholici fideles rogantur, ut sui oneris et officii in re conscii semper sint eique satis faciant perseveranti liberalitate, «cum prorsus dedeceat Ecclesiae filios desides pati verbum salutis alligari ac praepediri...» [11].

134. Dum ponderant augescens in dies momentum instrumentorum socialis communicationis ad vitam generis humani universim et ad Ecclesiae vitam nominatim, Coetus Episcoporum obsecrantur ut multo magis quam nunc plerumque accidit attribuant his argumentis actionis pastoralis in regione communicationis principem locum in ordinanda illa «Summa Pastorali», atque, pro locis suis et omnium gentium necessitatibus, destinare eidem proposito pecunias congruentes.

Caput III

Industria et opera catholicorum in singulis instrumentis

135. Iam primum edisserta fuerat Catholicorum industria, quae ex uniuscuiusque conscientia munerum omnibus quidem communicatoribus communium proficiscitur atque religiosa fide stabilitur [12]. Ponderata deinde sunt generatim et universe officia proprie Catholica in eadem hac rerum provincia [13]. Nunc postremo restat, ut pro quo-
641 que communicationis sub/sidio singillatim eadem munia explicentur tam in ipsorum Catholicorum institutis quam in alienis, quae vero ad eiusdem generis opera peragenda suppeditant Catholicis sua instrumenta.

1. Scripta prelo edita

136. Opus preli ex sua ipsius natura atque proprietatibus vindicat sibi plurimum gravitatis et ponderis. Ob flexibilem suam varietatem et argumentorum ubertatem haec opera minutissimas eventuum res ac rationes pervestigare impigram legentis deliberationem cupidinemque discendi stimulat. Cum validissimum complementum est reliquorum instrumentorum visui audituique natorum, tum congruenter valet exacuere criticum sensum hominumque informare iudicium. Quoniam adeo varia tractare potest et rerum considerationem tam egregie sustentare, magni quidem momenti organum colloquii socialis est. Nostris praeterea diebus libelli exiles atque libri sola ex charta confecti universis hominibus porrigunt in manus monumenta religiosa, opera praestantissima ex omnium gentium litteris, scripta artis technicae et scientiarum, at potissimum lectiones ad animi oblectamentum apprime ordinatas. Imagines denique lineares atque narratiunculae speciebus collustratae summam pepererunt utilitatem, etiam in explicandis Libris Sacris et vitis Sanctorum enarrandis. Quae omnia preli beneficia studium merentur atque incitamentum.

137. Litteraria Catholicorum navitas, quae acta diurna, commentarios, alia scripta statis temporibus foras dan-

[11] Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 17 [LE 3143]
[12] Cfr. par. 102-113. [13] Cfr. par. 116-134.

da complectitur, efficacissimum esse potest instrumentum, quo mundus Ecclesiam et Ecclesia vicissim mundum comprehendat cognitionibus permutandis atque ministeriis publicae opinionis adhibendis. Cavebitur tamen ne vis operum Catholicorum iam exstantium debilitetur multiplicatis inconsulte novis inceptis.

138. Catholicorum scriptorum opera contemplatur universum orbem et totum campum nuntiorum, commentariorum, opinationum de quovis latere aspectuque hodiernae vitae deque cunctis difficultatibus et quaestionibus, quibus obicitur homo nostri temporis, sed sub luce Chri-
stiani / vitae prospectus. Eius similiter interest conficere et, 6
si fuerit necesse, emendare relationes seu narrationes religionem atque Ecclesiae vitam spectantes. Eodem igitur tempore mundum referet tamquam speculum, ipsumque illuminabit tamquam lucerna; erit insuper locus congressionis atque commercii sententiarum. At necessariis facultatibus et opibus indigebit, ut peritiam muneris et excellentiam assequatur citra omnem controversiam.

139. Una autem cum hac Catholicorum litteraria professione exsistant oportet sedes seu procurationes apparatissimae notitiarum quas ipsi Catholici administrent ut sermoncinatio intra Ecclesiam atque inter mundum et Ecclesiam feliciter progrediatur, ut beneficia afferantur plane «professionalia», quae dicuntur, ut continenter nuntii praebeantur recentes completi fideles de vita Ecclesiae. Hae insuper nuntiorum procurationes opus suum exsequentur mutuo ferendo auxilio per universum orbem, ut videlicet res novae ubique locorum colligantur et quoquoversus diffundantur.

140. Admonentur et incitantur fideles ut pro more lectitent scripta officio Catholicorum exarata, modo sint nomine Catholico vere digna, non tantum ut omne novum Ecclesiae comperiant sed ut mentem Christianam hauriant ex eorum commentationibus. Nihil autem hinc detrahitur de cuiusque libertate legendi neque de legitima varietate consuetudinum loci et sententiarum aliorum scriptorum. Ut autem Catholici scriptores hunc favorem et benevolentiam mereantur, veram prae se ferant oportet perfectionem atque praestantiam artis.

141. Cum cotidiani eventus proponunt singulares quaestiones, quae ipsam naturam Christiani sensus afficiunt, eas interpretari conabuntur auctores Catholici secundum Ecclesiae magisterium. Ceterum clerus et laicorum ordo liberam fovebunt opinionum declarationem magnique facient multiplicem varietatem scriptionum atque cogitationum, non tantum quia variis negotiis et utilitatibus legentium respondent variisque eorum curis subveniunt, verum quod gignunt aluntque opinionem in Ecclesia et mundo [14].
Munus est commentariorum Catholicorum, qui tam/quam 6
publicae voces existimantur auctoritatum aut institutorum Ecclesiae, secundum usu receptas leges et consuetudines «preli» assidue contendere, ut illius sodalitatis vel instituti mentem enuntient et patefaciant, cuius ipsi sunt publici praecones. In aliquibus tamen cuiusque libelli paginis tribui potest libere scribendi copia et facultas, ubi liquido constat collegium vel sodalitatem, quae commentarios edat, sese haudquaquam admiscere ad aliquam quaestionem, de qua adhuc disceptetur.

2. Cinematographea

142. Ludi cinematographici locum suo prope iure obtinent suasque radices capiunt in ipsa vita hominum, magnamque vim adhibent ad eorum educationem, humanitatem, animi remissionem, rerum scientiam. In eis auctores taeniarum locum deprehendunt, ubi hodie mentem suam aptissime revelent de mundo universo. Technicae autem artis profectus qui spectatorum animos magis ac magis pelliciunt, necnon aucta facultas comparandorum parvo impendio apparatuum quasi praesagiunt et pollicentur multo frequentiorem ac latiorem usum taeniarum. Hinc pariter proficiscetur amplior cognitio et doctrina de argumentis cinematographicis.

143. Ad animarum curam quod spectat, huius generis progressiones sollertissime sunt ponderandae, quandoquidem maxime propter communem operam inter civitates et populos inferunt illae admirabilem opportunitatem instrumenta cinematographica ad incepta apostolica adhi-

[14] Cfr. superiores paragraphos 114-121 ubi sermo est de dialogo in Ecclesia. Confer etiam: Litteras Encyclicas Pauli VI *Ecclesiam suam* [LE 3211] inscriptas, necnon lineamenta principiorum de colloquio oecumenico, praecipue num. IV, 4, b et IV, 5 documenti «Réflexions et suggestions concernant le dialogue oecuménique». *L'Osservatore Romano* 21-22-IX-1970 [LE 3893].

http://www.obrascatolicas.com

bendi; citius enim et facilius quam ante taeniae ipsae conflantur, diversis hominum necessitatibus rerumque adiunctis dicantur, denique ostentantur non solum in magnis sed in parvis etiam conclavibus, quin immo inter parietes privatos.

144. Complures taeniae suam persuadendi vim comprobant ad illa enodanda argumenta, quae hominis prosperitatem maturant animumque eius ad superna extollunt. Id genus opera admodum digna sunt, quae ab omnibus animadvertantur laudibusque celebrentur. Item peculiares in / Ecclesia sodalitates hac in arte potissimum versatae auxilio et studio suo adstabunt iis, qui taenias eximias conficiunt easque promovebunt. Qua de re omnino reminiscendum est plurimas ex taeniis, quae omnium consensione habentur iam eximia monumenta artis, pertractavisse argumenta plane religiosa. Id quod sine dubio probat cinematographeum esse adiumentum omni ex parte accommodatum ad talia argumenta nobilius explicanda. Hoc tandem vehemens est incitamentum ad eiusdem generis spectacula apparanda.

145. Consociationes Catholicorum hac re cinematographica exercitatae consilia iungent operamque sociabunt cum reliquorum instrumentorum Officiis ut sollertius praeparentur, distribuantur, usurpentur spectacula, quibus nova inventa imbuantur principiis religiosis. Dum autem hoc facient scienter, adhibebunt etiam doctrinis religionis tradendis multiplicia nova reperta, quae minore comparantur pecuniae impendio, uti sunt phonographici orbes, taeniolae sonorae et visificae, apparatus imaginibus immotis vel mobilibus necnon vocibus asservandis iisque iterandis.

146. In regionibus, ubi illitterati plerumque incolunt homines, taeniae cinematographicae reapse efficiunt, ut non solum litterarum saltem elementa illi ediscant, verum religionis etiam disciplinas. Imaginibus enim vehementer commovetur et trahitur homo litterarum nescius, quoniam per eas facilius consequitur res et cogitationes. Conatus et studium humanae christianaeque nobilitatis provehendae nequit validissima haec instrumenta et subsidia neglegere. Elucet autem huius propositi gratia taenias rationem ducere debere singulorum populorum mentis et animi culturae.

147. Quoniam ii qui cinematographicam artem factitant haud parvis implicantur sui muneris difficultatibus, omnes Catholici cumprimisque Consociationes catholicae eidem proposito adlaborantes libenti animo colloquia frequentent cum eis. Hae familiaritates luculenter ostendent artem illorum hominum uti pulchram et praestantem professionem putari, cum omnes sibi persuaserint hoc artificium hominum utilitatibus summopere prodesse. /

3. Radiophonium et telehorama

148. Radiophonicum et televisificum inventum novam hominum societati facultatem attulit inter se communicandi novamque induxit vivendi rationem. Plures cotidie regiones mundi attingunt illae transmissiones atque puncto temporis veteres fines civitatum et humanitatis formarum transgrediuntur; in domos communicationes intrant et qui eas administrant innumerabilium hominum animos et mentes simul captant. Repentini artis technicae progressus, facticios, necnon potestas asservandi iterandique actas pridem transmissiones, liberaverunt haec instrumenta vinculis et limitibus locorum ac temporum. Spem insuper proponunt fore in posterum ut maiora eveniant et potentiora. Radiophonium ac telehorama copiam audientibus spectantibusque faciunt utendi otio atque eodem tempore animi culturae historiae universi orbis percipiendae. Telehorama autem praeprimis homines, eventus, res constituit ante oculos plurimorum tamquam si illi ipsi adsistant. In iisdem demum radiophonicis et televisificis communicationibus novae generantur formae artium, quae ipsum hominem immutare valent.

149. Rationes et aspectus religiosi vitae humanae suum pro re nata locum habebunt in transmissionibus cotidianis.

150. Variae emissiones religiosae, quas ipsamet radiophonii ac televisionis natura effici patitur, nova excitant inter fideles commercia eorumque pietatis ac religionis vitam mire locupletant. Vim etiam magnam habent ad eos religiose instruendos et adiuvandos, ut Ecclesiae et mundo strenue impenseque operentur. Iis etiam prosunt, qui ita aegri sunt aetateve provecti ut impediantur quominus ipsius Ecclesiae sint directo participes; necessitudinem tandem cum plurimis illis instituunt hominibus, qui, etsi ab Ecclesia eiusque compage distant vel etiam dislunguntur, spiritualem alimoniam inscii expetunt. Evangelicum denique nuntium in regiones perferunt, ubi Christi Ecclesia nondum explicat opus suum. Oportet proinde enixe operam det Ecclesia, ut tales transmissiones in singulos dies perficiantur novisque ditentur artificiis. / 646

151. Inter transmissiones religiosas optabiles quidem et consentaneas Missarum Sollemnia aliaque Sacra annumerantur. Necesse est tales quam maxima apparari diligentia, quod ad liturgiam videlicet atque dispositionem spectatorum generis, et, si transmissiones alicuius nationis fines transibunt, opinionum religiosarum et consuetudinum, quae in aliis locis obtinent. Harum emissionum numerus et longitudo morigerabuntur optatis etiam spectatorum.

152. Sermones sacri et orationes congruere debent cum peculiari usurpati instrumenti natura. Ii autem, qui ad hoc obeundum destinabuntur officium, prudentissime et accuratissime deligentur, nec vero antequam debitam sibi scientiam usum consuetudinem comparaverint.

153. Religiosae transmissiones, uti narrationes, commentationes, nuntii, disputationes radiophonicae atque televisificae, plurimum valent ad institutionem et collocutionem. Quod autem supra de litteraria Catholicorum opera praeceptum est, ad hanc partem est similiter applicandum. Normae universales de fideli sinceraque opinionum diversarum enuntiatione tunc praesertim ad effectum sunt deducendae, cum haec instrumenta in aliqua regione gubernantur et administrantur vero monopollo.

154. In horum instrumentorum administris et procuratoribus ecclesiasticis atque etiam laicis homines publici fori intuentur legatos et interpretes ipsius Ecclesiae. Quamobrem ii, qui partes gerunt in huius generis transmissionibus, cognitam habere debent hanc rerum condicionem et proclivem confusionem omnibus viribus e medio tollere conabuntur. Conscii sibi erunt officii sui gravitatis, quoad cogitationes quas declarant, et rationem qua illae exponuntur, et totum modum agendi. Eos denique oportet in consilium adhibere auctoritates ecclesiasticas legitimas, quoties hoc tempestive fieri potuerit.

155. Proprio significando iudicio auditores et spectatores in melius corrigere studebunt religiosas transmissiones.

156. Ut validae Ecclesiae navitati in radiophonii et televisionis usu prospiciatur, quod ad transmissiones universim spectat et religiosas prae/sertim, opus est consociata 647 opera mutuaque fiducia inter catholicos, huic muneri praepositos, et eos technicae artis peritos, quorum refert spectacula televisifica et nuntiationes radiophonicas fabricari vel disseminare.

157. In iis nationibus, in quibus prohibetur Ecclesia quominus socialis communicationis instrumentis utatur, auditio transmissionum religiosarum per undas radiophonicas unicum est Christifidelibus consilium, quo de vita universae Ecclesiae certiores fiant Deique verbum auscultent. Talis adversa conditio grave officium tum sacris animarum pastoribus tum ipsis fidelibus aliarum regionum iniungit, ut voluntates et animos cum iis alacriter socient, quemadmodum Christiana solidarietas, quam appellant, requirit, utque eisdem in Christo fratribus auxilientur apparandis emissionibus radiophonicis vel televisificis, quarum argumenta religiosa eorum necessitatibus respondeant.

4. Scaenici ludi

158. Scaena ac theatrum, quod unum est ex vetustissimis valentissimisque communicationis humanae generibus, maximam hodie assiduitatem et frequentiam ingentem spectatorum nanciscitur, qui et fabulis praesentes intersunt et per radiophonicum televisificumve instrumentum spectant. Nonnullae etiam fabellas scaenicae sunt iam in taenias cinematographicas relatae.

159. Opera theatri cum ceteris communicationis subsidiis coniuncta novas aperuit ludorum scaenicorum significationes quas iure «multi-media» saepius vocitant. Tametsi emanant ex communi colitoque theatro, aliquid tamen suum ostendunt et proprium. Praeterea quandam quasi conspirationem efficiunt inter multiplices facultates, quae praesto sunt cuique communicationis artificio.

160. Hodiernum denique theatrum crebro occupat provinciam cogitationum mentisque notionum fitque veluti officina, unde oriuntur novae atque audaces sententiae seu ideae de huius temporis hominibus eorumque conditione terrestri. Horum autem inceptorum et consiliorum vis maiores semper auditorum multitudines permovet, atque ad omnia se propagat socialis communicationis instrumenta. / 648

161. Ecclesia propensa voluntate et studio prosequitur scaenicam artem, quae videlicet ab initiis coniungebatur paene tota cum rebus et argumentis religiosis. Pristino illo favore hodiernos quoque Christianos fideles theatrum amplecti oportet similesque ex eo percipere utilitates omne genus. Scriptores vero scaenici adiuvandi sunt et cohortandi, ut religiosas sollicitudines nostrae aetatis in scaenam producant; quod inceptum saepenumero principium est latioris propagationis per reliqua communicationis subsidia.

Caput IV
Apparatus, ministri, ordinatio rerum

162. Tum locus, quem instrumenta communicationis socialis in hominum vita et fortuna obtinent, tum ea quae ipsis effici valent, tum etiam quaestiones quas conscientiae Catholicorum proponunt — haec omnia postulant, ut illa diligenter convertantur in curae pastoralis commoditatem et profectum, ut peritia et facultas administrorum exercitatissimorum adhibeatur, ut consentanea ordinatio consiliorum pastoralium provideatur, quae necessariis auxiliis iuribus opibus instruantur, ut denique variae consociationes devoveantur apostolatui formis specialibus exsequendo.

163. Cordi ceterum erit fidelibus universis, ut precibus suis atque adiumento singulari communique ad illud conducant, ut hisce temporibus munus Ecclesiae expediatur per instrumenta communicationis recentissima et usu sane optima ad Evangelium propagandum, conscientias hominum illuminandas, operam sociam disponendam, quae progressibus revera prosit, quoniam rerum temporalium ordinem Christiano impleat sensu.

164. Cum mente omnino pastorali interesse seseque addicere oportet congruenter institutos curatores seu ministros organis et inceptis ad communicationem socialem pertinentibus. Praeparatio administrorum laicorum atque ecclesiasticorum unum est ex officiis praecipuis eorum, qui 649 Ecclesiae munus hac in re communiter praestant. /

165. Diligens consideratio totius regionis instrumentorum communicationis socialis, prudens dispositio navitatis pastoralis, sciens ordinatio eorundem instrumentorum in omni apostolatus opere spectant, ut par est, ad curationem atque inspectionem ecclesiasticorum moderatorum, qui autem adniti debent ad monita et consilia peritorum in diversis partibus eximie experientium. Secundum normas Decreti «Inter Mirifica», hoc moderatorum munus competit Episcopis sua cuique in dioecesi [15], peculiari Episcoporum Coetui vel cuidam Episcopo ad idem officium delegato in quaque natione [16], Pontificio autem Consilio instrumentis communicationis socialis praeposito in universali Ecclesia [17].

166. Multiplicia coepta atque consociationes, quae munia apostolica obeant in re communicationis socialis, oportet incremento magno provehantur, et arcte inter se cooperentur [18]. Auctoritas ecclesiastica studiose et crebro incitabit Catholicos eorumque sodalitates ad opera libere sponteque ineunda; moderationem tamen talium coeptorum sibi reservabit, quae sacerdotio ministeriali suapte natura congruunt, sicut et eorum, quae secundum temporum locorumque adiuncta deposcunt hierarchicam muneris perfunctionem in commodum fidelium.

167. Ecclesiasticae auctoritates, quarum interest, de quibus agit numerus 165 supra, operam dabunt et auxilium iis omnibus, ad quos res spectat, ut quotannis praeparetur atque celebretur ubique terrarum dies peculiaris communicationum socialium, in quo gratiae quoque habebuntur et aestimatio significabitur iis, qui communicationis socialis subsidiis invigilant [19]; praeterea statis temporibus Conferentiis Episcopalibus exhibebunt sumptuum aestimationes ad opus apostolatus sustentandum in rebus communicationis socialis.

168. Episcopos locorum incumbere oportet operi apostolico in provincia communicationis, adhibito sacerdotum 650 vel laicorum consilio. Ubi / fieri potuerit, officium dioecesanum vel saltem interdioecesanum constituatur. Unum ex muneribus eius praecipuis erit rationes pastorales eo spectantes intra dioecesim componere atque etiam in paroeciis ipsis ordinare. Aliud autem erit memoratum diem pro communicationibus socialibus in dioecesis finibus parare.

169. In quaque natione esto aut unum officium nationale praefectum omnibus instrumentis communicationis peculiaribus cum officinis coniunctis aut sedes singillatim distributae cuique rerum provinciae (scriptis, cinematographeis, radiophonio, telehoramati), quae tamen arcte inter se operantur [20]. Quidquid est, totum opus subdetur unicae primariae temperationi.

170. Officiorum nationis et dioecesium intererit promovere, instimulare, apto nexu componere incepta et omnem operositatem Catholicorum in re communicationis. Peculiari ratione curabunt, ut fideles clerici et laici necessaria perdoceantur in lectionibus, scholis, disputationibus publicis, congressionibus studiorum, atque etiam operum aestimationibus, quas periti ex iisdem officiis secundum auctoritatem suam ediderint, ita ut illi fideles pro se ipsi rectum iudicium et prudentiam exercere sciant. Pariter dabunt consilia quibus rite praeparentur spectacula et transmissiones materiam religiosam tractantes.

171. Item officia nationalia et dioecesana necessitudine ac familiaritate utentur hominum artes communicationis pro munere exercentium atque eorum sodaliciorum; documenta et monita necnon adiumenta pastoralia suppeditabunt, quibus forsitan indigeant. Intra nationis ipsius fines Diem Mundialem Communicationis Socialis apparabunt stipesque corrogandas curabunt, quod suadet Concilii Decretum ut eo die fiat [21].

172. Coetum Episcoporum nationis communicationi sociali praepositum aut Episcopum delegatum pro suo officio intra propriam dicionem moderari oportet industriam officiorum nationalium et normas emittere generales, quibus temperetur omnis hac in re apostolica navitas. Mutuis / etiam rationibus consociabuntur cum Conventibus Episcopalibus aliarum nationum atque operam praebebunt Pontificio Consilio instrumentis communicationis socialis praeposito, cuius munia explicantur ibidem [22], et in Litteris Apostolicis Pauli VI a verbis *In fructibus multis* incipientibus [23].

173. In iis vero continentibus et regionibus, ubi ex pluribus civitatibus unus Conventus Episcopalis constituitur, huic praesto erit Officium Communicationis Socialis continentis vel regionis illius, auctoritati obnoxium unius pluriumve Episcoporum ad hoc munus destinatorum.

174. Episcopi singuli, unaquaeque Conferentia vel Conventus Episcopalis, necnon Apostolica Sedes suum habebunt interpretem seu nuntiatorem stabilem, qui ex officio rerum indicia et cognitiones pervulget, tum etiam documenta Ecclesiae brevi in vulgus proditura explanet, quo facilius certiusque intellegantur. Hi narratores celeriter et fideliter indicabunt res novas in Ecclesiae vita et opere, quantum ipsorum sinet officium. Magnopere etiam suadetur, ut dioeceses et sodalicia Catholicorum maiora habeant suos fixos et constantes interpretes, quibus similia demandentur munia. Universi illi ministri, sicut et ceteri qui publicae Ecclesiae vitae quasi personam gerunt, considerationem omnino intendent in ea omnia quae scientia ac disciplina rationum publicarum praecipit his de rebus, ut videlicet diversas ipsi agnoscant publici fori partes quas alloquantur, et ut cum eius frugiferas necessitudines coniungant fiducia mutua atque indulgentia subnixas. Haec vero reciproca fides et urbanitas tum tantum gigni possunt ac servari, cum homines ipsi inter se reverentur et observant cumque veritati semper paretur.

175. Praeter institutum illud publici interpretis, in tuto collocari oportet permutationem nuntiorum et notitiarum, quae veram Ecclesiae imaginem omnibus depingant quaeque excipiant motus, opinationes, desideria publici fori ut de eis certiores faciant ipsas auctoritates ecclesiasticas. Hoc autem flagitat, ut reverenter et amice intercedant rationes / 651 Ecclesiae cum variis hominibus eorumque circulis et coetibus. Ita enim incohari valet commercium perpetuum, quo utrimque dat alteruter et recipit [24].

176. Ut vero dialogus Ecclesiae, intra et extra saepta eius, prospere ac profluenter explicetur circa recentiora eventa secundum aspectum eorum religiosum, necessarii sunt commentarii publici id est «officiales», qui tempestive hoc est quam primum deferuntur ad legentes sub forma probata et perfecta ac per modos congruentes (libellos, telescriptiones, imagines luce pictas...), quique res explicant secundum necessitates causarum et nuntiorum.

177. Instituta religiosa animos attendent ad munera multiplicia et principalia Ecclesiae in iis quae ad communicationem socialem pertinent; simul perpendent quid agere possint, ut operas suas hoc in negotium conferant et certa munera exsequantur sed concordantia omnino cum

[15] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 20 [LE 3143]. [16] Cfr. ... [17] Cfr. ... Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, 19 [LE 3134]. [18] Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 18 [LE 3143]. [19] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 21 [20] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 18. [21] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 19. [22] Cfr. *In fructibus multis*, *A. A. S.* 56 (1964), pp. 289-292. [LE 3179]. [23] Cfr. superiores paragraphos 138-141.

http://www.obrascatolicas.com

Constitutionibus propriis. Instituta autem eo consilio condita, ut in communicationes sociales tota incumberent, inter se arcte adiuvabunt atque cohaerebunt cum officiis dioecesium, nationis, regionis, continentis, quae communiter conficiant atque impleant rationes de operibus pastoralibus in re communicationis.

178. Primaria illa officia nationis, de quibus sermo fuit [25], et officia principalia Institutorum religiosorum adiutricem operam praebebunt consociationibus Catholicorum ex omnibus gentibus diurnariae navitatis (U.C.I.P.), rei cinematographicae (O. C. I. C.), radiophonicae et televisificae (UNDA), secundum statuta earundem Consociationum ab Apostolica Sede approbata [26].

179. Illae consociationes catholicae socialibus communicationibus deditae hoc munus prosequuntur —pro sua quaeque rerum provincia et secundum varietates statutis toleratas— ut subveniant in singulis nationibus has artes
653 pro officio vitae profitentibus. Propositum vero id est, / ut investigationibus et progressionibus instrumentorum communicationis consulatur, ut institutioni receptorum rite provideatur, ut sensus mutuae necessitudinis et beneficiorum vicissitudinis invalescat inter nationes, ut inquiratur in operam efficacem Catholicorum per subsidia communicationis socialis, ut inter se concilientur atque copulentur diversa incepta internationalia, ut nova ineantur consilia omnium gentium, quae visa sint utilissima nationibus ad progressionem conitentibus, ut artificia et opera nova stimulentur. Expedient similiter confectionem atque partitionem taeniarum cinematographicarum, transmissionum radiophonicarum et televisificarum, materiarum ad hoc genus artis auditoriae et visualis pertinentium, scriptorum denique, quae serviunt progressibus communitatis humanae et ipsi vitae Populi Dei. Hae tandem consociationes internationales Catholicorum rogantur, ut communibus studiis et investigationibus occurrant communibus quoque difficultatibus.

180. Conferentiae Episcopales, diligentia et sollertia praesertim officiorum nationis adiutae, necnon sodalitates Catholicorum has artes factitantium Consociationibus opitulabuntur pecuniis opibusque necessariis ad propositum earum assequendum.

Epilogus

181. Exsistit hoc loco quaestio perdifficilis simusne in limine atque initio novae prorsus aetatis communicationum socialium necne, agaturne scilicet de communicationibus quae non tantum rerum quantitatem verum qualitatem etiam afficiant. Cui interrogationi respondetur magis ac magis difficulter. Id nihilominus constat, propter disciplinarum et scientiae progressus tum etiam ob incrementa technicae artis praesertim per satellites arte factos mox esse futurum, ut eodem temporis momento nuntii per auditum visumque perferantur universis hominibus, qui vero in receptaculis variis asservari possint atque iterari cuiusvis arbitratu ad animi culturam vel oblectationem, qui etiam copiam dent potentioris dialogi inter homines, qui
654 denique secundum argumentum suum et usum / proficiant consortioni hominum astringendae, humanitati adaugendae, paci coagmentandae.

182. Sic repente augescit in dies conscientia officii, quo Populus Dei obligatur, quandoquidem maior et crebrior quam umquam alias conceditur opportunitas perficiendi, ut instrumenta communicationis socialis praesentem et efficacem vim adhibeant ad solidum totius humani generis profectum, ad plenam progressionem gentium tertii mundi, qui vocatur, ad communionem fraternam inter populos, atque etiam ad nuntiationem Evangelii Salutis, quo usque ad terras extremas testimonium perhibetur Christi Servatoris.

183. Hac proinde Instructione Pastorali consilia nonnulla et suasiones proferuntur universales quidem, cum status rerum in communicationibus socialibus minutiores ac subtiliores haud permittat. Christiana vitae notio ipsa iam immutabilia infert principia, quae nuntio amoris innituntur, qui videlicet «nuntius laetus» Evangelii est, atque hominis ipsius dignitate, qui nempe vocatur ut sit filius Dei adoptatus. Omnibus autem in promptu manifestumque esse intelligitur usus vel applicationes principiorum concretas atque formulas pastorales accommodandas esse hinc ad res condicionesque locorum aliorum in quibus alius obtinet status technicae artis et societatis

[25] Cfr. par. 169. [26] Cfr. Decr. de instr. communicationis socialis *Inter mirifica*, 22 [LE 3143].

et humanitatis, illinc autem ad mutabiles partes instrumentorum communicationis in hominum consortione legesque eorum proprias, ita ut ad perfectionem absolutionemque perducantur futuris commutationibus, quae certo evenient in hac socialis communicationis provincia. Quapropter indoles haec mutabilis et inconstans, quae aliqua est nota necessaria instrumentorum communicationis, facile persuadebit, quam sit necesse eos, in quos recidat officii cuiusdam pastoralis onus, libenter amplecti necessitatem perseverantis renovataeque semper eruditionis hisce in rebus.

184. Multa adhuc rimanda sunt et pervestiganda, ut communicationis instrumenta penitus cognoscantur eo quidem consilio, ut hominibus vere famulentur ac prosint, dum institutionem cuiusvis ordinis maxime vero scholastici impertiunt humanamque personam integre absoluteque excolunt. Altiora persequenda sunt studia de effectibus communicationis socialis ac vi in varias cultus humani formas deque hominibus diversi in/genii. Ut autem recte aestimen- 655
tur modus, quo instrumenta communicationis socialis propriis perfunguntur officiis, ut eorum facultates rationesque, quae nunc usurpantur, funditus comprehendantur accurateque cognoscatur multiplex potentia eorum in animum eiusque culturam, omnino oportet contemplari et ponderare inquisitiones vere proprieque scientificas, quae plus quam ante sunt omnibus viribus propugnandae. Studiorum deinde universitatibus recens conditis vel antiquitus iam exstantibus patet hic campus immensus argumentorum iis temporibus gravissimorum, quae merito aequant dignitatem cuiusvis tralaticiae et antiquae disciplinae. Ecclesia gestit confirmare ac persuadere investigatoribus omnium rerum ad communicationes sociales attinentium se suscepturam esse consectaria et conclusiones studiorum prompta alacrique voluntate, ut, quantum in se fuerit situm, plenissime eas ordinet dirigatque ad omnium hominum emolumentum.

185. Ad eam rem quod attinet, postulari videtur primum ut altiore scientiarum ratione inspiciatur quantum efficere valeat Ecclesia hac in provincia; deinde ut postulata ab Ea munera in toto terrarum orbe secundum suum quodque momentum disponantur; postremo ut Catholici ea coepta ingrediantur, quae semper augescenti horum instrumentorum ponderi prorsus respondeant.

186. Hanc Instructionem Pastoralem nulla mora tardari patiens, Ecclesia maiore in dies necessitate impellitur alloqui et convenire homines communicationis socialis artem profitentes, dum genuinam operam confert in omnia ea, quae eiusdem artis finibus continentur, et ipsa exhortatur cunctos homines, ut illa instrumenta efficiant reapse utilia progressioni generis humani et verae gloriae Dei. Pontificium Consilium Instrumentis Communicationis Socialis praepositum hanc Instructionem de mandato Concilii Vaticani II convenienter exaravit, postquam doctos peritosque totum terrarum orbem incolentes advocavit in consilium, ad id nempe aspirans atque laborans, ut foras danda illa principium quoddam inauguraret novi cursus potius quam veterem terminaret.

187. Populus Dei, per tempora procedens quae humanam constituunt historiam, tamquam communicator simul et receptor maxima fiducia / studioque flagranti iam in po- 656
sterum prospiciens ea contuetur, quae inita siderea aetas communicationis socialis plena manu promittit.

Hanc de Instrumentis Communicationis Socialis Instructionem Summus Pontifex Paulus Pp. VI in omnibus et singulis approbare atque auctoritate sua confirmare dignatus est, et promulgari iussit, ab omnibus ad quos spectat sedulo servandam. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, Die V Mundiali Communicationis Socialis 23 *mensis Maii anno* 1971.—Martinus J. O'Connor, Archiep. tit. Laodicenus in Syria, *Praeses*. Augustinus Ferrari-Toniolo, Ep. tit. Tarasensis in Byzacena, *Pro-Praeses*. Andreas M. Deskur, *a Secretis*.

Adn. F. TIMMERMANS ind The Clergy Monthly 35 (1971 300-304; AOFMCap 87 (1971) 145.

3978

1971 MAI 27.-SC CULTUS DIVINI, RESCRIPTUM. PART.*

Facultas datur utendi in celebratione Missae paramentis sacris nova forma confectis

Rome, le 27 mai 1971

La S. Congrégation pour le Culte divin a bien reçu votre demande de pouvoir utiliser dans les célébrations liturgiques, conformément au numéro 304 de la *Présentation générale du*

Missel romain [LE 3840], un vêtement sacerdotal ayant une forme très ample, avec l'étole placée par-dessus: vêtement qui enveloppe tout le corps du célébrant et qui remplace également l'aube.

1. On peut estimer que ce projet est conforme aux principes généraux concernant les vêtements liturgiques, et fixés par le numéro 297 de la Présentation générale du Missel romain. En Effet:

a) L'importance donnée à l'étole, portée par-dessus le vêtement, met bien en valeur le ministère hiérarchique du prêtre, qui consiste à présider l'Assemblée *in persona Christi* (cf. *Proemium*, n. 4; *Institutio*, n. 60) [LE 3840];

b) Ce vêtement assez ample pour envelopper tout le corps du célébrant, pourvu qu'il soit confectionné avec art et dans un beau tissu, sauvegarde le caractère sacré des objets liturgiques et ajoute un élément de beauté.

2. Par conséquent, la S. Congrégation pour le Culte divin, considérant la variété des situations pastorales actuelles, autorise l'usage de ce vêtement aux conditions suivantes:

a) Pour la célébration ordinaire de la messe ,surtout dans un lieu sacré, on continuera à porter le vêtement liturgique traditionael: amict (lorsque c'est nécessaire pour bien couvrir le col), aube, étole et chasuble, conformément aux règles prescrites par la *Présentation générale du Missel romain* (n. 81 *a)*, 298 et 299. Il convient, en effet, de veiller d'abord au maintien de cette prescription, sans pourtant refuser de répondre aux justes nécessités du temps présent.

b) Pour la concélébration, la *Présentation générale du Missel romain* (n. 161) a confirmé la faculté, accordée aux concélébrants, à l'exception du célébrant principal, de mettre la seule étole sur l'aube. On garde ainsi une certaine simplicité, tout en respectant la dignité et le caractère sacré de l'action liturgique. Il convient que, dans ce cas, le célébrant principal porte le vêtement décrit ci-dessus, n. 2 *a)*.

c) Le nouveau vêtement sacerdotal peut être utilisé dans la concélébration, pour les messes de groupes particuliers, les célébrations en dehors d'un lieu sacré et dans les autres cas semblables où cette solution est à conseiller pour un motif de lieux ou de personnes.

d) En ce qui concerne la couleur, il est sculement exigé pour le nouveau vêtement que l'ètole soit de la couleur qui convient à la messe.

3. On notera que l'approbation d'un nouveau type de vêtement liturgique ne doit pas arrêter l'effort de recherche des artistes et des fabricants, en ce qui concerne tant la forme du vêtement sacré que la matière et la couleur du tissu employé, à condition que cette recherche ait toujours le souci de répondre à la double exigence formulée par le numéro 297 de la *Présentation générale du Missel romain* et rappelée ci-dessus, n. 1 *a)* et *b)*: mettre en valeur le ministère du célébrant, garantir le caractère sacré et la beauté du vêtement liturgique.

Je saisis cette occasion pour vous prier d'agréer l'assurance de mon religieux dévouement. Arturo, Card. Tabera, *préfet*. Rome, le 27 mai 1971.

* Praesidi Commissionis Conferentiae Episcopalis Galliae de re liturgica, Prot. N. 1937/71: Doc. Cath. 69 (1972) 736; Notit. 9 (1973) 96-98.

3979

1971 IUN 8.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

De nullitate sententiae ex eo quod iudex functus fuerat in eadem causa munere Promotoris iustitiae

Facti species. - Domina M. L., recurrens ac actrix in causa, libellum exhibuit Tribunali ecclesiastico primae instantiae, petens separationem ad tempus indeterminatum a marito, domino E. A., quocum matrimonium inierat canonicum.

Judex unicus primae instantiae, per sententiam diei 29 martii 1967, instantiam reiecit separationis. Appellavit actrix ad Tribunal superius, quod e propriis et peculiaribus normis procedit semper *collegialiter* quodque per sententiam diei 30 oct. 1969 decisionem iudicis primae instantiae confirmavit.

Proposuit actrix querelam nullitatis adversus sententiam diei 30 oct. 1969 coram eodem Tribunali appellationis, quod tamen nullitatis reiecit querelam. Tunc facultatem obtinuit eadem actrix denuo proponendi querelam nullitatis contra sententiam alterius instantiae apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae.

Fundatur pars recurrens in can. 1892 qui sententiam vitio insanabilis nullitatis laborare statuit, quando lata est in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero (cf. c. 1892, 1°), nam in casu judex J. J., unus e tribus iudicibus qui Tribunal appellationis efformavit, munere functus fuerat Promotoris iustitiae in eadem causa et in eodem Tribunali ideoque assumi non poterat in officium iudicis,

quatenus hoc officium est incompatibile cum officio Promotoris iustitiae in una eademque causa.

In iure.—Incompatibilitas iuridica inter Promotorem iustitiae et iudicem afficit directe officia, et indirecte mediante officio, ipsas personas; impeditque cumulationem *simultaneam* utriusque *officii* in *eadem* persona, non vero designationem *successivam* eiusdem personae in *distincta* officia, nisi ius, in casibus particularibus, aliud statuat.

Una eademque persona nequit explere *simul* officium Promotoris iustitiae et officium iudicis in eadem causa. Sed nullibi prohibetur *sub poena nullitatis* ut una eademque persona in una eademque causa fungatur, primo, officio Promotoris iustitiae, deponat deinde hoc officium et substituatur in eodem ab alia persona, et tandem assumatur in iudicem illius causae. Tunc enim officia ac personae Promotoris iustitiae et judicis vere distincta manent, et verificatur tantum mera substitutio seu successio personarum in officiis distinctis.

Poterat quidem ius inhabilem declarare ad officium iudicis eum qui functus fuerat in eadem causa officio Promotoris iustitiae; at ius canonicum nullibi hoc statuit. Iam vero, ex praescripto can. 1680 § 1, nullitas actus tunc *tantum* habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu conditiones desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nullitatis (cf. etiam can. 11). Pars recurrens seu actrix allegat canonem 1613, qui tamen nullam clausulam irritantem vel inhabilitantem, expresse vel aequivalenter, continet.

Adest sane principium, in iure naturae fundatum, vi cuius nemo potest esse simul pars et judex in eadem causa. At hoc principium intelligitur de cumulatione *simultanea* utriusque figurae in una eademque persona et causa, non de successiva designatione personae, quae fuerat pars in causa et iam cessaverat ab hac condicione, quando assumpta est in officium iudicis pro eadem causa. Tunc enim eadem persona non est *simul* eodemque tempore pars et judex.

Promotor iustitiae, praeterea, nequit vocari ac retineri in iure canonico, ut pars simpliciter. «Est potius custos et vindex legis, promovens ac defendens iustitiam apud tribunalia, sed non constituit tribunal; immo potius partibus *assimilatur*. Nec tamen dicendum est pars simpliciter; immo Codex numquam ipsum partem appellat, sed *a partibus accurate secernit*, quia non sistit in iudicio ad defendendum interesse personale, sed publicum bonum» (F. Roberti, *De proces.*, Romae 1956, p. 298). «Munus enim promotoris iustitiae *officium publicum* est», ut declaravit ipsa Signatura Apostolica *(Tergestina* d. 15 mart. 1921: AAS 13 (1921) 271; *Leges Ecclesiae* n. 345 col. 383, n. 2).

Neque invocari potest can. 1613 qui praecipit ut judex cognoscendam ne suscipiat causam in qua antea advocatum aut procuratorem egerit (c. 1613 § 1). Nam praescriptum hujus canonis minime secumfert nullitatem sententiae (cf. c. 11 et 1680); neque Promotor iustitiae dici potest sensu proprio et stricto advocatus aut procurator in causa.

Negandum tamen non est valde expedire ut judex sese abstineat ab illa causa decidenda, in qua munere Promotoris justitiae functus est, nam partibus videri potest aliquo modo suspectus ac veluti praeoccupatus circa meritum ipsius causae. Quare optima retinenda est norma non assumendi in officium judicis eum qui prius functus est in eadem causa munere Promotoris iustitiae. Si vero de facto assumatur in judicem et ipse non se abstineat, partes in causa, post cognitum nomen judicis, possunt legitime proponere in quolibet momento ante sententiam, iuxta normas causarum incidentalium, exceptionem suspicionis vel recusationis contra ipsum. Talis «exceptio suspicionis potest proponi a partibus vel a *procuratoribus* sine speciali mandato. At nisi proponatur, non sequitur nullitas actuum» (F. Roberti, *op. et ed. cit.*, p 427 n. 173).

In facto.—Indubie constat dominum J. J. interfuisse ut Promotorem justitiae tribunalis appellationis in hac separationis causa votumque dedisse die 12 apr. 1969 petitioni actricis contrarium. Die vero 4 iunii 1969 ipse dominus J.J. cessavit a munere Promotoris justitiae et assumptus est in officium judicis eiusdem tribunalis, dum alius sacerdos constituebatur Promotor justitiae.

Die 23 oct. 1969 dominus J.J. designatur judex in hac causa separationis ut una cum aliis iam constitutis judicibus procederet usque ad causae definitionem. Die 24 oct. 1969 Praeses collegii iudicantis decrevit ut nomen novi judicis, domini nempe J.J., in hac causa «nuper designati, notum fiat *partibus* ut si *quid opponendum* habeant, intra triduum opponant» *(Ex Actis)*.

Constat etiam hoc decretum nomenque novi judicis notificatum fuisse die 27 eiusdem mensis et anni parti actrici ac recurrenti, cuius Procurator peractam et acceptam notificationem rite subsignavit. Hac eadem die, 27 oct. 1969, Praeses tribunalis notificavit partibus tempus pro ferenda sententia d. 30 oct. 1969 assignatum esse.

Optimum sane consilium fuisset si judex J.J. se abstinuisset a causa cognoscenda in qua votum, et quidem contrarium actrici, jam dederat ut Promotor justitiae; at de facto non se abstinuit, quin defectus abstensionis secumferret nullitatem designationis eius et assumptionem in officium judicis illius causae.

Pars actrix ac recurrens, quae certe sciebat novum judicem functum fuisse munere Promotoris justitiae in eadem causa, poterat legitime proponere exceptionem suspicionis vel recusationis contra judicem J.J., utpote iam praeoccupatum contra petitionem; at suam de facto exceptionem, dum poterat, non proposuit, quin ex hac omissione sequatur nullitas sententiae.

http://www.obrascatolicas.com

DECISIO. - In Congressu habito die 8 iunii 1971 coram Emo Cardinali Praefecto, proposita querela nullitatis a domina M. L., actrice in causa, interposita adversus sententiam Tribunalis appellationis diei 30 octobris 1969, decretum est: *Negative*, seu *sententiam Tribunalis appellationis diei* 30 *oct.* 1969 *nullitate non laborare.*

* Apoll. 44 (1971) 572-575.

3980

1971 IUN 14.-SC CULTUS, NOTIF. AAS 63 (1971) 712-715

NOTIFICATIO CIRCA USUM ET INITIUM OBLIGATIONIS NOVI MISSALIS ROMANI, LITURGIAE HORARUM ET CALENDARII

Instructione «de Constitutione Apostolica Missale Romanum gradatim ad effectum deducenda», ab hac Sacra Congregatione die 20 octobris 1969 edita, normae datae sunt, quibus peculiares casus et difficultates considerabantur circa usum novi
713 Missalis Romani atque Conferentiis/Episcopalibus facultas tribuebatur vacationem legis protrahendi ad diem 20 novembris 1971 [1].

Statutum quoque fuit ab hac Sacra Congregatione, ut Calendarium generale et Calendaria particularia «ad interim» in usu retinerentur etiam durante hoc anno 1971 [2].

His attentis, Sacra haec Congregatio pro Cultu Divino, approbante Summo Pontifice, quae sequuntur statuit normas de usu Missalis Romani, Liturgiae Horarum et Calendarii instaurati ac solutionem proponit quarundam difficultatum circa ordinationem Calendarii pro annis 1972.

1. *De Missali Romano et de Liturgia Horarum.*

1. Missale Romanum et Lectionarium Missae, ab hac Sacra Congregatione edita [3], in celebrationibus, quae lingua latina peraguntur, iam nunc adhiberi valent. Item Liturgiae Horarum libri statim usurpari poterunt atque in lucem editi fuerint.

2. Conferentiae Episcopales curent, ut eorundem librorum liturgicorum interpretatio popularis atque editio quamprimum perficiantur.

Attamen, attentis peculiaribus difficultatibus in iisdem conficiendis, diem definiant, quo eaedem interpretationes ab ipsis approbatae et ab Apostolica Sede confirmatae, sive ex toto sive ex parte in usum recipi possint vel debeant.

A die quo populares huiusmodi interpretationes, in celebrationes lingua vernacula peragendas assumi debebunt, tum iis etiam qui lingua latina uti pergunt, instaurata tantum Missae et Liturgiae Horarum forma adhibenda erit.

3. Iis vero, qui ob provectam aetatem vel infirmitatem graves experiuntur difficultates in novo Ordine Missalis Romani, Lectionarii Missae vel Liturgiae Horarum servando, licet, de consensu sui Ordinarii ac tantummodo in celebratione sine populo facta, Missale Romanum iuxta editionem
714 typicam anni 1962, a decretis annorum 1965 et 1967 accommodatum [4], vel Breviarium Romanum, quod antea in usum erat, sive ex toto sive ex parte retinere./

4. Ad usum linguae quod attinet:

a) Quoad Missas cum populo Conferentiae Episcopales ius habent decernendi de usu linguae vernaculae in quavis Missae parte.

Ad Missam conventualem monasteriorum quod attinet, servetur ius particulare.

Ordinarii locorum, bono fidelium praeprimis spectato, videant, utrum, inducto usu linguae vernaculae, opportunum sit, ut in aliquibus ecclesiis, praecipue vero quo fideles diversi sermonis frequentius conveniunt, una aut plures Missae lingua latina celebrentur, praesertim cum cantu [5]. In Missis, quae lingua latina celebrantur, lectiones e Sacra Scriptura et oratione universalem populari interpretatione proferre convenit, prae oculis insuper habita condicione participantium, qui diversi sint sermonis.

b) In Missis sine populo quivis sacerdos adhibere potest aut linguam latinam aut linguam vernaculam.

c) Liturgia Horarum sive a solo sive in communi sive in choro, de consensu Ordinarii, lingua vernacula celebrari potest.

2. *De Calendario.*

5. Conferentiae Episcopales, attento statu operis interpretationis popularis Missalis Romani et Liturgiae Horarum, diem statuant, quo Calendarium Romanum generale, Motu proprio *Mysterii paschalis* die 14 februarii 1969 promulgatum, in sua dicione in praxim deduci debeat [LE 3717].

[1] Cfr. *A. A. S.* 61 (1969), pp. 749-753 [LE 3789]. [2] Cfr. *Notificatio*, 17 maii 1970: *Notitiae* 6 (1970), p. 193 [LE 3855]. [3] Cfr. Decr. *Celebrationis Eucharisticae*, 26 martii 1970, *A. A. S.* 62 (1970), p. 554 [LE 3839]; Decr. *Ordine lectionum*, 30 sept. 1970, *A. A. S.* 63 (1971), p. 710 [LE 3905]. [4] S. Congr. Rituum Decr. *Nuper edita*, 27 ianuarii 1965, *A. A. S.* 57 (1965), pp. 408-409 [LE 3251]; *Instructio altera* ad exsecutionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam, 4 maii 1967, *A. A. S.* 59 (1967), pp. 442-448 [LE 3555]. [5] Cfr. S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam Sacram*, 5 martii 1967, n. 48, *A. A. S.* 59 (1967), p. 314 [LE 3541]. [6] Cfr. S. Congr. pro Culto Divino, Instructio *De calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum propriis recognoscendis*, 24 iunii 1970, n. 4, *A. A. S.* 62 (1970), p. 652 [LE 3876]. [7] Cfr. *Calendarium Romanum*, Normae universales de anno liturgico et de calendario, n. 5, Typis Polyglottis Vaticanis, 1969, p. 12 [LE 3728].

Usque dum opus interpretationis perficiatur, eaedem Conferentiae opportunas edant normas de Calendario servando pro celebratione Missae et Liturgiae Horarum, linguis sive latina sive vernacula.

6. Qui Calendatio proprio utuntur, dum eiusdem instauratio exspectatur, in iis, quae sunt propria servare debent Calendarium hucusque vigens, mutato gradu celebrationum iuxta normas universales de Calendario et variationibus factis in iis, quae cum praedictis normis non cohaerent. In reliquis normas a Conferentia Episcopali datas servare tenentur.

Opus revisionis Calendariorum intra tempus ad id praefinitum ab Instructione de Calendario [6] peragi debet./ 715

7. *Anno* 1972, Sollemnitas S. Ioseph, in dominicam quintam in Quadragesima incidit. Proinde sabbato anticipatur nempe die 18 martii [7].

Ubi rationes pastorales id suadeant, Ordinarii locorum, permittere poterunt, ut etiam Missae vespertinae, quae sabbato 18 martii celebrantur, ad satisfaciendum praecepto de Missa die dominica participanda, sint de S. Ioseph.

8. *Anno* 1973, ob occurrentiam quarundam sollemnitatum, Calendarium ordinatur sequenti modo:

a) *Die* 24 *iunii*, dominica: *in Nativitate S. Ioannis Baptistae*, Sollemnitas.

In locis, ubi sollemnitas SS.mi Corporis et Sanguinis Christi ad hanc dominicam transfertur, sollemnitas S. Ioannis Baptistae die antecedenti, 23 iunii, celebratur.

b) *die* 29 *iunii*, feria VI: *Ss. Petri et Pauli, Apost.*, Sollemnitas et *SS.mi Cordis Iesu*, Sollemnitas.

Sollemnitas Ss. Petri et Pauli hac die celebratur et sollemnitas SS.mi Cordis Iesu ad dominicam sequentem transfertur. Ubi vero sollemnitas Ss. Petri et Pauli non est de praecepto servanda et generatim ad dominicam sequentem transfertur, die 29 iunii Sollemnitas SS.mi Cordis Iesu et die 1 iulii Sollemnitas Ss. Petri et Pauli celebrantur.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 14 iunii 1971.—ARTURUS Card. TABERA, *Praef.* H. Bugnini, *a Secretis.*

3981

1971 IUN 26.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

DE MASSAE CAPITULARIS CONSTITUTIONE ET DISTRIBUTIONE

FACTORUM ET IURIS DELINEATIO. - Decreto diei 1 iunii 1969, Episcopus Dioecesis X, ratione habita tum prioris decreti diei 14 augusti 1967 tum litterarum quas Sacra Congregatio pro Clericis die 28 novembris 1968 dedit, normas Capitulo Cathedrali impertiebat circa communis massae capitularis constitutionem eiusque inter membra Capituli distributionem.

Adversus hoc decretum canonicus D. F. recursum, a suo Patrono postea completum, die 1 iulii 1969 apud Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae interposuit.

Die 7 iulii 1970, in Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, decretum est: *Recursum esse admittendum ad disceptationem* [LE 3881].

Termini autem controversiae sequentes die 7 octobris 1970 definiti sunt:

«1) *Quibusdam reditibus componatur massa capitularis in casu;*

2) *Quomodo distribuenda sit massa capitularis, firmo manente canone* 395, § 1 *C. I. C., inter Capitulares;*

3) *Quodnam in specie emolumentum debeatur, in casu, canonico qui munere fungatur etiam parochi, quique pro hoc munere quandam accipit retributionem ex Municipio Z;*

4) *Quaenam consectaria oriantur ex responsionibus ad praecedentia dubia etiam quod attinet ad causae expensas et honoraria patronorum.»*

IN IURE ET IN FACTO.—Ex documentis exhibitis in causa certo constat massam capitularem, in casu, componi ex omnibus reditibus Capituli Cathedralis, quorum maxima pars constituitur ex integro supplemento congruae Canonicorum et Officialium nec non Dignitatum.

Item certo colligitur quod in Capitulo Cathedrali, inde ab initio, servatum est systema massae communis capitularis omnium redituum, inter Dignitates et Officiales atque Canonicos aequaliter quotannis dividendae. Statuta enim Capituli Cathedralis, die 4 aprilis 1900 ab Ordinario loci rite approbata, circa distributiones capitulares praescribunt: «Il Capitolo di X ha una sola massa di rendite; dalla quale, prelevati gli assegni ai Mansionarii ecc..., il rimanente in uguali rate va distribuito ai dodici Canonici [illegible]

delle Bolle Pontificie 25 giugno 1855... Gli altri due terzi della rendita netta è assegnata prebenda a ciascuna Dignità e Canonico ugualmente...». Illa autem statuta rite approbata, cum contra ius commune non sint, nec legitime mutata sint, abrogata dici non possunt. Ipsa S. Congregatio pro Clericis et Ordinarius loci expresse declarant Capitulum Cathedrale illis veteribus statutis anni 1900 adhuc regi.

Attamen firmum permanet praescriptum canonis 395 § 1 respiciens ad tertiam redituum Capituli partem, quae in distributiones quotidianas convertenda sit.

Ratio quoque habenda est Decreti a S. Congregatione Concilii die 10 iulii 1925 (AAS, vol. XVII, a. 1925, pp. 381-383) [LE 665] emissi, quod nonnullis quaesitis ad rem pertinentibus respondet.

Ad primum autem quaesitum respondetur supplementum congruae canonicalis subesse legi canonicae distributionum iuxta can. 395.

Dubio «IV. An quota peculiariter assignata Dignitatibus et Officiis immitti debeat in massam communem capitularem, in casu», S. Congregatio responderi mandavit: «Ad IV. In Capitulis ubi viget systema praebendarum separatarum, *negative*; in Capitulis vero ubi viget systema massae communis *affirmative*». Hinc huiusmodi immissio fieri debet in Capitulo Cathedrali X, ubi certo viget systema massae communis.

Quaestio autem «V. An et qua proportione Dignitates et Officia participare debeant de parte sibi peculiariter assignata quae sit immissa in massam communem capitularem in casu», responsum est: «Ad V. Non minori ea quantitate quam percipiebant ante assignationem supplementi congruae». Ex hoc clare patet minime statui ad Dignitates et Officia spectare ius participandi de massa communi capitulari in proportione ad partem supplementi congruae sibi peculiariter assignatam.

Postremum dubio «VI. An quota pars, peculiariter assignata Dignitatibus et Officiis, subsit legi canonicae distributionum ad tramitem can. 395, §§ 1, 2, in casu», responsio facta est: «Ad VI. *Affirmative*». Exinde autem deduci non potest quod ex massa communi distributiones Dignitatibus et Officialibus in quantitate maiore prae Canonicis fieri debeat.

Quid demum de causae expensis et Patronorum honorariis? Cum principalis quaestio agitata circa modum distributionis in Capitulo vertatur, cumque ipsa sit quaestio potius Capituli quam singulorum Capitularium, etiamsi modus distributionis Capitulum dividat in duas partes oppositas, expedit ut, pro iustitia et aequitate nec non pro amore pacis, illae expensae et honoraria ex massa communi Capituli solvantur. Nam quaestio solvenda Capituli est.

DECISIO. - Emi Patres Cardinales, Membra Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, in sede eiusdem Tribunalis legitime congregati, die 26 iunii 1971, ad decidendam causam de qua supra, propositis dubiis responderunt:

Ad I: *Massa capitularis, in casu, omnibus componitur reditibus, directis et indirectis —supplemento congruae non excluso—, qui Capitulo singulisque eius Capitularibus obveniunt;*

Ad II: *Massa capitularis sic efformata distribuenda est aequaliter inter omnes et singulos Capitulares, firmo praescripto canonis* 395, § 1 *et responsione Sacrae Congregationis Concilii diei* 10 *iulii a.* 1925 [LE 665];

Ad III: *standum esse iuri communi, statutis Capituli nec non eius praxi;*

Ad IV: *processuales expensas et Patronorum honoraria esse solvenda ex massa capitulari, in quam est immittenda pecunia, contra responsa ad nn. primum et secundum, retenta a die* 1 *ianuarii a.* 1964, *aucta foenore legali.*

* Apoll. 44 (1971) 622-625.

3982

1971 IUN 27.-PAULUS VI, MOT. pr. AAS 63 (1971) 665-669

DE PONTIFICIA COMMISSIONE BIBLICA ORDINANDA NOVAE LEGES STATUUNTUR

PAULUS PP. VI

Sedula cura, qua Ecclesia altiorem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam consequi semper annisa est, ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pasceret [1], nostris praesertim temporibus palam ostenditur, cum Concilium Oecumenicum Vaticanum II praescripserit, ut ad impensius fovendam christianam vitam amplissimae verbi Dei divitiae largius uberiusque christifidelibus paterent.

Excellens magnitudo ac momentum huius officii, in quod Christi Sponsa hodie renovata diligentia incumbit, ab ea sane postulat, ut Sacrarum Litterarum studia omni ope promoveat. Qua de causa eadem Oecumenica Synodus haec opportune commonuit: *Exegetae autem catholici aliique Sacrae Theologiae cultores, collatis sedulo viribus, operam dent [illegible]*

oportet, ut sub vigilantia Sacri Magisterii aptis subsidiis divinas Litteras ita investigent atque proponant, ut quam plurimi divini verbi administri possint plebi Dei Scripturarum pabulum fructuose suppeditare [2].

At cum horum temporum eruditio progrediens quaestiones in hisce disciplinis proponat cotidie novas easque ad explicandum non faciles, inde fit ut perarduum evadat munus iis concreditum, qui Sacris Litteris sint dediti; qui quidem, etsi opus habent haec studia excolere ratione ac via, quae cum recentioribus scientificis pervestigationibus congruant, norunt tamen Deum non privato doctorum iudicio, sed Ecclesiae suae Sacras commisisse Scripturas, quae proinde ad normam christianae/traditionis et hermeneuticae semper interpretandae erunt, sub tutela et custodia Magisterii ecclesiastici [3].

Consilio igitur permoti efficaciore ratione sanae doctrinae progressum in re biblica iuvandi et Scripturarum interpretationem a quavis opinionum temeritate servandi integram, necnon exegetarum et theologorum collaborationem cum Sancta Sede et ad invicem aptius coordinandi [4]; opportunum duximus curas cogitationesque Nostras peculiari modo conferre in Pontificiam Commissionem Biblicam, quae a Decessore Nostro Leone XIII per Apostolicas Litteras *Vigilantiae studiique*, die XXX Octobris anno MCMII datas, idcirco instituta est, ut Sacrarum Litterarum studia recte proveheret. Commoda enim, quae hucusque in biblicorum studiorum tutelam atque incrementum ex huius Commissionis opere inde ab eius ortu profecta sunt, Nostram de eius utilitate ac momento persuasionem confirmant. Quo vero maiores usque fructus exinde Ecclesia capere possit, nihil aptius ac validius videtur esse Nobis, quam Pontificiam hanc Commissionem novis aptioribusque legibus ordinare; ita quidem ut, quod attinet ad agendi rationem, ad quaestiones proponendas atque tractandas, ad varia officia assignanda, ad numerum denique atque delectum eorum ex quibus Commissio coalescat, ipsa expeditius atque secundum auctas christianae societatis necessitates opus suum exsequi pergat.

Itaque, omnibus mature perpensis, motu proprio ac Nostra Apostolica auctoritate novas leges de Pontificia Commissione Biblica ordinanda statuimus ac decernimus, quae sequuntur.

1. Commissio Biblica, quae pro suo munere pergit studia rei biblicae recte promovere atque auxiliatricem operam Magisterio Ecclesiae in Sacra Scriptura interpretanda praestare, secundum novas normas recognoscitur eademque cum Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei colligatur./ 6

2. Munere Praesidis Commissionis Biblicae fungitur Cardinalis Praefectus Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei, qui adiuvari poterit a vices gerente, e membris Commissionis seligendo.

3. Commissio Biblica constat ex scientiarum biblicarum cultoribus e variis scholis et Nationibus, qui scientia, prudentia et catholico sensu erga Ecclesiae Magisterium excellant.

4. Commissionis Biblicae Membra a Summo Pontifice, cuius iudicio proponuntur a Cardinali Praeside post consultationem Conferentiarum Episcopalium, ad quinquennium nominantur, quo expleto, confirmari possunt. Numerus autem Membrorum summam XX ne excedat.

5. Secretarius Commissionis Biblicae, proponente eiusdem Commissionis Praeside, a Summo Pontifice ad quinquennium nominatur et inter Consultores Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei adnumeratur. Expleto quinquennio, confirmari potest. Expedit autem, ut Cardinalis Praeses, quantum fieri possit, inter Membra Commissionis consultationem instituat, antequam nomina ad hoc munus aptorum Summo Pontifici subiciat.

6. Coetus Plenarius Commissionis Biblicae saltem semel in anno convocatur.

7. Si studium peculiarium quaestionum id exigat, Cardinalis Praeses speciales Subcommissiones e Membris illius argumenti singulariter peritis instituere potest, quae, studio expleto, a munere suo cessant. Subcommissiones, annuente Praeside Commissionis, alios quoque peritos, et, si casus ferat, etiam non catholicos, consulere possunt. Qui ad hanc consultationem vocantur non fiunt Membra.

8. Commissionis Biblicae Membra etiam scripto consuli possunt. / 66

[1] *Ibid.*, n. 23.
[2] Cfr. Conc. Vat. I, sess. III, cap. II, *De revelatione*; Conc. Vat. II, Const. Dogm. *Dei Verbum*, n. 12 [LE 3345]. [3] Cfr. Const. Dogm. *Dei Verbum*, nn. 12 et 23. [4] Cfr. Const. Dogm. *Dei Verbum*, n. 23 [LE 3345].

http://www.obrascatolicas.com

9. Quaestiones et argumenta studio expendenda a Summo Pontifice aut a Praeside Commissionis designantur, proponentibus vel Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei, vel Synodo Episcoporum, vel Conferentiis Episcopalibus, vel ipsa Commissione Biblica suggerentibus eiusdem Membris, vel etiam catholicis Studiorum Universitatibus et Societatibus Biblicis, salvo praescripto n. 136 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae universae* [LE 3588].

10. Conclusiones, ad quas Commissio Biblica in Sessione Plenaria pervenerit, praeviis, si casus ferat, Commissionibus specialibus, Summo Pontifici subiciantur atque in Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei usum tradentur.

11. Commissionis Biblicae est studia perficere, necnon instructiones et decreta parare, quae a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei publici iuris fieri possunt, speciali mentione Commissionis Biblicae facta, approbante Summo Pontifice, nisi aliter ipse Summus Pontifex in casibus particularibus statuerit.

12. Commissionis Biblicae cura erit necessitudines fovere cum variis bibli corum studiorum Institutis sive catholicis sive non catholicis.

13. Eadem Commissio consuli debet, antequam novae de rebus biblicis normae edantur.

14. Commissio Biblica pergit, donec aliter provideatur, gradus academicos in re biblica conferre, secundum speciales normas opportune recognoscendas.

15. Membra Commissionis Biblicae in rebus Commissionis tractandis secretum, secundum illarum naturam et momentum, religiose servabunt, normis obsequendo quae
369 circa idem secretum vigent. /

Quaecumque a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus suosque integros effectus obtinere a die VIII mensis Iulii huius anni, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Iunii, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri nono.—PAULUS PP. VI.

Ada. A. L. DIEGUEZ in Sal terrae 60 (1972) 702-705.

3983

1971 IUN 29.-PAULUS VI, EXHORT. AAS 63 (1971) 497-526

Adhortatio Apostolica uniuscuiusque religiosae familiae in catholico orbe sodalibus:

DE RELIGIOSA VITA SECUNDUM CONCILII OECUMENICI VATICANI II RENOVANDA PRAECEPTIONES

PAULUS PP. VI

Dilecti in Christo filii et filiae,
Salutem et Apostolicam Benedictionem

1. Evangelica testificatio vitae religiosae oculis hominum aperte manifestat primas partes Dei amori tributas ac quidem tali cum vehementia, pro qua gratiae Spiritui Sancto agantur oporteat. Animo simplici —ut Ioannes XXIII, Decessor Noster rec. mem., fecit sub Concilii Oecumenici Vaticani II celebrationem [1]— vobis enuntiare velimus, quantam spem in Nobis excitet, perinde atque in cunctis Pastoribus et fidelibus Ecclesiae, spiritualis magnanimitas illorum, qui, sive viri sive mulieres, Domino vitam suam consecrarunt, consiliorum evangelicorum spiritum et usum servantes. Optamus etiam vos iuvare, ut,
498 doctrinae Concilii Vaticani II inhaerentes, iter Christi sectatorum, a vobis susceptum, pergatis. /

2. Quod quidem agentes, eo consilio ducimur, ut inquietudini, incerto animorum statui, inconstantiae occurramus, quae nonnulli ostendunt, et ut eos pariter confirmemus, qui veram expetunt vitae religiosae renovationem. Quaedam enim mutationes, audacius et ad arbitrium inductae, nimia diffidentia praeteriti temporis, etiamsi hoc sapientiam vigoremque traditionum ecclesialium testetur, habitus mentis plus aequo eo contendens, ut quis ad magnas immutationes, quibus aetas nostra concutitur, festinantius sese conformet: haec omnia nonnullos fortasse moverunt, ut peculiares vitae religiosae formas existimarent caducas. Nonne quidam eo sunt progressi, ut contra ius fasque ad Concilium provocarent, id intendentes, ut illam quoad ipsum eius principium in controversiam adducerent? Verumtamen constat omnino Concilium huic *peculiari dono* locum singularem in vita Ecclesiae tribuisse, quatenus illi, qui id acceperunt, eius ope magis conformantur *ad genus vitae virginalis et pauperis, quod sibi elegit Christus Dominus, quodque Mater eius Virgo amplexa est* [2]. Concilium praeterea vias ostendit, quibus idem donum secundum Evangelii praeceptiones renovaretur [3].

3. Traditio autem Ecclesiae —numquid in memoriam id redigere oportet?— ab ipsis suis initiis, hanc eximiam perhibet testificationem constantis Deum quaerendi studii, amoris unici et indivisi erga Christum, ardoris Regni eius incrementis absolutissime se devovendi. Hoc quidem demptо signo visu manifesto, periculum est, ne ipsa caritas, qua Ecclesia universa vegetatur, frigescat, mirabilis ille vulgarique opinioni contrarius hebescat nuntius salvificus Evangelii, *sal* fidei in mundo evanescat, qui hac aetate ad saeculares accedit condiciones.

Spiritus Sanctus a primis saeculis, praeter martyres Chri-/ 499
stum heroum in modum confitentes, discipulorum et virginum nec non eremitarum mirandam fortitudinem excitavit. Quod quidem fuit iam quaedam adumbratio vitae religiosae, quae magis in dies adducebatur, ut progressione quadam efflueresceret ac diversis distingueretur formis vitae communis aut solitariae, ut instanti Christi invitationi responderetur: *Nemo est, qui reliquit domum aut uxorem aut fratres aut parentes aut filios propter Regnum Dei, et non recipiat multo plura in hoc tempore et in saeculo venturo vitam aeternam* [4].

Quis audeat affirmare eiusmodi invitamento non amplius eandem vim atque vigorem inesse, Ecclesiam carere posse praestantissimis eiusmodi testibus Christi amoris naturam transcendentis, vel mundum sine sui detrimento pati posse haec lumina exstingui, quae Regnum Dei annuntiant ea cum libertate, quae non obstruatur impedimentis et cotidie a mille filiis eius filiabusque vivendo exprimatur?

4. Dilecti filii et filiae, qui, consilia evangelica perficientes, liberius Christum sectari ac pressius imitari voluistis —tota vita Deo devota per peculiarem consecrationem, quae in baptismali consecratione ut in radice fundatur eamque plenius manifestat— utinam mente complectamini egregiam existimationem ac dilectionis affectum, quo vos in nomine Christi Iesu prosequimur! Carissimis Fratribus in episcopatu vos commendamus, qui una cum presbyteris, suis in sacerdotio cooperatoribus, conscientiae officium circa vitam religiosam percipiunt. Omnes etiam laicos, quibus *proprie, etsi non exclusive, saecularia officia et navitates competunt* [5], rogamus, ut intellegant, quam valide a vobis impellantur, ut eam exquirant sanctitatem, ad quam et ipsi baptismo suo in Christo vocantur in gloriam Patris! [6]. / 500

5. Non paucas res externas, a Conditoribus Ordinum et Congregationum religiosarum mandatas, his ipsis temporibus obsoletas esse procul dubio apparet. Nonnullae, saeculorum decursu coacervatae, quibus vita religiosa onerata est atque obriguit, alleventur oportet. Sunt quidem efficiendae accommodationes, novae possunt, probante Ecclesia, formae inquiri atque induci. Hoc ipsum est propositum, quod plures iam annos maior Institutorum religiosorum pars alacriter persequitur, novi generis constitutionibus et regulis —interdum audentius— experimenti causa invectis. Hoc quippe compertum habemus hosque renovationis conatus, a Concilio expetitos [7], diligenter attendimus.

6. Quomodo vero in hac ipsa dynamica progrediente incitatione, in qua semper periculum est, ne spiritus saeculi cum actione Spiritus Sancti admisceatur, vobis opitulemur, ut recte, quemadmodum necesse est, res discernatis? Quomodo id, quod est essentiale, in tuto collocetur aut assequendo obtineatur? Quomodo in proprium usum convertatur experientia aetatum praeteritarum et id, quod his temporibus est recogitatum, ut haec evangelicae vitae forma corroboretur?

[1] Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, cap. VI, 46: *A. A. S.* 57 (1965), p. 52 [LE 3232]. [2] Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 702-712 [LE 3333]. [3] *Lc.* 18, 29-30. [4] Cf. Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 43: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1062 [LE 3366]. [5] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, cap. V: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 44-49 [LE 3232]. [6] Cf. Litt. Apost. motu proprio datae *Ecclesiae Sanctae*: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 757 ss. [LE 3457]. [7] S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. *Renovationis causam*: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 445 ss.

[1] Adhortatio ad universi orbis catholici sanctimoniales et sacras virgines *Il tempio massimo*: *A. A. S.* 54 (1962), pp. 508-517.

Pro singulari munere et officio, quod Deus Nobis in Ecclesia sua imposuit —ex eo enim *fratres Nostros confirmare* oportet [8]— vos pro parte Nostra adigere volumus, ut securioribus animis et laetiore cum fiducia in via procedatis, quam elegistis. In *perfectae caritatis prosecutione* [9], qua vestra regitur vita, quo alio modo vos geratis oportet nisi eo, quo parati sitis penitus obsequi Spiritui Sancto, qui,
501 in Ecclesia agens, in libertatem filiorum Dei vos vocat? [10]. /

I

7. Dilecti filii et filiae, invitamento Spiritus Sancti libere respondentes, Christum sequi statuistis, eidem vos prorsus devoventes. Consilia evangelica castitatis Deo consecratae, paupertatis, oboedientiae iam leges vitae vestrae evaserunt. Iamvero, quemadmodum Concilium monet, *ipsa... auctoritas Ecclesiae, duce Spiritu Sancto, ea interpretari, eorum praxim moderari et etiam stabiles inde vivendi formas constituere curavit* [11]. Ita vero ea agnoscit et authenticum reddit vitae genus, quod professione consiliorum evangelicorum efficitur: *Per vota aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata, quibus christifidelis ad tria praedicta consilia evangelica se obligat, Deo summe dilecto totaliter mancipatur... Per baptismum quidem mortuus est peccato, et Deo sacratus; ut autem gratiae baptismalis uberiorem fructum percipere queat, consiliorum evangelicorum professione in Ecclesia liberari intendit ab impedimentis, quae ipsum a caritatis fervore et divini cultus perfectione retrahere possent, et divino obsequio intimius consecratur. Tanto autem perfectior erit consecratio, quo per firmiora et stabiliora vincula magis repraesentatur Christo cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus* [12].

Haec doctrina Concilii in claro lumine ponit huius doni magnitudinem, quod ipsi dare libere decrevistis, quodque —simile doni a Christo Ecclesiae suae impertiti— perinde ac hoc, absolutissimum est et irrevocabile. Propter ipsum Regnum caelorum Christo magnanimiter et sine ulla exceptione devovistis vires amandi, possidendi cupiditatem, liberam facultatem propriam vitam disponendi, quae tam praeclara sunt homini bona. Huiusmodi vestra est consecratio, quae in Ecclesia et per eius peragitur ministerium
502 sive eorum, qui illius / gerunt personam quique professionem religiosam accipiunt, sive communitatis christianae, quae amanter agnoscit, excipit, fovet, circumdat eos, qui in eius gremio se ipsos impendunt quasi vivum signum, *quod omnia Ecclesiae membra ad officia vocationis christianae impigre adimplenda efficaciter attrahere potest ac debet... siquidem status religiosus bona caelestia iam in hoc saeculo praesentia omnibus credentibus manifestat* [13].

8. Aliqui ex vobis ad vitam contemplativam, quae dicitur, sunt vocati. Vis alliciens, cui nequit resisti, vos trahit ad Dominum. A Deo apprehensi, eius actioni potentissimae vos permittitis, qua ad eum elevamini et transformamini in ipsum, dum eadem ad illam componimini aeternam contemplationem, quae communis est vocatio nostra. Quomodo fiet, ut in hac progrediamini via et gratiam, quae vos animat, fideliter custodiatis, nisi tota anima et vita vestra, dynamica vi, cuius impulsus est amor, permoti, huic obsequimini invitamento, quod stabili modo in Deum vos dirigit? Itaque aliam quamvis actionem proxime vobis utique exsequendam —cuius generis sunt necessitudines cum fratribus, opus gratuitum vel quaestuosum, necessaria animi remissio hisque similia— testimonium existimate intimae cum Deo coniunctionis, quod ei reddatis, ut vobis illam tribuat intentionis puritatem, in unum omnia redigentem, tam necessariam, ut ei quis iungatur tempore orationis. Sic operam ad Regnum Dei dilatandum conferetis ipso vitae vestrae testimonio atque *arcana fecunditate apostolica* [14].

9. Alii autem apostolatui sunt addicti ac quidem eius officio praecipue eo pertinenti, ut illis annuntient divinum verbum, quos Deus ipsis obviam mittit, eosdemque ad fi-
503 dem perducant. Eiusmodi gratia familiarem cum Deo consuetudinem postulat, / qua fulti nuntium Verbi Incarnati prodere possitis, sermone quidem usi, quem homines intellegere queant. Quantopere ergo necesse est, ut tota vita vestra consortes vos reddat eius passionum, mortis et gloriae! [15].

10. Quodsi vocatione vestra ad alias partes in hominum servitio obeundas adducimini —cuius modi sunt vita pastoralis, sacrae missiones, institutio scholastica, caritatis opera hisque similia— nonne ardor animi, quo Deo adhaereatis, ea munera fecunda imprimis efficiet ac quidem pro ratione huius cum Deo coniunctionis, quae fit *in abscondito*? [16]. Si Concilii doctrinam fideliter cupimus servare, nonne *cuiuslibet instituti sodales, Deum prae omnibus et unice quaerentes, contemplationem, qua ei mente et corde adhaereant, cum amore apostolico, quo operis Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nitantur, coniungant oportet*? [17].

11. Solum hoc modo animos hominum ad veritatem amoremque divinum amplectendum erigere poteritis secundum charisma Fundatorum vestrorum, quos Deus in Ecclesia sua excitavit. Concilium non aliter religiosis utriusque sexus officium iure merito inculcat fideliter servandi spiritum eorum Conditorum horumque proposita evangelica et exempla sanctitatis; quod unum e principiis agnoscere debent renovationis nunc perficiendae atque unam e rationibus certissimis operis, quod unumquodque Institutum aggrediatur oporteat [18]. Re enim vera charisma vitae religiosae, nedum impulsus quidam sit exortus *ex sanguinibus vel ex voluntate carnis* [19] aut ex habitu mentis, / 504
qui *huic saeculo conformatur* [20], fructus est Spiritus Sancti, in Ecclesia semper operantis.

12. Hinc profecto unaquaeque Familia religiosa propriam dynamicam vim hauriet, siquidem vocatio divina, licet secundum mutabilia locorum ac temporum adiuncta renovetur et distinguatur, semper tamen constantem quendam cursum exposcit. Ardor animi, ei congruens, in ipsa hominis vita quasdam primarias praecipuasque aperit vias, quae eligantur. Fidelitas autem iis rebus servata, quae per hasce vias postulantur, tamquam obrussa est authenticae naturae, qua vita religiosa commendetur. Ne hoc obliviscamur: quodlibet institutum humanum quasi illi morbo est obiectum, quo articuli durescunt, atque periculo vanae cuiusdam observantiae urgetur. Externa enim legum diligentia ad praestantiam alicuius vitae eiusque constantem rationem in agendo tuendam per se non sufficit. Qua de causa eiusmodi formae externae sine intermissione vivificentur oportet interna hac animi contentione, sine qua illae nimium onus confestim efficerentur.

In hac varietate formarum, quae unicuique Instituto indolem propriam tribuunt et in plenitudine gratiae Christi [21] nituntur, pro summa vitae religiosae regula et norma certissima habenda est sequela Christi secundum Evangelii doctrinam. Nonne huius studio per saeculorum cursum factum est, ut vita casta, pauper, oboedientiae dedita postularetur?

II

13. Unus amor in Deum —id repetere oportet— homines permovet modo maximum habente momentum ad castitatem amplectendam. Qui amor caritatem fraternam tam imperiose deposcit, ut religiosus altiore ratione in Christi corde cum / aequalibus vivat. Hac servata condicio- 505
ne, donum sui ipsius, quo quis Deo aliisque se devovet, fons erit pacis tranquillae. Nequaquam despecto amore humano et matrimonio —nonne hoc, secundum fidem, imago est et consortium unitatis amore effectae, qua Christus Ecclesiae iungitur? [22]— castitas Deo consecrata hanc unitatem propius revocat illamque perficit sui ipsius superationem, ad quam omnis amor humanus contendat oportet. Hac ipsa igitur aetate, qua is ut alias numquam *erotismo vastatore* [23] infestatur, castitas nunc cum maxime comprehendi debet et in vitae usu coli animo recto atque magnanimo. Castitas, virtus prorsus *positiva*, dilectionem testatur, qua ceteris Deus praefertur, ac modo praeclarissimo et absolutissimo significat mysterium coniunctionis Corporis mystici cum eius Capite necnon Sponsae cum Sponso eius aeterno. Ea denique hominem afficit, transformat, pervadit ad intima animi eius penetralia pertingens, per arcanam quandam similitudinem cum Christo.

14. Necesse igitur habetis, dilecti filii et filiae, christianae disciplinae spirituali castitatis Deo consecratae totam restituere efficaciam. Haec virtus enim, cum in vitae usu propter Regnum caelorum reapse servatur, cor hominis

Phil. 3, 10-11. [16] Cf. *Mt.* 6, 6. [17] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 5: *A. A. S.* 58 (1966), p. 705 [LE 3333]. [18] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 45: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 51-52 [LE 3232]. Decr. *Perfectae caritatis*, 2b: *A. A. S.* 58 (1966), p. 703 [LE 3333]. [19] Cf. *Io.* 1, 13. [20] Cf. *Rom.* 12, 2. [21] Cf. *1 Cor.* 12, 12-30.

[22] Cf. Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 48: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1067-1069 [LE 3366]; cf. *Eph.* 5, 25 et 32.

[23] Cf. Allocutio ad sodales consociationum v. d. «Equipes Notre-Dame» e variis nationibus, habita die 4 mensis Maii, anno 1970, n. 4: *A. A. S.* 62 (1970), p. 429.

http://www.obrascatolicas.com

liberat atque sic *tamquam signum et stimulus caritatis*, ac *quidem peculiaris fons spiritualis fecunditatis in mundo* evadit [24]. Quamvis ab hoc non semper agnoscatur, ea nihilominus in mundo mysticam suam exserit efficientiam.

15. Ad nos autem quod attinet, animi nostri sententia firma et certa maneat oportet: nempe praestantiam ac fecunditatem castimoniae, propter Dei amorem in caelibatu religioso servatae, / in verbo Dei, in doctrina Christi, in vita Matris eius Virginis, necnon in traditione apostolica, ab Ecclesia constanter asseverata, ut in fundamento postremum inniti. Agitur enim de dono pretioso, quod Pater quibusdam largitur. Quod quidem fragile et facile vulnerari cum sit ob humanam infirmitatem, contradictioni rationis purae est obnoxium atque, ex parte, ab iis nequit comprehendi, quibus luce Verbi Incarnati non sit revelatum, quomodo is, *qui perdiderit animam suam* propter Ipsum, *inveniat eam* [25].

16. Casti qua Christi sectatores, pauperem etiam vitam ad eius exemplum intenditis degere quoad usum bonorum huius mundi, quae cotidianae sustentationi vestrae sunt necessaria. Ceterum hac de re aequales nostri peculiariter vos urgent interrogando, Institutis religiosis magni ponderis munus sine dubio est implendum in operibus misericordiae, auxilii aerumnosis praebendi, iustitiae socialis; quo in ministerio versantia, haec Instituta semper oportet ea attendant, quae Evangelium postulat, eo consilio ut praesentibus necessitatibus sese accommodent.

17. *Clamorem pauperum* [26], qui numquam fuit instantior, edi auditis ab iis, qui ipsi sunt indigentes et qui coniunctim miseria premuntur. Nonne ut invocationi eorum, Dei nempe filiorum quasi quodam iure praecipuo fruentium, obsecundaret, Christus venit [27], eo progressus, ut par fieret cum illis? [28]. In mundo, qui maxime progreditur, hae, quae permanent, multitudines et hi singuli homines miserabiles *mentis et habitudinis conversionem* [29] vehementi monitione deposcunt, quae ad vos potissimum pertinet, qui Christum propius in terrena eius / condicione exinanitionis sequimini [30]. Quod invitamentum in animis vestris —ut Nos minime ignoramus— resonat tam incitate acriterque, ut nonnulli ex vobis etiam ad actionem violentam interdum sollicitentur. Sed, ut Christi discipuli, quomodo viam ingrediamini aliam ab ea, qua ipse incessit? Haec enim, quemadmodum nostis, non est politica quaedam aut temporalis opinio ac navitas, sed hortatio ad cordis conversionem, ad liberationem a quovis impedimento terreno, ad amorem.

18. Quomodo ergo clamori pauperum in vita vestra respondebitis? Is vobis imprimis interdicat oportet, ne respectu cuiusvis iniustitiae socialis medium quiddam teneatis. Idem praeterea officio vos obstringit hominum conscientiam exsuscitandi, gravissimo casu miseriae ac postulationibus iustitiae socialis, quam Evangelium et Ecclesia docent, prae oculis habitis. Aliquos ex vobis ille clamor movet, ut pauperes in ipsa condicione eorum contingatis acerbosque eorundem participetis angores. Rursus non pauca e vestris Institutis vocat ad certa quaedam opera sua ita convertenda, ut pauperibus prosint; quod quidem a multis iam est generose peractum. Ille demum bonorum usum vobis imponit, terminis earum rerum circumscriptum, quae functione munerum, vobis implendorum, exiguntur. Oportet, ut in cotidiana vita vestra documenta, etiam externa, detis germanae paupertatis.

19. Quod vero testimonium perhibet religiosus, qui studio sui commodi se trahi patiatur cuique omnino consentaneum esse videatur, ut, sine ullo discrimine ac moderatione, sibi sumat, quidquid ei proponatur, idque in humana vitae cultu atque in mundo, qui mirando prorsus cursu incrementorum materialium paene infinitorum denotantur? Cum igitur multi maiore in periculo versentur, quo contingit, ut illecebra ac / securitate possessionis, scientiae, potestatis irretiantur, Dei invitamentum in summo veluti fastigio conscientiae christianae vos collocat, quatenus homines moneatis oportet veram et absolutam eorum progressionem in eo positam esse, ut vocationi suae respondeant, qua *non secus atque filii vitam Dei viventis, omnium hominum Patris, participent* [31].

20. Pariter querimoniam percipitis tot vitarum humanarum, quae quasi in turbine implacabili valutantur labo-

[24] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 42: *A. A. S.* 57 (1965), p. 48 [LE 3334]. [25] Cf. *Mt.* 10, 39; 16, 25; *Mc.* 8, 35; *Lc.* 9, 24; *Io.* 12, 25. [26] Cf. *Ps.* 9, 13; *Iob*, 34, 28; *Pr.* 21, 13. [27] Cf. *Lc* 4, 18; 6, 20. [28] Cf. *Mt.* 25, 35-40. [29] Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 63: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1085 [LE 3366]. [30] Cf. *Mt.* 19, 21; 2 *Cor.* 8, 9. [31] Pauli VI, Litt. Encycl. *Populorum Progressio*, 21: *A. A. S.* 59 (1967) p. 268 [LE 3346].

ris ad quaestum faciendum, lucri ad voluptates comparandas, rerum, quae consumuntur, et quae vicissim virium contentionem interdum inhumanam imponunt. Una igitur e primariis rationibus paupertatis vestrae erit testificatio sensus humani labori proprii, qui cum animi libertate geratur atque naturae suae restituatur, ex qua est subsidium ad vitam sustentandam atque servitium. Nonne Concilium peropportune edixit vos necessario obnoxios esse *communi legi laboris*? [32]. Hoc ergo est officium, quo devincimini: vitae vestrae et fratrum aut sororum est vobis consulendum atque pauperes relevandi labore vestro. Sed non licet actionem vestram adversari vocationi variorum Institutorum vestrorum, ac labores ex more inferre, qui eiusmodi sint, ut pro peculiaribus muneribus, eorundem propriis, substituantur; ita enim necessario fiet, ut vos quodammodo ad saecularem vitae rationem ineundam, cum vitae religiosae detrimento, perducamini. Estote igitur de spiritu solliciti, qui vos movet; profecto quod naufragium pateremini, si solum mercede e profanis negotiis percepta vos commendari putaretis!

21. Necessitas, tam firmiter hodie asseverata, fraternae consortionis vim evangelicam suam retineat oportet. Ut in *Doctrina Duodecim Apostolorum* scriptum est: *... si in immortalibus consortes estis, quanto magis in mortalibus*? [33]. Paupertas, / quae vivendo reapse ad usum transfertur, prout 509
bona, mercede non excepta, in commune congeruntur, spiritualem communionem, qua coniungimini, testatur; ea veluti vehemens est hortatio, quae omnibus divitibus adhibetur, et levationem quoque fratribus vestris et sororibus affert, qui inopia vexantur. Studium, quo unusquisque legitime fertur, officia in se recipiendi, non propriis reditibus fruendo, sed communia bona fraterno animo participando manifestatur. Formae autem paupertatis singulorum et cuiusque Communitatis e natura Instituti et oboedientiae forma pendent, quae ibi servatur; ita, secundum peculiarem cuiusvis vocationem, indoles subiectionis, quae in omni inest paupertate, ad effectum adducitur.

22. Quemadmodum vos, dilecti filii et filiae, compertum habetis, hodiernae hominum consortionis necessitates, si eas cum Christo coniuncti experimini, paupertatem vestram magis urgent et perfectiorem reddunt. Quamquam ratio habenda est, ut patet, hominum, inter quos degitis, ut modum vitae vestrae iis aptetis, tamen paupertatem vestram non licet tantum ac simpliciter conformari ad eorum consortionem. Vis enim testificandi ei obvenit ex magnanima obtemperatione praecepto evangelico —dum plena cum fidelitate vocationi vestrae inhaeretis— non solum e quodam studio paupertatem ostendendi, quod nimis leve ac fluxum esse potest. Attamen vitandae sunt externae vitae rationes, quae cultum iusto mundiorem ac vanitatem redoleant. Quibusdam in rerum adiunctis —id agnoscimus quidem— probari potest formam vestis religiosae deponi; tamen silentio praeterire nequimus, quantopere conveniat, ut habitus religiosorum religiosarumque sit, quemadmodum Concilium voluit, signum consecrationis eorum [34], atque a formis aperte saecularibus quadamtenus distinguatur.

23. Nonne eadem fidelitas vestram professionem oboedientiae inspirat in lumine fidei et secundum ipsam vim impellentem / caritatis Christi? Hac quippe professione vo- 510
luntatem vestram integre immolatis atque certius et tutius in eius consilium salvificum penetratis. Exemplum Christi secuti, qui venit, ut faceret voluntatem Patris, et cum eo *et fratribus ministravit*, vos *Ecclesiae servitio* atque fratrum *arctius devincimini* [35].

24. Evangelica illa appetitio fraternitatis a Concilio significanter est expressa, siquidem Ecclesia se esse *Populum Dei* definivit, in quo Hierarchia membris Christi, eadem caritate inter se consociatis, deservit [36]. In statu religioso, perinde ac tota in Ecclesia, idem mysterium paschale Chri- 508
sti vivendo colitur. Altissimus oboedientiae sensus plenitudine huius mysterii mortis et resurrectionis declaratur, in quo supernaturalis sors hominis egregie prorsusque perficitur; etenim homo sacrificio, dolore, morte ad veram vitam accedit.

Auctoritatem igitur inter fratres vestros exercere idem est ac iisdem ministrare [37] exemplo eius, qui *dedit animam suam redemptionem pro multis* [38].

25. Auctoritas ergo et oboedientia, bono communi ser-

[32] Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 13: *A. A. S.* 58 (1966), p. 708 [33] IV, 8, *Patres Apostolici*, I, rec. Fr. X. Funk, Tubingae, 1901². [34] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 17: *A. A. S.* 58 (1966), p. 710. [35] Cf. *Ibid.*, 14, p. 709; *Io.* 4, 34; 5, 30; 10, 15-18; *Hebr.* 5, 8; 10, 7; *Ps.* 40 (39), 8-9. [36] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, capp. I-III: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 5-36 [LE 3232]. [37] Cf. *Lc.* 22, 26-27; *Io.* 13, 14. [38] *Mt.* 20, 28; cf. *Phil.* 2, 8.

vientes, tamquam duae rationes complentes eiusdem actus participandi Christi oblationem exercentur: ii, qui auctoritate praediti agunt, oportet in fratribus consilio Patris, amoris pleno, obsecundent; religiosi autem, eorum praeceptionibus obtemperantes, exemplum Magistri nostri sequuntur [39] atque operi salutis sociantur. Itaque auctoritas et cuiusque libertas nedum inter se repugnent, in voluntate Dei implenda una simul procedunt, quae fraterno more exquiratur per colloquium, fiducia / nixum, inter su- 511
periorem eiusque fratrem, cum de re personali agitur, aut per consensionem indolis generalis, cum res ad totam spectat Communitatem. In hac vestigatione religiosi abstineant tum nimia animorum concitatione, tum sollicitudine efficiendi, ut vis attractiva opinionum, quae in dies ventilantur, praevaleat altissimo sensui vitae religiosae. Unusquisque, praesertim vero superiores et quotquot inter fratres suos aut sorores munera gerunt, officio tenentur refovendi in Communitatibus fidei certitudinem, qua hae regantur oportet. Vestigationi enim illi propositum est, ut eiusmodi certitudo penitius percipiatur atque in vitae cotidianae usum transferatur secundum temporis necessitatem, nullatenus tamen ut ea in controversiam adducatur. Hoc opus communis perscrutationis finiendum est, si casus fert, iudicio ac voluntate superiorum, quorum praesentia, ut talis agnita, cuivis Communitati est prorsus necessaria.

26. Hodiernae condiciones vitae momentum habent, ut liquet, ad modum, quo oboedientiam exercetis. Multi enim ex vobis partem operum suorum extra domos religiosas exsequuntur atque munera obeunt, ad quae propter peculiarem peritiam sunt apti. Alii vero inducuntur, ut coetibus, certo cuidam operi addictis atque propriae moderationi obnoxiis, se socient. Nonne periculum, quod in eiusmodi imminet rerum adiunctis, suadet, ut sensus oboedientiae confirmetur ac diligentius excolatur? Ut autem hoc veram afferat utilitatem, nonnullae condiciones serventur oportet. Explorandum est enim imprimis, num opus susceptum cum Instituti vocatione congruat. Convenit etiam utramque provinciam accurate definire. Potissimum vero ab actione externa transeundum est ad ea, quae vita postulat communis; qua in re curae sit, ut in tuto ponatur plena efficacitas illorum veluti elementorum vitae religiosae, quae proprie vereque dicitur. Est enim unum e praecipuis, quibus superiores obstringuntur, officiis, eo 512
pertinens, ut fratribus aut / sororibus in religione illae provideantur condiciones, quae ad eorum vitam spiritualem sunt necessariae. Quomodo autem id agere possunt, nisi tota Communitas fidenter cooperetur?

27. Hoc etiam addere libet: quo magis muneris vestri partes obitis, eo magis necessarium est, ut donum vestri, quoad plenam eius significationem, renovetis. Dominus cuique praecipit, ut *perdat animam suam*, si vult post eum venire [40]. Hoc praescriptum observabitis, si normas superiorum vestrorum accipietis quasi praesidium professionis vestrae religiosae, quae est *plena propriae voluntatis dedicatio veluti sacrificium sui Deo oblatum* [41]. Oboedientia christiana est absoluta omnisque condicionis nescia obtemperatio divinae voluntati. Verumtamen vestra oboedientia est restrictior, quia per eam vos Deo specialiter dedidistis, atque vestra eligendi facultas officiis per vos susceptis quasi finibus continetur. Vestra autem condicio, in qua nunc versamini, originem ducit ab actu integro libertatis vestrae; quapropter eum oportet semper vividiorem reddatis sive ipso inceptu vestro sive assensu, quem praeceptionibus superiorum praebetis. Concilium in bonis status religiosi numerat *libertatem per oboedientiam roboratam* [42] atque haec verba proferens monet: *oboedientia religiosa, nedum dignitatem personae humanae minuit, illam, ampliata libertate filiorum Dei, ad maturitatem adducit* [43].

28. Attamen, nonne fieri potest, ut auctoritas superioris et religiosi conscientia, illud scilicet *sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius* [44], inter se confligant? Oportet hoc repetamus: conscientia non est una et sola arbitra qualitatis moralis actionum, 513
quas suggerit, sed / ad normas *obiectivas* debet referri, et, si necesse sit, corrigi recteque dirigi.

Praeterquam cum aliquid iniungitur, quod legibus divinis vel constitutionibus Instituti manifesto adversatur, aut quod malum grave et certum secumfert —tunc enim oboediendi obligatio deest— superioris deliberationes provinciam respiciunt, in qua aestimatio boni maioris secundum modum rem considerandi potest variari. Si autem colligi-

[39] Cf. *Lc.* 2, 51. [40] Cf. *Ibid.*, 9, 23-24. [41] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 14: *A. A. S.* 58 (1966), p. 708 [LE 3333]. [42] Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 43: *A. A. S.* 57 (1965), p. 49 [LE 3335]. [43] Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 14: *A. A. S.* 58 (1966), p. 709 [LE 3333]. [44] Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 16: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1037 [LE 3366]. [45] *Hb.* 5, 8. [46] Cf. *Lc.* 12, 49-50. [47] Cf. 1 *Cor.* 3, 18-19. [48] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 13: *A. A. S.*

tur, eo quod iussum ex veritate minus bonum appareat, id non esse legitimum et conscientiae contrarium, hoc idem foret ac non intellegere —modo quidem quo e re minus recte iudicatur— non pauca humana esse obscura atque in utramque partem valere. Praeterea oboedientiae recusatio crebro damnum grave infert ipsi bono communi. Ne facile igitur religiosus affirmet iudicium suae conscientiae a superioris sententia discrepare. Talis ceteroquin casus singularis nonnumquam verum animi dolorem commovebit secundum ipsius Christi exemplum, *qui didicit ex iis quae passus est oboedientiam.* [45]

29. Hoc ideo dicitur, ut recte intellegatur, quantam sui abdicationem exercitatio vitae religiosae postulet. Proinde experiri debetis quiddam illius ponderis, quo Dominus ad crucem suam alliciebatur, ad illum scilicet *baptismum, quo erat ipse baptizandus*, ubi ignis ille accenderetur, qui vos quoque inflammat [46]; quiddam etiam illius *insipientiae*, quam nobis omnibus S. Paulus exoptat, quippe quae sola nos reddat sapientes [47]. Esto igitur vobis crux id, quod Christo fuit: comprobatio summi amoris. Nonne arcana quaedam coniunctionis necessitudo inter renuntiationem atque laetitiam intercedit, inter sacrificium atque animi magnitudinem, inter disciplinam atque spiritualem libertatem? / 5

III

30. Confiteamur oportet, filii et filiae in Christo Iesu, hoc ipso tempore difficile reperiri vitae ducendae modum, qui cum hac necessitate congruat. Nimis multa enim contraria incitamenta vos impellunt, ut operam ex humana ratione efficacem imprimis conquiratis. Verumtamen nonne vestrae sunt partes, ut exemplum austeritatis laetae et aequabilis praebeatis, dum difficultates ipsi labori et necessitudinibus socialibus insitas amplectimini atque asperitates vitae cum omni eius sollicita incertaque condicione toleratis quasi totidem renuntiationes ad christianae vitae plenitudinem prorsus necessarias? Religiosi enim *arctiore via ad sanctitatem* contendunt [48]. In mediis ergo hisce curis et incommodis, magnis parvisve, intimus animi ardor vester facit, ut Christi crucem inveniatis, vosque adiuvat, ut eam cum fide et amore suscipiatis.

31. Hac vero condicione testimonium perhibebitis, quod Populus Dei exspectat: ex quo viri et mulieres incognitos casus paupertatis accipere valent, qui simplicitate et humilitate queunt capi, qui pacis amantes et a mediis consiliis alieni, absolutae sui rerumque abdicationi se devoventes, liberi simulque oboedientes, alacres ac tenaces, mites et fortes sunt in fidei suae soliditate. Haec quidem gratia vobis a Christo tribuetur pro ratione pleni doni, quo vos ipsos impenderitis, id numquam reposcendo. Cuius rei luculentum datur documentum recentioribus vicissitudinibus tot religiosorum ac religiosarum, qui magno promptoque animo in variis nationibus passi sunt pro Christo. Dum palam iis admirationem Nostram testamur, omnibus eos ad imitandum proponimus.

32. In hac autem via plurimum vobis adiumenti illae vitae formae suppeditant, quas experientia, charismatibus cuiusque / Instituti adhaerens, invexit, quas vario modo 51
compaginatas exhibuit quarumque continenter novas suadet progressiones. Quantumvis modi inter se discrepent, tamen haec veluti subsidia eo semper spectant, ut homo interior conformetur. Studium autem hunc corroborandi vos iuvabit ad dignoscendum, tot inter diversa incitamenta, quae sint vitae formae aptiores. Nimia enim cupiditas cuiusdam flexibilis mobilitatis et liberae facultatis effectricis inducere possunt, ut rigiditatis accusetur etiam minima pars constantis ordinis in consuetudinibus servandis, quam vita Communitatis et sodalium perfectio pro more expostulant. Mentes intemperanter incitatae, quae ad caritatem fraternam provocant vel ad ea, quae afflatu Spiritus Sancti insinuari putantur, Instituta ad interitum possunt perducere.

33. Quapropter —ut experiundo probe novistis— non est minoris aequo aestimandum pondus et momentum ipsius vitae consortionis tum ad consuetam rationem totum hominem, tam multiplicem ac divisum, secundum viam vocationis dirigendi, tum ad complementum spirituale eius proclivitatum. Nonne cor saepe trahitur rebus fluxis atque caducis? Iamvero multi ex vobis vitam transigere debent, saltem ex parte, in mundo, qui eo tendit, ut hominem a se ipso abalienet eiusque cum Deo coniunctionem, una cum spirituali eiusdem unitate, in discrimen adducat. Opus igitur est, ut etiam in eiusmodi vitae condicionibus eum

http://www.obrascatolicas.com

invenire discatis, quibus maior in dies concitatio, strepitus ac tumultus, rerum evanidarum illecebrae insunt.

34. Quis igitur non perspicit, quantopere ad illam coniunctionem assequendam fraterna adiuvet societas vitae constantis cum vivendi disciplina libere suscepta? Haec vero magis ac magis unicuique necessaria videtur, qui *revocat animum ad se* [49], secundum biblicam significationem huius locutionis, quae profundius quiddam nostrorum affectuum, cogitationum, consiliorum declarat, quaeque sensu infiniti, absoluti, sempiternae sortis nostrae pervaditur. In hodierna perturbatione religiosi sua testificatione hominem ostendant oportet, qui vitali ratione adhaerens proprio fini, qui est Deus vivens, reapse unificavit et patentem apertamque reddidit altitudinem et perseverantiam vitae suae in Deo per omnium facultatum coniunctionem, mentis purificationem, spiritualem sensuum conformationem.

35. Pro modo igitur, quo munera externa obitis, oportet ab eiusmodi actione ad vitam abditam divinisque rebus deditam transeatis, qua animae vestrae reficiantur. Si vero ad operam Dei causa incumbitis, ipsi necessitatem temporis in recessu traducendi animadvertitis, quod quidem una cum fratribus et sororibus vestris in tempus commutabitis bonis refertum. Quoniam nimiae sunt in vita hodierna occupationes contentionesque animorum, convenit, ut peculiare momentum hisce intervallis longioribus tribuatur, quae cotidiano precationum cursui adiunguntur; quae intervalla varie distribuantur in tempora, secundum condicionem et naturam vestrae vocationis. Quodsi domus, ad quas pertinetis, hospitalitatem fraternam ample exercent, vestrum erit assiduitatem et modum eius constituere, ut omnis inanis agitatio devitetur et expeditior hospitibus vestris reddatur intima cum Deo coniunctio.

36. Haec profecto est vis et significatio consuetudinum, quibus vitae vestrae cotidianae ordo disponitur. Conscientia vigil et attenta, nedum eas consideret tantum ex unica ratione regulae obligantis, eas ex utilitatibus, quas afferunt, pensitat, quatenus maiorem comparant plenitudinem spiritualem. Id autem necesse est affirmare: observantiae religiosae, potius quam institutionem rationi consentaneam vel voluntatis educationem, veram poscunt initiationem, eo pertinentem, ut homo, in intima etiam animi conscientia, ad christianam vitam secundum evangelicas beatitu-
517 dines conformetur. /

37. Concilium *doctrinam ad perfectionem prosequendam probatam* [50] quasi patrimonium Institutorum habet atque unum e maximis bonis, quae ea vobis debent impertire. Quoniam vero haec perfectio in iugiter augescente progressione ad amorem Dei fratrumque nostrorum consistit, ea *doctrina* intellegenda est modo prorsus certo ac definito, id est veluti doctrina vitae, ad usum revera adducenda. Unde efficitur, ut vestigationes illae, quibus Instituta insistant, nequeant solum in quibusdam accommodationibus verti, quae respectu habito mutationum mundi perpetrenda subsidia, quae omnino necessaria sunt ad vitam ducendam Dei hominumque amore penitus perfusam.

38. Quam ob rem necessitas tam Communitatibus quam personis, quae eas efficiunt, imponitur transeundi a statu *psychico*, ut aiunt, ad statum, qui vere sit *spiritualis* [51]. Nonne *novus homo*, de quo S. Paulus loquitur, tamquam ecclesialis plenitudo Christi est simulque participatio huius plenitudinis, ad unumquemque pertinens christianum? Talis vitae instituendae voluntas Familias religiosas vestras quasi loca efficiet vitalia, ubi germen vitae divinae efflorescat, unicuique vestrum insitum per baptismum, et, per consecrationem vestram, vivendo absolute expressam, fructus edi possint copiosissimi.

39. Licet imperfectione, ut quivis christianus, laboretis, tamen vitae condiciones inducere intenditis, quae aptae sint ad spiritualem profectum cuiusque sodalis fovendum. Quomodo vero hoc assequi datur, nisi arctiores in Domino reddantur rationes, etiam communes et usitatae, quibus cum singulis fratribus vestris coniungimini? Caritas enim —ne hoc obliviscamur— oportet sit veluti spes actuosa
518 illarum rerum, quibus alii adiumento nostro fraterno provehantur. Signum vero authenticae / eius naturae in laeta invenitur simplicitate, qua omnes ea intellegere nituntur, quae unicuique sint cordi [52]. Quodsi religiosi quidam tales apparent, ut vita sua communi oppressi esse videantur, quae, contra, eos debuit augere, nonne id propterea accidit quod ei deest illa benignitas et comitas, quibus spes alitur?

[49] 7 (1965), p. 18 [LE 3232]. [50] Cf. *Is.* 46, 8. [51] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 43: *A. A. S.* 57 (1965), p. 49 [LE 3232]. [52] Cf. *1 Cor.* 2, 14-15. [53] Cf. *Gal.* 9, 2.

Non autem est dubium, quin spiritus coetus cuiusdam proprius, amicitiae necessitudo, fraterna cooperatio in eodem apostolatu exercendo necnon mutuum auxilium in communione vitae, propterea electae, quo melius Christo serviretur, multum valeant ad hanc cotidianae consuetudinis viam.

40. E quarum rerum consideratione quaedam emergunt animi inclinationes ad minores constituendas communitates. Quasi quidam nisus, sponte erumpens, contra conglobationem hominum ignotorum in urbibus, item necessitas Communitatis domum ad parvae habitationis sedes in hodiernis urbibus accommodandi, voluntas propius contingendi, ipsis vitae condicionibus, populum Evangelii luce collustrandum: haec omnia in causis recensentur, quibus Instituta quaedam moventur, ut Communitates, parvo sodalium numero constantes, condere proponant. Hae profecto arctiores necessitudines inter religiosos et mutuam magisque fraternam officiorum susceptionem possunt fovere. Verumtamen, si adumbrata quaedam forma spiritualem convictum revera potest inducere, fallaciter aliquis credat illam satis esse ad hunc promovendum incrementisque augendum. Parvae enim Communitates, ut patefit, potius difficiliora a sodalibus poscunt, quam vitae genus praebent facilius.

41. Praeterea verum exstat multis religiosis Communitates membrorum numero frequentes peculiari modo convenire. Eaedem autem ut instituantur, exigi potest sive ipsa natura alicuius servitii ad caritatis officia pertinentis, sive operibus quibusdam, quae ingenio exercentur, sive etiam vitae contem/plativae vel monasticae institutione; 519
semper vero ibi perfecta unitas vigeat cordium et animorum, proposito spirituali et supernaturali plane congruens, quo contenditur. Ceterum, ut praetermittamus modum Communitatum, hae, sive parvae sunt sive magnae, sodales nequeunt adiuvare, nisi spiritu evangelico constanter vegetentur, precatione alantur atque veteris hominis mortificatione cum animi magnitudine distinguantur necnon disciplina ad novum hominem formandum necessaria et Crucis sacrificii fecunditate.

IV

42. Quomodo, dilecti religiosi et religiosae, Eum penitius cognoscere non exoptetis, quem amatis et hominibus vultis manifestare? Ipsi quippe vos iungit oratio! Cuius si gustatum non amplius habetis, eius desiderio exardescetis ad precationem vos humiliter revocando. Neque obliviscamini historiae testimonium, fidelitatem videlicet orationi servatam aut eius neglectionem esse veluti paradigma vigoris aut occasus vitae religiosae.

43. Est autem oratio intimae cum Deo consuetudinis inventio, adorandi studium, voluntas intercedendi: experientia sanctitatis christianae fecunditatem ostendit orationis, in qua Deus spiritui et cordi suorum famulorum se manifestat. Multiplicia quidem sunt Spiritus dona, sed semper efficiunt, ut hanc intimam veramque Dei cognitionem gustemus, sine qua neque bonum ipsum vitae christianae ac religiosae percipere possumus, neque viribus pollemus ad proficiendum in ea, gaudio spei, quae non fallit, perfusi.

44. Spiritus Sanctus sine dubio etiam gratiam vobis impertit Deum in cordibus hominum reperiendi, quos Ipse vos docet ut fratres diligere. Idem vos adiuvat ad significationes sui amoris in eventuum veluti intextu deprehendendas. Si humiliter ergo ad homines resque intendimus animos, Spiritus Iesu nos illu/minat suaque locupletat sa- 520
pientia, dummodo spiritu orationis penitus imbuamur.

45. Nonne una ex huius aetatis miseriis illa est inaequalitas *inter condiciones vitae collectivas et requisita cogitationis personalis, immo et contemplationis?* [53]. Multi hominum —in quibus iuvenes non pauci— sensum vitae suae amiserunt solliciteque rationem contemplativam sui ipsorum exquirunt, ignorantes Christum, per Ecclesiam suam, suae praestolationi posse respondere! Huiusmodi res vos impellere debent, ut serio de iis recogitetis, quae homines iure a vobis exspectant, qui expresse definiteque officium suscepistis vitam ducendi in famulatu Verbi, *lucis verae, quae illuminat omnem hominem* [54]. Conscii ergo sitis oportet momenti, quod oratio in vestra obtinet vita, in eamque alacriter discatis incumbere; etenim cotidiana precatio, fideliter facta, pro unoquoque et unaquaque vestrum, pri-

[53] Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, 8: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1030 [LE 3366]. [54] *Io.* 1, 9.

maria esse pergit necessitas; quapropter priores partes in vestris constitutionibus et vita ei sunt tribuendae.

46. Homo interior tempora silendi quasi requisita quaedam amoris divini esse animadvertit; cui quaedam solitudo pro more necessaria est, ut Deum audiat *ad cor suum loquentem* [55]. Est autem monendum silentium, quod non aliud sit quam rumoris sermonisque vacuitas et in quo anima nequeat recuperare vigorem, liquido omni vi carere spirituali, quin immo obesse posse caritati fraternae, si, eodem tempore, commercium cum aliis opus sit habere. Verum intimae cum Deo coniunctionis exquisitio necessitatem infert silentii totius hominis, sive agitur de iis, quibus Deus in strepitu et tumultu est inveniendus, sive de
521 iis, qui sunt contemplationi addicti [56]. Fides enim, spes, / Dei amor, dona Spiritus Sancti accipere paratus, necnon fraterna dilectio, mysterio aliorum patescens, important, ut postulatum quoddam, necessitatem silentii.

47. Num oportet denique momentum singulare in memoriam revocemus, quod in vita Communitatum vestrarum liturgia Ecclesiae habet, cuius centrum est Eucharisticum Sacrificium, in quo precatio interna cum cultu externo conectitur? [57]. In ipsa professione religiosa Deo ab Ecclesia estis oblati, cum Sacrificio Eucharistico arcte coniuncti [58]. Haec oblatio vestri singulis diebus veritas evadat oportet, reapse continenterque renovanda. Cuius renovationis fons praecipuus est communio Corporis et Sanguinis Christi, qua voluntas vestra vere amandi et usque ad vitae immolationem progrediens assidue vegetetur [59].

48. Communitatum vestrarum, eius in nomine congregatarum, centrum per se est Eucharistia, *sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis* [60]. Est igitur consentaneum, ut manifesto circa oratorium consocientur, in quo praesentia sanctissimae Eucharistiae id significat simulque efficit, quod potissimum munus cuiusvis Familiae religiosae esse debet, perinde ac christiani cuiusque conventus. Eucharistia, per quam non desinimus mortem et resurrectionem Domini annuntiare et ad eius reditum in gloria nosmet componere, in memoriam vestram indesinenter dolores corporis et animi redigit, quibus Christus est discruciatus, quos tamen libere subiit usque ad agoniam et mortem in cruce procedens. Acerbitates, quae vobis occurrunt, opportunitatem praebeant una cum Christo tolerandi Patrique offerendi tot calamitates et cruciatus iniustos, qui fratribus nostris infliguntur solumque e sacrificio Christi, fide praelucente, significationem possunt
522 accipere. /

49. Sic ergo etiam mundus praesens adest in intimo sinu vitae vestrae, orationi et immolationi deditae, ut Concilium vehementer asseruit: *Nec quisquam aestimet religiosos consecratione sua aut ab hominibus alienos aut inutiles in civitate terrestri fieri. Nam etsi quandoque coaetaneis suis non directe adsistunt, profundiore tamen modo eos in visceribus Christi praesentes habent atque cum eis spiritualiter cooperantur, ut aedificatio terrenae civitatis semper in Domino fundetur ad Ipsumque dirigatur, ne forte in vanum laboraverint qui aedificant eam* [61].

50. Haec vero participatio muneris Ecclesiae implendi —ita Concilium instantius monet— nequit haberi nisi religiosi amplectantur ac foveant eius *incepta et proposita ut in re biblica, liturgica, dogmatica, pastorali, oecumenica, missionali et sociali* [62]. Solliciti circa doctrinam et actionem pastoralem coniunctam, huic operam navabitis, semper quidem *salva Instituti indole*, memores exemptionem ordinem eius internum potissimum respicere neque vos eximere iurisdictione, cui subiaceatis, Episcoporum, ad quos pertinet, *prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt* [63]. Ceterum nonne vos magis quam alii constanter cogitare debetis actione Ecclesiae continuari actionem Christi in hominum commodum, tantummodo quatenus ipsum Christi cursum vivendi sequimini, qui omnia ad Patrem suum reducit: *Omnia enim vestra sunt... Vos autem Christi, Christus autem Dei* [64]. Vocatio enim Dei modo proximo et efficacissimo vos in viam dirigit ad Regnum aeternum ferentem. Per spirituales contentiones, quae in quavis vita, quae vere sit religiosa, nequeunt vitari, *praeclarum et eximium testimonium reddilis / mundum transfigurari Deoque offerri non* 523
posse sine spiritu beatitudinum [65].

V

51. Dilecti in Christo filii et filiae, vita religiosa, ut renovetur, formas accidentales ad quasdam mutationes debet accommodare, quae, augescente cum velocitate et amplitudine, condiciones cuiusvis vitae humanae afficiunt. Sed exsequi id non poteritis, *formas vivendi stabiles* [66], ab Ecclesiae agnitas, servantes, nisi renovatione germanae et integrae vocationis Institutis vestris propriae. Accommodatio enim cuiusvis animantis ad ea, in quorum ambitu degit, non est in eo posita, ut veram suam dimittat identitatem, sed in eo, ut se confirmet vitali vigore sibi peculiari. Hodiernas animorum propensiones et postulationes hominum, qui nunc sunt, alte percipientes, id agere debetis, ut e fontibus vestris veluti lymphae nova vi pollentes exsiliant. Huiusmodi officium aptum est ad animum accendendum, et quidem ratione habita difficultatum.

52. Quaestio acerrima nos hodie sollicitat, id est quomodo nuntius evangelicus in civilem cultum, multitudinum proprium, insinuetur; quomodo agendum sit iis in ordinibus et partibus, ubi nova animi cultura conficitur, in qua novum exemplum hominis instauratur, qui se iam non indigere redemptione arbitratur. Quoniam omnes vocati sunt ad mysterium salutis contemplandum, probe intellegitis, quam grave officium ad vitam cuiusque vestrum ducendam et qualis impulsio ad studium vestrum apostolicum exercendum ab hisce quaestionibus promanent! Dilecti religiosi et religiosae, secundum modos, quos divina vocatio a vestris Familiis spiritualibus postulat, intentis animis contueri debetis hominum necessitates, eorum difficultates et vestigationes, in medio eorundem precatione et ac/tione efficacita- 524
tem fausti nuntii amoris, iustitiae et pacis testantes. Studium, quo universa hominum familia vitam ducere exoptat magis fraterno amore perfusam, sive inter singulos sive inter nationes, imprimis postulat, ut mores, mentis habitus et conscientiae transformentur. Huiusmodi munus, quod universo Populo Dei est commune, ad vos peculiari ratione pertinet. Quomodo autem illud rite absolvi poterit, si deest rerum supernarum delectatio, quae ex quadam Dei experientia proficiscitur? Hoc manifesta in luce ponit germanam religiosae vitae renovationem praecipuum habere momentum ad ipsius Ecclesiae ac mundi renovationem peragendam.

53. Si alias umquam, hodie potissimum mundus viris ac mulieribus indiget, qui Verbo Domini, Resurrectioni eius ac vitae aeternae fidem praestiterunt, ita quidem, ut totam terrestrem suam vitam impendant ad veritatem testificandam huius amoris, qui omnibus hominibus offertur. Ecclesia, historiae suae decursu, numquam desiit vivificari ac recreari sanctitudine tot religiosorum religiosarumque, qui alii aliam evangelicae perfectionis formam sectantes, vita sua infinitum amorem Christum Dominum sunt attestati. Nonne haec gratia hominibus, qui hodie sunt, veluti divinus ac vivificans afflatus habendus est, ac veluti sui ipsius liberatio, quae aeternam absolutamque beatitatem portendit? Cum ad huiusmodi divinum gaudium prospicitis, iterum fidei veritates affirmantes atque ad earum normam christiano modo necessitates huius mundi interpretantes, generoso animo postulata vocationis vestrae in vitae usum traducite. Tempus est, ut maxima cum diligentia conscientiae vestrae reformandae, si opus fuerit, operam detis atque etiam toti vitae vestrae recognoscendae ad maiorem fidelitatem consequendam.

54. Suavi illo vos intuentes amore Christi, qui discipulos suos *pusillum gregem* appellavit ilsque nuntiavit complacuisse / Patri dare ipsis Regnum [67], vos enixe rogamus, 525
ut simplicitatem *minimorum*, de quibus in Evangelio agitur, servetis. Assequi eam studete in intima et familiarissima cum Christo necessitudine aut in commercio, quo fratres vestros proxime contingitis. Tunc enim gaudium animi *exsultantis Spiritu Sancto* experiemini, eorum proprium, qui in secreta Regni sunt introducti. Nolite niti numero aggregari illorum *sapientium et prudentium*, ad quos multiplicandos omnia conferunt, et a quibus eadem secreta sunt abscondita [68]. Estote revera pauperes, mites, sanctitatis sitientes, misericordes, mundi corde, tales denique, per quos mundus pacem Dei cognoscat [69].

[55] Cf. *Os.* 2, 14.
[56] Cf. S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. *Venite seorsum*: *A. A. S.* 61 (1969), pp. 674-690 [LE 3779]; Nuntius Monachorum vitae contemplativae addictorum ad Synodum Episcoporum, datus die 10 mensis octobris anno 1967: *La Documentation Catholique*, t. 64, Paris, 1967, coll. 1907-1910. [57] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 97-134 [LE 3141]. [58] Cf. *Ordo Professionis Religiosae* [LE 3826]. [59] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 15: *A. A. S.* 58 (1966), p. 709 [LE 3333]. [60] Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, 47: *A. A. S.* (1964), p. 113 [LE 3141]. [61] Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 46: *A. A. S.* 57 (1965), p. 52 [LE 3232]. [62] Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, 2: *A. A. S.* 58 (1966), p. 703 [LE 3333]. [63] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, 35: *A. A. S.* 58 (1966), p. 691 [LE 3332]. [64] *1 Cor.* 3, 21-23; cf. Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et*

spes, 37: *A. A. S.* 58 (1966), p. 1055 [LE 3366]. [65] Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 31: *A. A. S.* 57 (1965), p. 37 [LE 3232]. [66] Cf. *Ibid.* 43, p. 49. [67] Cf. *Lc.* 12, 32. [68] Cf. *Ibid.*, 10, 21. [69] Cf. *Mt.* 5, 3-11.

http://www.obrascatolicas.com

55. Gaudium, inde haustum quod in omne tempus Domini estis, incomparabilis est fructus Spiritus Sancti; quo gaudio frui iam datum est vobis. Hac laetitia perfusi, quam Christus vobis etiam inter asperitates servabit, fidenter ventura prospicite. Modus, quo haec laetitia e vestris Communitatibus emanat, omnibus est documento statum vitae, a vobis electum, vos adiuvare, per triplicem renuntiationem in professione religiosa vestra insitam, ad vitam vestram in Christo quam maxime dilatandam. Vos vitamque vestram conspicientes, iuvenes incitamentum recte capere poterunt, quod ut inter eos exsonet, Iesus numquam desinet curare [70]. Concilium autem de hoc ipso vos monet: *Meminerint vero sodales exemplum propriae vitae optimam commendationem esse sui instituti et invitationem ad vitam religiosam capessendam* [71].

Non est ceteroquin dubium, quin Episcopi, sacerdotes, parentes, educatores christiani, egregia existimatione et magno amoris affectu vos prosecuti, multos desiderio sint inflammaturi vobis se comites adiungendi, qui sic invita-
526 mento Christi, quod / in discipulorum eius animis resonare non cessat, obsecundabunt.

56. Amantissima Domini Mater, cuius exemplo vitam Deo consecrastis, vobis in cotidiano vivendi cursu illud impetret gaudium immutabile, quod Iesus tantum potest largiri. Utinam vita vestra, ad eius composita exemplum, testimonium reddat *materni illius affectus, quo cuncti in missione apostolica Ecclesiae cooperantes ad homines regenerandos animentur oportet* [72]. Dilectissimi filii et filiae, gaudium Domini vitam vestram ei consecratam transfiguret eiusque amor frugiferam efficiat. Cuius in nomine Benedictionem Apostolicam vobis ex animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis Iunii, in sollemnitate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri nono.—PAULUS VI.

[70] Cf. *Ibid.*, 19, 11-12; *1 Cor.* 7, 34. [71] Cf. Conc. Vat. II, Decr. *Perfectae caritatis*, *A. A. S.* 58 (1966), p. 712 [LE 3333]. [72] Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 65: *A. A. S.* 57 (1965), p. 65 [LE 3232].

Adn. A. BANDERA in **Confer** 11 (1972) 179-204, 479-510; et in **Vita cons.** 8 (1972) 345-383, 441-471; O. DOMINGUEZ in **Confer** 10 (1971) 641-664; E. GAMBARI in **Vita cons.** 8 (1972) 191-201; C. GORRICHO in **Vida rel.** 31 (1971) 180-185; M. LINSCOTT in **Vita cons.** 8 (1971) 717-728 M. MARTIN in **Confer** 10 (1971) 665-675; M. NICOLAU in **Confer** 10 (1971) 621-640; P. R. REGAMEY in **Vie des comm. religieuses** 30 (1972) 23-28; C. ROJAS in **Vinculum** 20 (1972) 94-97; P. J. B. P. in **Consacrazione e servizio** 20 (1971) 483-490; AUCTORES VARII, in **Evangelica testificatio: Curso de Conferencias sobre la exhortación apostólica Evangelica testificatio**, Madrid 1971, 318 pág.

3984

1971 IUN 29.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 64 (1972) 447

IN REPUBLICA DAHOMEYANA APOSTOLICA NUNTIATURA CONSTITUITUR, CUIUS SEDES IN URBE DAKAR COLLOCABITUR

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Magnum semper ea res habuit momentum, ut Ecclesia sancta, populorum mater sollicita eademque quasi signum in salutem gentium elatum (cfr. *Is.* 11, 12), omnibus coniunctionis et amicitiae vinculis cum populis coniungeretur, quin immo et eos sibi arctius constringeret, si res posceret aut condicio ferret. Nam ubi iustae necessitudines nationes inter et Ecclesiam constitutae sunt, non modo ibi communis et tranquilla pax conciliatur, quae semper in se ipsa optatissima est, sed etiam et cives religiosae atque civilis vitae munera aequiore animo faciunt, et Ecclesia commodiore condicione praedicationis officium exsequitur.

Quam ob rem, volentes, iuxta ea quae diximus, amicitiam huius beatissimae Petri Sedis cum Republica Dahomeyana firmare et augere, simulque id efficere, ut Ecclesiae status ibi loci magis magisque floreat, bene fieri censuimus, si in ea Republica *Nuntiaturam Apostolicam* constitueremus; quod sane per has Litteras facimus, ea lege ut Sedes eius pro nunc, ut dicunt, in urbe Dakar collocetur, factis videlicet omnibus iuribus, quae huius instituti sunt propria.

Quae vero per praesentes Litteras statuimus, firma sint omnino nunc et in posterum, vimque suam habeant, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Iunii, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius*.

3985

1971 IUL 1.-COM. INT. CONCILII, RESP. AAS 63 (1971) 860

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA: 1—DE POTESTATE EPISCOPORUM VI «PASTORALE MUNUS» REDUCENDI VEL EXTINGUENDI OBLIGATIONEM MISSARUM FUNDATARUM. 2—DE CONDITIONE DEVOLUTIVA VEL SUSPENSIVA RECURSUS AD SIGNATURAM APOSTOLICAM IN PROCESSU REMOTIONIS PAROCHI

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum esse censuerunt ut infra ad singula:

I. *(De indulto reducendi Missas fundatas)*

D.—Utrum vi facultatum concessarum per Litteras Apostolicas *Pastorale Munus* d. 30 novembris 1963, nn. 11-12, [LE 3139], Episcopi possint reducere, vel etiam, si casus ferat, extinguere obligationem Missarum fundatarum, cui in praeterito culpabiliter satisfactum non sit.

R.—*Affirmative* quoad reductionem Missarum fundatarum, servata, quantum fieri potest, fundatorum vel offerentium voluntate; *negative* quoad exstinctionem.

II. *(De recursu in casu processus remotionis parochi)*

D.—Utrum recursus qui, iuxta n. 106 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae*, interponi potest a decisionibus SS. Dicasteriorum ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, in casu processus remotionis parochi sit in devolutivo tantum vel etiam in suspensivo.

R.—*Negative* ad primum; *affirmative* ad secundum, seu recursum non esse tantum in devolutivo, sed etiam in suspensivo ex analogia cum canone 2146 § 3 C. I. C.

Ssmus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 1 iulii 1971 infrascripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, adprobavit et publicari iussit.—Pericles Card. FELICI, *Praeses*.

Adn. D. GALEA in **Apoll.** 45 (1972) 77-83; G. LOBINA in **Apoll.** 45 (1972) 137-156.

3986

1971 IUL 3.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

DE CAPACITATE PROCESSUALI SEU LEGITIMITATE ACTIVA AD AGENDUM FRATRUM CONIUGIS DEFUNCTI

FACTI SPECIES. Die 20 decembris a. 1959 Titus N., post pauca momenta a celebratis nuptiis cum Lucia M., vita functus est.

Fratres eius, de matrimonii celebratione certiores facti, a civili magistratu appositionem sigilli obtinuerunt super defuncti bona, dein coram eodem iudice formalem oppositionem fecerunt, quominus procederetur in causa divisionis bonorum a domina Lucia M. promota, quoadusque resolveretur causa de matrimonii nullitate iampridem decem dierum ab ipsis coram tribunali ecclesiastico proposita, ad impugnandum postea Luciae ius ad hereditatem.

Cum enim hoc ius matrimonio, utpote valido, inniteretur, defuncti fratres, id est Maria, Paulus et Petrus N., libello die 30 aprilis a. 1960 Archiepiscopo dioecesis X. directo, matrimonium inter Titum N. et Luciam M. nullitatis accusaverant, vi can. 1081 § 1 et 2 et can. 1086 § 2.

Intervenientibus Promotore Iustitiae et Vinculi Defensore, die 3 maii a. 1960 libellus admissus fuit ac die 2 iulii eiusdem anni contestata est lis.

Constituto sibi Patrono, pars conventa, die 24 ianuarii a. 1961 excepit capacitatem processualem partis actricis atque postulavit ut, suspensis omnibus actis processus, a Tribunali formale decretum ederetur super proposita exceptione.

Disceptatione inter partes praehabita et auditis Promotore Iustitiae ac Vinculi Defensore, decreto diei 19 iunii a. 1961 Tribunal dioecesis X exceptionem propositam edixit non sustineri et ad ulteriora procedendum esse.

Conventae Patronus ad hoc Supremum Tribunal recursum interposuit ab eoque obtinuit ut causa deferretur ad Sacram Romanam Rotam.

Prior Turnus Rotalis, decreto diei 1 februarii 1964 infirmavit decretum Tribunalis dioecesani X diei 19 iunii anno 1961; superior autem Rotalis Turnus decreto diei 28 maii anno 1966 statuit decretum rotale diei 1 februarii an. 1964 esse infirmandum ac ideo agnoscendam esse actoribus

N. capacitatem processualem seu legitimationem activam ad promovendum processum nullitatis matrimonii initi inter Titum N. et Luciam M., in casu».

Contra hoc decretum partis conventae Patronus, die 29 iulii a. 1966, recursum interposuit ad N. S. T., cui per litteras Secretariae Status diei 14 ianuarii 1967, Summus Pontifex decisionem causae commisit.

Proposito dubio: «*Utrum dominis N. capacitas processualis seu legitimatio activa agnoscenda sit ad accusandam nullitatem matrimonii, initi inter Titum N. et Luciam M. in casu*», Commissio quinque Emmorum Cardinalium D. Staffa, *Ponens*, A. Traglia, C. Zerba, A. M. Larraona, et G. T. Heard, die 8 februarii 1969 respondit: «*Negative*».».

Instante patrono partis actricis, Summus Pontifex die 7 iulii 1969 novum causae examen Signaturae Plenariae commisit «quavis appellatione remota».

Tum actorum cum partis conventae defensionibus attente perlectis ac sedulo perpensis votis Defensoris Vinculi nec non Referendarii et votantis H. S. T., Nobis hodie decidendum est: «*Utrum sententia Signaturae Apostolicae diei 8 februarii 1969 confirmanda an infirmanda sit, in casu*».

IN IURE.—Accusatio matrimonii postuma, post, mortem nempe alterutrius vel utriusque coniugis, regitur canone 1972, cuius integer textus reproducitur ad litteram in art. 42 Instructionis «*Provida Mater*» [LE 1347].

Communi omnium sententia, textus huius canonis nimium concise atque generice praebetur a legislatore nostro in Codice, adeo ut eiusdem interpretatio et concreta applicatio, in qualibet facti specie adhibenda, gravibus semper scateat difficultatibus prudentemque iudicem incertum semper atque perplexum reddat, ob implexas quaestiones quae exinde oriuntur, quaeque sive in doctrina sive in iurisprudentia solutionem valde difformem atque discordem hactenus sortitae sunt. Revera, sive doctrina sive iurisprudentia in praecipuis quaestionibus ad rem solvendis, tot tantisque fluctuant opinionibus, ut vix tutum ex eis capi possit consilium.

Mirum esse nequit, proinde, si praesens de qua agimus causa, post longum iter quatuor instantiarum et spatium temporis undecim annorum, difformes decisiones in singulo gradu tulerit et nunc sive in allata doctrina sive in deducta iurisprudentia ita discordantibus solutionibus obruatur, ut merito censeri valeat verum labyrinthum opinionum.

Munus nobis commissum absoluturi, quo clarior fiat status quaestionis in limine theoriae iuris processualis, nonnulla praemittenda esse ducimus de natura actionis in accusatione incidentali postuma, de qua in can. 1972; deinde quatuor praecipuis quaestionibus conabimur respondere, nempe: 1) Utrum Promotor Iustitiae censendus sit titularis actionis postumae seu legitimatus ad agendum. 2) De natura causae principalis a qua pendet causa incidens in accusatione postuma. 3) Quinam habendi sint titulares accusationis postumae seu legitimati ad agendum. 4) De sede competenti quaestionis principalis.

Cum vi can. 1972 accusatio postuma naturam induat quaestionis incidentalis, seposito momento doctrinae atque iurisprudentiae quae ad rem valde discrepant adeo ut ex eis tuta conclusio adhuc desideretur, propositarum quaestionum solutionem praeprimis quaerendam esse videtur in ipsa natura et disciplina causarum incidentalium ad normam cann. 1837-1841, prae oculis habitis generalibus iuris principiis, nec non peculiariter attenta norma can. 18, leges ecclesiasticas intelligendas esse «secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam».

De natura actionis in accusatione postuma.

Actiones matrimoniales, cum sint actiones de statu personarum et qua tales nunquam exstinguantur (can. 1701), sunt de se actiones semper proponibiles, intra limites tamen a lege statutos (can. 1903). Quia vero sunt actiones personales, sunt eo ipso actiones personaliter propriae et exclusivae coniugum atque intransmissibiles, quae nempe experibiles sunt tantummodo a titularibus relationis substantivae (matrimonialis) et transmitti nequeunt heredibus iure successionis in lite. Eorum igitur proponibilitas supponit semper constantiam vinculi seu relationis inter coniuges, qua relatione eorum morte dissoluta, nemini prorsus fas erit eorum matrimonium accusare, nisi lex certis in casibus hoc fieri sinat, indirecte quidem et ad modum exceptionis (can. 1972). Ipsa sua natura, idcirco, actio matrimonialis, cum sit intransmissibilis, excludit suam proponibilitatem post mortem coniugum seu possibilitatem accusationis postumae.

Huic doctrinae plane consonat can. 1972, in quo ad instar principii statuitur praesumptio absoluta pro validitate matrimonii coniugum defunctorum, «quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum», adeo ut «contra hanc praesumptionem non admittatur probatio», indeque, vi eiusdem praesumptionis, transmissibilitas actionis absolute praecluditur.

In eodem tamen canone, ipse legislator canonicus, ne certis in casibus iura tertii sua tutela priventur, huic praeclusioni videtur derogare, statim subiciens: «nisi incidenter oriatur quaestio»; ex quo consequitur, actionem nullitatis, quae viventibus coniugibus nunquam poterat a tertiis personis ut actio propria directe proponi, post mortem coniugum proponibilem utique esse quoties exsurgit ut quaestio incidentalis,

quoties nempe inquisitio circa matrimonii validitatem praeiudicialem constituit quaestionem pro resolutione alius quaestionis, de qua principaliter agitur in iudicio.

Consulto dicimus «videtur derogare», re etenim probe attenta, vera derogatio non habetur seu nonnisi apparenter habetur, eo quod in accusatione postuma actio nullitatis incidentalis revera non est eadem actio quae a viventibus coniugibus proponi poterat, unde principium exclusivitatis et intransmissibilitatis actionis personalis coniugum adhuc remanet intactum. In resolvendis igitur quaestionibus quae interpretationem can. 1972 respiciunt, sedulo in primis cavendum est ne actio incidentalis postuma confundatur seu identificetur cum actione originaria quae erat propria et personaliter exclusiva coniugum defunctorum, ex hac sane confusione seu identificatione pendet plerumque ratio difformitatis in resolutionibus quae hactenus ad rem prolatae sunt.

In actione nullitatis originaria, materia contendendi est vinculum, sed in actione incidentali postuma vinculum non amplius attendi potest, saltem directe, quia ob mortem coniugum iam dissolutum est. Praeterea, distinctio inter utramque actionem clarius evincitur ob differens interesse ad agendum. Posito sane quod actiones individuantur per interesse ad agendum et interesse, ut iuridice configurari valeat, debet esse non modo legitimum, sed etiam directum et actuale, clare consequitur actionem originariam valde differre ab actione incidentali postuma. In actione originaria, interesse ad agendum, relate ad vinculum, est directum et actuale; e contra, in actione incidentali postuma non est nec directum nec actuale: non directum, quia titulares actionis incidentalis non sunt titulares relationis substantivae, uti sunt coniuges; non actuale, quia soli coniuges sunt titulares exclusivi relationis substantivae ipsisque tantummodo ius recognoscitur ad agendum (can. 1971); unde, si morte coniugum vinculum dissolutum est, iam nullus alius superest qui actuale interesse habeat et iure proprio potiatur ad directam vinculi impugnationem.

Demum, ipsa legitimatio ad agendum diverso nititur fundamento. In actione originaria nullitatis, legitimatio fundatur in vinculo, supponit constantiam matrimonii et respicit exclusive coniuges, utpote eiusdem actionis titulares exclusivi; e contra, in actione incidentali postuma, legitimatio fundatur in lege (can. 1972), vi cuius permittitur, ut is, qui est titularis actionis in causa principali, sese *substituat* coniugibus in indirecta vinculi impugnatione, ob interesse proprium quod directe prosequitur in causa principali, qui tamen ullatenus ingredi valeat in relationem substantivam quae erat propria et exclusiva coniugum defunctorum.

Propterea canon 1972 concedit simpliciter *substitutionem processualem*, vi cuius tertius non subintrat coniugibus in relatione substantiva, sed tantummodo in relatione processuali, ad exercendum ius alienum, pro interesse quidem proprio, quod directe prosequitur in causa principali, quin tamen vinculum directe afficiat.

1) *Utrum Promotor Iustitiae censendus sit titularis actionis incidentalis postumae seu legitimatus ad agendum.*

Ad normam can. 1971 § 1, praeterquam partes, etiam Promotor Iustitiae, titularis esse potest actionis nullitatis matrimonii, seu habilis ad accusandum, quoties agitur de «impedimentis natura sua publicis» et etiam, «praevia denuntiatione, in aliis impedimentis, si iure actionem instituendi ad obtinendam declarationem nullitatis sui matrimonii denuncians careat» (*Provida Mater*, art. 35 § 1, 2). «Reliqui omnes», ut statim subditur in citato canone, «non habent ius matrimonium accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel Promotori Iustitiae denuntiandi». Inde quaestio: Partes in causa principali, quae inter «reliquos» recensentur, valentne in causa incidentali postuma matrimonium accusare vel secus illud tantummodo denuntiare Promotori Iustitiae, cuius erit, proinde, eiusdem accusationem instituere?

Iurisprudentia S. R. Rotae Tribunalis duplicem ad rem praebet sententiam. Prior sententia docet, canonem 1972 coniunctim interpretandum esse cum can. 1971 ab eoque pendere et eiusdem canonis esse applicationem, ita ut etiam in accusatione postuma, de qua in praefato canone agitur, personae quae sunt partes in causa principali, cum non sint coniuges seu inter «reliquos» sint adnumerandae, carent iure accusandi, quod ideo ius, praevia denuntiatione, uni Promotori iustitiae reservatur. Hanc sententiam diserte profitentur:

Decretum *c. Jullien* 27 novembris 1937, in quo legitur: «Ius accusandi matrimonium in casu unice competit Promotori Iustitiae, non denunciantibus, etiam consanguineis» (S. R. Rotae *Decisiones*, 29, 1937, p. 717);

Decretum *c. Wynen*, 20 decembris 1938, quod refert: «Manifesto unius Promotoris iustitiae est hanc accusationem facere, si coniux superstes contra heredes coniugis defuncti recusat matrimonium suum accusare ne amittat ius hereditatis» (*Ibid.*, 30, 1938, p. 109).

Iuxta alteram sententiam, e converso, can. 1972, cum agat de accusatione postuma matrimonii iam dissoluti, nequit omnino intellegi ut dependens applicatio can. 1971, in quo statuitur quinam sint titulares legitimati ad accusandum matrimonium viventibus coniugibus. Agitur sane de situatione iuridica prorsus diversa. Can. 1972, cum relate ad can. 1971 aliquid speciale decernat, eidem canoni necessario derogat, nam «generi per speciem derogatur». Normae igitur can. 1971, quibus statuitur tertias personas non posse accusare matrimonium, sed tantummodo denunciare, quo in casu accusatio uni Promotori iustitiae exclusive reservatur, supponunt permanentiam vinculi, ideoque, vi can. 1972, nequeunt urgeri, cum heic agatur de accusatione vinculi coniugum morte iam dissoluti.

http://www.obrascatolicas.com

Hanc sententiam recepit recens S. R. Rotae Iurisprudentia, in Decretis *c. De Jorio*, 1 februarii 1964, et *c. Ewers*, 28 maii 1966, in hac ipsa nostra causa latis. Iam antea, tamen, decisio *c. Heard*, 20 iunii 1936, idipsum profitebatur, allata insuper auctoritate Card. *Gaspari*, qui ad rem docet: «publicum Ecclesiae officialem, ut est Promotor iustitiae, ad commodum privatum fidelium agere non debet» (*Decisiones* S. R. Rotae, 28, 1936, p. 399).

Haec est sententia sequenda, quin tamen ad eam probandam sufficiant rationes quibus ad hoc uti plerumque solent doctrina et superius allata iurisprudentia. Assumitur, in genere, Promotorem iustitiae ab accusatione incidentali postuma praecludi, sive quia, vinculo morte coniugum iam dissoluto, iam deest *ratio peccati* ad quam arcendam munus Promotoris iustitiae lege urgetur (can. 1585); sive quia Promotori iustitiae ius accusandi agnoscitur tantummodo in impedimentis natura sua publicis (can. 1971 § 1, 2°); sive quia in casu agitur de bono privato, cuius tutela ad munus Promotoris iustitiae non pertinet, et alia similia. Sunt quidem rationes, sed partiales tantum, immo explicationes potius quam rationes, quae etsi una simul adhibeantur, vere undequaque evincens argumentum vix praebent.

Vera ratio, e contra, stricte quidem iuridica et penitus exhaustiva profluit revera ab ipsa natura actionis seu accusationis incidentalis, attentis Codicis canonibus qui ad rem faciunt (cann. 1972, 1837), iuxta superius exposita.

Actio accusatoria quam Promotor iustitiae pro suo munere experitur vi can. 1971 § 1, n. 2°, est actio prorsus diversa ab actione quam promovet ille qui aliquod interesse habet, in causa principali, ad promovendam incidentaliter accusationem postumam coniugibus iam vita functis. Pro suo munere, Promotor Iustitiae concurrit cum ipsis coniugibus (in impedimentis natura sua publicis, can. 1971 § 1. 2°) vel eosdem supplet (si coniuges iure accusandi careant: *Provida Mater*, art. 35 § 1, 2°) in proponenda actione nullitatis, directe et immediate vinculum afficienti; quod si vinculum morte coniugum iam dissolutum est, res est prorsus diversa: ipse nec amplius concurrere potest, nec amplius supplere valet, cum ipsa ratio concurrendi aut supplendi (vinculum tuendum) iam plane desierit, eiusque munus exinde ipsa sui ratione iam inapplicabile factum sit, adeo ut legitimatione ad agendum sit ipse destitutus. Re enim vera, pro Iustitiae Promotore legitimatio ad agendum fundatur in vinculi ratione directa, nam interesse sua actione tutelabile est interesse quod vinculum directe et immediate respicit, non interesse quod prosequuntur partes in causa principali, quod est sua natura a vinculo alienum.

Exinde profluit diversitas actionis incidentalis postumae, ob diversitatem nempe in interesse, quod non est interesse vinculi et ideo interventum accusatorium Promotoris Iustitiae non exigit, immo excludit. Actio incidentalis postuma adeo diversa est ab actione originaria a Promotore Iustitiae tutelabili, ut rigore iuris vix dici possit vera *actio status*, cum potius confundatur cum actione seu cum interesse privato in causa principali, quod a munere Promotoris Iustitiae est prorsus alienum.

Ipsa denique vi substitutionis processualis quae ope legis (can. 1972) verificatur in accusatione incidentali postuma, excluditur interventus Promotoris Iustitiae, nam vi ipsius legis iam habetur legitimus actor seu accusator, ille nempe qui titularem iuris (coniugem vel coniuges) substituit (substitutus) etsi in mera relatione processuali tantum. Unde, alius actor (Promotor Iustitiae) nec concipitur nec admittitur, alioquin hoc sequeretur, quod Promotor Iustitiae se substituat ipsi substituto ad prosequendum eiusdem interesse privatum, non autem ad prosequendum interesse vinculi quod est sui muneris proprium.

Ergo, in accusatione incidentali postuma, interventus Promotoris Iustitiae non sustinetur, nisi aliunde requiratur ob evidentem boni publici rationem (can. 1586), ut puta si agatur de impedimentis et circumstantiis de quibus in can. 1990 et ex omissa accusatione, perpetua fieret manifesta Ecclesiae deceptio indeque exortum scandalum non rescinderetur.

2) *De natura causae principalis a qua pendet causa incidens in accusatione postuma.*

In can. 1972 expresse edicitur: «Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio».

Certum est igitur accusationem matrimonii in casu non posse admitti nisi per modum causae incidentalis, quae canone 1837 ita definitur: «Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a Promotore iustitiae vel vinculi Defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem». Ex his logice consequitur, causam incidentem praesupponere principalem, a qua pendet.

Quaeritur in primis quaenam esse possint hae causae principales, ut matrimonium incidenter accusari valeat apud iudicem ecclesiasticum.

Quaestio est valde implexa et confusa, sive in fontibus sive in doctrina et iurisprudentia.

Decretales Gregorii IX, in libro IV, sub titulo XVII *qui filii sint legitimi*, quatuor referunt decretales in quibus est quaestio de valore matrimonii post mortem coniugum orta, quia quidam se heredes esse contendebant contra coniugum defunctorum filios vel contra coniugis defuncti viduam. In tribus prioribus, quae sunt Alexandri III (cc. 4, 5, 7, X, IV, 17), accusatio postuma ob causam hereditatis, admittitur; in quarta vero, quae est Caelestini III (c. 11, X, IV, 17) denegatur.

Alexander III, tamen, hanc rationem accusandi matrimonium post coniugum mortem vocat «incongruam» (c. 7, X, IV, 17), adeo ut habenda sit «non regularis», neque admittenda nisi «per exceptionem», exceptio revera aliquando admittitur (cc. 4, 5, 7, X, IV, 17), aliquando vero denegatur (c. 11, X, IV, 17).

Doctrina quaestionem haud efficit clariorem.

Decretalistae classici, praefatas decretales interpretantes, accusationem postumam in genere admittunt, licet eam et ipsi «incongruam» dicant, et quidem non modo ob causam directe respicientem legitimationem prolis vel viduae statum, sed etiam ob «causam hereditatis», ob «causam bonorum»; immo causarum numerum extendunt ad alias quoque causas, «discretas» quidem seu «iustas», quarum solutio praeiudicialiter exigit incidentalem inquisitionem de prolis legitimitate. Nonnulli tamen accusationem postumam coarctant ad certas factispecies tantum, sive etiam ad certam rationem probandi nec non ad certum tempus, v. g. «ad quinquennium».

Innocentius IV accusationem postumam admittit etsi «incongrua» dicatur ab Alexandro III, et quidem ob quodlibet interesse quod adsit in causa principali; ait sane: «Incongruum, prima facie, ius tamen agi permittit post mortem ratione bonorum, etc. (*In quinque libros Decretalium commentaria*, Venetiis 1578, p. 198 et ss., ad c. 7, X, IV, 17).

Verum, accusationem postumam non concedit si matrimonium «in facie Ecclesiae» fuit contractum. «Confitebantur matrimonium in facie Ecclesiae fuisse contractum; sed dicebant inter eos fuisse impedimentum consanguineitatis, vel aliud huiusmodi; et ideo *non sunt audiendi*, quia, hoc probato, non iudicarentur filii illegitimi; sed si diceretur non fuisse matrimonium contractum inter eos in facie Ecclesiae, sed more adulterorum vixisse, *bene essent audiendi*» (*Ibid.*, ad c. 11, X, IV, 17).

Hostiensis, vestigia Innocentii IV secutus, accusationem postumam admittit quidem, sed et ipse eam limitat et restringit ad matrimonia clandestina quae «in facie Ecclesiae» non fuerunt contracta, necnon ad ea quae mala fide «in facie Ecclesiae» contracta sunt; immo aliam coarctationem adiungit, quatenus admittit praescriptionem post quinquennium. «Si in vita parentum matrimonium impeditum non fuerit, adhuc *infra quinquennium* ratione bonorum de hoc quaeri potest, elapso vero quinquennio, non potest» (*Lectura in Decretales*, Venetiis, 1581, ad c. 11, X, IV, 17).

Ioannes Andreae retinet quidem doctrinam Innocentii IV et Hostiensis, verum quod attinet ad praescriptionem, notabiliter innovat: eam admittit si petitio haud favet legitimitati seu vertit ad rem revocandam «in peius», secus si favet seu vertit «in melius». Ait sane: «de statu defunctorum non quaeri post quinquennium, verum esse ut revocetur in peius, secus si in melius» (*Commentaria in quartum Decretalium*, Venetiis, 1581, p. 56, ad c. 11, X, IV, 17).

Demum, ad permittendum ingressum causae incidentalis de legitimitate natalium, requirit causam (principalem) quae sit «legitima», legitimam vero videtur censere quamcumque causam quae sit canonice rationabilis et non illicita. «Causa legitimationis non indifferenter tractatur, sed tunc demum cum subeat aliqua causa legitima, puta cum quaeritur de hereditate, beneficio ecclesiastico, ordinibus vel honoribus, et *incidit* haec quaestio (legitimationis)» (*Ibid.*, p. 55, ad c. 7, X, IV, 17).

Canonistae Codici anteriores fere unanimiter accusationem postumam admittunt, sed circa naturam causae (principalis) quae valeat incidentem legitimare, haud univoce sentiunt. Ex. g.:

E. González Téllez scribit, matrimonium post mortem coniugis accusari non posse «si nulla iusta causa interveniat; nam intercedente, etiam post mortem agi potest. Pone controversiam motam de successione inter filios, nepotes, aut cognatos, et ibi incidenter civili iudicio de viribus matrimonii quaestionem ortam fuisse: in qua specie, matrimonium accusari potest» (*Commentaria perpetua Decretalium in librum IV*, cap. VII, n. 3).

A. Barbosa cum aliis tenet «quod etiam post mortem patris de eius legitimitate, vel illegitimitate, atque ita de statu personae agi possit, si oportuerit ad decidendam quaestionem hereditatis» (*Collectanea doctorum in ius pontif. universum*, L. IV, tit 17°, cap. VII, causa n. 7).

F. Schmalzgrueber scribit, accusationem matrimonii praescribi non posse; si tamen mortui sint coniuges, «cum cesset periculum peccati, ob quod perpetua est actio contra matrimonium», nihil obstat quominus admittatur huius actionis praescriptio» (*Ius Ecclesiasticum Universum*, L. IV, tit. XVIII, n. 27).

D. Covarruvias, e contra, praescriptionem excludit. «Nec refert ad impediendam legitimae prolis controversiam quinquennium decursum esse a die mortis parentum..., licet Glossa, Host., Colle., et Henr. ibi velint, post quinquennium a morte parentum hanc quaestionem tractari non posse» (*In IV librum Decretalium epitome*, Venetiis, 1571, p. 231, nn. 1-2).

P. Gasparri paulo ante Codicem haec refert: «Si vero extranea persona habilis, accusare matrimonium velit post coniugis mortem ad habendam illius hereditatem, nonnulli putant non esse repellendam» (*De matrimonio*, ed. 1904, 2°, n. 1482).

F. X. Wernz, ipse quoque ante Codicem, ita de re sentit: «*Ex natura rei* accusatio matrimonii etiam post mortem non est exclusa (cfr. *Gregorium VII*, apud Jaffé, Reg. n. 3540), immo in causis extraordinariis etiam ex disciplina vigente, v. g. si cedat in favorem legitimitatis prolis aut ordinetur ad praeiudicium tollendum de nullitate alterius matrimonii»

(*Ius Decretalium*, tom. IV, *Ius matrimoniale*, ed. 1914, n. 743, nota 69, ubi alii citantur: cfr. etiam eiusdem, tom. V, *De iudiciis*, n. 172, nota 100; P. Gasparri, *De Matrimonio*, ed. 1904, n. 1482).

Iurisprudentia ante Codicem penitus difformis invenitur, ita ut nullum prorsus validum argumentum ex ea deduci valeat. Sex sunt resolutiones quae ad rem citantur, a S. C. Concilii latae, quarum duae tantum, nempe *Neapolitana*, 7 iulii 1736 (*Thesaurus resolutionum S.C.C.*, tom. VII, p. 424 ss.) et *Barcinonen.*, 6 maii 1893 (*Acta S. Sedis*, vol. XXVII, p. 416 ss.) impugnationem admittunt etiam in causa hereditatis; aliae duae, e contra, nempe *Januen.*, 17 septembris 1842 (*Thesaurus resolutionum S.C.C.*, tom. CII, p. 313 et seq.) et Resolutio 22 iunii 1844 (cfr. Lingen. et Reuss, *Causae selectae*, Ratisbonae 1871, p. 884) impugnationem postumam «ob quaestum et civiles effectus» respuunt. Ceterae duae quae solent citari, nempe *Caesaraugustana*, 10 martii 1770 (*Thesaurus resol. S.C.C.*, tom. XXXIX, p. 64 et ss.) et *Interamnen.* 21 aprilis 1842, per Commissionem particularem SS.mi tractata (eius decisio relata invenitur in praecitata *Januen.* 17 sept. 1842) erronee ad rem citantur, nam in eis res est non de impugnatione postuma, sed de prosecutione instantiae iam viventibus coniugibus instauratae.

Post Codicem, de natura causae principalis quae de se apta sit gignere accusationem incidentalem, adhuc valde disputatum est in doctrina et iurisprudentia, sed perperam plerumque et inutiliter, nam vera quaestionis solutio iam prostat clara et indubia in ipso Codice ex tenore cann. 1837-1841; etenim cum in can. 1972 accusatio postuma nonnisi ut causa incidens habeatur, patet ipsum can. 1972 et ipsam accusationem postumam regi communi disciplina causarum incidentalium, quae in praefatis canonibus sancitur.

Iamvero, can. 1972 de accusatione postuma nihil aliud requirit nisi «ut incidens oriatur quaestio», nihil vero dicit aut excipit de natura causae principalis in cuius ambitu causa incidens exoritur. Cum igitur lex non distinguat, nec nos distinguere debemus. Si legislator in re tanti momenti aliquid voluisset, circa causam principalem, excipere aut limitare, hoc profecto dixisset; sed nihil dicit, ergo consulto noluit sive excipere sive limitare. Legislator enim «quod voluit dixit, quod noluit reticuit». Exinde, inaequivocabilis fit quaestionis solutio. Utpote causa incidens, accusatio postuma excitari et pendere potest in ambitu cuiuscumque causae principalis cuiuscumque naturae, absque limite et specie, nedum igitur in limine causae principalis de legitimitate prolis vel viduae seu de statu personae, sed etiam in causa principali de hereditate, de bonis temporalibus et de quocumque alio interesse quod in ea agi contingat.

3) *Quinam habendi sint titulares accusationis postumae seu legitimati ad agendum.*

Alia quaestio quae Codicis interpretes dividit, est utrum accusatio matrimonii post coniugum mortem ad hereditatem vindicandam seu ad aliud quodcumque interesse prosequendum, exclusive reservetur filiis ex impugnato matrimonio natis, seu heredibus directis, an e contra possibilis sit cuilibet heredi, etiam conlaterali.

Iurisprudentia in hac quoque quaestione solvenda non est uniformis. Accusationem in casu reservari filiis affirmatur in una *coram Heard* diei 20 iunii 1936 (*Decisiones* S. R. Rotae, XXVIII, p. 401, n. 13) et in una *coram Wynen*, 20 decembris 1938 (*Ibid.*, XXX, p. 705-715); negari videtur *coram Prior*, 20 iulii 1922 (*Ibid.*, XIV, p. 194, n. 6) et *coram Jullien*, 11 ianuarii 1933 et 27 novembris 1937 (*Ibid.*, XXV, pp. 2-3, XXIX, pp. 717-718, n. 4).

Doctrina eamdem difformitatem exhibet. Solos filios posse accusare matrimonium in casu ad hereditatem prosequendam vel vindicandam tenuerunt: P. Gasparri (*De matrimonio*, ed. 1932, vol. II, n. 1262); P. Vidal (F. X. Wernz-P. Vidal, *De matrimonio*, n. 698, p. 908), et nunc tenent: E. F. Regatillo (*Institutiones Juris Canonici*, ed. 4ª, vol. II, n. 673); V. Bartoccetti (M. Lega-V. Bartoccetti, *De causis matrimonialibus*, 1951, vol. III, pp 107-108); R. Naz (*Traité de droit canonique*, vol. IV, Paris 1954, p. 438).

Praeterquam filiis, etiam aliis ius competere accusandi matrimonium, nec tantum ad hereditatem vindicandam, tenent: I. Noval (*De processibus*, pars I, ed. 1920, n. 851); A. Vermeersch - J. Creusen (*Epitome iuris canonici*, vol. III, n. 287); F. M. Cappello (*De matrimonio*, n. 879; cfr. Eiusdem, *Praxis processualis*, n. 879); M. Conte a Coronata (*Institutiones Iuris Canonici*, vol. III, ed. 1933, n. 1488, pp. 425-426); H. Jone (*Commentarium in Codicem J. C.*, vol. III, Paderborn, 1955, p. 288).

Quia iurisprudentia et doctrina constantes non sunt, nullum inde validum argumentum erui datur ad controversiam dirimendam; ceterum, notandum est, haec esse media suppletiva, non autem interpretativa legis, ad quam interpretandam attendenda est in primis propria verborum significatio in textu et contextu considerata, ad normam can. 18.

In casu, textus est can 1972, contextus vero can. 1837. His autem attentis canonibus, clare eruitur, legislatorem nihil aliud ad rem statuisse, nisi ut accusatio postuma excitari valeat ut causa incidens in ambitu causae principalis, de cuius natura tamen nihil ulterius dicit neque expresse excipit prout excipere debuisset si ei inerat intentio, litteralem praefatorum canonum tenorem utcumque limitare. Sed non excepit, nor limitavit, non distinxit: ergo nec nobis fas est proprio Marte distinguere nec consentire: quia can. 1972 personas habiles ad causam incidentem enumerat, nec limitat accusatio postuma nequit filiis atque heredibus necessariis exclusive reservari; sed aliis quoque, praeterquam filiis, competit, ut puta heredibus conlateralibus, nec non iis omnibus indistincte qui in causa principali aliquod legitimum interesse prosequuntur, cuiuscumque generis illud sit.

Concludendum est igitur, eosdem omnes censendos esse legitimatos ad agendum in causa incidentali postuma, qui sunt titulares actionis in causa principali a qua pendet incidentalis, qualibet limitatione exclusa, sive quoad eorumdem titularium qualitatem, sive quoad ipsius causae principalis naturam.

Nec obici potest can. 1972 pendere a can. 1971 § 2, ita ut extranei, utpote inter «reliquos» recensiti, non possent accusare, sed tantummodo denuntiare. Iam superius haec dependentia exclusa fuit. Revera, praecitatos canones comparando, statim apparet eosdem respicere casus toto caelo diversos: prior matrimonii accusationem utroque coniuge vivente, alter mortuo saltem alterutro; prior nullam matrimonii accusationem tertio concedit, sed tantum denuntiationem, alter regulariter neque accusationem neque denuntiationem «nisi incidenter oriatur quaestio», ut certis iuribus legitima non desit tutela.

Patet, e contra, can. 1972 regi cann. 1837-1841, prout superius explicavimus.

Sicut in veteri iure etiam in iure Codicis, accusatio post mortem coniugis «regulariter» non admittitur; exceptio tamen, secus ac antea, ita determinatur ut non concedatur «nisi incidenter oriatur quaestio».

Obicitur in dubio, num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non esse recedendum (can. 6, n. 4).

Respondetur in primis ius antiquum non esse suppletorium iuris Codicis, quoties in eo inveniantur lacunae: hoc patet e textu can. 20, qui ius antiquum non recenset inter fontes suppletorias et hoc «insuper esset directe contrarium scopo codificationis et dispositioni can. 6, n. 6» (A. Van Hove, *De legibus ecclesiasticis*, n. 65). Praeterea, «ius novum a veteri dupliciter discrepare potest, positive scilicet et negative. Discrepat *positive*, si canon aliud atque ius vetus praescribit aut prohibet; *negative*, si praescriptum vel prohibitio iuris veteris in Codice neque explicite neque implicite continetur. Iamvero can. 6, n. 4 de dubio circa positivam discrepantiam agit...; de suppresso per silentium praescripto iuris agitur sub n. 6». Proinde, ubi dubia est omissio alicuius praescripti anterioris, seu eius insertio implicita, «non est asserenda eius permanentia ex hoc can. 6, n. 4» (A. Vermeersch-J. Creusen, *Epitome Iuris Canonici*, ed. 4ª, n. 76, 4°).

Can. 6, n. 6 decernit: «Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, eam vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis».

Ceteras limitationes, veteri iurisprudentia vel antecedenti doctrina aliquando inductas, Legislatorem voluisse auferre, confirmant schemata praeparatoria can. 1972.

Schema I edicebat: «Can. 14: Soluto matrimonio per alterutrius vel utriusque coniugis mortem, nulli ius est matrimonium accusandi, excepto casu, quo de huius valore *non principaliter sed incidenter sit disceptandum, ad effectum legitimae filiationis vel legitimi coniugis cognoscendi* vel ad praeiudicium tollendum de nullitate matrimonii. Can. 15: In causis de quibus in can. praec. ii tantum actores sunt excludendi, qui unice ob lucrum temporale matrimonii validitatem accusant».

Shema II: «Can. 13 § 1: Matrimonium quod utroque coniuge vivente non fuerit accusatum post mortem alterutrius vel utriusque coniugis, praesumitur validum fuisse. Par. 2: Hic praesumptio non admittit probationem in contrarium, *nisi incidenter oriatur quaestio*, et argumenta afferantur omni exceptione maiora. Can. 14: In causis de quibus in can. praec. ii tantum actores sunt excludendi, *qui unice ob lucrum temporale* matrimonii validitatem accusant».

Schema III: «Can. 13 § 1: Matrimonium, quod utroque coniuge vivente non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis, praesumitur validum fuisse. Par. 2: Contra hanc praesumptionem ne admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio et argumenta afferantur omni exceptione maiora».

Schema IV: «Can. 494: Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio». Hic est canon qui translatus est in definitivam Codicis redactionem, nempe can. 1972.

His schematibus probe attentis, clare constat legislatorem consulto noluisse recipere limitationes, sive quoad causae naturam, sive quoad extraneos qui titulares sint actionis in causa principali.

Iure vigenti, igitur, ad hoc ut matrimonium accusari valeat post obitum alterutrius vel utriusque coniugis, requiritur tantum ut incidens oriatur quaestio.

4) *De foro competenti causae principalis.*

Quaeritur tandem utrum, pendente causa principali, puta de legitimitate filiorum aut hereditate, coram iudice laico in foro civili, causa incidens de validitate matrimonii iniri valeat coram iudice ecclesiastico in foro canonico.

Sub veteri iure, unanimis fuisse videtur sententia affirmans, innixa praecipue decretalibus Alexandri III, nempe c. 5, X, IV, 17 et praesertim c. 7, X, IV, 17 qui *filii sint legitimi*, in quo capite ad instar principii statutum est, ad regem spectare

http://www.obrascatolicas.com

«iudicium possessionum», Ecclesiae vero ius exclusivum esse de validitate matrimonii inquirere et iudicare (cfr. *Fontes Codicis* I. C., VII, n. 490 1°; *Instructio* de Propaganda Fide anni 1883, n. 1).

Inter Commentatores, *V. Pichler*, ex. g., postquam dixerat cognitionem et decisionem de nullitate matrimonii ad solum iudicem ecclesiasticum pertinere, animadvertit: «licet illa tantum incidenter et non principaliter esset in iudicium deducta, ita ut iudex saecularis, ad quem alia causa temporalis principaliter est deducta, incidenter vero mota quaestio super dictis, ista supersedere debeat, et ad iudicem ecclesiasticum illa remittere, non obstante quod alias causae adnexae non sint dividendae» (*Ius Canonicum*, tom. I, lib. IV, tit. XVIII, n. 7 in fine; cfr. etiam, ex. g. P. Fagnanus, *Commentaria in quartum Decretalium*, Romae, 1661, 85, *Qui filii sint legitimi*, n. 1; A. Barbosa, *Collectanea Doctorum*, tom. II, *In quartum librum Decretalium*, tit. XVII, cap. VII, nn. 1-3; D. Covarruvias, *Epitome de sponsalibus et matrimoniis*, Lugduni, 1545, part. II, cap. VIII, § 2, n. 1; A. Reiffenstuel, *Ius Canonicum universum*, lib. IV, tit. XVIII; n. 24; E. Pirhing, *Ius Canonicum*, lib. IV, tit. XVII, § IV, n. 27; etc.).

Post Codicem, difformem cursum exhibent sive iurisprudentia sive doctrina. Anteactam Commentatorum doctrinam retinet una *coram Wynen*: «Patet quod actio nullitatis matrimonii, supposito quod ex probabili capite validitas coniugii impugnetur, a limine reici nequit... si iudex civilis, apud quem pendet actio hereditatis, remittit litigantes ad Tribunalia ecclesiastica, ut ibi primum definiatur quaestio validitatis vel nullitatis matrimonii» (S. R. Rotae *Decisiones*, vol. XXX, p. 709, n. 5). Sed contraria occurrit sententia in una *Lycien. coram Heard*: «Nec dicatur actionem nullitatis matrimonii in casu, saltem post sententiam civilem (in qua lis de hereditate suspenditur, usque dum Tribunal ecclesiasticum de adserta matrimonii nullitate pronuntiaverit), tamquam causam incidentalem ad normam can. 1972 admitti posse. Sat dubitandum est, an causa nullitatis matrimonii in ecclesiastico tribunali instituta haberi possit tamquam incidentalis causae de hereditate in foro civili motae» (*Decisiones*, vol. XXVIII, p. 401, n. 13).

Solutio clare depromitur e litterali Codicis interpretatione, ad normam can. 18, circa naturam et disciplinam causarum incidentalium, quae in cann. 1837-1841 traditur. Quibus attentis, incontroversum est, causam incidentalem ita cum principali connecti atque subordinari debere, ut identitatem iurisdictionis et competentiae, idest iudicis ecclesiastici, evidentissime supponat et exigat. Unde clarissime elucet, tramque causam unico iudici subesse et ab uno eodemque iudice tractari et resolvi debere, quin possibilitas dari possit ut a iudice diverso, seu diversi ordinis, distincte tractentur et resolvantur. Iure etenim Codicis, causa incidentalis proponi potest non modo a partibus, sed etiam a Promotore Iustitiae vel vinculi Defensore si iudicio principali intersint (can. 1837); proponi autem debet apud iudicem causae principalis (can. 1838); praevium examen libelli introductorii peragendum est a iudice causae principalis, qui de eiusdem admissione vel reiectione pronuntiat (can. 1839); idem iudex causae principalis decernit quoque de procedura sequenda in tractatione causae incidentalis (can. 1840 § 1); in tractatione vero peragenda, eaedem regulae «servandae sunt quae in ordinariis iudiciis obtinent» (can. 1840 § 2); *ipse iudex causae principalis* quaestionem incidentalem cognoscit atque definit ac «iusta interveniente causa» decretum vel sententiam interlocutoriam valet «corrigere aut revocare» (cann. 1840 § 3, 1841).

Haec omnia nequeunt omnino intellegi, nisi admittatur causam incidentem necessario exigere identitatem fori cum causa principali, eumdem nempe iudicem canonicum eamdemque iurisdictionem ecclesiasticam; facultas proinde accusandi coram iudice ecclesiastico matrimonium post mortem, e. gr. testatoris, agnoscenda esset heredi, si lex civilis foro ecclesiastico remitteret iudicium quoque de hereditate seu testamento. Secus, praefatae omnes operationes poni deberent a iudice laico in foro civili, quod absonum est et penitus absurdum.

Iure Codicis, accusatio postuma nequit omnino censeri ut incidens, ad normam can. 1972, si causa principalis de hereditate pendet coram tribunale civili; fallit enim necessarius nexus ex identitate iudicis et iurisdictionis (can. 1838); sed est causa autonoma uti principalis proposita, quae ideo vi praesumptionis, in can. 1972 statutae, de matrimonii validitate post mortem coniugis, absolute praecluditur, ita ut non possit nec proponi nec a iudice admitti.

Nec in contrarium excipi valet, causas «de effectibus mere civilibus, si principaliter agantur», pertinere «ad civilem magistratum ad normam can. 1016» (can. 1961); inde sane minime deduci potest, causam incidentem institui posse coram iudice ecclesiastico respectu causae principalis quae pendeat apud iudicem civilem; esset enim illogica conclusio, extra praemissas.

Si alicui incidentali quaestioni definiendae obstet absoluta incompetentia iudicis, ambigendum non est processum esse suspendendum, donec quaestio incidentalis, a iudice competente definita fuerit (F. Roberti, *De processibus*, vol. I, n. 176); at haec referuntur ordini iudiciario ecclesiastico: iudex ecclesiasticus causae principalis proprio decreto causam incidentem teneretur admittere, simul quarens a iudice ecclesiastico competente ut eamdem definiat et eiusdem decisio sibi remittat.

Nec argui potest, in contrarium, ex iure Decretalium, quae ad rem citantur in notis ad can. 1972, et ex doctrina ante Codicem, nam sive ius Decretalium sive commentatorum doctrina inde secuta innitebantur intima relatione inter ordinem civilem et ecclesiasticum, qua alteruter, in quibus opus erat, completabatur altero.

Negandum est, huiusmodi systema inter iurisdictionem ecclesiasticam et civilem restauratum fuisse in Italia per Concordatum initum anno 1929.

Certo certius, vi art. 34 eiusdem Concordati aliquod systema coordinationis (collegamento), in re matrimoniali, reapse invaluisse tenendum est; ast eiusmodi coordinatio remanet coarctata ad ea tantum quae sunt in Pactis explicite conventa, idest ad normam art. 34, iuxta quem agnoscuntur effectus civiles matrimonio canonico et exclusivitas iurisdictionis ecclesiasticae circa causas matrimoniales quae vinculum spectant. Praeter hos limites, igitur, quaelibet alia mutuae integrationis forma est excludenda vi principii autonomiae supremae (sovranità) uniuscuiusque societatis, Ecclesiae nempe et Status. Equidem, praeter limites art. 34 signatos, unumquodque systema, canonicum et civile, permanent in proprio ambitu perfecte autonoma et independentia, prout aperte recognoscitur a lege constitutionali italica: «...sono, ciascuno nel proprio ordine, indipendenti e sovrani» (art. 7). Quia iuxta pacta conventa, Status italicus recipit vinculum matrimoniale canonicum et Sancta Sedes foro civili remittit effectus civiles matrimonii canonici et praeter hoc nulla alia coordinationis forma praevidetur, exclusa est quaevis alterutrius iurisdictionis facultas syndicandi super actus positos in materia quae alteri reservatur.

Ex parte Status Italici, art. 5 Legis 27 maii 1929, n. 847, edictum fuit matrimonium sic dictum concordatarium nec minores nec maiores effectus sortiri ac matrimonium mere civile; articulo vero 17 eiusdem Legis sententiam canonicam nullitatis matrimonii eosdem effectus sortiri ac sententiam civilem nullitatis matrimonii civilis. Congruenter cum hac lege, iurisprudentia italica censuit se ius non habere syndicandi seu invigilandi utrum impedimenta matrimonialia canonica componi possent cum iure civili, at vindicavit iurisdictioni civili exclusivam competentiam super effectus civiles matrimonii canonici.

Demum aliud quoque magni momenti consectarium profluit. Posito, per hypothesim, quod iudex ecclesiasticus admiserit in casu impugnationem incidentalem alicuius matrimonii, post mortem coniugum, dum causa principalis pendet in foro civili, huiusmodi iudicis ecclesiastici sententia nullum prorsus effectum sortiri potest in foro civili, nec ei ullus prorsus effectus civilis tribui potest a iudice causae principalis, eo quod art. 127 Codicis civilis italici expresse obstat quominus haec sententia transcribi possit ad effectus civiles obtinendos. Praefatus sane art. 127 expresse excludit proponibilitatem actionis nullitatis, ex parte heredum, post mortem coniugis vel coniugum, nisi fuerit ante eorum mortem proposita et de ea prosequenda postea agatur: «L'azione per impugnare il matrimonio non si trasmette agli eredi se non quando il giudizio è già pendente alla morte dell'attore».

In facto.—Patet ex dictis in iure petitionem Mariae, Pauli et Titi N. in causa admitti non posse. Ea enim de qua agimus non est revera causa incidens, quae in casu instituta non est nec instituti potest, sed causa principalis et independens de nullitate matrimonii, cuius praeiudicialis est quaestio de capacitate processuali activa fratrum N. ad accusandum matrimonium defuncti fratris Titi.

Diximus causam incidentem in casu ortam non esse nec oriri posse, quia causa principalis illa esset quam fratres N. instituerunt coram iudice civili, ad impugnandum Luciae ius ad hereditatem; at causa incidens in foro ecclesiastico non admittitur, nisi respectu causae principalis in eodem foro pendentis. Quod si, per absurdum, contraria sententia admitteretur, nulla pariter orta esset incidens quaestio, cum nulla petitio facta fuerit, quod sciamus, ad eam coram eodem iudice civili provocandam, antequam causa de matrimonii nullitate coram iudice ecclesiastico introduceretur. Fratres N. proprio marte iudicem ecclesiasticum adierunt, distinctam et independentem causam conantes instituere, ad quam tamen legitimatione carent activa, vi can. 1972. Ob eandem rationem neque Promotor Iustitiae in casu nullitatem matrimonii accusare poterat, et quidem non modo quia Fratres N. non erant legitimati ad accusandum, sed etiam quia in accusatione incidentali post mortem coniugis vel coniugum, ipse Promotor Iustitiae caret legitimatione ad agendum.

Ceterum, etiamsi data fuerit in casu sententia affirmativa a tribunali ecclesiastico, haec sententia nullum prorsus effectum poterat sortiri in foro civili nec ea iudex civilis poterat utcumque uti, utpote quae non poterat transcribi ad effectus civiles, vi art. 127 Codicis Civilis italici.

Decisio. His omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Cardinales, Membra Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, pro Tribunali sedentes, et Deum solum ante oculos habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, declaramus et definitive sententiamus: «*Sententiam Signaturae Apostolicae diei* 8 *februarii* 1969 *esse confirmandam, in casu*», dubio Nobis proposito respondentes: «*affirmative ad primam partem, negative ad secundam*».

Expensae processuales praesentis instantiae solvantur a parte actrice.

Ita pronunciamus, committentes Ordinariis locorum et Ministris Tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc Nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam Lib. IV, tit. XVII Codicis I. C., iis quoque adhibitis mediis quae, attentis adiunctis, efficaciora et opportuniora videantur.

Romae, in sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 3 iulii 1971.—Dinus Card. Staffa, *Praef.* Aloisius Card. Traglia, *Ponens.* Hildebrandus Card. Antoniutti. Caesar Card. Zerba. Antonius Card. Samoré. Aegidius Card. Vagnozzi. Arturus Card. Tabera.

SSmus autem D. N. Paulus Divina Providentia Papa VI, in audientia die 12 iulii 1971 infrascripto impertita, habita relatione superioris decisionis, nihil obstare declaravit quominus eadem publicetur et ab omnibus quibus spectat ad normam iuris exsecutioni mandetur.

Ex sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 12 iulii 1971.—Dinus Card. Staffa, *Praef.*

* Apoll. 44 (1971) 587-607.

3987

1971 IUL 6.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

De restitutione in integrum adversus decretum Sacrae Romanae Rotae ob neglectum legis praescriptum

Facti species. - P. Provincialis Congregationis religiosae X, ab anno 1955 ad annum 1959, successive pecuniam mutuam sumit a Dño X usque ad summam 50.000.000 veterum francorum, foenore 10 %, singulis vicibus relativam apocham conscribens pro summa totali, praemissa declaratione de nullitate omnium praecedentium apocharum.

Defuncto P. Provinciali, mense septembri 1959, Oeconomus Provinciae per aliquot menses creditori solvit foenora; at paulo post ipse solutionem ipsius capitalis recusat asserens Congregationem religiosam per defunctum P. Provincialem summam inferiorem a creditore accepisse.

Creditor, libello diei 15 martii 1961, Provinciam religiosam convenit apud Tribunal dioecesanum petens restitutionem totius summae mutuatae (50.000.000) cum foenoribus. Lite pendente, Provincia religiosa, ad instantiam Officialis, creditori tradit duas tertias partes summae mutuatae, titulo solutionis non definitivae. Tribunal, die 13 martii 1964, sententiam emittit quae statuit Congregationem religiosam creditori debere summam totalem cum foenoribus.

Appellante Provincia religiosa deducitur ad Tribunal Sacrae Romanae Rotae, quod, praemisso novo instructionis supplemento et habito voto a quodam viro perito exarato, die 16 iulii 1966 confirmat Sententiam primi gradus quoad summam principalem debitam et quoad foenora statuit «solvendam esse summam foenorum causa, iuxta computationem primae instantiae».

Sententia in rem iudicatam transiit; difficultatibus vero exortis circa ipsius executionem, Turnus rotalis, Decreto diei 25 ianuarii 1969, statuit: *a)* petitionem anatocismi ex parte creditoris reiciendam esse; *b)* executorem sententiae constituendum esse iurisperitum ab Officiali dioecesano.

Contra secundam decisionem, die 10 martii 1969 Patronus Provinciae religiosae appellat ad sequentem Turnum rotalem petens emendationem Decreti diei 25 ianuarii 1969, iuxta tenorem can. 1884, quatenus Sententia rotalis iam executa censenda est per interpositam procuratricem societatem civilem religiosorum (in loco deest recognitio entium ecclesiasticorum ex parte Gubernii civilis), quatenus ista, deposita quadam summa oblaticia apud «Caisse des Dépots et Consignations» congruentes iuri civili territoriali, executionem Sententiae rotalis perfecerat, ideoque debitum totale ex Sententia emanans iam solverat.

Superior Turnus rotalis, Decreto diei 19 iulii 1969, statuit: *a)* Sententiam executam non esse sive ob foenoris computationem a solo debitore peractam, sive ob conditiones non praevisas allatas; *b)* executorem constituendum esse iurisperitum ab Officiali dioecesano deputandum, cuius sit omnes difficultates de solutione obligationis Provinciae religiosae erga creditorem, auditis partibus componere et praesertim computare ac determinare summam solvendam.

Contra hoc Decretum rotale, die 14 augusti 1969, iterum Provincia religiosa appellat ad superiorem Turnum rotalem contestans conformitatem inter duo Decreta praecedentia et simul obiciens Provinciam debitricem iam executam esse Sententiam rotalem, iuxta praescripta legis civilis territorialis, cui can. 1529 remittit pro contractibus et solutionibus.

Tandem alter Turnus rotalis, Decreto diei 11 iulii 1970, confirmat impugnatum Decretum explicite statuens: «Sententiam rotalem... executam non esse tenendum est...; ordinandum esse Decretum... de modalitate observandi in exequenda Sententia rotali, ubi explicite statuitur munus esse executoris constituendi «omnes difficultates de solutione obligationis Congregationis erga creditorem, auditis partibus componere et praesertim computare ac determinare summam solvendam».

Patronus Provinciae religiosae, die 7 augusti 1970, denuo appellat contra citatum Decretum rotale, contestans huius conformitatem cum Decreto praecedenti; deinde, appellatione reiecta ad normam cann. 1902, § 1, 1880, 4, ex mandato procuratorio P. Provincialis, ipse Patronus, die 15 octobris 1970, recurrit ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae petens restitutionem in integrum adversus Decretum rotale diei 11 iulii 1970 ob legis praescriptum evidenter neglectum (can. 1905, § 2, 4°), quatenus in ipso Decreto neglectus est can. 1529 et articuli codicis civilis consequenter recepti prae oculis habiti non sunt in ordine ad efficaciam solutionis per oblationem realem (offres réelles).

Visa instantia, Secretarius Signaturae Apostolicae statuit ad ulteriora procedendum iuxta ea quae ab art. 30 *Normarum Specialium* praescribuntur. Promotor Justitiae, posita sibi quaestione num recursus Provinciae religiosae admitti an reici debeat, respondit negative.

In iure et in facto.—Admissibilitas petitionis a Provincia religiosa exhibitae pendet a recta interpretatione canonum 1529 et 1905, § 1, 4°.

Limites receptionis seu canonizationis legum civilium definiuntur ex contrarietate cum iure divino, naturali vel positivo, et ex ipso iure canonico aliud vel etiam normas proprias statuenti. Ex limite cum iure divino evidenter sequitur quod non canonizantur leges civiles territoriales si contrariae sint e. gr. iustitiae commutativae; quoad autem secundum limitem, patet, quod non canonizantur leges civiles territoriales, ubi lacuna canonici iuris non verificatur, quatenus habentur in re normae positivae, e gr. in cann. 103, 104, 1680, 1684. Salva receptione canonica normarum civilium substantialium quoad solutiones, voluntarias vel coactas, prae oculis semper habendum est executionem sententiae canonicae sub aspectu formali pertinere ad ius canonicum, tamquam consectarium inseparabile sententiae, quae in rem iudicatam transierit (cc. 1917 ss.). Executio enim sententiae est actus iudicialis, ideoque, sicut sententia a publica auctoritate ferri debet, ita executio quoque fieri debet de mandato publicae auctoritatis. Solutio peracta a Provincia religiosa per depositum apud «Caisse des Dépots et Consignations», absque ministerio executoris, non fuit solutio voluntaria, sed potius arbitraria, quia effecta fuit neglecto legis canonicae praescripto ex parte debitricis, quae egit spreto vel saltem ignorato ministerio executoris, qui modo imperativo statuitur a can. 1920: «Sententiam executioni mandare *debet*... Ordinarius loci in quo sententia primi gradus lata est».

Remedium extraordinarium restitutionis in integrum —vi can. 1905, § 1, 4°— datur tantum si agatur de neglectu legis manifesto, ex quo sequatur gravis laesio; datur adversus sententiam quae in rem iudicatam transierit, non autem adversus decretum executorium. Adversus decreta non datur remedium extraordinarium restitutionis in integrum, sive quia haec generatim vim definitivam non habent, sive quia illa, si in casu peculiari vim definitivam habeant, per ordinaria remedia iuris corrigi et infirmari poterunt. Legislator statuit remedium extraordinarium adversus sententiam, ideoque nobis facultas non est illud extendendi ultra sententias.

Ex actis non constat neque de obiectivitate neque de evidentia neglectus legis (praescripti can. 1529) et consequenter legis civilis territorialis ex parte iudicum rotalium in decernendo executam non esse sententiam diei 16 iulii 1966 per oblationem realem, quatenus dubia censenda est canonizatio legum civilium quoad executionem sententiarum, sub aspectu formali. Etiam hypothetice admisso et non concesso neglectu legis (praescripti can. 1529) eoque vero ac evidenti, assertus neglectus non esset in sententia, sed in decreto executorio; remedium autem extraordinarium, de quo in can. 1905, statuitur explicite et taxative adversus sententias tantum, et quidem in casibus peculiaribus a legislatore praevisis.

Decisio. - In Congressu habito coram Emño Cardinali Praefecto die 6 iulii 1971, proposito recursu a Provincia X interposito ad obtinendam restitutionem in integrum adversus decretum a S. R. R. die 11 iulii 1970 latum, decretum est: *Recursum esse reiciendum.*

* Apoll. 44 (1971) 575-578.

3988

1971 IUL 6.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

De subsidio caritativo religiosis mulieribus dando quae e religione dimittuntur

Facti species. - Maria, religiosa a votis perpetuis in Congregatione iuris dioecesani, ad normam iuris e Religione dimissa est decreto Ordinarii loci, contra quod recursum legitime interposuit ad S. Congregationem pro Religiosis et Institutis saecularibus, sed reiectus est. Quia vero pror-

http://www.obrascatolicas.com

sus insufficiens ei videretur summa lib. it. 1.500.000 ab Ordinario determinata tamquam subsidium caritativum, de quo in can. 643 § 2, preces Romano Pontifici porrexit ut constitueretur: «a suo favore una rendita vitalizia di lire 70.000 mensili», vel ei daretur «una tantum la somma di lire 12.000.000 che le consentisse il realizzo, al tasso legale di lire 50.000 mensili», expresse declarando quod «non chiede la revoca del decreto di dimissione, perchè ha terrore di rientrare nella propria Congregazione, dove sarebbe oggetto di persecuzione». Huiusmodi recursus transmissus est ad Signaturam Apostolicam «per il competente esame», a qua interim statutum est: «solvendam esse pensionem urgentem a recurrente petitam, intra tamen limites summae lib. it. 60.000, idque usque ad definitionem praesentis causae».

In iure et in facto.—Cum recurrens expresse declaraverit quod rursum in Congregationem admitti non vult, e qua dimissa est, quaestio definienda unice vertitur circa subsidium ei dandum, et Signatura Apostolica enixe Ordinarium loci rogavit ut curam diligentem adhiberet ad huiusmodi controversiae solutionem pacificam obtinendam, attamen: «salvaguardando gli interessi legitimi della parte convenuta che non va sottoposta ad oneri troppo gravosi, ma nello stesso tempo le esigenze indispensabili della ricorrente nei limiti delle norme civili della previdenza sociale in casi analoghi». Itemque Signatura Apostolica idipsum scripsit ad Ordinarium loci ubi recurrens suam residentiam habet, et addidit: «Si prega tener presente che una eccessiva condiscendenza verso la ricorrente oltre a ledere gli interessi dell'altra parte, potrebbe nuocere alla disciplina dell'Istituto». Ordinarius autem loci, longas post moras, ad hoc Supremum Tribunal litteras recurrentis simpliciter transmisit, in quibus dicitur: «Propongo che l'Istituto versi la somma di lire 70.000 al mese (essendo assolutamente insufficiente la somma di lire 60.000 per vivere) sino al maturarsi della pensione. Quando mi sarà corrisposta la pensione, l'Istituto —per tutto il resto della mia vita— verserà la differenza tra le 70.000 lire e la somma che percepirò a titolo di pensione. Tale mia richiesta è fondata appunto sul can. 643, inteso nel suo giusto valore, sul diritto naturale, sulla Costituzione «*Gaudium et Spes*», n. 26, del Concilio Vaticano II».

Oportet itaque accurate determinare ad quid solvendum vere et proprie teneatur Religio mulierum cuilibet sodali quae ex ea egrediatur aut ex ea dimittatur.

In primis, certum omnino est quod, in casu, Religio nulla adstringitur obligatione ex iustitia. Id evidenter constat tum ex praescripto can. 643 § 1: «Qui è religione, expleto votorum temporariorum tempore aut obtento saecularizationis indulto, egrediantur vel ex eadem fuerint dimissi, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam», tum etiam ex praescripto can. 580 § 2: «Quilibet professus quidquid industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit».

Praeterea, eadem recurrens, antequam in Religionem admitteretur, propria manu documentum subscripsit in quo litteris crassioribus notatur: «Quella che spontaneamente esce o viene licenziata dall'Istituto, non ha diritto a nessun compenso per qualsiasi lavoro prestato».

Quod Religio obligatione solummodo ex caritate, in casu, adstringatur, explicite edicitur in can. 643 § 2, ubi etiam determinatur mensura seu quantitas subsidii dandi necnon tempus ad quod suppeditari debet: «Si religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere ut naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinarii loci determinandum, honeste vivere possit». Excluditur ergo quod Religio, etsi tantummodo ex caritate, obligatione adstringatur curandi ut religiosa dimissa vel commode (v. agiatamente) vivere queat, vel toto vitae suae tempore —aut ad tempus longum seu indefinitum— necessaria habeat ad honeste (v. con decoro) vivendum. Nec aliud censendum est etsi agatur de religiosa dimissa quae iam senuerit et viribus sit destituta ac inhabilis ad laborandum. Qua de re in libro cui titulus: «Il diritto dei religiosi», anno 1961 Romae edito a Cl.mis *Tabera-Antoñana-Escudero* scite docetur: «Questo sussidio ha un carattere temporaneo, quindi non dovrà avere un carattere di pensione vitalizia, anche se la religiosa fosse inferma o di età avanzata. In tal caso, la secolarizzata dovrà accettare con rassegnazione di essere internata in qualche istituto opportuno» (n. 396, litt. c. pag. 537). Plura exstant huiusmodi instituta caritativa, sive publica vel privata, sive laicalia aut religiosa. Praeterea, plura exstant opera dioecesana vel paroecialia ad subvenien-dum pauperibus, senibus, infirmis.

In casu de quo agitur Maria, olim religiosa, subsidium caritativum lib. it. 1.500.000 accepit et insuper Religio pro ea solvit summam lib. it. 1.629.800, omnia simul computando quae a die 8 iulii 1968 ad diem 7 martii 1970 pro eius habitatione, mensa, curatione, vestibus, etc. expendit. Praeterea, Religio ei dedit summam lib. it. 540.000, portiones simul computando quas solvit pro menstrua pensione urgente eidem a Signatura Apostolica concessa. Quapropter summam revera ingentem lib. it. 3.669.800 Religio pro illa iam ex integro expendit, atque indubium videtur quod caritas et aequitas, de quibus in can. 643 § 2, perample servarentur, si Religio menstruam pensionem lib. it. 60.000 ei solveret solummodo usque ad finem huius decurrentis anni 1971.

Decisio. - In Congressu diei 6 iulii 1971, habito coram Emo Cardinali Praefecto, proposito recursu a Maria, olim religiosa, interposito ad obtinendam a Religione, e qua dimissa est, pensionem vitaliciam menstruam lib. it. 70.000, vel una tantum summam lib. it. 12.000.000, decretum est: *Recursum esse reiciendum; prorogandam tamen esse in favorem recurrentis, usque ad diem* 31 *decembris* 1971, *pensionem menstruam lib. it.* 60.000 *eidem recurrenti decreto diei* 31 *augusti* 1970 *assignatam.*

* Apoll. 44 (1971) 625-627.

3989

1971 IUL 7.-SC INST. CATH., DECR. AAS 63(1971)791-792

Facultas Iuris Canonici Orientalis in Pontificio Instituto Orientali erigitur

Canonicae Orientalium Ecclesiarum leges cum in Codice Iuris Canonici recipi nec expresse nec directe quiverint (cf. can. 1), Summus Pontifex Benedictus XV, fel. rec., brevi postquam Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali ad singularem dignitatem evexit, die xv m. octobris a. D. MCMXVII «Motu Proprio» dato «Orientis Catholici» (*A. A. S.* 9 [1917], pp. 531-533) [LE 54] Pontificium Institutum studiis rerum orientalium provehendis condidit atque constituit, non solum Latinis patens sed «etiam Orientalibus tum unitis tum orthodoxis qui appellantur». Cum autem hoc altiorum studiorum domicilium «et omni apparatu quem huius aetatis eruditio postulat ornatum, et doctoribus in uno quoque genere peritissimis Orientisque perstudiosis insigne», praeter alias disciplinas apprime «ius canonicum omnium Orientis christianarum gentium» excolat, Sacra Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus, benigne favente Ssmo Dño Paulo div. Prov. Papa VI, re diligenter perpensa, aequum opportunumque duxit, Decreto «Quo arctior» diei II m. iulii a. D. MCMLXIII Sectionem Canonisticam in eodem Pontificio Instituto tamquam Facultatis Iuris Canonici Pontificiae Universitatis Gregorianae partem constituere ac declarare [LE 3119], cuius esset ordinarios Sectionis studentes gradibus academicis debitis expletis condicionibus exornare.

Cum autem Oecumenicum Concilium Vaticanum II sollemniter enuntiaverit «Ecclesias Orientis sicut et Occidentis iura pollere et officio teneri se secundum proprias disciplinas peculiares regendi» (Decr. *Orientalium Ecclesiarum instituta*, n. 5) [LE 3233], cumque interim feliciter interc-esserit octo annorum experimentum, pluribus visum est tempus advenisse Sectionem ipsam in proprie dictam Facultatem promovendi atque evehendi. Quae cum ad Augustum Pontificem, omnium prius accersitis quorum interest sententiis, delata essent, benevolam Ipse sententiam suam patefacere dignatus est. /

792

Quare Sacra Congregatio pro Institutione Catholica, quo aptius tum Orientalium Ecclesiarum peramplum ac praestantissimum rerum iuridicarum patrimonium maiore dignitate augeat tum Ecclesiae Occidentalis in Orientales fratres etiam seiunctos vividam dilectionem promat, petitionem Revmi Vice-Magni Cancellarii libenter excipiens, auctoritate a Ssmo Dño Nostro Paulo div. Prov. Pp. VI sibi concredita, *Facultatem Iuris Canonici Orientalis in Pontificio Instituto Orientali* hoc Decreto *in perpetuum erigit ereclumque declarat*, facta eidem potestate gradus academicos ad normam iuris conferendi, in primis documenti *Normae quaedam*» [LE 3652] inscripti ac peculiarium Statutorum ab eadem Congregatione approbandorum, adeo ut canonistarum agmen, qui Christiani Orientis Ecclesiarum consuetudines legesque addiscant interpretentur stabiliantque, plenius in dies crescat floreatque, quo promptiores tandem fiant omnes «solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis...: unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis» (*Eph.* 4, 3-6). Ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis, die VII m. iulii, in festo Ss. Cyrilli monachi et Methodi Ep., anno D. MCMLXXI.—Gabriel Maria Card. Garrone, *Praef.* Franciscus Marchisano, *Subsecr.*

3990

1971 IUL 7.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

De nullitate matrimonii inter duos orthodoxos ritus byzantini-romeni initi absque ritu sacro

Facti species. - Rainerius, in ecclesia orthodoxa russica baptizatus, et Eduarda, communitati presbyterianae adscripta, anno 1951 communi consilio matrimonium in Statibus Americae Septemtrionalis contraxerunt coram ministro presbyteriano, licet in loco adesset ecclesia orthodoxa russica.

Anno 1970 Eduarda a viro discessit et divortium obtinuit; Rainerius autem, ut possit uxorem ducere Valeriam, mulierem romano-catholicam, die 9 martii 1971 a Tribunali Metropolitano declarationem nullitatis sui matrimonii cum Eduarda petiit, non ex capite mixtae religionis, ad normam can. 72 Concilii Trullani, sed ex defectu formae seu ritus sacri.

Causa pertractata est processu ordinario et secundum proceduram specialem quae viget in Statibus Americae Septemtrionalis. Processu expleto, Tribunal exemplar authenticum actorum et sententiae pro nullitate matrimonii ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal misit, ut praescribit decisio eiusdem d. 28 novembris 1970.

In iure.—A primis Ecclesiae temporibus, in celebrandis fidelium nuptiis adhibebantur sacri ritus, idest orationes et benedictio sacerdotalis, ut Euchologia saeculi V iam demonstrant. Immo Ecclesia Constantinopolitana seu ritus byzantini omnibus christianis interdixit ne, benedictione sacerdotali et precibus praetermissis vel neglectis contra consuetudinem, coniugale foedus conciliare audeant. Agebatur tamen de forma ad matrimonii licelitatem tantum praescripta. Ideo Nicolaus I, in responsis ad consultationes Bulgarorum, dicit celebrationem matrimonii absque sacerdotis benedictione grave apud Graecos constituere peccatum.

Saeculo IX tamen videtur Ecclesia Constantinopolitana suam fecisse novellam 89 Leonis VI imperatoris, qui, sive ut ab omnibus christianis et in utroque foro —civili et ecclesiastico— forma canonica adhibeatur, sive ut Ecclesia exclusive possit exercere potestatem in materia matrimoniali, praescripsit ad matrimonii validitatem ut consensus manifestaretur τῇ μαρτυρίᾳ τῆς ἱερᾶς εὐλογίας, ideoque coram ministro sacro, presbytero vel saltem diacono, qui recitet orationes, sacram benedictionem impertiatur et ritum coronationis compleat.

Hanc normam acceptarunt non modo Ecclesiae particulares ritus byzantini, verum etiam ecclesia syriaca, chaldaea, coptica et armena; in omnibus matrimonium civile, etiam quando una pars tantum est orthodoxa, nullius est valoris. Hac de causa MP *Crebrae allatae* (can. 85 et 90 § 1, 2°) [LE 2029] ad valide contrahendum exigit ritum sacrum, idest praesentiam ministri sacri saltem benedicentis.

Ceterum, die 28 novembris 1970 Patres Cardinales, membra Sacri Tribunalis Signaturae Apostolicae, proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii inter duos orthodoxos ritus byzantino-romeni ob defectum formae seu ritus sacri*, respondendum decreverunt: *Affirmative*. Summus autem Pontifex die 28 decembris 1970 declaravit nihil obstare quominus haec decisio publicaretur [LE 3924].

Oportet tamen ut huiusmodi causae processu ordinario pertractentur, idest, praevia citatione partium et dubii concordatione, examine partium, auditione testium si qui sint, et collectis documentis. Praeterea, in causa instruenda inquiri debet an matrimonium celebrari potuisset coram ministro sacro citra grave incommodum; nam, si defectus benedictionis tribuendus sit impossibilitati inveniendi ministrum sacrum, tunc matrimonium etiam coram solis testibus initum valet.

In facto.—In casu Rainerius, utpote in ecclesia orthodoxa baptizatus, non poterat matrimonium validum contrahere absque praesentia et benedictione ministri sacri, quia facile poterat adire ecclesiam orthodoxam russicam in loco. Ex alia parte Communitas presbyteriana non habet Episcopos, ideoque non habet sacerdotes vel diaconos, qui possint sacram benedictionem sponsis impertiri.

Iudex ut potuit causam pertractavit. Interrogavit actorem, qui confirmat matrimonium unice in ecclesia presbyteriana initum fuisse, idest non petivisse deinde benedictionem a ministro orthodoxo. Mulier conventa noluit citationi respondere, sed scripto asseruit actoris declarationem falsam esse, nescitur quo sensu. Nullus testis inventus est. Patronus actoris et Defensor vinculi paucis sese expedierunt sive in iure sive in facto; essentialia tamen prae oculis habuerunt. Sententia bene exarata videtur: in iure allegatur decisio Signaturae Apostolicae d. 28 novembris 1970 [LE 3924]; in facto autem animadverti quod actor, si voluisset, facile potuisset obtinere benedictionem sui matrimonii a ministro sacro ecclesiae orthodoxae, in qua baptismum recepit, ideoque logice concludit: «Affirmative, seu constare de nullitate matrimonii, in casu».

Decisio. - In Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, die 7 iulii 1971, proposita instantia ad obtinendam approbationem seu ratificationem sententiae nullitatis matrimonii de quo agitur die 27 maii 1971 latae, decretum est: *Approbatam seu ratam esse nullitatis sententiam, quae proinde exsecutioni mandari potest.*

* Apoll. 44 (1971) 618-620.

3991

1971 IUL 8.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

De mandato procuratorio non a curatore sed a parte conventa data deque querela nullitatis sententiae inde derivantis

Species facti. - Titius, qui matrimonium iniverat in dioecesi A., Italia, suum matrimonium accusavit nullitatis coram Tribunale Regionali B., ob amentiam mulieris. Parti conventae constitutus est curator, qui et Procuratorem nominavit. Hoc Tribunal sententiam tulit *affirmativam*, seu constare de nullitate matrimonii, in casu.

Appellatio prosecuta est apud S. R. Rotam. Ad prosequendam autem causam apud hoc Tribunal, pars conventa *personaliter, absque interventu curatoris*, Patronum et Procuratorem sibi nominavit Advocatum X.

Excmus Ponens de Turno per decretum iussit ut Adv. X «ante omnia provideat ad exhibendum novum mandatum procuratorium authentice subscriptum a curatore partis conventae». Advocatus autem X sese opposuit huic decreto et institit ut institueretur quaestio incidentalis cum recursu ad Collegium. Ponens ideo decrevit ut fieret quaestio incidens de curatore.

Turnus Rotalis propositae quaestioni «An valeat mandatum procuratorium non a curatore, sed a conventa datum, in casu», per decretum respondit: *negative*, seu mandatum a parte conventa datum *non valere* ad effectum, de quo agitur.

Tunc Adv. X recursum fecit ad Signaturam Apostolicam contra hoc decretum rotale, postulans praeterea ut «cum quaestione de curatore hoc Supremum Tribunal videat etiam de querela nullitatis sententiae Tribunalis» Regionalis B. Ratio enim nullitatis esset invalida constitutio curatoris conventae dati initio causae, eo quod pars conventa esset capax standi per se in iudicio.

Interim S. Rota ulterius procedendo in causa principali, sententiam tulit *affirmativam*, seu constare de nullitate matrimonii in casu, confirmans sententiam primae instantiae Tribunalis Regionalis B. Ideo causa duas sententias affirmativas obtinuit et facta est exsecutiva.

Sententia notificata est partibus, atque de hac notificatione informatum est Tribunal Regionale B. Eadem autem die huius informationis, Adv. X iterum ad Signaturam Apostolicam recurrit, instans in petitionibus recursus praecedentis atque postulans, praeterea, ut effectus civiles sententiae rotalis suspendantur usque ad decisionem Signaturae Apostolicae circa recursum pendentem, atque ut concedatur nova causae propositio ad explendam suppletivam inquisitionem iam propositam et numquam peractam.

Ideo quattuor sunt quaestiones solvendae: 1) An recursus contra decretum rotale in causa incidentali acceptandus sit; 2) An querela nullitatis contra sententiam primae instantiae Tribunalis Regionalis B. sit acceptanda; 3) An effectus civiles sententiae rotalis suspendendi sint; 4) An concedenda sit nova causae propositio.

In iure et in facto.—Imprimis solvenda est quaestio num Adv. X sit legitimus Procurator partis recurrentis ad recurrendum ad Signaturam Apostolicam. Ratio dubii est quia, interposita causa incidentali apud S. Rotam de valore mandati procuratorii huius Advocati eo quod mandatum subscriptum esset personaliter a parte conventa non vero a curatore qui ei datus est in prima instantia, Turnus Rotalis decrevit hoc mandatum non valere atque tum mandatum tum acta omnia ab Advocato X posita ex actis causae expungenda esse. Ad normam autem art. 190 § 1 Inst. *Provida Mater* [LE 1347], haec decisio Collegii est inappellabilis.

Attamen vi art. 17 § 1 Normarum Spec. Signaturae Apostolicae, contra sententias et decreta S. Rotae de quibus in citato art. 190 § 1, patet recursus ad Signaturam Apostolicam. Ex alia autem parte, cum quaestio incidentalis in casu fuerit praecise de valore mandati procuratorii Adv. X, non potest huic denegari ius recurrendi ad Signaturam Apostolicam contra illud decretum eaque omnia agendi coram ipso Tribunali quae ad suam suique clientis defensionem spectant.

Hoc posito, nunc de singulis quaestionibus. Cum solutio quaestionis de recursu pendeat a solutione quaestionis circa querelam nullitatis, haec imprimis examinanda est.

1) *De querela nullitatis sententiae Tribunalis Regionalis B.*

In primo recursu ad Signaturam Apostolicam petebatur ab Adv. X. ut cum quaestione de curatore Signatura videret etiam de querela nullitatis sententiae Tribunalis Regionalis B. ex capite invalidae constitutionis curatoris ideoque invalidae nominationis Procuratoris a curatore factae (cf. can. 1892, 3°).

http://www.obrascatolicas.com

Iam vero Signatura competens est per se tantummodo ad videndas querelas nullitatis contra sententias rotales (can. 1603 § 1, 3°, et *Normae Speciales*, art. 17 § 2, n. 1) [LE 3636]; non vero ad videndas querelas nullitatis contra sententias aliorum Tribunalium. Huiusmodi querelae proponendae sunt coram iudice qui sententiam tulit, ad normam can. 1893.

Attamen in casu habetur intima conexio inter recursum contra decretum rotale et querelam nullitatis ex invalida constitutione curatoris. Si enim invalide constitutus esset curator initio processus eo quod pars conventa esset capax standi per se in iudicio, rueret decretum S. Rotae contra validitatem novi mandati procuratorii a conventa —non ab eius curatore— subscripti. Ideo Signatura, admissa competentia ad videndum de recursu contra decretum rotale, potest et debet videre, in casu praesenti, etiam de querela nullitatis ob invalidam constitutionem curatoris.

Age vero: In Italia iuxta art. 14 Normarum pro exsequendis Litt. Apostolicis «*Qua cura*», 8 dec. 1938, de Ordinandis Tribunalibus Regionalibus Italiae (A. A. S., 30, 1938, 410-413) [LE 1458], Archiepiscopi Sedis Tribunalis Regionalis est tutorem aut curatorem admittere vel designare ad normam art. 78 Inst. *Provida Mater*, collatis consiliis cum Ordinario partis conventae cui tutor vel curator constituendus est (cf. A. A. S., 32, 1940, 306) [LE 1347].

Ex alia parte, iuxta Responsum Comm. Pont. ad Cod. interp. diei 25 ian. 1943, ad curatorem dandum non requiritur regulare iudicium, sed sufficit decretum Ordinarii praevia eiusdem inquisitione (cf. A. A. S., 35, 1943, 58 [LE 1729]; D. Staffa, *De constitutione Curatoris pro mente infirmis in Iure Canonico*, in *Apollinaris* 1943 pp. 63-81). Patet relinqui prudentiae Ordinarii, iudicium quousque huiusmodi inquisitio facienda sit. Nec, data natura administrativa actus, necesse est ut formalis et specifica investigatio instituatur, si Ordinario satis constat v. gr. ex scientia directa et personali vel ex documentis in ipsa praesentatione libelli exhibitis, partem non esse capacem standi per se in iudicio et indigere curatore.

In casu autem praesenti, hae normae iuris satis observatae sunt in constitutione curatoris partis conventae. Nam:

a) Nominatio facta est ab Ordinario loci Tribunalis Regionalis *sufficienter collatis consiliis* cum Ordinario partis conventae, ut patet ex litteris Ordinarii sedis Tribunalis Regionalis B. ad Ordinarium partis conventae A., atque ex huius ad illas litteras responsione, quae in Actis prostant.

b) Investigatio sufficiens habetur, in casu, ex elementis quae continentur in documentis exhibitis in ipsa praesentatione libelli: scl. ex cartellis clinicis —ex quibus constat de duabus degentiis conventae in «casa di cura» atque de diagnosi «schizofrenia»—, ex peritia extraiudiciali —sed valida ad hunc effectum— Professoris N. atque ex modo quo sese gesserunt familiares conventae. Ad litteras enim Tribunalis Regionalis B diei 14, 5, 1966, ad matrem conventae directas, quibus invitabatur ad acceptandum munus curatoris pro filia, respondet filius, simpliciter atque sine ulla obiectione: «Mia madre... mi ha consegnato la sua del 14, 5. 1966, in cui comunica l'istanza presentata da mio cognato... Per la nomina di un curatore, stante la sua [della madre] non giovane età, riterrei più idoneo il sottoscritto».

c) In prima instantia mulier conventa contulerat Adv. M. mandatum procuratorium, quod ratum habuit curator. At, excipiente parte actrice, mandatum conferendum esse absolute a curatore non autem a parte incapaci et postea ratificatum a curatore. Tribunal Regionale B. per decretum, respuit illam nominationem Procuratoris a conventa factam et postea a curatore ratificatam, et iussit novum mandatum conferri unice a curatore. Iam vero, in illa occasione nemo ausus est appellare contra hoc decretum; quod signum evidens est omnes existimavisse mulierem non esse capacem standi per se in iudicio, sed re vera indigere curatore.

d) Confirmatur ex eo quod sententia fuerit affirmativa seu constare de nullitate ex capite defectus consensus ob amentiam (schizofrenia) mulieris.

Nullum ergo dubium moveri potest circa validitatem nominationis curatoris in casu de quo agitur. Ergo neque de actibus legitimis ab eo positis in causa, ut puta nominatio Procuratoris, servatis ceteris de iure servandis.

Ideo querela nullitatis contra sententiam Tribunalis Regionalis B. ex capite invalidae constitutionis curatoris, reiicienda est in casu, utpote carens fumo boni iuris.

2) *De recursu contra decretum S. Rotae in causa incidentali.*

Curator semel constitutus, in suo munere perseverat in omnibus gradibus iudicii, nisi a munere cessaverit, servatis ad validitatem cessationis servandis. Patet autem, ex ipsa natura instituti curatoris, cum a munere non cessare ex mera voluntate vel declaratione illius, cuius est curator. Cum enim pupillus praesumatur incapax discretionis ad agendum per se, absonum prorsus esset ut ex eius discretione et voluntate penderet perseverantia curatoris in suo munere. Omnino necessarius est interventus auctoritatis competentis, quae iuridice agnoscat pupillum non amplius indigere curatore et eum posse per se ipsum stare in iudicio. Donec hic interventus locum non habuerit, ipse valide agere non potest, nisi mediante curatore, in causa pro qua datus est curator.

Per se auctoritas quae de actuali capacitate pupilli ad agendum per se iudicare debet, est eadem quae ei curatorem dedit scl. in Italia Ordinarius sedis Tribunalis Regionalis, qui quemadmodum via administrativa iudicavit, initio processus, de necessitate constituendi curatorem, potest postea, durante processu, facta investigatione de actuali capacitate discretionis pupilli ad standum per se in iudicio, revocare mandatum curatoris, qua revocatione pupillus recuperat capacitatem iuridicam ad agendum per se in causa.

Iudices quemadmodum non tenentur inquirere praeiudicialiter de legitimitate constitutionis curatoris, sed ipsis satis est praesumptio quae stat pro Ordinario, ita nec tenentur inquirere durante processu utrum incapacitas discretionis pupilli ad agendum per se adhuc perseveret necne. Nec possunt, ut patet, admittere pupillum ad standum per se in iudicio ex eo quod ipse asserat se capacem actu esse ad agendum per se sine assistentia curatoris, etiamsi attestationes extraiudiciales a se procuratas afferat ad hoc comprobandum.

In casu, ponens de Turno per decretum iussit Advocatum X. ante omnia providere debere «ad exhibendum novum mandatum procuratorium authentice subscriptum a curatore partis conventae». Quod facere Advocatus recusavit. Tunc quaestionem incidentalem cum recursu ad Collegium proposuit de validitate sui mandati subscripti non a curatore sed a parte conventa. Dubium autem quaestionis incidentalis sic propositum est: «An valeat mandatum procuratorium non a curatore, sed a conventa datum, in casu». Huiusmodi quaestioni nullum dubium esse potest quin responsio debeat esse negativa. Ideo putamus decretum S. Rotae, etsi nonnullas assertiones accidentales continet minus feliciter redactas, esse, sive in iure sive in facto, adeo bene fundatum, ut oppugnari non possit.

Ideo recursus contra hoc decretum est reiciendus, utpote carens fumo boni iuris.

3) *De suspensione effectuum civilium sententiae rotalis.*

Imprimis notandum est recursum ad Signaturam Apostolicam contra decretum circa causam incidentalem de qua supra, non afficere validitatem sententiae S. Rotae circa causam principalem. Nec iniuria facta est conventae, siquidem eius Advocatus potuisset viam iure praescriptam sequi, scl. providere ad validam nominationem Procuratoris, et eo magis quod, in casu, eius iura satis defenduntur a Publico Tutore Vinculi.

Ideo cum duae sententiae conformes pro nullitate matrimonii habeantur in casu, cumque tum querela nullitatis contra primam sententiam tum recursus contra decretum rotale in quaestione incidentali, reiicienda sint, nulla apparet ratio cur sententia S. Rotae quae exsecutiva iam est, debeat suspendi quoad effectus civiles. Huiusmodi suspensio laederet, et quidem graviter, iura partis actricis.

4) *De nova causae propositione.*

Cum causae de statu personarum, numquam transeant in rem iudicatam, pars conventa semper poterit, positis ponendis, novam causae propositionem postulare ad normam can. 1903 et 1989.

At non spectat ad Signaturam Apostolicam videre de nova causae propositione. Hoc enim Supremum Tribunal videt tantummodo de recursibus adversus sententias rotales in causis de statu personarum, quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit (can. 1603, § 1, 5° et *Normae Speciales* Sign. Apost., art. 17 § 2, n. 3).

Nec in casu praesenti adest ratio ulla, qua Signatura fiat competens ad hanc novam causae propositionem admittendam, ut patet ex solutionibus datis ad quaestiones praecedentes. Ratio adducta ab Advocato, scl. «ad explendam suppletivam inquisitonem iam propositam et numquam peractam», potest fortasse sufficere ad novum causae examen admittendum; at iudicare an sit admittendum necne, non spectat ad Signaturam Apostolicam sed ad S. Rotam.

Decisio. - Die 8 iulii 1971 in Congressu habito coram Emo Cardinali Praefecto, proposito recursu ab Advocato X pro parte conventa exhibito, decretum est:

1° - *Recursum contra decretum S. R. Rotae diei 7 octobris* 1970, *admittendum non esse.*

2° - *Querelam nullitatis, ob assertam invalidam constitutionem curatoris, contra sententiam Tribunalis Regionalis B. die* 16 *iunii* 1969 *latam, reiciendam esse.*

3° - *Attentis decisionibus* 1° *et* 2°, *exsecutionem civilem sententiae rotalis diei* 31 *martii* 1971 *non esse suspendendam.*

4° - *Quoad novam causae propositionem, pars conventa utatur iure suo coram quo de iure.*

* Apoll. 44 (1971) 581-587.

3992

1971 IUL 15.-PAULUS VI, EPIST. AAS 63 (1971) 669-673

Epistula ad Emum P. D. Ioannem S. R. E. Cardinalem Villot, a publicis Ecclesiae negotiis, qua:

Pontificium Consilium «Cor unum» de humana et christiana progressione fovenda, in Urbe conditur

PAULUS PP. VI

Venerabilis Frater Noster,
Salutem et Apostolicam Benedictionem

Amoris officio ducti ad universam hominum familiam per semitas mutuae sinceraeque necessitudinis incitandam, novum quoddam propositum diu mente alimus, quod plures etiam a Nobis postulaverunt; itque, cum maxime con-

sentaneum muneribus hodierno tempore Ecclesiae obeundis arbitremur, in animo Nobis est tecum sedulo communicare, Venerabilis Frater Noster, qui prae ceteris, Nostras sollicitudines novisti atque participas: propositum dicimus curandi ut, in latissimis finibus christianae populorum coniunctionis hominumque progressionis germana caritate fovendae, omnes vires et incepta quae in Ecclesia vigent, artiore inter se vinculo coniungantur; ut scilicet cum Romano Pontifice —qui certis Romanae Curiae Dicasteriis, sive antiquis sive recens conditis, universale sibi iniunctum
670 officium Evangelii prolatandi et humanae dignitatis / promovendae absolvere studet— hinc omnes ex universo terrarum orbe Episcopi, illinc catholica instituta, quae in beneficentiae et liberalitatis opera incumbunt, collatis viribus allaborent ad hosce nobilissimos persequendos effectus. Quare opportunum Nobis videtur quoddam condere Consilium, quod veluti congressionis facultatem cuncto praebeat Dei Populo ad supra memoratas quaestiones pertractandas de hominum coniunctione atque progressione secundum immutabilia Evangelii principia promovendis.

Id prorsus expostulatur gliscentibus necessitatibus, quas fuse in nuper data Epistula Apostolica, *Octogesima adveniens* [LE 3975] inscripta, exposuimus, ut inde ortis quaestionibus lumen afferretur, quod a Christi doctrina promanat, atque efficientiora usque hominibus praeberentur adiumenta, Deo opitulante, ad suas componendas difficultates, quibus hodie ipsi premuntur.

Sicut praeteritis saeculis, ita nostra aetate Ecclesia suum esse putat sedulo studio atque humanitatis plena voluntate hominibus inservire, quia a Dei Filio condita est, qui «non venit ministrari, sed ministrare» [1]; vult ipsius exemplis insistere, sicut scribit S. Ambrosius: «Hac servitute pollet populus christianus, sicut et Dominus ad discipulos suos ait: 'Qui vult inter vos primus esse, sit omnium servus' [2] ... hanc servitutem operatur caritas, quae et spe maior et fide est» [3]; vult fratribus prodesse, ea scilicet sentiendi vi, «quae Ecclesiae est propria quae, remota a quavis humana utilitate, serviendi officio et erga tenuiores caritate distinguitur», sicut in commemorata Epistula animadvertimus (n. 42), ita ut efficax suum hominibus praebeat auxilium, qui hodie maxime variis quaestionibus respondere debent, in quibus vires haud raro desunt vel animi concidunt,
671 quique saepe saepius doloribus, fame, / anxitudine afficiuntur, aut, calamitatibus acerbo vulnere percussi, omnibus rebus destituuntur vitamque degunt miserrimam.

Verum complura exstant in Ecclesia instituta, quae ad id efficiendum vires conferunt; haec sane amplissima laude sunt digna, siquidem sive ad promovendum integrum vitae condicionum progressum, sive ad damna reparanda maturo providoque nisu incumbunt. Neminem autem fugit, maxime convenire, ut mirifica illa incepta magis magisque inter se congruant et ita, consociata opera, aptiore modo in campo caritatis exercendae, adiumenti ferendi, et fovendae populorum progressionis sibi constitutos fines feliciter adipiscantur. Oportet pariter, ut horum institutorum agendi ratio mutua voluntatum conspiratione scite et accommode regatur, ne fortuita atque extemporalis sit, nec umquam virium opumque dispendia faciat. Quod Oecumenici Concilii Vaticani II votis plane respondet; etenim Patres, postquam in omnium memoriam revocarunt onus Populi Dei «miserias huius temporis pro viribus» sublevandi, «idque ut antiquus mos ferebat Ecclesiae, non ex superfluis tantum sed etiam ex substantia», haec adiecerunt: «Modus subsidia colligendi et distribuendi, quin sit rigide et uniformiter ordinatus, recto tamen ordine disponatur in dioecesibus, nationibus et universo mundo» [4].

Huiusmodi autem munus in hanc potissimum Petri Cathedram recidere, atque ad apostolicum mandatum, Nobis divinitus commissum, pertinere videtur, siquidem Dei voluntate uti Episcopus et Pastor Romanae praeficimur Ecclesiae, quae «praesidet... universo caritatis coetui» [5]. Praeterea firmiter putamus hoc Nostrum esse onus, ut omnes nationes commoneamus inter ipsas idem vigere coniunctionis officium, quod inter singulos homines intercedat: etenim, sicut in Encyclicis Litteris, a verbis «*Populorum*
672 *Progressio*» incipientibus, com/memoravimus, «quae in regionibus divitioribus supersunt ea indigentibus regionibus debent prodesse» [6]: id sane non solum poscit socialis iustitiae atque mutuae inter populos necessitudinis officium, sed potissimum munus universale caritatis, «qua pro omnibus consortio humanior promovetur, in qua cuncti dare debeant et accipere» [7].

[1] *Matth.* 20, 28. [2] *Matth.* 20, 27. [3] *De Paradiso*, 14, 72, *CSEL* XXXII, P. [illegible] 20. [4] *Gaudium et spes*, 88 [LE 3356]. [5] S. Ignat. Ant. *Ad Romanos* inscr.; [illegible] 25. [6] [illegible] 49, cf. 48-49 [LE 3546]. [7] *Ib.* 44.

Hisce igitur omnibus causis perpensis, Romae Pontificium Consilium «Cor Unum» de humana et christiana progressione fovenda condimus et instituimus, cuius te Praesidem eligimus atque renuntiamus. Eiusdem autem Consilii erit quae supra descripsimus proposita persequi, scilicet: operam dare omnium institutorum catholicorum, immo totius Populi Dei viribus et inceptis componendis per opportunum notitiarum commercium et augescens cooperationis studium, ita ut constanti ac recte ordinata ratione foveatur plena humana progressio, aptioribus usque ad id adhibitis instrumentis; praesto esse Episcopis et omnibus, qui publica munera obeunt, nectendo opportuna coniunctionis vincula cum catholicis beneficentiae institutis, atque, quantum fieri potest, aequiorem usque opum viriumque partitionem fovendo; cum seiunctis fratribus agere, ut, ubi fieri possit, populi per mutua caritatis incepta subleventur; faciliores reddere institutorum catholicorum necessitudines cum publicis atque internationalibus Consiliis, quae in eodem beneficentiae et progressionis campo allaborant; in repentinis ruinis efficere, ut singula Consilii membra concors, efficax celereque auxilium afferant, salvis propriis cuiusque iuribus agendique modis, ita ut Ecclesia, ad quam omnium oculis convertuntur, suum expectatum, etsi veris necessitatibus pro dolor semper impar subsidium, miseris praestare queat. Munus praeterea Consilii erit, quotiescumque Summo Pontifici in caritatis materie quaedam singularia facta et incepta suscipienda videantur, adiutricem operam Ipsi navare / Eiusque veluti instrumentum esse, ut ea ad promptum exitum deducantur.

Tibi igitur, Venerabilis Frater Noster, officium committimus novum huiusmodi Consilium ad rem quam primum perducendi, ratione quae magis accommodata videbitur. Tuum erit congruum catholicorum institutorum numerum ex universo terrarum orbe Nostro nomine deligere et in Consilium allegere, eorum auxilio agendi ordinem et vias eiusdem Consilii temperare, atque, ad hoc advocatis viris, qui horum institutorum partes agant, post congruum tempus experimenti causa aptas perficere et constituere normas, quas rerum usus suaserit.

Ut plane patet, magnam spem in orituro Consilio collocamus, atque vehementer optamus, ut ipsum in christiana communitate validum, etsi modicum, adiumentum suppeditare possit, cuius ope magis magisque promoveatur recte ordinata Ecclesiae actio in eorum omnium commodum, quotquot in mundo necessitate premuntur et iure sibi vindicant humaniores vitae condiciones.

Ut tibi tuisque in hac re adiutoribus caelestis aspiret gratia, Nostras ad Caelum fundimus preces atque, supernorum munerum auspicem Nostraeque singularis benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Iulii, anno MDCCCCLXXI, Pontificatus Nostri nono.— Paulus Pp. VI.

Adn. H. CONDON in UISG n. 23 (1972) 30-32.

3993

1971 IUL 29.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 64 (1972) 16-17

Peculiaris Commissio Almo Collegio Capranicensi in Urbe gubernando constituitur

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Propenso et sollicito animo sedes adulescenti clero instituendo prosequitur, quippe in quibus spes Ecclesiae non paulum sit collocata. Inter Romana autem sacrorum eiusmodi alumnorum domicilia locum obtinet Almum Collegium Capranicense, quod non uno nomine commendatur, potissimum vero eo, quod antiquitate praecellit. Conditum enim est saeculo xv a Dominico Cardinali Capranica, qui studio erat incensus pauperes scholares scientia et moribus ad sacerdotale munus componendi. Ab hoc viro egregio idem Collegium certis est legibus ordinatum; quae quidem postea, prout temporum ac rerum adiuncta suadebant, mutatae sunt, praesertim per Pium VII, Decessorem Nostrum, qui eius regimen S. R. E. Cardinali ut Protectori commisit, derogans conditoris voluntati, ex qua id esset penes viros laicos auctoritate in Urbe praeditos. Verumtamen ea, quae haec aetas, praesertim post celebratum Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum, induxit ac postulat, considerantibus nova

http://www.obrascatolicas.com

dispositione prospiciendum Nobis videtur huic Collegio. Itaque, omnibus rei momentis attente perpensis, harum Litterarum vi et auctoritate Nostra haec, quae sequuntur, decernimus ac definimus: sublato munere Cardinalis Protectoris Almi Collegii Capranicensis, eius regimen tradimus Commissioni moderatrici, cuius Praeses sit unus e Patribus Cardinalibus in Urbe residentibus et cuius reliqua membra sint duo Episcopi residentiales, qui omnes olim oportet fuerint alumni eiusdem Collegii et a Romano Pontifici ad hoc officium gerendum nominantur; deinde, huius Commissionis erit modo collegiali et ratione superiore hoc Institutum regere, quod etiam ad administrationem pertineat; praeterea Moderatores Collegii, Rector imprimis, conspiranter cum praedicta Commissione agant, praesertim in rebus maioris momenti; demum, in coetu, quem Commissio saltem bis in anno habebit, Rector de statu generali Collegii eidem referet et quaestiones graviores proponet. Scriptam vero relationem exhibebit in fine cuiusdam anni scholaris, ac quidem de statu spirituali, disciplinari, scholastico, administrativo. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; enuntiatoque Almo Collegio Capranicensi in Urbe ceterisque, ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et
7 in poste/rum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis auctoritate qualibet scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die undetricesimo mensis iulii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. Traglia, *S. R. E. Cancellarius.*

3994

1971 AUG 15.-PAULUS VI, CONST. AAS 63 (1971) 657-664

Constitutio apostolica de sacramento confirmationis, cuius «Ordo» recognitus approbatur

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei- Ad perpetuam rei memoriam

Divinae consortium naturae, quo homines per Christi gratiam donantur, similitudinem quandam prae se fert ortus vitae naturalis, eius incrementi et allmonii. Etenim Baptismo renati fideles Confirmationis Sacramento roborantur ac tandem in Eucharistia cibo vitae aeternae vegetantur, ita ut hisce initiationis christianae Sacramentis thesauros vitae divinae magis magisque percipiant atque perfectionem caritatis progrediantur. Recte quidem haec verba sunt scripta: *caro abluitur, ut anima emaculetur; caro unguitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu inluminetur; caro corpore et sanguine Christi vesci-tur, ut et anima de Deo saginetur* [1].

Concilium vero Oecumenicum Vaticanum II, pastoralis sui muneris conscium, hisce Sacramentis initiationis pecu-
658 liares / curas impendit, id praescribens, ut eorum ritus apte recognoscerentur atque adeo fidelium captui magis accommodarentur. Cum igitur *Ordo Baptismi Parvulorum*, ex eiusdem universalis Synodi praecepto in novam formam redactus et Nostro iussu editus [LE 3749], iam sit in usum receptus, expedit nunc ritum Confirmationis vulgari, ut unitas initiationis christianae in suo lumine collocetur.

Re quidem vera modo recognoscendo, quo hoc Sacramentum celebraretur, per hosce annos opera et studium diligenter navabatur; scilicet eo mens intendebatur, *ut huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceret* [2]. Vinculum autem, quo Confirmatio cum reliquis eiusmodi Sacramentis sociatur, non solum ex eo apertius innotescit, quod ritus arctiore nexu dispositi sunt, sed apparet etiam e gestu et verbis, quibus Confirmatio ipsa confertur. Sic enim fit, ut ritus ac verba eiusdem Sacramenti *sancta, quae significant, clarius exprimant, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitatis propria celebratione participare possit* [3].

[1] Tertullianus, *De resurrectione mortuorum*, VIII, 3; *CCL*, 2, p. 931. [2] Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, 71; *A. A. S.* 56 (1964), p. 118 [LE 3141]. [3] *Ibidem*, 21, p. 106. [4] Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes*

Ad eum finem Nos in hac recognitione includi voluimus etiam ea, quae ad ipsam essentiam ritus confirmandi pertinent, per quem christifideles ut Donum accipiunt Spiritum Sanctum.

In Novo Testamento declaratur, quomodo Spiritus Sanctus Christo ad munus messianicum implendum adfuerit. Iesus enim, baptismate Ioannis suscepto, vidit Spiritum descendentem in ipsum (cfr. *Mc.* 1, 10), qui mansit super eum (cfr. *Io.* 1, 32). Ab illo vero Spiritu est impulsus, ut, eiusdem praesentia et auxilio innixus, Messiae ministerium palam aggrederetur. Cum Nazarethanum populum salubriter erudiret, Isaiae oraculum *Spiritus Domini super me* ad se referri dicendo adumbravit (cfr. *Lc.* 4, 17-21). / 659

Promisit deinde discipulis suis Spiritum Sanctum ipsos quoque adiuturum esse, ut etiam coram persecutoribus fidem audenter testarentur (cfr. *Lc.* 12, 12). Pridie autem quam pateretur, asseveravit Apostolis se missurum esse a Patre Spiritum veritatis (cfr. *Io.* 15, 26), qui cum iis *in aeternum* maneret (*Io.* 14, 16) iisque auxilio esset ad perhibendum testimonium de ipso (cfr. *Io.* 15, 26). Demum postquam resurrexit, Christus pollicitus est proximum Spiritus Sancti descensum: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos et eritis mihi testes* (*Act.* 1, 8; cfr. *Lc.* 24, 49).

Re quidem vera die festo Pentecostes Spiritus Sanctus mirabili prorsus modo descendit in Apostolos, cum Maria Matre Iesu coetuque discipulorum congregatos; qui ita tum eo *repleti sunt* (*Act.* 2, 4), ut divino impetu afflati *magnalia Dei* annuntiarent. Petrus autem Spiritum, qui sic super Apostolos descendit, donum aetatis messianicae habuit (cfr. *Act.* 2, 17-18). Tunc baptizati sunt ii, qui praedicationi apostolicae crediderunt, qui et ipsi acceperunt *donum Spiritus Sancti* (*Act.* 2, 38). Ex quo tempore Apostoli, Christi voluntatem implentes, Spiritus donum, quod Baptismi gratiam compleret, neophytis manuum impositione impertierunt (cfr. *Act.* 8, 15-17; 19, 5 sq.). Sic factum est, ut in Epistula ad Hebraeos, inter primae institutionis christianae elementa, recenseretur doctrina baptismatum et impositionis quoque manuum (cfr. *Hebr.* 6, 2). Quae manuum impositio ex traditione catholica merito agnoscitur initium Sacramenti Confirmationis, quod gratiam pentecostalem in Ecclesia quodam modo perpetuat.

Hinc patefit proprium Confirmationis momentum ad sacramentalem initiationem, qua fideles *ut membra viventis Christi, Ipsi per Baptismum necnon per Confirmationem et Eucharistiam incorporantur et configurantur* [4]. In Baptismo neophyti accipiunt remissionem peccatorum, adoptionem filiorum / Dei necnon characterem Christi, quo 660
Ecclesiae aggregantur ac primum participes fiunt sacerdotii Salvatoris sui (cfr. 1 *Petr.* 2, 5 et 9). Per Confirmationis Sacramentum Baptismo renati Donum ineffabile, ipsum Spiritum Sanctum, accipiunt, quo *speciali... robore ditantur* [5], atque, eiusdem Sacramenti charactere signati, *perfectius Ecclesiae vinculantur* [6] et *ad fidem tamquam veri testes Christi verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur* [7]. Demum Confirmatio cum Sacra Eucharistia ita cohaeret [8], ut fideles, iam Sacro Baptismate et Confirmatione signati, plene per participationem Eucharistiae Corpori Christi inserantur [9].

Spiritus Sancti doni collatio iam ab antiquis temporibus in Ecclesia variis ritibus est peracta. Qui quidem in Oriente et in Occidente multiplices mutationes habuerunt, ita tamen ut collationis Spiritus Sancti significatio servaretur.

In pluribus ritibus Orientis iam antiquitus praeponderasse videtur, ad conferendum Spiritum Sanctum, ritus chrismationis, a Baptismo nondum dilucide distinctus [10]. Qui ritus hodieque apud plurimas ex Orientalibus Ecclesiis viget.

In Occidente testimonia antiquissima circa christianae initiationis partem, in qua postea distinct eConfirmationis Sacramentum perspectum est, inveniuntur. Etenim post ablutionem baptismalem et ante refectionem eucharisticam, plura peragenda indicantur, ut unctio, manus impositio et consignatio [11], / quae continentur tam in documen- 661

tes divinitus, 36; *A. A. S.* 58 (1966), p. 983 [LE 3364]. [5] Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 11; *A. A. S.* 57 (1965), p. 15 [LE 3232]. [6] *Ibidem*, [7] *Ibidem*; cfr. Decr. *Ad gentes divinitus*, 11; *A. A. S.* 58 (1966), pp. 959-960 [LE 3364]. [8] Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum ordinis*, 5; *A. A. S.* 58 (1966), p. 997 [LE 3365]. [9] Cfr. *Ibidem*, pp. 997-998.
[10] Cfr. Origenes, *De Principiis*, I, 3, 2; *GCS*, 22, p. 49 sq.; *Comm. in Ep. ad Rom.*, V, 8; *PG*, 14, 1038; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* XVI, 26; XXI, 1-7; *PG*, 33, 956; 1088-1092.
[11] Cfr. Tertullianus, *De Baptismo*, VII-VIII; *CCL*, I, p. 282 sq.; B. Botte, *La tradition apostolique de Saint Hippolyte: Liturgiewissenschaftliche Quellen und Forschungen*, 39, Münster in W., 1963, pp. 53-54; Ambrosius,

tis liturgicis [12] quam in multis testimoniis Patrum. Exinde saeculorum decursu quaestiones dubitationesque ortae sunt de iis, quae ad essentiam ritus confirmandi certe pertinerent. Interest vero quaedam saltem commemorare eorum, quae inde a saeculo tertio decimo in Conciliis Oecumenicis necnon in Documentis Summorum Pontificum non paulum contulerunt ad momentum chrismationis illustrandum, ita tamen, ut impositio manuum non oblivioni daretur.

Innocentius III, Decessor Noster, haec scripsit: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur* [13]. Innocentius IV autem, item Decessor Noster, memorat Apostolos tribuisse Spiritum Sanctum *per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat* [14]. In Professione fidei imperatoris Michaëlis Paleologi, quae in Concilio Lugdunensi II lecta est, mentio fit de Sacramento Confirmationis, quod *per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos* [15]. Decretum pro Armenis, a Concilio Florentino editum, affirmant *materiam* Sacramenti Confirma-
662 tionis esse *chrisma confectum ex oleo... / et balsamo* [16], atque, allatis verbis Actuum Apostolorum de Petro et Ioanne, qui manuum impositione dederunt Spiritum Sanctum (cfr. *Act.* 8, 17), addit: *Loco autem illius manus impositionis in ecclesia datur confirmatio* [17]. Concilium Tridentinum, etsi ritum essentialem Confirmationis minime definire intendit, eum tamen solo nomine sacri Confirmationis chrismatis designat [18]. Benedictus XIV haec edixit: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia Latina Confirmationis Sacramentum conferri, adhibito Sacro Chrismate seu Oleo Olivarum, Balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formae verba pronuntiat* [19].

Multi Sacrae Theologiae doctores, harum declarationum traditionumque rationem habentes, defenderunt ad Confirmationem valide conferendam solam unctionem chrismatis, in fronte manus impositione factam, requiri; nihilominus in Ecclesiae Latinae ritibus impositio manuum ante chrismationem super confirmandos semper praescribebatur.

Ad verba autem ritus Spiritum Sanctum communicandi quod attinet, est animadvertendum iam in Ecclesia nascente Petrum et Ioannem, ad initiationem baptizatorum in Samaria complendam, oravisse pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum ac tum imposuisse manus super illos (cfr. *Act.* 8, 15-17). In Oriente saeculo quarto et quinto prima in ritu chrismationis indicia apparent verborum *signaculum doni Spiritus Sancti* [20]. Quae verba cito ab
663 Ecclesia Constantinopolitana sunt / recepta, atque etiamnum ab Ecclesiis ritus Byzantini adhibentur.

In Occidente autem verba ritus, Baptismum complentis, usque ad saeculum duodecimum et tertium decimum minus definita sunt. Verum in Pontificali Romano saeculi duodecimi primum occurrit formula, quae postea effecta est communis: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [21].

Ex iis, quae in memoriam revocavimus, liquet in actionconfirmandi in Oriente et Occidente, alia sane ratione, prie

De Sacramentis, II, 24; III, 2, 8; VI, 2, 9; *GSEL*, LXXIII, pp. 36, 42, 74-7 *De Mysteriis*, VII, 42; *ibidem*, p. 106.
[12] *Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae Ordinis Anni circuli*, ed. L. C. Mohlberg: *Rerum Ecclesiasticarum Documenta, Fontes*, IV, Roma, 1960, p. 75; *Das Sacramentarium Gregorianum nach dem Aachener Urexemplar*, ed. H. Lietzmann: *Liturgiegeschichtliche Quellen*, 3, Münster in W., 1921, p. 53 sq.; *Liber Ordinum*, ed. M. Férotin: *Monumenta Ecclesiae Liturgica*, V, Paris 1904, p. 33 sq.; *Missale Gallicanum Vetus*, ed. L. C. Mohlberg: *Rerum Ecclesiasticarum Documenta, Fontes*, III, Roma, 1958, p. 42; *Missale Gothicum*, ed. L. C. Mohlberg: *Rerum Ecclesiasticarum Documenta*, V, Roma, 1961, p. 67; C. Vogel-R. Elze, *Le Pontifical Romano-Germanique du dixième siècle, Le Texte*, II: *Studi e Testi*, 227, Città del Vaticano, 1963, p. 109; M. Andrieu: *Le Pontifical Romain au Moyen-Age*, t. 1, *Le Pontifical Romain du XIIe siècle: Studi e Testi*, 86, Città del Vaticano, 1938, pp. 247 sq. et 289; t. 2, *Le Pontifical de la Curie Romaine au XIIe siècle: Studi e Testi*, 87, Città del Vaticano, 1940, pp. 452 sq.
[13] *Ep.* «*Cum venisset*»; *PL*, 215, 285. Professio fidei ab eodem Pontifice Waldensibus imposita haec habet: *Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande accipiendam esse censemus;* *PL*, 215, 1511. [14] *Ep.* «*Sub Catholicae professione*»; Mansi: *Conc. Coll.*, t. 23, 579. [15] Mansi: *Conc. Coll.*, t. 24, 71.
[16] *Epistolae Pontificiae ad Concilium Florentinum spectantes*, ed. G. Hofmann: *Concilium Florentinum*, vol. I, ser. A, pars II, Roma, 1944, p. 128.
[17] *Ibidem*, p. 129. [18] *Concilii Tridentini Actorum pars altera*, ed. S. Ehses: *Concilium Tridentinum*, V, Act. II, Friburgi Br., 1911, p. 996. [19] *Ep.* «*Ex quo primum tempore*», 52; *Benedicti XIV... Bullarium*, t. III, Prati, 1847, p. 320.
[20] Cfr. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.*, XVIII, 33; *PG*, 33, 1056; Asterius: Episcopus Amasenus, *In parabolam de filio prodigo*, in «Photii Bibliotheca», Cod. 271; *PG*, 104, 213. Cfr. etiam *Epistola cuiusdam Patriarchae Constantinopolitani ad Martyrium Episcopum Antiochenum*; *PG*, 119, 900.
[21] M. Andrieu: *Le Pontifical Romain au Moyen-Age*, t. 1, *Le Pontifical Romain du XIIe siècle: Studi e Testi*, 86, Città del Vaticano, 1938, p. 247.

mum locum obtinuisse chrismationem, quae apostolicam manuum impositionem quodam modo repraesentat. Cum autem ea chrismatis unctio spiritualem Sancti Spiritus, qui fidelibus datur, unctionem, apte significet, Nos confirmatam volumus eiusdem exsistentiam et momentum.

Quod ad verba attinet, quae in chrismatione proferuntur, dignitatem venerabilis formulae, quae in Ecclesia Latina adhibetur, aequa aestimatione perpendimus quidem; ei tamen praeferendam censemus antiquissimam formulam ritus Byzantini propriam, qua Donum ipsius Spiritus Sancti exprimitur atque effusio Spiritus die Pentecostes peracta recolitur (cfr. *Act.* 2, 1-4 et 38). Hanc ergo formulam, fere verbum pro verbo reddentes, accipimus.

Quapropter, ut ritus Confirmationis recognitio ad ipsam etiam ritus sacramentalis essentiam congruenter pertineat, Suprema Nostra Auctoritate Apostolica decernimus et constituimus, ut ea, quae sequuntur, in Ecclesia Latina in posterum serventur:

Sacramentum Confirmationis confertur per unctionem chrismatis in fronte, quae fit manus impositione, atque per verba: «Accipe signaculum Doni Spiritus Sancti». /

Impositio vero manuum super electos, quae cum praescripta oratione ante chrismationem fit, etsi ad essentiam ritus sacramentalis non pertinet, est tamen magni aestimanda, utpote quae ad eiusdem ritus integram perfectionem et ad plenlorem Sacramenti intellegentiam conferat. Patet eam manuum impositionem, quae praecedit, differre a manus impositione, qua unctio chrismatis fit in fronte.

His omnibus de essentiali Sacramenti Confirmationis ritu statutis ac declaratis, *Ordinem* etiam eiusdem Sacramenti a Sacra Congregatione pro Cultu Divino —collatis consiliis cum Sacris Congregationibus pro Doctrina Fidei, de Disciplina Sacramentorum atque pro Gentium Evangelizatione quoad materiam earum competentiae subiectam— recognitum, Nos Apostolica Nostra Auctoritate approbamus. Cuius *Ordinis*, novam formam continentis, editio Latina, statim ut prodierit, editiones vero vulgares, a Conferentiis Episcopalibus apparatae et ab Apostolica Sede confirmatae, die, quae a singulis eiusmodi Conferentiis statuetur, vigere incipient; vetus autem Ordo usque ad finem anni 1972 poterit adhiberi. A die tamen 1 mensis Ianuarii anni 1973 novo tantum Ordine omnibus, ad quos pertinet, erit utendum.

Nostra haec statuta et praescripta in Ecclesia Latina firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque praescriptionibus etiam peculiari mentione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV mensis Augusti, in Assumptione Beatae Mariae Virginis, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri nono.—Paulus Pp. VI.

Adn. vide sub die 1971 Aug. 22: LE 3996.

3995

1971 AUG 20.-PAULUS VI, RESCR. AAS 63 (1971) 702-704

Rescriptum ex Audientia Ssmi quo Ordo Synodi Episcoporum celebrandae recognitus et auctus nonnullis additamentis perficitur

I. Rescriptum ex Audientia

Secretariae Generalis Synodi Episcoporum excipiens sententiam et votum, expedire nempe ut «Ordo Synodi Episcoporum celebrandae recognitus et auctus», die 24 Iunii 1969 publici iuris factus (*A. A. S.* 61, 1969, pp. 525-539) [LE 3762], nonnullis commutationibus et additamentis perficeretur, Summus Pontifex ea adprobavit atque edi iussit.

Una cum ceteris partibus eiusdem «Ordinis», Summus Pontifex mandavit ut novi articuli, qui sequuntur, ab omnibus quorum interest, religiose serventur.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die vigesima mensis augusti, anno Domini 1971.—I. Card. Villot, *a publicis Ecclesiae negotiis.*

II. Ordo Synodi Episcoporum celebrandae recognitus et auctus nonnullis additamentis perficitur

1. Post § 3 art. 6 eiusdem «Ordinis» addatur haec § 4:
Art. 6. § 4. «Conferentiae Episcopales et Unio Superio-

http://www.obrascatolicas.com

rum Generalium, de quibus in § 1 et 2, unum alterumve Sodalium Substitutum eligant, qui, Summo Pontifice approbante, solummodo partem in Synodo agere poterit, si Sodalis, cuius ipse vices gerit, adesse nequiverit.»

2. Articuli 11, 12 et 13, in capite VII eiusdem «Ordinis», abrogantur et articuli, qui sequuntur, loco ipsorum inducuntur:

CAPUT VII—DE SECRETARIA GENERALI SYNODI EPISCOPORUM

Art. 11 *(De Secretariae Generalis Synodi constitutione)*
§ 1. Secretaria Generalis Synodi Episcoporum est institutum permanens in servitium Synodi conditum ita ut sit inter diversos eiusdem coetus ligamen. /

§ 2. Secretariae Synodi partem, suo pro munere, habent Secretarius Generalis et Consilium Secretariae.

Art. 12 *(De Secretarii Generalis nominatione, muneribus et adiutoribus)* § 1. Secretarius Generalis a Summo Pontifice nominatur, ad Eiusque nutum munus suum exercet.

§ 2. Secretarii Generalis est iussa seu mandata Summi Pontificis exsequi Eique communicare omnia quae ad Synodum Episcoporum spectant.

§ 3. Secretarius Generalis coetus Synodi participat, officia Secretariae moderatur eiusque acta subsignat.

§ 4. Secretarii Generalis item est labores Consilii Secretariae praeparare et promovere nec non sessiones eiusdem Consilii moderari.

§ 5. Ad Secretarium Generalem quoque pertinet:
1. Mittere, de mandato Summi Pontificis, epistulas convocationis et ordinem rerum agendarum uniuscuiusque coetus Synodi Episcoporum, necnon documenta, instructiones et notitias ad eundem coetum spectantia;
2. Communicare cum omnibus, quorum interest, nomina Membrorum seu Sodalium libere a Summo Pontifice designatorum, ad normam n. X Litt. Apost. *Apostolica sollicitudo*, d. 15 sept. 1965 [LE 3318]; communicare item nominationem Secretarii Specialis uniuscuiusque coetus, a Summo Pontifice factam;
3. Summo Pontifici referre ea quae in laboribus Consilii Secretariae peracta sunt;
4. Ordinem uniuscuiusque coetus praeparare, Summo Pontifici subiciendo res in eo agendas et elenchum Membrorum, quae ratihabitione indigent;
5. Transmittere processum verbalem uniuscuiusque coetus Synodi Patribus Cardinalibus Dicasteriis Curiae Romanae praepositis, Patriarchis Archiepiscopis Maioribus et Metropolitis extra Patriarchatus Ecclesiarum Catholicarum ritus Orientalis, Praesidibus Conferentiarum Episcopalium, necnon Praesidi Unionis Superiorum Generalium;
6. Exsequi ea quae Synodus Episcoporum ipsi mandaverit;
7. Colligere, in ordinem disponere et asservare acta et documenta.

§ 6. Adiutores Secretarii Generalis nominantur, approbante Summo Pontifice, a Secretario Generali ex eoque dependent. /

§ 7. Iidem Adiutores eliguntur inter ecclesiasticos viros idoneos et aptos, scientia et prudentia praeditos.

§ 8. Si res postulet, periti in rebus technicis a Secretario Generali, approbante Summo Pontifice, eligi possunt.

Art. 13 *(De Consilii Secretariae Generalis constitutione, muneribus et conventibus)* § 1. Consilium Secretariae Generalis in fine cuiusque coetus generalis Synodi constituitur.

§ 2. Idem constat quindecim Sodalibus quorum duodecim ab ipsa Synodo eliguntur ratione habita repraesentationis Episcoporum in toto orbe diffusorum, et tres ab Ipso Summo Pontifice designantur.

§ 3. Electio Sodalium fit per scrutinium et vim habet iuris cum, demptis suffragiis nullis, parti absolute maiori eorum qui suffragium dederunt, placuerit, aut, post primum inefficax scrutinium, parti relative maiori in secundo scrutinio: quod si suffragia aequalia fuerint servabitur norma C. I. C. can. 101, § 1, 1°.

§ 4. Episcopi in Consilio Secretariae electi munus suum servant, donec in sequenti generali Synodo novum Consilium constituatur.

§ 5. Consilii Secretariae Generalis est adiutricem operam Secretario Generali praestare:
1. In examinandis omnibus quae a Synodis Ecclesiarum Catholicarum ritus Orientalis et Episcoporum conferentiis proponuntur quoad quaestiones in Synodo tractandas, ratione habita, art. 1, 3°;

2. In praeparandis laboribus in proximo Synodi coetu persolvendis;
3. In praebendis consiliis quoad ea quae a Synodo prolata et a Summo Pontifice approbanda ab Eodem exsecutioni mandentur;
4. In aliis demum quaestionibus quas Summus Pontifex ipsi commiserit.

§ 6. Sodales Consilii Secretariae Generalis a Secretario Generali convocantur bis in anno, et insuper quoties, de iudicio Summi Pontificis, id opportunum videbitur.

3996

1971 AUG 22.-SC CULTUS, DECR. AAS 64 (1972) 77

NOVUS ORDO CONFIRMATIONIS PROMULGATUR EIUSQUE EDITIO TYPICA DECLARATUR

Decretum approbationis

Peculiare Spiritus Sancti donum, a Christo Domino promissum et super Apostolos die Pentecostes effusum, ipsi Apostoli eorumque successores Episcopi baptizatis hominibus per Confirmationis Sacramentum tradiderunt. Cuius ope christianae vitae initiatio ita perficitur, ut fideles, superna corroborati virtute, Christi testes sinceri, tum verbis tum exemplis evadant, itemque arctiore cum Ecclesia vinculo astringantur.

Quo autem clarius «huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana» elucesceret, Oecumenicum Concilium Vaticanum II decrevit, ut ritus Confirmationis recognosceretur [1].

Nunc vero, huiusmodi opere absoluto atque approbato a Summo Pontifice Paulo Pp. VI per Constitutionem Apostolicam *Divinae consortium naturae*, die 15 augusti 1971 signatam [LE 3994], Sacra Congregatio pro Cultu Divino, novum Ordinem Confirmationis, qui pro Ordine in Pontificali et Rituali Romano antehac usitato substituatur, evulgandum curavit, eiusque editionem, quae nunc exhibetur, typicam esse declarat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 22 augusti anni 1971.—Arturus Card. TABERA, *Praef.* A. BUGNINI, *a Secr.*

[1] Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 71, *A. A. S.* 56 (1964), p. 118 [LE 3141].

Praenotanda *

I. DE CONFIRMATIONIS DIGNITATE

1. Baptizati iter christianae initiationis prosequuntur per sacramentum Confirmationis, quo effusum accipiunt Spiritum Sanctum, qui super Apostolos die Pentecostes a Domino missus est.

2. Hac donatione Spiritus Sancti fideles perfectius Christo conformantur et virtute roborantur, ut testimonium Christi perhibeant ad aedificationem Corporis eius in fide et caritate. Ipsis autem character seu signaculum dominicum ita imprimitur, ut sacramentum Confirmationis iterari nequeat.

II. DE OFFICIIS ET MINISTERIIS IN CELEBRATIONE CONFIRMATIONIS

3. Ad populum Dei summopere pertinet praeparatio baptizatorum ad Confirmationis sacramentum suscipiendum. Pastorum vero est curare, ut omnes baptizati ad plenam initiationem christianam perveniant, et proinde omni cura ad Confirmationem praeparentur.

Catechumeni adulti, qui statim post Baptismum Confirmationem sunt recepturi, auxilio fruuntur communitatis christianae et praesertim institutione, quae catechumenatus tempore ipsis tribuitur, ad quam operam conferunt catechistae, patrini et Ecclesiae localis membra, catechesi necnon celebrationibus ritualibus communibus. Eiusmodi catechumenatus ordinatio opportune aptabitur iis qui, infantes baptizati, aetate solummodo adulta ad Confirmationem accedunt.

Christianorum vero parentum est plerumque de puerorum initiatione ad vitam sacramentalem sollicitos se praebere, tum spiritum fidei in ipsis formando et gradatim augendo, tum eos, ope aliquando eorum institutorum, quae catecheticam formationem curant, praeparando ad fructuosam sacramentorum Confirmationis et Eucharistiae susceptionem. Quod parentum officium significatur quoque per ipsorum actuosam participationem sacramentorum celebrationis.

4. Curandum erit, ut actioni sacrae natura festiva et sollemnis tribuatur, quam eius significatio pro Ecclesia locali secumfert; quod obtinetur praesertim si candidati omnes

* Ordo Confirmationis, Editio typica, Typis Poliglottis Vaticanis 1971, p. 5 ss.

congregantur ad communem celebrationem. Universus autem populus Dei, confirmandorum familiis et amicis atque communitatis localis membris repraesentatus, ad hanc celebrationem participandam invitabitur; atque suam conabitur fidem manifestare fructibus, quos Spiritus Sanctus in ipso produxerit.

5. Singulis confirmandis patrinus de more adsit, qui illos ad suscipiendum sacramentum adducet, eosdemque ministro Confirmationis ad sacram unctionem praesentabit, necnon postea iuvabit ad promissiones, quas in baptismate protulerunt fideliter exsequendas, secundum Spiritum Sanctum quem acceperunt.

Attentis hodiernis pastoralibus adiunctis, expedit patrinum Baptismi, si adsit, esse etiam patrinum Confirmationis, abrogato can. 796, 1. Ita enim clarius significatur nexus inter Baptismum et Confirmationem, dum munus et officium patrini efficacius redditur.

Minime tamen excluditur facultas patrinum Confirmationis proprium eligendi. Fieri etiam potest, ut parentes ipsi pueros suos praesentent. Ordinarii autem loci erit, attentis rerum et locorum adiunctis, statuere quaenam ratio agendi in sua dioecesi sit servanda.

6. Animarum pastores curabunt, ut patrinus, a confirmando vel eius familia electus, officio quod sibi assumit sit spiritualiter idoneus, atque his dotibus praeditus: *a)* ad hoc munus implendum sit satis maturus; *b)* ad Ecclesiam catholicam pertineat, et tribus sacramentis Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae sit initiatus; *c)* ab officio patrini implendo iure non prohibeatur.

7. Confirmationis minister originarius est Episcopus. Sacramentum ex more ab ipso administratur, quo apertius referatur ad primam effusionem Spiritus Sancti in die Pentecostes. Nam postquam repleti sunt Spiritu Sancto, Apostoli ipsi per manuum impositionem fidelibus Eum transmiserunt. Ita acceptio Spiritus Sancti per ministerium Episcopi arctius vinculum demonstrat, quod confirmatos coniungit Ecclesiae, necnon mandatum acceptum de Christo testimonium inter homines perhibendi.

Praeter Episcopum facultate confirmandi ipso iure gaudent: *a)* Administrator Apostolicus, qui non sit Episcopus, Praelatus vel Abbas nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, Vicarius Capitularis, intra limites sui territorii et durante munere; *b)* presbyter, qui ex officio sibi legitime tributo adultum aut puerum aetatis catecheticae baptizat, vel adultum iam valide baptizatum in plenam communionem Ecclesiae admittit; *c)* In mortis periculo, dummodo Episcopus commode haberi non possit vel legitime impediatur, hi qui sequuntur: parochi et vicarii paroeciales, in quorum absentia, eorum vicarii cooperatores; presbyteri, qui peculiares paroecias rite constitutas regant; vicarii oeconomi; vicarii substituti et vicarii adiutores [1]. In absentia autem omnium praedictorum, omnis sacerdos nulla censura aut canonica poena irretitus.

8. Ex vera necessitate ac peculiari de causa, uti aliquando propter multitudinem confirmandorum accidit, Confirmationis minister, de quo in n. 7, necnon minister extraordinarius peculiari Apostolicae Sedis indulto vel a iure constitutus, presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare potest.

Necesse est ut hi presbyteri: *a)* aut peculiari munere vel officio in dioecesi fungantur, scilicet sint aut Vicarii Generales, aut Vicarii sive Delegati episcopales, aut Vicarii districtuales seu regionales [1], vel qui, Ordinarii mandato, iisdem pares ex officio habeantur; *b)* aut sint parochi locorum in quibus Confirmatio confertur, vel parochi locorum ad quae confirmandi pertinent, vel presbyteri qui peculiarem operam naverunt in praeparatione catechetica confirmandorum.

III. DE SACRAMENTI CELEBRATIONE

9. Sacramentum Confirmationis confertur per unctionem chrismatis in fronte, quae fit manus impositione, atque per verba: *Accipe signáculum Doni Spíritus Sancti.*

Impositio vero manuum, quae fit super confirmandos cum oratione *Deus omnípotens*, etsi ad validam sacramenti collationem non pertinet, magni tamen fiat ad integritatem ritus et pleniorem sacramenti intellegentiam assequendam.

Presbyteri, qui ministro principali aliquando sociantur in conferendo sacramento, manuum impositionem una cum ipso super omnes candidatos simul peragunt, nihil tamen dicentes.

Universus ritus duplicem significationem praebet. Per impositionem manuum supra confirmandos ab Episcopo ac sacerdotibus concelebrantibus factam, biblicus gestus exprimitur, quo Spiritus Sancti donum invocatur, modo optime optato intelligentiae pupuli christiani. In unctione chrismatis atque in verbis, quae illam comitantur, clare effectus doni Spiritu Sancti significatur. Oleo odorato per manum Episcopi signatus, baptizatus accipit caracterem indelebilem, signaculum Domini, una cum dono Spiritus, qui perfectius eum Christo configurat, atque gratiam ei confert «odorem bonum» inter homines effundendi.

10. Sacrum Chrisma consecratur ab Episcopo in Missa, quae ex more feria V Hebdomadae sanctae huius rei causa celebratur.

11. Catechumeni adulti necnon pueri qui aetate catecheseos tradendae baptizantur, simul ac Baptismum receperunt, ad Confirmationem quoque et Eucharistiam ex more admittantur. Quod si fieri nequit, Confirmationem recipiant in alia celebratione communi (cf. n. 4). Item in celebratione communi Confirmationem et Eucharistiam recipiant adulti, qui in infantia baptizati sunt, postquam opportune fuerint praeparati.

Ad pueros quod attinet, in Ecclesia latina Confirmationis administratio generatim ad septimum circiter aetatis annum differtur. Ob rationes tamen pastorales, praesertim ad vehementius inculcandam in fidelium vita plenam obtemperationem Christo Domino eiusque firmum testimonium, Conferentiae Episcopales possunt aetatem, quae magis idonea videatur, decernere, ita ut hoc sacramentum, post congruam institutionem, aetate maturiore conferatur.

Hoc in casu debitae adhibeantur cautelae, ut, si periculum mortis aut alius generis graves difficultates occurrant, pueri tempore opportuno confirmentur, etiam ante usum rationis, ne bono sacramenti priventur.

12. Ad Confirmationem recipiendam requiritur ut quis sit baptizatus. Praeterea, si fidelis usu rationis pollet, requiritur, ut in statu gratiae sit constitutus, sit convenienter instructus et promissiones baptismales valeat renovare.

Conferentiarum Episcopalium est subsidia pastoralia pressius definire, ut candidati, praesertim pueri, ad Confirmationem apte praeparentur.

Ad adultos autem quod spectat, principia serventur, opportune aptata, quae in singulis dioecesibus vigent pro admittendis catechumenis ad Baptismum et Eucharistiam. Provideatur praesertim ut apta catechesis praecedat ac conversatio candidatorum cum communitate christiana et cum singulis fidelibus efficax et sufficiens sit ad opportunum auxilium illis afferendum, ut ipsi candidati formationem assequantur ad testimonium vitae christianae reddendum atque apostolatum exercendum, eorumque desiderium participandi Eucharistiam sit verum (cf. *Praenotanda de Initiatione christiana adultorum*, n. 19) [LE 3749].

Praeparatio adulti baptizati ad Confirmationem aliquando incidit in eius praeparationem ad Matrimonium. Quoties, his in casibus, praevidetur condiciones, quae ad fructuosam Confirmationis receptionem requirantur, non posse impleri, Ordinarius loci iudicabit num magis opportunum sit ipsam Confirmationem in tempus post celebratum Matrimonium differre.

Si autem Confirmatio confertur fideli, rationis usu gaudenti et in mortis periculo versanti, praeparatio spiritualis singulis in casibus conveniens, ut fieri potest, praemittatur.

13. Confirmatio fit ex more intra Missam, ut magis eluceat fundamentalis connexio huius sacramenti cum tota initiatione christiana, quae culmen attingit in Communione corporis et sanguinis Christi. Hac ratione confirmati Eucharistiam participant, qua ipsorum initiatio christiana perficitur.

Si autem confirmandi sunt pueri qui nondum receperunt Ss.mam Eucharistiam neque in hac actione liturgica admittuntur ad primam Communionem, aut si peculiaria rerum adiuncta id suadent, conferatur extra Missam. Quoties vero Confirmatio sine Missa confertur, praecedat sacra verbi Dei celebratio.

Quoties Confirmatio intra Missam confertur convenit ut ipse minister Confirmationis Missam celebret, immo concelebret, praesertim cum presbyteris, qui forte ipsi sociantur in sacramento ministrando.

Si Missa ab alio celebratur, convenit ut Episcopus liturgiam verbi praesideat, in qua omnia peragat, quae ex more celebranti competunt, et in fine Missae det benedictionem.

Maximi facienda est celebratio verbi Dei, a qua initium sumit ritus Confirmationis. Etenim e verbi Dei auditione promanat multiformis actio Spiritus Sancti in Ecclesiam et in unumquemque baptizatorum seu confirmandorum, eaque voluntas Domini in vita christianorum manifestatur.

Magnum quoque momentum tribuendum est recitationi orationis dominicae quam confirmandi una cum populo persolvent, sive infra Missam ante Communionem sive extra Missam ante benedictionem habeatur, quia est ipse Spiritus qui orat in nobis, et christianus in Spiritu dicit: «Abba, Pater».

14. Nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem et locum Confirmationis parochus inscribat in peculiari libro, praeter adnotationem in libro baptizatorum ad normam iuris faciendam.

15. Si proprius confirmati parochus non interfuerit, de collata Confirmatione minister vel per se ipse vel per alium quamprimum eundem certiorem faciat.

IV. DE APTATIONIBUS QUAE IN RITU CONFIRMATIONIS PERAGI POSSUNT

16. Conferentiis Episcopalibus competit, vi Constitutionis de sacra Liturgia (art. 63 b), in Ritualibus particularibus parare titulum, qui huic Pontificalis Romani titulo de Confirmatione respondeat, accommodatum singularum regionum necessitatibus, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur [1].

17. Episcoporum Conferentia considerabit num, attentis locorum et rerum adiunctis necnon ingenio et traditionibus populorum, opportunum sit: *a)* convenienter aptare formulas, quibus promissiones et professiones baptismales renoventur, sive ad ipsum textum in Ordine Baptismi occurrentem attendendo, sive ipsas formulas accommodando, quo aptius confirmandorum condicioni respondeant; *b)* alium modum inducere ad pacem per ministrum dandam post unctionem sive singulis sive omnibus simul confirmatis.

18. Minister autem, singulis in casibus et attenta confirmandorum condicione, monitiones aliquas in ritum introducere poterit, atque iam exstantes opportune accommodare,

[1] Cf. *Ordo Baptismi parvulorum* (Typis Polyglottis Vaticanis 1969), Praenotanda generalia de Initiatione christiana, nn. 30-33, pp. 12-13 [LE 3749].

http://www.obrascatolicas.com

ex. gr. eas ad modum collocutionis, praesertim cum pueris, proponendo, etc.

Cum Confirmatio a ministro extraordinario, aut ex concessione iuris generalis aut ex peculiari indulto Sedis Apostolicae, confertur, convenit ut ipse in homilia mentionem habeat de Episcopo ministro originario sacramenti, ac rationem illustret cur etiam presbyteris facultas confirmandi a iure vel ab Apostolicae Sedis indulto tribuitur.

V. De iis quae praeparanda sunt

19. Ad Confirmationem administrandam parentur: *a)* sacrae vestes, quae ad Missae celebrationem requiruntur sive pro Episcopo, sive, si adsunt, pro presbyteris eum adiuvantibus, cum Confirmatio confertur intra Missam, quam ipsi concelebrant; si Missa ab alio celebratur, convenit ut Confirmationis minister et presbyteri, qui ei sociantur in sacramento ministrando, Missam participent sacris vestibus induti pro Confirmationis collatione praescriptis, scilicet alba, stola et, pro ministro Confirmationis, pluviali; quae vestes induuntur etiam cum Confirmatio extra Missam confertur. *b)* sedes pro Episcopo, et pro presbyteris eum adiuvantibus; *c)* vasculum (vel vascula) cum sacro Chrismate; *d)* Pontificale Romanum vel Rituale; *e)* ea quae necessaria sunt ad Missae celebrationem et, si sacra Communio hac forma distribuitur, pro Communione sub utraque specie, cum Confirmatio intra Missam confertur; *f)* ea quae necessaria sunt ad manus abluendas post unctionem confirmandorum.

[*sequitur ritus liturgicus*].

Adn. G. AUSTIN in EL 86 (1972) 214-224; U. BETTI in Notit. 7 (1971) 347-351 et in ME 96 (1972) 483-487; J. M. CANALS in Ilustración del clero 65 (1972) 262-270; J. C. R. GARCIA PAREDES in Ilustración del clero 65 (1972) 271-276; B. KLEINHEYER in La Maison-Dieu n. 110 (1972) 51-71; B. LEWANDOWSKI in EL 86 (1972) 110-127; B. NEWNS in CR 57 (1972) 41-48; A. NOCENT in NrT 104 (1972) 705-720; G. OURY in L'ami du clergé 82 (1972) 55-58; G. P. in Notit. 7 (1971) 352-363; J. PUTZ in The Clergy Monthly 36 (1972) 108-113; P. STELLA in EL 86 (1972) 182-213; A. M. TRIACCA in EL 86 (1972) 128-181; B. VIOLLE in La Maison-Dieu n. 110 (1972) 72-87.

3997

1971 SEP 18.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 64 (1972) 17

In Republica vulgo «Niger» Nuntiatura Apostolica constituitur

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Quantum utilitatis e publicis officiorum rationibus, quae Apostolicae huic Sedi cum Civitatibus intercedunt soleat exsistere, neminem latet estque iam dudum usu comprobatum. Quo firmiores ideo redderentur publicae necessitudines inter Sanctam Sedem et Rempublicam vulgo «Niger», atque aptius efficaciusque regimini et incremento in regione dioecesis Niameyensi consuleretur, visum est Nobis apostolicam nuntiaturam ibi erigi posse. Quae cum ita sint, Nos, motu proprio harumque Litterarum vi, apostolica Nostra potestate in Nigerensi Republica *Nuntiaturam Apostolicam* constituimus, cuius sedem «pro nunc» in urbe vulgo Dakar appellata collocamus. Eidem igitur Nuntiaturae omnia et singula deferimus officia, privilegia et indulta, quae huiusmodi apostolicarum legationum propria sunt. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos effectus atque integros sortiri et obtinere. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, sub anulo Piscatoris, die duodevicesimo mensis septembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. Traglia, *S. R. E. Cancellarius.*

3998

1971 OCT 7.-SC CULTUS DIVINI, RESCRIPTUM. PART.*

Facultas datur universae Familiae religiosae dominicanae adoptandi Liturgiam Horarum ex decreto Conc. Vaticani II instauratam

Instante Revmo Patre Aniceto Fernández, Magistro Generali Ordinis Fratrum Praedicatorum, litteris die 29 septembris 1971 datis, vigore facultatum huic Sacrae Congregationi a Summo Pontifice Paulo VI tributarum, decretum Capituli generalis eiusdem Ordinis, annis 1968 et 1971 celebratis, probamus seu confirmamus, nempe: Pro universa Familia dominicana, quae «coalescit ex fratribus clericis et cooperatoribus, monialibus, sororibus, sodalibus institutorum saecularium atque fraternitatum sacerdotum et laicorum», Officium Divinum ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum et auctoritate Pauli VI, per Const. Ap. *Laudis canticum* diei 1 novembris 1970 [LE 3914], promulgatum, adoptari valeat. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Culto Divino, die 7 octobris 1971.—Arturus Card. Tabera, *Praef.* A. Bugnini, *a secretis.*

* Ordini Fratrum Praedicatorum, Prot. N. 1725/71: AOP 79 (1971) 231.

6149

3999

1971 OCT 25.-SIGNATURA APOSTOLICA, NORMAE. PART.*

De documentis producendis ad civiles effectus tribuendos sententiis nullitatis matrimonii in Italia post Motu proprio «Causas matrimoniales»

Con lettera circolare del 3 agosto 1929 (*A.A.S.*, vol XXI, p. 511) [LE 922] questo Supremo Tribunale dava istruzioni agli Eccmi Ordinari Diocesani d'Italia circa la documentazione da trasmettere al fine che le sentenze e i provvedimenti dichiaranti la nullità del matrimonio fossero resi esecutivi agli effetti civili.

Essendo recentemente entrato in vigore il M. P. *Causas matrimoniales* del 28 marzo 1971 (*A.A.S.*, vol. LXIII, pp. 441-446) [LE 3960] che ammette la possibilità di una semplice ratifica in secondo grado della sentenza affermativa di prima istanza, sembra necessario adattare le citate istruzioni a tale nuova procedura.

Pertanto, in caso di ratifica in grado di appello di una precedente sentenza dichiarante la nullità di un matrimonio (M. P., art. VIII, par. 3), quando questa sia già esecutiva agli effetti canonici, sarà cura della S. R. Rota o del Tribunale Regionale di Appello, trasmettere a questo Supremo Tribunale, oltre la documentazione consueta:

a) due copie integrali autenticate della sentenza di primo grado;

b) due copie integrali autenticate del decreto di ratifica emesso dal Tribunale di secondo grado, con aggiunta la formula di esecutività del provvedimento;

c) copia della notificazione del decreto di ratifica alle parti e al Difensore del Vincolo, con la dichiarazione di quest'ultimo di non voler ricorrere al Tribunale superiore (art. IX, par. 1).

Roma, 25 ottobre 1971.—Dino Card. Staffa, *Prefetto.* Aurelio Sabattani, Arciv., *Segretario.*

* Ad Excmos Archiepiscopos Moderatores Tribunalium Regionalium Italiae et ad Decanum S. Romanae Rotae, Prot. N. 2293/71 V. T.: Apoll. 44 (1971) 809-810.

6150

4000

1971 OCT 27.-PAULUS VI, DECLAR. AAS 63 (1971) 814-815

Declaratio communis a Summo Pontifice Paulo VI et a Sanctitate Sua Mar Ignatio Iacobo III, Patriarcha seiunctae Ecclesiae Antiochiae Syrorum, subscripta:

De ea quae communia sunt fidei utriusque ecclesiae, Catholicae et Antiochenae seiunctae

As they conclude their solemn meeting which marks a new step in the relations between the Roman Catholic Church and the Syrian Orthodox Church, His Holiness Pope Paul VI and His Holiness Mar Ignatius Jacob III humbly render thanks to Almighty God, for having made possible this historic opportunity to pray together, to engage in a fraternal exchange of views concerning the needs of the Church of God and to witness to their common desire that all Christians may intensify their service to the world with humility and complete dedication.

The Pope and the Patriarch have recognized the deep spiritual communion which already exists between their Churches. The celebration of the sacraments of the Lord, the common profession of faith in the Lord Jesus Christ, the Word of God made man for man's salvation, the apostolic traditions which form part of the common heritage of both Churches, the great Fathers and Doctors, including Saint Cyril of Alexandria, who are their common masters in the faith —all these testify to the action of the Holy Spirit who has continued to work in their Churches even when there have been human weaknesses and failings.

6150

The period of mutual recrimination and condemnation has given place to a willingness to meet together in sincere efforts to lighten and eventually remove the burden of history which still weighs heavily upon Christians.

Progress has already been made and Pope Paul VI and the Patriarch Mar Ignatius Jacob III are in agreement that there is no difference in the faith they profess concerning the mystery of the Word of God made flesh and become really man, even if over the centuries difficulties have arisen out of the different theological expressions by which this faith was expressed. They therefore encourage the clergy and faithful of their Churches to even greater endeavours at removing the obstacles which still prevent complete communion among them. This should be done with love, with openness to the promptings of the Holy Spirit, and with mutual respect for each other and each other's Church. They particularly exhort the scholars of their Churches, and of all / Christian communities, to penetrate more deeply into the mystery of Christ with humility and fidelity to the Apostolic traditions so that the fruits of their reflections may help the Church in her service to the world which the Incarnate Son of God has redeemed.

This world, which God so loved as to send His only begotten Son, is torn by strife, by injustice and by the inhumanity of man towards man. As Christian Pastors, the Pope and the Patriarch raise their common appeal to the leaders of the peoples to increase the efforts towards achieving lasting peace among nations and towards removing the obstacles which prevent so many men from enjoying the fruits of justice and religious freedom. Their appeal is directed to all areas of the world and in particular to that land hallowed by the preaching, the death and the resurrection of our Lord and Saviour Jesus Christ.

From the Vatican, 27 October, 1971.

4001

1971 OCT 29.-SC CULTUS DIVINI, LIT. CIRC. PART.*

Facultas datur et normae proponuntur ut Commissiones liturgicae regionum Americae quae lingua hispana utuntur, possint parare versiones vulgares proprias omnium textuum liturgicorum

Al comenzar los trabajos de la reforma litúrgica, cuando se trató de realizar las traducciones de los libros litúrgicos del latín a las diversas lenguas vulgares, la Santa Sede insistió en que se creasen Comisiones mixtas para los Países que tuviesen una misma lengua. Siguiendo esta norma se constituyó una Comisión entre España y los Países de lengua española del Continente latino-americano que forman el ambiente del CELAM. El trabajo de la Comisión mixta CELAM-España ha sido digno de alabanza sea por la celeridad de las traducciones y de las ediciones de los libros litúrgicos, sea por la colaboración fraternal que ha unido en un mismo ideal Obispos y Peritos de España y de la América latina en el esfuerzo de producir textos dignos de una noble tradición litúrgica y literaria.

Sin embargo, el progreso de la reforma litúrgica ha llegado a una evolución en el mismo trabajo de la preparación de los libros litúrgicos. De hecho, hoy, de la fase de una simple traducción se está pasando, y no solamente en el ámbito de los Países de lengua española, a una fase de adaptación de textos y de ritos que valoricen y expresen la mentalidad, las tradiciones y los valores positivos de los diversos pueblos y de las diferentes culturas bajo un aspecto esencialmente pastoral.

Así la Presidencia del CELAM, teniendo en cuenta el deseo expresado sea por el Departamento de liturgia sea por la mayoría de los Obispos que componen la Asamblea Plenaria del CELAM, reunida el pasado mes de mayo en San José de Costa Rica, ha hecho presente a esta Sagrada Congregación la oportunidad de una mayor independencia entre los Países de la América latina y España, en lo que respecta a las traducciones castellanas de los libros litúrgicos.

El problema ha sido examinado atentamente por esta Sagrada Congregación en contacto con las dos partes y en una reunión conjunta, aprovechando la presencia en Roma, con ocasión del Sínodo Episcopal, de los Obispos españoles y latino-americanos. Consecuentemente esta Sagrada Congregación puede comunicar cuanto sigue:

1. Considerando la evolución de la situación pastoral y las consecuencias que se derivan en el mismo campo litúrgico, en la preparación de los libros, y teniendo presente la evolución consiguiente de las normas relacionadas con el trabajo de la Comisión mixta, se reconoce útil y se concede que España y los Países de la América latina puedan proceder de forma autónoma en el trabajo de traducción y de preparación de los respectivos libros litúrgicos.

2. En cuanto a la situación que parecería oportuna que la América latina constituya, bajo la responsabilidad del CELAM

6151

y de su Departamento de liturgia, una Comisión encargada de preparar los libros litúrgicos para el Continente latino-americano. Esta Sagrada Congregación tiene completa confianza en que los nuevos textos, con la colaboración activa de los peritos, en las diversas disciplinas, serán dignos sea bajo el punto de vista litúrgico sea en el aspecto lingüístico.

3. Esta nueva situación no obsta para que en determinados textos litúrgicos, a juicio de la Santa Sede y, si se retiene oportuno, por convenio entre el CELAM y la Comisión de liturgia de la Conferencia Episcopal Española, se pueda llegar a un texto común, siguiendo los mismos o parecidos procedimientos utilizados hasta el presente, en una colaboración fraterna.

4. Para que esta colaboración discurra por los mejores cauces, se respetarán las autonomías y jurisdicciones de las Conferencias Episcopales que prevee la legislación de la Iglesia, en lo que respecta a los intereses pastorales, y los derechos de propiedad, según la legislación civil de cada País.

5. Las Conferencias Episcopales adoptarán solamente los libros preparados expresamente por sus respectivas regiones y que por tanto responden mejor a sus situaciones pastorales. Será conveniente insistir, oportunamente, en este sentido, iluminando y persuadiendo el clero; además las Comisiones nacionales prestarán su apoyo para que los Editores y Libreros de los diferentes Países respeten estos mismos intereses pastorales.

6. En cuanto a la propiedad y uso de los textos comunes hasta ahora existentes, así como sobre los futuros, los organismos interesados formularán los acuerdos económicos que crean convenientes.

Esta Sagrada Congregación tiene plena confianza de que la nueva situación favorecerá el trabajo más adecuado a las concretas exigencias pastorales de cada País, para una promoción cada vez más profunda de la participación consciente y fructuosa de los fieles en los sagrados Misterios de la Iglesia.

Ciudad del Vaticano, 29 de octubre de 1971.—Arturo Card. Tabera, *Prefecto.* A. Bugnini, *Secretario.*

* Ad Praesides Conferentiarum Episcopalium et ad Praesides Commissionum liturgicarum nationum quae lingua hispana utuntur: Notit. 8 (1972) 38-40.

6151

4002

1971 NOV 6.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 63 (1971) 831-837

Allocutio die 6 nov. 1971 habita Emis Patribus Cardinalibus et Excmis Praesulibus e Synodo Episcoporum, cum secundus ordinarius Coetus exitum haberet:

De fructibus Synodi, de caelibatu sacerdotali et de officio Ecclesiae quoad iustitiam in mundo

Venerabiles Fratres ac dilecti filii, Quod, Deum orantes, fidentibus animis ante nonnullas hebdomadas coepimus, id nunc, aucta per huius temporis experientiam fiducia, in nomine Domini laetantes complemus. Convenit vero in operis fine paulum de eo recogitare breviterque perpendere, quam vim haec Synodus Episcoporum habeat ad Ecclesiae vitam.

Re quidem vera hic fuit fraternus conventus, in quo delecti Episcopi, collegialis suae indolis memores, universalem Ecclesiam repraesentantes, caritatis vinculis inter se coniuncti, circa Nos congregati sunt, ut de argumentis peculiaris prorsus momenti, quibus hodie multi sollicitantur, agerent. Itaque Synodus, qua Episcopi Romano Pontifici prudentiae, usus rerum, consilii sui adiumenta praebent, sententiam gravem magnique faciendam Ecclesiae hierarchicae significat. /

Fateri sane possumus hos synodales coetus, qui a vobis multum laboris ac virium postulaverunt, frugiferos salutaresque Ecclesiae exstitisse. Scilicet dolores, gaudia, spes, necessitates, quibus hodie in variis terrarum orbis partibus christiana vita afficitur, per vos palam ac fere ante omnium oculos patuerunt. Non quidem semper eaedem omnium vestrum sententiae fuerunt, etiam quod attinet ad rationes ac vias ineundas, quibus propositae quaestiones dissolvantur. Attamen vos idem permovit religionis studium, idem Ecclesiae amor, idemque propositum eo spectans, ut, doctrina Concilii Vaticani Secundi fideliter servata, ad Evangelii nuntium nova in mundo aperiantur itinera, eaque spiritualibus nostrae aetatis necessitatibus accommodata. Ad Nos autem quod attinet, iam nunc vos certiores facere volumus, Nos, quemadmodum disceptationes vestras attento animo hucusque prosecuti sumus, ita pariter debitam habituros esse rationem sententiae vestrae, cum de iis decernendum erit, quae ad Ecclesiae universalis bonum pertineant. Item Nobis curae erit prospicere, ut in posterum Synodi ordo, quo ipsius labores reguntur, expeditior evadat. Quare, si quae normae hac in re minus ad id respondere videantur, vos hortamur, ut animadversiones vestras Secretariae Generali Synodi significetis.

6152

http://www.obrascatolicas.com

Interea autem liceat Nobis gratam profiteri voluntatem Nostram iis omnibus, qui ad felicem huius Synodi exitum sociam atque adiutricem operam contulerunt. Ac nominatim gratias imprimis referimus Consilio Secretariae ipsius Synodi, quod sapienter diligenterque in huiusmodi apparandos synodales coetus per hos annos incubuit. Item gratias persolvere placet Conferentiis Episcopalibus, quae in propositis quaestionibus sedulo studio versatae sunt; Cardinalibus Praesidibus Delegatis; sollerti Synodi Secretario Generali Ladislao Rubin; Relatoribus et Secretariis specialibus necnon ipsorum adiutoribus; atque omnibus hic praesentibus Cardinalibus, Episcopis, sacerdotibus, religiosis, laicis, qui in Synodi laboribus partem habuerunt. Nec silentio denique praeterire fas est alios Ecclesiae filios qui, licet hinc absentes, nihilominus consilio et opere hanc in re Conferentiis Episcopalibus valido adiumento fuerunt, suisque fusis Deo precibus Synodi causae valde profuerunt. Tantae molis tantique momenti opus, in Ecclesiae utilitatem generose susceptum, Deus gratiarum suarum ubertate benigne rependat.

Liceat nunc mentem Nostram aperire de duobus argumentis maximi ponderis, quae huic Synodo proposita sunt. Primum, ad sacerdotium ministeriale spectans, diu omni-
833 que ex parte excussum est et expensum. / Novimus sane, quemadmodum et vos qua pastores fere cotidie experimini, quam multiplex sit quaestio de vita sacerdotali in hodierna societate tantopere immutata et mutationibus continenter obnoxia. Non ignoratae sunt difficultates spirituales, psychologicae, sociales, materiales, quibus tot sacerdotes hac aetate premuntur. Non pauci ex iis anxie ac serio se interrogant, qui locus sibi tribuendus sit in mundo huius temporis.

Iure merito vos sedulo expendistis partes, quae ad presbyteros spectant in apostolico munere corporis episcopalis, necnon germanam sacerdotii ministerialis naturam, cum peculiare studium contulistis in Evangelii praedicationem, vi cuius sacerdos hominibus nostrae aetatis Christum annuntiat, mundi Salvatorem.

Ex vestris autem disceptationibus consequitur, ut Episcopi totius orbis catholici integre retinere velint donum illud absolutum, quo sacerdos Deo mancipatur; cuius quidem doni pars non levis —in Ecclesia Latina— est sacer caelibatus.

Itaque Patres huius Synodi, experientia quoque fulti quae post Concilium Vaticanum Secundum circa hanc rem hausta est, doctrinam eiusdem Concilii prorsus asseruerunt, quod docuit: «Caelibatus... multimodam convenientiam cum sacerdotio habet...» Per eum, «propter Regnum caelorum servatum, Presbyteri nova et eximia ratione Christo consecrantur, Ei facilius indiviso corde adhaerent, liberius in Ipso et per Ipsum servitio Dei et hominum se dedicant, Eius Regno ac operi regenerationis supernae expeditius ministrant, et sic aptiores fiunt qui paternitatem in Christo latius accipiant» [1].

Quod igitur Synodus sensit, Nos confirmamus, salva disciplina venerabilium ac nobis semper dilectarum Ecclesiarum Orientalium. Hoc edicentes, mentem ad omnes sacerdotes, quorum res interest, convertimus. Quot ex iis, etiam magnas inter difficultates, inconcussa cum fidelitate Domino servire et animarum salutem procurare student! Quot, in abscondito laborantes ac dolores et iniurias patientes, Ecclesiae maximas vires suppeditant! Expedit sane in fine huius Synodi tot veri nominis sacerdotum laudem celebrare! Noverint singuli universi Papam sibi adesse, se caritate sincera diligere, preces fundere pro ipsis.

Confidimus igitur fore, ut sacerdotes, supernaturali mente
834 ducti et / voci Ecclesiae dociles, in praeclara via, quam ex divina vocatione libere elegerint, alacres persistant. Iis cunctis salutem ex animo impertimus.

Alterum magni momenti argumentum, quod huic Synodo pertractandum commissum est, ad iustitiam spectat in mundo huius temporis instaurandam. E disceptationibus autem, a vobis per huius Synodi decursum habitis, manifesto apparet, quam late pateat et quot quantasque difficultates secumferat huiusmodi navitatis campus. Copiose profecto de hac re egit Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum; ac Nosmet ipsi mentem cogitationesque ad id saepe convertimus, praesertim in Encyclicis Litteris, quae «Populorum progressio» inscribuntur. Quodsi vos hoc ipsum argumentum aggressi estis, profecto minime vobis in animo fuit salebrosas huiusmodi quaestiones brevi temporis spatio plene enodare; verum testati estis Ecclesiam in difficillimis nostrae aetatis adiunctis consciam esse sibi renovato studio sociam operam dandam, ut iustitia inter homines perfectius instauretur, sive pleniorem notitiam assequando praesentium huius mundi necessitatum, sive exemplum per se ipsam praebendo, sive sollicitudines suas intendendo erga pauperes et oppressos, sive hominum conscientias excolendo ad agendum pro iustitia sociali, sive denique suscipiendo ac fovendo omne genus incepta ad miserorum levamen, quae quidem sint quasi aspectabile testimonium ipsius caritatis in mundo, aliosque ad hoc terendum iter exstimulent.

Supervacaneum sane non est in mentem revocare missionem propriam, a Christo Ecclesiae suae creditam, non esse quidem ordinis politici, oeconomici vel socialis, cum finis ei praefixus sit ordinis religiosi [2], tamen ea conferre potest ac debet ad instaurandam iustitiam etiam temporalem. Haec omnia non quidem plenus et absolutus finis ipsius Ecclesiae sunt, sed inservire debent ad Regnum Dei in terris constabiliendum, iuxta illam Christi Domini sententiam: «Quaerite primum regnum Dei» [3].

Actio Ecclesiae, si hoc necessario ac primigenio religioso afflatu destitueretur, ab Evangelii praeceptis profecto discederet et vim virtutemque suam ad terrestris civitatis bonum procurandum paulatim amitteret. Nam, ut Concilium Oecumenicum praeclare monet: «Ex... ipsa missione religiosa (Ecclesiae) munus, lux et vires fluunt quae / com- 835
munitati hominum secundum Legem divinam constituendae et firmandae inservire debent» [4].

Nunc autem, cum ad huiusce Conventus exitum pervenerimus, in quo germana cum animorum fraternitate una simul mirificum eventum experti sumus, quem numquam oblivisci poterimus, vehementer cupimus, ut pacis osculo caritatisque amplexu nos consalutemus. Uno inter nos devincti amore erga Christum atque Ecclesiam, intelleximus illam in nobis fuisse caritatem, quam ipse Christus, suprema sui sacrificii hora, nos iussit servare: «Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos» [5]. Iam iam ad singulas quisque sedes reversuri, nos intimos communionis, fraternae necessitudinis, voluntatum conspirationis, concordiae, lucis pacisque sensus in vobis omnibus alatis atque foveatis oportet. Etsi locorum intervallis seiuncti, mutuum huiusmodi colloquium pergere debemus, in quo animi nostri in unum veluti concentum sese fuderunt.

Firmum pariter robur nobis habendum est, ut universae fratrum communioni posterum quoque serviamus, nova sumpta alacritate et constanti voluntate digne ambulandi «vocatione, qua vocati sumus» [6]. Hac quidem impellimur, ut exemplo simus clero et fidelibus, nostrae commissis curae, qui nos respiciunt ut spiritus hauriant ad Evangelium fideliter ad effectum deducendum. Oportet in nostro grege veluti fermentum simus, quod nos inducat ad vitam cum virtute plane ducendam atque ad Spiritus Sancti impulsionibus respondendum. E sacris precationibus atque e verbi Dei meditatione robur nobis sumendum est, ut ii ad Evangelii formam sese prorsus accommodent.

In hoc autem opere, quod hominum vires excedit, minime derelinquimur; Christus enim nobiscum est. Maxime igitur ipsi confidere debemus, quoniam «omnia possumus in eo, qui nos confortat» [7]. Christus enim, qui nos elegit quamvis infirmi simus, opportunum auxilium nobis deesse minime patietur, ut pastoris officium rite adimpleamus. Ab Ipso comprehendamur ut Paulus [8]; ad Ipsum mores nostros conformemus, ut tota nostra agendi ratio eius gratia perfundatur. Ipse aeternus est Sacerdos, exemplum et forma apostolicae vivendi rationis. S. Ambrosii verbis utimur, qui fuit admirabilis animorum Pastor: / «Luceat ergo 836
imago eius in confessione nostra, luceat in dilectione, luceat in operibus et factis; ut, si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis. Ipse sit caput nostrum quia 'caput viri Christus' [9]: ipse oculus noster, ut per illum videamus Patrem; ipse vox nostra, per quem loquamur ad Patrem; ipse dextera, per quem Deo Patri sacrificium nostrum deferamus» [10].

Ut haec ad effectum deducamus, nobis adiumentum praebet Deipara Virgo, Ecclesiae Mater, quae ut nemo unquam Filii imaginem in se expressit; nostram igitur certam et immotam fiduciam in ea collocemus, quae nobiscum, sicut olim cum Petro et discipulis [11], continenter orat, ut Ecclesiae sanctae novus affulgeat Pentecostes dies.

Denique amore opus est erga Ecclesiam et erga mun-

[1] Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, 16 [LE 3365].

[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 42 [LE 3366]. [3] *Mt.* 6, 33. [4] Const. past. de Eccl. in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, l. c. [LE 3366]. [5] *Io.* 13, 34. [6] Cf. *Eph.* 4, 1. [7] Cf. *Phil.* 4, 13. [8] Cf. *Phil.* 3, 12. [9] *1 Cor.* 11, 3. [10] *De Isaac et anima*, 8, 75; ed. Schenkl, CSEL 32, 1, pp. 694. [11] Cf. *Act.* 1, 14.

dum, in quo haec ut salutis sacramentum adest! Ecclesia sancta, quae est Populus Dei iter faciens ad caelum, Verbi Dei revelati et Redemptionis instrumentorum custos, Christi Sponsa, eius pretioso Sanguine abluta, a nobis huiusmodi plenae fidelitatis testimonium exspectat. Nostrum est ei inservire, eam tutari, eam denique in mundum proferre; ipsa in unum corpus e nobis coalescit, qui homines sumus, in certis temporum et historiae condicionibus viventes, ideoque nostris infirmitatibus, nostris dubitationibus, nostrisque timoribus ita obducitur, ut non ita splendeat, quemadmodum Christus voluit, qui tamen «dilexit Ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae» [12]. Nobis igitur ad perfectionem semper est contendendum, ut eam, quae nostra indiget opera, honore afficiamus; a nullo abstineamus sacrificio, ut ea vere sit illud signum elevatum in nationibus procul [13].

Cum Ecclesiam ita amaverimus, tunc mundum tali amore prosequemur, quem illi ob vocationem nostram debemus. Nostri temporis homines verbum exspectant, quod eorum animos liberet, qui in poenis et in anxitudinibus versantur: ii Ecclesiam respiciunt quaerentes, num adhuc exspectationi ipsorum respondere queat, aut alio sibi sit confugiendum. Omnibus viribus contendere debemus, ut homines nobis fidem habeant, praesertim eos patrum fra-
837 trumque caritate diligendo. /

Venerabiles Fratres filiique amantissimi!

Hac hora, qua inter nos salvere iubemur, haec verba concordiae, roboris, fiduciae erga Christum eiusque Matrem atque amoris erga ecclesiam et mundum veluti nostrum sint viaticum ad iter aggrediendum. Curate, ut vestri sacerdotes magis magisque conscii sui muneris fiant, cuius in locum nullum aliud substitui potest; vestrisque fidelibus serenitatem et gaudium afferte, gaudium dicimus, quo vivam Ecclesiae partem se esse sentiant; eosque omnes certiores facite Nos intueri ipsos, ipsisque una vobiscum benedicere. Et omnipotentis Dei auxilium et amor nos singulos universos semper complectatur. Amen.

[12] *Eph.* 5, 25-26. [13] Cf. *Is.* 5, 26.

4003

1971 NOV 11.-SC CULTUS DIVINI, NORMAE. PART.*

NORMAE CIRCA TEXTUS AD INTERIM ADHIBENDOS IN CELEBRATIONE ET CANTU OFFICII DIVINI ET MISSAE

I. *De Officio Divino*

Novo Liturgiae Horarum Libro in lucem edito, libri pro celebratione in cantu Officii divini, quae fit lingua latina, parari debent. Sacra Congregatio pro Cultu Divino in eiusmodi opus incumbit, sed aliquid temporis spatii ad id conficiendum necessario requiritur.

Interea nonnullae communitates canonicorum vel religiosorum, qui Officium Divinum aut eius partem in cantu lingua latina celebrare exoptant, petierunt num instaurata Liturgiae Horarum structura adhiberi possit, libros *Breviarium Romanum* et *Antiphonale sacrosanctae Romanae Ecclesiae pro diurnis Horis*, a S. Pio X editum, ad interim retinendo. Etiam alii qui editiones libri de Liturgia Horarum lingua vernacula apparatas exspectant aut libros lingua latina exaratos prae manibus habere non possunt, sed novum Liturgiae Horarum ordinem servare cupiunt, eandem petitionem, de qua supra, pro celebratione Divini Officii sive in communi sive a solo peragenda exhibuerunt.

Quapropter S. Congregatio pro Cultu Divino, ad celebrationem instauratae Liturgiae Horarum formae aptandam ab iis qui sive in choro sive in communi sive a solo veteres liturgicos libros ad interim adhibent, usque dum novi libri in lucem edantur, probante Summo Pontifice schema infra descriptum proponit.

Schema propositum pro aptatione veteris Officii ad novam Liturgiam Horarum solutio ad tempus omnino censenda est, eo consilio apparatum ut peculiari condicioni huius transitorii spatii provideatur. Minime vero aestimandum veluti substitutum in locum libri Liturgiae Horarum, cuius integra usurpatio, vixdum fieri poterit, necessaria erit, spiritualibus divitiis varietatibusque instaurati libri attentis necnon certa ac definita norma Ecclesiae (v. Const. Apost. *Laudis canticum*).

Etenim renovato operi non est propositum ut oratio brevior reddatur, verum ut deprecatio attenta ac devota, cum tranquillitate animi, momentis silentii interpositis, cum sollemni participatione communitatis foveatur, quatenus veritas temporis facilius servetur.

Praesertim communitates, in quibus facile aliquod saltem exemplar instaurati libri inveniri potest, novissima elementa Liturgiae Horarum, cuius modi sunt lectiones, orationes, preces, quae ab uno tantum ministro proferri possunt, ceteris participantibus, adhibere non omittant.

AD INVITATORIUM. Invitatorii locus est in ipso initio totius cursus orationis cotidianae, scilicet praeponitur aut Officio lectionis aut Laudibus matutinis, prout ab alterutra actione liturgica dies incipit. Invitatorium constat versu: *Domine labia* et psalmo cum sua antiphona.

AD OFFICIUM LECTIONIS. ℣. *Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia* (quod omittitur tempore Quadragesimae). Si Officium lectionis ante Laudes matutinas dicitur, tunc ei praeponitur Invitatorium ut supra dictum est.

Hymnus matutini. Psalmodia: tres psalmi cum suis antiphonis. Versus introductorius ad lectiones, omisso *Pater noster*.

Lectiones sequenti modo componuntur:

a) Quando Officium tres habet nocturnos, lectio biblica coalescit ex unione trium lectionum primi Nocturni, lectio patristica ex unione trium lectionum secundi Nocturni.

Unamquamque lectionem sequitur Responsorium, ad libitum seligendum, quod post alteram lectionem dicitur etiam quando Hymnus *Te Deum* dicendus est.

b) Quando Officium unum tantum Nocturnum habet, legitur tantum lectio biblica, ut supra dictum est, et, quando habetur, lectio hagiographica.

Hymnus *Te Deum*, quod dicitur tantum in dominicis extra Quadragesimam, diebus infra octavam Paschae et Nativitatis, in sollemnitatibus et festis, finiri potest post versum *aeterna fac...*

Oratio diei. ℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

AD LAUDES MATUTINAS. ℣. *Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia.*

Quae omnia omittuntur quando Laudes ut prima Hora diei celebrantur. Quo in casu dicitur Invitatorium. Hymnus. Psalmodia: unus e tribus primis psalmis, canticum et ultimus psalmus de Laudibus una cum suis antiphonis. Capitulum sine ℟. *Deo gratias.* Responsorium breve de Prima vel Tertia, omissis ℣. et ℟. *Benedictus* una cum sua antiphona. Pro precibus dicuntur quaedam invocationes seu versus e formulariis precum ferialium ad Laudes. *Pater noster.* Oratio diei sine «Oremus».

Sacerdos aut diaconus, si praesunt, ipsi populum benedicunt ut in Missa et dimittunt formula: *Ite in pace.* ℟. *Deo gratias.* Absente sacerdote aut diacono, et in recitatione a solo, sic concluditur: *Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat aeternam.* ℟. *Amen.*

AD HORAM MEDIAM. ℣. *Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia.*

Hymnus, psalmi et capitulum de Tertia vel Sexta vel Nona, iuxta tempus celebrationis.

Non dicitur responsorium breve, sumuntur tantum ℣. et ℟. quae sequuntur.

Oratio diei, cui praeponitur «Oremus», cum breviore conclusione.

℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

AD VESPERAS. ℣. *Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia.* Hymnus. Psalmodia: tres psalmi e quinque qui ponuntur, cum suis antiphonis.

In dominicis autem duo e tribus psalmis dicendi, erunt Ps. 109 *Dixit Dominus* et Ps. 113 *In exitu* (usque ad versum *non nobis, Domine* exclusive).

Capitulum, sine ℟. *Deo gratias.* Responsorium breve de Sexta vel Nona, omissis ℣. et ℟. *Magnificat* cum sua antiphona. Preces ex aliquibus invocationibus ultimae partis Litaniarum Sanctorum. *Pater noster*, oratio, benedictio et dimissio ut in Laudibus.

AD COMPLETORIUM. ℣. *Deus in adiutorium. Gloria. Alleluia.* Laudabiliter fit conscientiae discussio, quae in celebratione communi inseri potest in actum paenitentialem, iuxta formulas in Missa adhibitas. Hymnus: *Te lucis.*

Psalmodia: *a)* die dominica et in sollemnitatibus: primus et tertius (vel tantum secundus) psalmus de Completorio dominicae. *b)* Ceteris diebus: unus e psalmis Completorii diei. Attamen semper eligi possunt psalmi de dominica ad normam n. 88 Institutionis Generalis de Liturgia Horarum.

Capitulum, Responsorium breve omissis ℣. et ℟., antiphona et *Nunc dimittis*; et oratio, cui praeponitur «Oremus», cum breviore conclusione. Benedictio: *Noctem quietam*, ut in initio Completorii. Antiphona Beatae Mariae Virginis: tempore paschali antiphona *Regina caeli*. Extra tempus paschale seligitur una ex antiphonis: *Alma Redemptoris Mater*, *Ave Regina caelorum*, *Salve Regina*, *Sub tuum praesidium*, vel aliis a Conferentiis Episcopalibus probatis. Omittuntur versus, oratio et *Divinum auxilium*.

II. *De Missa*

Dum editio libri «Ordo cantus Missae» —iam typis imprimitur— exspectatur, ii qui Missam cum cantu gregoriano celebrare cupiunt, traditum repertorium, quod in *Graduali Romano* S. Pii X continetur, adhuc usurpare possunt.

Animadvertatur tamen:

1. Quoad ultimas dominicas «per annum»: loco cantuum, qui dominicae XXIII post Pentecosten assignantur, eligi potest schema uniuscuiusque dominicae temporis «per annum»; vel «Proprium» componi quit e cantibus variarum dominicarum eiusdem temporis.

Idem dicatur de dominicis, quae dominicam tertiam post Epiphaniam sequuntur.

2. Quoad celebrationes Sanctorum usurpari possunt cantus, qui inveniuntur in Graduali Romano vel cantus aptiores e Communi Sanctorum.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 11 novembris 1971, in memoria S. Martini episcopi Turonensis.— ARTURUS Card. TABERA, *Praef.* A. Bugnini, *a Secretis.*

* *Notit.* 7 (1971) 379-383. *Adn. Notit.* 7 (1971) 383-384.

http://www.obrascatolicas.com

4004

1971 NOV 14.-VICARIATUS URBIS, NORMAE. PART.*

NORMAE SERVANDAE IN CELEBRATIONE MATRIMONII PER DIOECESEOS ROMANAE TERRITORIUM

I. Approbatio Normarum

Ripetutamente mi pervengono lamenti sia da parte di ecclesiastici sia da parte di laici per inconvenienti o abusi che avvengono nella celebrazione dei matrimoni.

Già con due precedenti Notificazioni, del 4 dicembre 1968 [LE 3701] e del 15 febbraio 1969 [LE 3718], avevo provveduto a riordinare questo delicato settore della pastorale diocesana. Tuttavia è sembrato necessario rivederlo ancora profondamente e unificare le disposizioni esistenti.

Perché l'opera di rivisione fosse il più possibile aderente alla realtà della situazione, ho pensato di affidare la revisione della «Norme per la celebrazione dei matrimoni» agli stessi Prefetti della Diocesi di Roma, che le elaborassero in uno studio approfondito, d'accordo coi Parroci dell'Urbe.

Essi hanno lavorato bene, con diligenza, con attenzione, con senso di rispetto delle persone e delle istituzioni. La stesura fu ripetutamente sottoposta dai Prefetti ai Parroci ed ai Rettori delle Chiese, ottenendone alla fine largo consenso.

Persuaso che si tratta di argomento soggetto a mutevoli esigenze, mentre ringrazio i Prefetti per lo studio e le sagge proposte suggerite, ritengo doveroso approvarle per un triennio, promulgando le nuove «Norme» dall'inizio della Quaresima prossima, 16 febbraio 1972.

La loro osservanza, affidata soprattutto alle responsabilità ed al senso pastorale dei Parroci, correggerà certamente alcuni abusi finora lamentati e contribuirà alla celebrazione decorosa e spiritualmente degna anche da parte dei fedeli, del grande sacramento del Matrimonio.

Roma, 14 novembre 1971.—Angelo Card. DELL'ACQUA.

II. Normae servandae in celebratione matrimonii

Premessa.

Per contribuire ad una rinnovata pastorale nella celebrazione del matrimonio voluta dal Concilio Ecumenico e dal Nuovo Rito cominciando ad eliminare almeno alcuni inconvenienti, in attesa di un «Documento» completo sul Matrimonio e la Pastorale della famiglia, vengono rielaborate in un unico documento le Norme emanate del Vicariato il 4 dicembre 1968 [LE 3701] e il 15 febbraio 1969 [LE 3718], tenendo conto dei suggerimenti dati dai parroci, dai Rettori delle Chiese e dai sacerdoti.

Questa elaborazione presuppone già un nuovo spirito e mentalità da parte del clero nella loro osservanza.

Le seguenti disposizioni non sono una trattazione completa della pastorale matrimoniale ma vogliono essere norme pratiche per la celebrazione dei matrimoni, proposte dall'esperienza pastorale del clero di Roma e vanno interpretate nello spirito di fede richiesto dalla santità del grande sacramento del matrimonio, che costituisce la famiglia cristiana quale segno dell'amore di Gesù Cristo per la sua Chiesa.

Esse, pur attentamente ponderate, non presumono di prevedere e di risolvere tutte le possibili situazioni e difficoltà e sono proposte *ad esperimento per tre anni*, e quindi suscettibili delle modifiche che appariranno opportune per migliorare la coscienza ecclesiale sia nel clero che nel popolo di Dio.

E' superfluo aggiungere che nell'attuazione delle norme dovrà essere osservare una *certa gradualità*, richiesta dalla necessità di educare il popolo di Dio con carità, creando anzitutto in esso delle convinzioni.

I—*Preparazione dei fidanzati al matrimonio.*

1. La preparazione spirituale dei fidanzati al matrimonio è affidata allo zelo del parroco, specialmente a quello della sposa, come grave dovere pastorale.

2. L'incontro d'obbligo con i futuri sposi, motivato dalle procedure prematrimoniali, non si limiti ad adempimenti formali e burocratici, ma sia occasione di catechesi, di istruzione e di esortazione, che si protragga con senso di responsabilità, in ripetuti colloqui (cfr. *Direttorio Liturgico-Pastorale per l'uso del rituale dei Sacramenti e dei Sacramentali* a cura della Commissione Episcopale per la Liturgia, 1967, 121).

A questa necessaria e delicata azione pastorale devono affiancarsi i corsi di preparazione al matrimonio, comprendenti almeno tre istruzioni e conversazioni. Gli incontri saranno guidati da esperti, che tratteranno del sacramento del matrimonio, della natura e dei fini, e della necessità che ogni famiglia cristiana si inserisca attivamente nella comunità parrocchiale.

Nel caso che gli sposi per la celebrazione del matrimonio scegliessero la parrocchia dove andranno poi ad abitare, si

facilliterebbe l'inserimento attivo nella communità parrocchiale, soprattutto se si trattasse della parrocchia dove l'uno del due è cresciuto o è già conosciuto.

3. E' utile introdurre l'uso di iniziare i primi incontri con i fidanzati in vista del matrimonio possibilmente un anno prima della celebrazione del rito.

Questa prolungata preparazione alla famiglia può rappresentare per i fidanzati quasi «una forma di catecumenato per mezzo del quale le grandezze ed i valori, ma anche gli impegni e gli obblighi della vita cristiana e del nuovo stato di vita possano essere posti in luce adeguata» (cfr. *Documento pastorale dell'Episcopato Italiano* n. 17 del 15 novembre 1969).

4. Per favorire la partecipazione ai corsi e per introdurli alla loro comprensione, sarà opportuno dare ai fidanzati dei testi particolarmente semplici e adatti.

5. I corsi per i fidanzati possono essere organizzati tanto a livello di Prefettura quanto a livello parrocchiale. I corsi in parrocchia ben preparati possono essere certamente più immediati ed efficaci.

6. Per facilitare la frequenza ai corsi, è importante stabilire con cura il periodo e gli orari, in modo che possano essere comunicati tempestivamente e in modo preciso ai fidanzati. Normalmente è bene tenere almeno un corso bimestrale in ogni Prefettura.

La Commissione Diocesana per la Pastorale della famiglia mette a disposizione delle parrocchie tutta la sua competenza. Inoltre prepara dei corsi a livello diocesano e di settore anche per la preparazione specializzata degli operatori della pastorale della famiglia.

7. I rettori di chiese nel loro primo incontro con i fidanzati li esortino a presentarsi quanto prima al proprio parroco e li invitino a frequentare i corsi preparatori.

E' bene perciò che anche ai rettori siano comunicati i luoghi e i tempi dove si svolgono i corsi, mettendo a loro disposizione il materiale di propaganda necessario.

8. I parroci rilascino agli sposi un attestato di frequenza ai corsi e di sufficiente preparazione al matrimonio, che va allegato agli altri documenti.

II—*Preparazione del matrimonio.*

9. Pur riconosciuta la prevalenza dell'impegno per la preparazione spirituale dei futuri sposi (cfr. *Norme* n. 1, 2 e ss.), anche la procedura d'ufficio deve essere diligentemente espletata.

10. La parrocchia, come ha avuto premura di seguirli nella preparazione al sacramento, così ha desiderio e diritto di accogliere i novelli sposi nel giorno in cui la benedizione del Signore corona la loro aspirazione.

D'altra parte una celebrazione, di natura sua eminentemente comunitaria (cfr. *Costituzione sulla Sacra Liturgia*, n. 27), come il matrimonio, ha la sede più adatta nella parrocchia, presso l'altare, attorno al quale si riunisce la comunità, che è per ognuno la propria famiglia spirituale e che «rappresenta, in certo qual modo, la Chiesa visibile stabilita su tutta la terra» (*ibid.* 42) [LE 3141].

Per raggiungere tale osservanza è necessaria la collaborazione di tutti i parroci e rettori di chiese.

11. Le pratiche matrimoniali si svolgono secondo la prassi attuale, con esclusione di ogni tassa iniziale, e devono essere incominciate abitualmente dal parroco della sposa.

12. Quando la «Posizione matrimoniale» è completa, il parroco la porterà a mano al Vicariato, comunemente tramite i futuri sposi.

13. Nei casi in cui si domandasse al Vicariato l'applicazione degli artt. 12 o 13 o 14 della nota legge del 27 maggio 1929, esecutiva del Concordato, i parroci non prendano impegni prima che sia stata ottenuta la concessione richiesta.

14. Il cosidetto «modulo V», debitamente vistato dall'ufficio competente del Vicariato e da questo restituito, sarà portato direttamente al parroco o al rettore della chiesa ove avverrà la celebrazione del matrimonio; soltanto dopo la presentazione del documento in regola si potrà procedere alla benedizione delle nozze.

15. Per le pratiche isolate di stato libero e per quelle relative ai matrimoni da celebrarsi fuori della diocesi, rimangono immutate le norme vigenti. La quota per lo stato libero è di L. 500. La quota della licenza è di L. 5.000.

16. Per i matrimoni provenienti da fuori diocesi, nel richiedere il contributo per la celebrazione, dovrà essere dedotto il contributo dovuto al parroco della sposa.

III—*Norme per il giorno della celebrazione.*

17. Lo svolgimento esatto e decoroso della celebrazione è dovere tanto di colui cui spetta la responsabilità della chiesa quanto del sacerdote celebrante.

18. Il sacerdote officiante si studi sempre di dare un tono di fede autentica alla celebrazione dando rilievo alla «parola di Dio» anche con una appropriata omelia.

19. E' bene che durante lo svolgimento del rito siano a disposizione dei presenti i testi per seguirlo.

Perché tutto si svolga con proprietà e decoro, si consiglia di servirsi di una persona preparata che assista ed aiuti il celebrante. Sarebbe quanto mai opportuno che gli invitati al rito partecipassero con gli sposi anche alla S. Comunione. Si auspica un comportamento attento e edificante [illegible]

mento della sposa, degli invitati e delle invitate adatto al sacro tempio.

20. E' preferibile che la celebrazione del matrimonio abbia luogo nei giorni feriali per evitare che, sovrapponendosi alla liturgia festiva, possa essere di intralcio o, a sua volta, rimanga, in qualche misura, sacrificata.

Tuttavia «non è possibile negare il matrimonio nei giorni festivi a chi lo richiede per giusti motivi» (*Direttorio* citato, n. 25; cfr. anche *Lettera della S. C. del Concilio del 2 agosto 1965*) [LE 3311].

In tal caso, però, si provveda ad eliminare o a ridurre al minimo gli inconvenienti, che possono derivare de tale coincidenza, così che non ne risulti compromesso il regolare servizio religioso da offrire alla comunità dei fedeli.

La soluzione migliore, in giorno festivo, sembra essere quella di celebrare il rito nuziale in una cappella sussidiaria della parrocchia (cfr. *Direttorio* citato, n. 123).

E' utile stabilire sempre ad una stessa ora i matrimoni nei giorni di festa.

21. Tra l'una e l'altra celebrazione nuziale, anche nei giorni feriali, intercorra un congruo intervallo di tempo, possibilmente un'ora, che assicuri la preparazione e quindi il dignitoso svolgimento delle singole celebrazioni.

Il rito religioso deve sempre aver luogo entro i termini dell'orario regolare di apertura della chiesa.

22. Le chiese non accettino nei giorni feriali più di due celebrazioni quotidiane di matrimoni provenienti da fuori parrocchia; e nei giorni di sabato, domenica e festivi non più de quattro celebrazioni.

23. Gli sposi devono essere educati con garbo, ma con fermezza, alla puntualità di orario della cerimonia, specie nei giornidi festa.

IV—*Addobbo e fiori.*

24. Il parroco o il rettore della chiesa avrà cura che ogni celebrazione nuziale, indistintamente, nell'addobbo, nell'apparato e nello svolgimento del rito, abbia quella dignità e quella proprietà che conviene al Sacramento, a letizia ed edificazione degli sposi e dei partecipanti al rito.

25. In adempimento alla norma 24, per ogni celebrazione, oltre l'applicazione della S. Messa, dovrà predisporsi un addobbo che garantisca, secondo le caratteristiche del luogo, le esigenze di proprietà e di decoro. Si suggerisce come addobbo indispensabile: un inginocchiatoio drappeggiato per gli sposi con relative poltrone o poltroncine; due o quattro inginocchiatoi con relative sedie per i testimoni; un posto riservato e decoroso per i genitori o parenti degli sposi. Non si trascurino un tappeto normale, una guida, qualche vaso di fiori sull'altare, una conveniente illuminazione del presbiterio, paramenti festivi per il sacerdote, suono d'organo o di harmonium.

26. L'addobbo floreale non deve turbare la consueta, sobria armonia della chiesa. Perciò sia concentrato soprattutto verso l'altare e la sede degli sposi e contenuto nei limiti del doveroso rispetto della chiesa, che è la casa di tutti e non luogo privato a libera disposizione degli sposi. Esso sarà sempre direttamente a carico degli sposi che dovranno rispettare i limiti imposti dalle presenti Norme.

Si escluda da parte del clero ogni specie di commercio o di partecipazione di interessi. E' in facoltà degli sposi servirsi per questo addobbo di persone di loro scelta, che devono attenersi però alle direttive del parroco o del rettore della chiesa.

27. Il parroco o il rettore della chiesa a loro volta vigilino per eliminare inconvenienti ed educhino i fedeli, impedendo fermamente di trasformare la chiesa in un giardino.

28. La semplicità e la solennità del sacro rito del Sacramento, preparata con decoro e proprietà di addobbo, non si concilia con l'ostentazione del lusso, dello sfarzo, della profanità, che deve essere bandita dalla celebrazione del matrimonio religioso (*Lettera Pastorale* del Card. Montini per la quaresima 1960).

V—*Canto e suono.*

29. Il suono ed il canto devono confluire a suscitare la partecipazione dei presenti al rito. Si evitino perciò brani musicali e canti di semplice ascolto o godimento artistico, come pure quelli di indole più profana che sacra, eccessivamente rumorosi o leziosi.

30. Nei giorni festivi i canti sono quelli dell'assemblea. Nei giorni feriali si eseguano appropriate musiche di organo o di harmonium, che favoriscano ed accompagnino la partecipazione attiva dei fedeli al rito sacro.

VI—*Fotografie.*

31. Le riprese fotografiche si facciano con discrezione, senza disturbare il sacro rito.

I momenti per operare si limitino a: l'ingresso - il rito del matrimonio - la S. Communione - le firme - l'uscita.

32. Il fotografo sia uno solo e la sua scelta sia lasciata alla libertà degli sposi, escludendo da parte del clero ogni parvenza di commercio o di partecipazione.

Il parroco o il rettore lo istruiscano in precedenza sul comportamento da tenere durante il rito e sulle norme da rispettare durante il lavoro che svolge nella cerimonia nuziale, consegnandogli anche un foglio contenente le norme stampate a cura del Vicariato e approvate anche dall'Unione Provinciale Romana degli Artigiani.

I fotografi inadempienti o abusivi, possono essere esclusi da ulteriori servizi [1].

[1] L'Unione Provinciale Romana degli artigiani auspica che non vengano [illegible] a buon diritto agli sposi nelle chiese dove si celebrano i matrimoni [illegible] che sui cartoncini con le norme per i fotografi si scriva di

Anche le fotografie occasionali di parenti o di amici devono essere contenute nelle norme.

VII—*Le spese per la celebrazione.*

33. I fedeli devono essere educati alla necessaria sensibilità non solo di retribuire le spese vive sostenute da chi collabora alla preparazione del loro matrimonio, ma anche di aiutare la chiesa della propria comunità parrocchiale nella lieta circostanza del matrimonio. Si valutino però sempre con pastorale carità le varie situazioni, quando si deve chiedere il contributo per la cerimonia.

34. Nell'intento di garantire ad ogni celebrazione nuziale la conveniente solennità e di soddisfare agli oneri della chiesa, è indicato nella espressione massima, il contributo di L. 25.000 (venticinquemila) per la celebrazione del matrimonio nella chiesa parrocchiale; di L. 45.000 (quarantacinquemila) per la celebrazione in altra chiesa.

35. Ai fini della determinazione del contributo, di cui al numero precedente, per chiesa parrocchiale s'intende non solo la chiesa parrocchiale della sposa (dove comunemente si svolgono le pratiche matrimoniali) ma anche quella dello sposo, del domicilio futuro degli sposi e la chiesa nazionale per gli sposi di quella nazionalità. In questi casi il parroco della sposa riceverà poi, dal Vicariato, il contributo di L. 4.000.

36. Al contributo suddetto corrisponde ogni servizio di ufficio e di ministero, dalle pratiche prematrimoniali in parrocchia ed al Vicariato fino alla celebrazione nuziale stabilita al n. 34.

Le quote non vanno superate per alcun motivo. Sarà a discrezione del parroco e del rettore di chiesa ridurle, se il caso lo comporti, ma senza limitare per questo il decoro dell'accoglienza.

All'osservanza delle norme, relative ai compensi, è impegnata la solidarietà del clero della Diocesi, sia secolare che regolare.

Le chiese che non si attenessero alle disposizioni potranno essere private della facoltà di celebrare matrimoni.

37. Nella somma sopra indicata al n. 34 devono intendersi compresi anche i contributi per le Opere Diocesane pari a L. 2.000 per i matrimoni celebrati nella chiesa parrocchiale, e pari a L. 4.000 per i matrimoni celebrati in altra parrocchia; i contributi per la parrocchia da cui fosse stata rilasciata la licenza di celebrare altrove il matrimonio pari a L. 8.000 ed i contributi per la parrocchia da cui fosse stata rilasciata la delega pari a L. 2.000. Questi contributi, che corrispondono a diritti di terzi o ad un servizio caritativo diocesano, eccettuato il caso di vera povertà, devono essere sempre versati anche nel caso che il parroco od il rettore di chiesa riducessero le offerte o svolgessero gratuitamente la celebrazione.

Il parroco informi gli sposi anche della destinazione di questi contributi per le necessità della comunità cristiana, che possono essere utilmente specificati in un foglio da rilasciarsi come ricevuta.

38. L'intero contributo viene rimesso al parroco o al rettore della chiesa dove si celebra il matrimonio.

VIII—*Disposizioni particolari.*

39. I parroci e i rettori indicheranno in apposito modulo fornito dal Vicariato, i matrimoni celebrati nella loro chiesa e i relativi dati richiesti; alla fine di ogni trimestre, essi consegneranno alla amministrazione del Vicariato, insieme con il modulo debitamente compilato, le somme spettanti al Vicariato e, eventualmente, alle parrocchie che hanno rilasciato la licenza o la delega, alle quali il Vicariato stesso rimetterà le offerte dovute.

40. Copia delle Norme sia tenuta negli uffici parrocchiali, a disposizione anche di coloro che devono celebrare il matrimonio.

41. Una Commissione permanente di Prefetti avrà il compito di adeguare le Norme alle mutate situazioni e la mansione di vigilanza amichevole nell'osservanza delle medesime da parte di tutto il clero. Sarà necessario che la Commissione visiti le chiese dove si celebrano matrimoni per determinare in particolare l'applicazione di alcune norme.

La Commissione presterà ogni servizio fraternamente e nella forma pastoralmente più opportuna.

42. Per i casi che non rientrassero nei termini delle presenti norme o presentassero particolari difficoltà, si interpelli il Vicariato.

43. Si tengano periodicamente annuali incontri con i rettori delle chiese per trattare le questioni riguardanti la celebrazione dei matrimoni.

44. Le presenti norme diverranno obbligatorie per tutta la Diocesi a decorrere dal 16 febbraio 1972, inizio della santa Quaresima.

volta in volta il nome del fotografo autorizzato a lavorare, per volere degli sposi, durante la celebrazione del rito.

* Riv. dioc. Roma 13 (1972) 127-135.

4005

1971 NOV 15.-CONS. COMM. SOCIALIUM, NORM. PART.*

NORMAE SEU CRITERIA PROPONUNTUR QUAE INSPIRENT COLLABORATIONEM OECUMENICAM IN CAMPO ET USU MEDIORUM COMMUNICATIONIS SOCIALIS

1. Les modes et les formes de la collaboration catholique avec les initiatives entreprises par les associations chrétiennes

http://www.obrascatolicas.com

non catholiques s'inspireront des principes énoncés par le Concile oecuménique Vatican II (*Unitatis redintegratio*, surtout le numéro 12) [LE 3235].

2. La Commission pontificale pour les communications sociales encourage tous les efforts de collaboration oecuménique en vue de mieux accomplir la tâche du développement intégral des hommes grâce à un usage meilleur des moyens de communication sociale (cf. Instruction pastorale *Communio et progressio*, n. 96-100) [LE 3977]; il faudrait tendre, en ce domaine, à faire ensemble tout ce que notre foi ne nous oblige pas à faire séparément [1].

3. Dans l'application pratique de ce principe général, cette collaboration ne peut se faire que sur la base d'un «*partnership*» loyal réciproque.

4. Il est utile de signaler que l'instruction pastorale expose certaines applications possibles de cette collaboration. Nous rappelons ici le numéro 99: «Cette collaboration peut se manifester et se réaliser de diverses manières. En particulier au moyen d'émissions communes radio-télévisées, d'enseignement collectif (destiné aux parents, jeunes, etc.), de congrès et de colloques internationaux, d'attribution de prix aux meilleures productions, de consortiums d'entreprises et de recherches scientifiques concernant les mass media, et surtout pour la formation de ceux qui les dirigent et l'égalité des droits entre les nations.» Ce numéro s'inspire de la phrase suivante du décret conciliaire sur l'oecuménisme: «La collaboration de tous les chrétiens exprime vivement l'union déjà existante entre eux, et elle met en plus lumineuse évidence le visage du Christ serviteur.» (*Unitatis redintegratio*, n. 12.)

5. Par souci de fidélité à sa doctrine, il est toujours très nécessaire que l'Eglise catholique maintienne ses institutions propres qui sont directement orientées vers l'action pastorale dans le domaine des communications sociales.

6. Il y a lieu d'exhorter les institutions et les spécialistes catholiques dans le domaine des moyens de communication sociale d'adhérer aux organismes catholiques (OIC / MCS, Offices nationaux, Associations catholiques nationales...) à travers lesquels ils pourront contribuer à une collaboration oecuménique plus efficace et plus ordonnée. Ils aborderont ainsi la collaboration oecuménique en tant que groupes constitués en eux-mêmes.

7. Si l'on croyait devoir prendre une autre attitude, on ne pourrait le faire qu'avec l'accord de l'autorité ecclésiastique compétente.

[1] Tout usage fait en commun d'un moyen de communication sociale doit respecter la liberté pour l'Eglise catholique d'exposer, sans esprit de contention, ses positions propres en matière de doctrine comme dans le domaine de l'éthique familiale (mariage, divorce, contrôle des naissances, avortement, euthanasie) et sociale.

* Ad Praesides Conferentiarum Episcopalium orbis: Doc. Cath. 69 (1972)67. Haec criteria seu normae approbatae fuerunt ad quinquennium et ad experimentum in Congregatione generali VI Pontificii Consilii instrumentis communicationis socialis praepositi die 15 nov. 1971 habita.

4006

1971 NOV 16.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

PROMOTOR IUSTITIAE RECEDERE NEQUIT A CAUSA AB IPSO INTRODUCTA NISI TRIBUNAL RECESSUM VEL RENUNTIATIONEM ADMITTAT

FACTI SPECIES.—D.na Anna, per suum patronum, denuntiavit Promotori Iustitiae Tribunalis Vicariatus Urbis nullitatem sui matrimonii die 5 octobris 1969 initi, ob consensus simulationem totalem vel saltem partialem ex parte mulieris.

Promotor autem Iustitiae, tunc Rev.dus D.nus Titius, peracta praevia inquisitione, denuntiatum matrimonium die 22 iulii 1970 accusavit «visto che si realizzano le condizioni previste dall'art. 38, § 2 della Instructio "*Provida Mater*"...» [LE 1347].

Alius postea nominatus Promotor Iustitiae, Rev.dus D.nus Caius, sessioni pro litis contestatione adfuit quidem, sed post instructionem causae rite peractam, voto diei 30 aprilis 1971 declaravit se ab accusatione recedere. Attamen, die 14 maii 1971 addidit quod «non si oppone alla pubblicazione degli atti», quae revera, decreto Tribunalis diei 21 maii 1971, publicata sunt.

Patronus autem partis denuntiantis, instantia diei 16 octobris 1971 Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali exhibita, petiit ut «mulieri concedatur habilitas ad accusationem nullitatis matrimonii, iam rite factam a Promotore Iustitiae, directe prosequendam, vel saltem Hoc Supremum Tribunal Promotori Iustitiae iubeat actionem prosequi».

IN IURE ET IN FACTO.—Promotor Iustitiae, Rev.dus Caius, ab accusatione recessit, quia mulier denuntians «ha fra l'altro deposto: «Voglio evidenziare che non faccio la causa quasi per liberarmi di Vincenzo come ladro, ma semplicemente perché non concepisco il vincolo matrimoniale, tanto più con un truffatore», da cui risulta evidente che la parte denunciante attualmente, «nullum resipiscentiae signum revera dederit», secondo l'art. 38, dela *Provida Mater*».

Ad rem nonnullae veniunt animadversiones.

In praesenti casu non agitur de recusatione accusationis denuntiati matrimonii ad normam art. 38, § 2 Instructionis «*Provida Mater*», sed de recessu, vigore art. 41, § 4 eiusdem Instructionis, ab accusatione iam facta.

Attento vero praescripto art. 38, § 1, Promotor Iustitiae non potest iudicare de resipiscentiae signis ex parte denunciantis; nam hoc iudicium, petente quidem Promotore Iustitiae, ad Ordinarium spectat.

Accusatio praesentis matrimonii iam a priore Promotore Iustitiae facta, assumpta est ab eius successore in munere, qui actionem usque ad actorum publicationem prosecutus est. Novus igitur Promotor Iustitiae invocare nequit art. 38, § 2 Instructionis «*Provida Mater*» quoad signa resipiscentiae, sed demostrare debet, iuxta art. 41, § 4, «factam accusationem sustineri non posse vel in iure vel in facto». Quod revera ipse non fecit.

Praeterea, Promotor Iustitiae accusator non potest sic et simpliciter ab actione recedere, sed requiritur acceptatio et decisio Tribunalis, ut clare dicit can. 1740, § 2 CIC, et art. 16 Instructionis «*Provida Mater*». Cum enim ipse personam standi in iudicio coniugis inhabilis compleat, personam actoris agit, ideoque ut recessus vel renuntiatio valeat, debet «a iudice admitti» (can. 1740, 2).

Insuper, cum vi can. 1971 § 2 Promotor Iustitiae vi muneris sui agat in iudicio (Resp. Pont. Commis. Interp., 17 iulii 1933, in AAS, 25, p. 345) [LE 1181], ipse non potest ab actione pro lubitu recedere, sed afferre debet rationes, quae recessum exigant. Tribunalis est iudicare utrum rationes allatae suadere valeant acceptationem recessus Promotoris Iustitiae annon, atque super re decretum ferre.

Denique, Promotoris Iustitiae est, vi muneris sui, qua tutoris boni publici, futilem denuntiationem repellere, convalidationem, si matrimonium sanabile sit, suadere, vel causam nullitatis introducere et prosequi. Cum autem in casu nec denuntiatio futilis nec sanatio possibilis videantur, recta Iustitiae administratio exigit ut Promotor Iustitiae causam usque ad sententiam definitivam prosequatur, eo magis quod acta, ipso favente, iam publicata sunt.

DECISIO.—In Congressu habito die 16 novembris 1971 coram Emo Cardinali Praefecto, proposito recursu a parte actrice in causa de qua agitur circa Promotoris Iustitiae Tribunalis primae instantiae Vicariatus Urbis recessum ab accusatione in eadem causa, decretum est: «*Tribunal causam prosequatur usque ad sententiam definitivam*».

* Apoll. 45 (1972) 381-383.

4007

1971 NOV 17.-CONS. ECCL. NEG., RESPONSUM. PART.*

IN DOCUMENTO CELEBRATI MATRIMONII CANONICI A PAROCHIS ITALIAE TRANSMITTENDO PRO EIUS TRANSCRIPTIONE IN REGISTRO CIVILI, EXPRIMENDUM EST ADHUC COGNOMEN PATRIS ET MATRIS CONTRAHENTIUM

Roma, 17 Nov. 1972

Ho avuto l'onore di ricevere il venerato Foglio numero 23-71 A-gll, in data 18 ottobre scorso, con il quale l'Eminenza Vostra Reverendissima sottoponeva alla considerazione di questo Consiglio —per le eventuali istruzioni da partecipare alla Conferenza Episcopale Italiana— il testo del Decreto del Ministro Guardasigilli del 13 agosto 1971 (n. 7682) che dispone la soppressione, nelle pubblicazioni come negli atti di matrimonio, dell'indicazione della paternità e maternità dei contraenti.

Atteso quanto le leggi di attuazione dell'Art. 34 del Concordato tra la S. Sede e l'Italia [LE 881] hanno stabilito in materia, appare superfluo rilevare che la disposizione del su citato Decreto Ministeriale non può estendersi automaticamente agli atti di matrimonio canonici che i Parroci, a norma dell'art. 34 del Concordato, devono trasmettere ai Comuni perché siano trascritti nei registri di stato civile. Lo Stato, pertanto, non ha facoltà di rifiutare —per disposizione unilaterale— la trascrizione di atti matrimoniali, canonicamente regolati, perché contengono dati che la legge statale impone di omettere nei corrispondenti atti civili.

Fino a che la Santa Sede —previa intesa con lo Stato Italiano— non disponga altrimenti, modificando eventualmente l'Art. 29, n. 2, dell'Istruzione emanata da codesta Sacra Congregazione il 1° luglio 1929 [LE 914], detti atti matrimoniali —da trasmettere agli uffici di stato civile— dovranno essere redatti secondo i moduli finora in uso, con l'indicazione cioè del nome, cognome e domicilio o residenza dei genitori dei contraenti.

Vostra Eminenza, se lo crederà opportuno, potrà riservatamente portare quanto sopra esposto a conoscenza della Conferenza Episcopale Italiana, pregandola anche di volere esaminare l'atteggiamento da assumere di fronte al caso di un contraente che si rifiutasse di fornire i dati di cui sopra, perché non più richiesti dalla legge civile.

Con sensi di venerazione mi confermo di vostra Eminenza Reverendissima dev.mo in Domino.—G. Card. VILLOT.

* Card. Praefecto S. Cong. de disciplina Sacramentorum, Prot. N. 6968/71: L'amico del clero 54 (1972) 152. Adn. L'amico del clero 54 (1972) 350-351.

4008

1971 NOV 18.-SC DOCTRINA FIDEI, RESPONSUM. PART.*

MODUS AGENDI PASTORALIS CUM POLYGAMIS CATHECUMENIS QUI ALIAS UXORES, PRAETER LEGITIMAM, DESERERE NON POSSUNT ABSQUE GRAVI INCOMMODO

Roma, le 18 novembre 1971

Excellence, En réponse à votre lettre du 1er. octobre dernier, Prot. N. 1936/71, cette Sainte Congrégation vous fait part que ce n'est pas sans compréhension pour les circonstances difficiles, où se trouvent les chefs polygames des Goutmantchés, qu'elle a pris connaissance de leur lettre émouvante dans laquelle ils manifestent leur désir de recevoir le baptême dans l'Eglise, mais disent qu'ils ne peuvent pas renvoyer leurs femmes.

Pourtant ce Dicastère ne voit pas comment sur ce point central de l'existence chrétienne l'Eglise pourrait revenir sur ce que la Tradition constante et séculaire a toujours proposé comme étant une exigence de la morale de la Nouvelle Alliance, enseignée par Notre Seigneur.

Nous vous prions de bien vouloir transmettre cette réponse à Son Excellence Mgr. Berlier, évêque de Niamey, pourqu'il la communique aux intéressés, et leur propose la solution traditionnelle qui consiste dans ce que chaque chef polygame prenne la première épouse légitime d'entre ses femmes (ou, au cas où il ne saurait plus qui est la première, celle qui lui semble bonne) et s'engage à ne plus avoir des rapports matrimoniaux avec les autres qui, normalement, devront quitter sa maison. Seulement pour des raisons sérieuses, et s'il n'y a pas danger de scandale, elles pourraient continuer à vivre sous le même toit.

Si les personnes en question ne peuvent, ou ne peuvent pas encore, se ranger à cette solution parfois difficile et lourde de conséquences sociales, on peut les accepter dans le catéchuménat, où les missionnaires doivent les éduquer dans la vie et la morale chrétiennes. Dans cette ligne se situent aussi les «confréries d'amis chrétiens» qu'on a organisées ici et là pour ces polygames de bonne volonté.

Veuillez agréer, Excellence, l'assurance de mes sentiments dévoués en Notre Seigneur.—Paul PHILIPPE, *Secr.*

* Legato Ap. in Africa occidentali, Prot. N. 196/71; e documento originali.

4009

1971 NOV 29.-PAULUS VI, CONST. AAS 64 (1972) 408-409

EPARCHIA DOMINAE NOSTRAE LIBANENSIS PRO MARONITIS IN BRASILIA CONDITUR

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei-Ad perpetuam rei memoriam

Quod providenter Concilium Oecumenicum Vaticanum II suasit (cfr. Decr. *Orientalium*, 4) [LE 3233], ut videlicet ubique terrarum omnium orientalis ritus Ecclesiarum provideretur incremento ac propterea constituerentur paroeciae atque propria hierarchia, perficiendum iam esse censuimus, quantum fideles pertinet ritus antiocheni Maronitarum in Brasiliae finibus degentes: eorundem enim fidelium coetus tam numero catholicaeque rei inceptis floruerint, ut oporteret omnino peculiari eparchia seu dioecesi arctius inter se copularentur. Audito igitur quid hac super re sentirent Patriarcha Antiochenus Maronitarum, Episcoporum coetus Brasiliae atque eiusdem nationis Apostolicus Nuntius, de consilio Sacrae Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus deque apostolica Nostra potestate sequentia decernimus ac iubemus. Eparchiam pro fidelibus Maronitis in Brasilia constituimus, cuius erit titulus *Dominae Nostrae Libanensis*; eadem suffraganea metropolitanae Sedi Sancti Pauli erit, in qua urbe et domicilium suum et eparchiale templum Eparchus habebit. Hic praeterea consultores eparchiales deligat, ut ei auxilio et consilio iuvent. Ad mensam quod attinet, eam efficient pecunia a fidelibus oblata, paroeciarum tributa ac bonorum redditus ad eparchiam pertinentium. Praecipus insuper ut conditae Sedis eiusque sacri Praesulis iura et officia ab Apostolicis Litteris desumantur *Cleri sanctitati* [LE 2664], a canone nempe 392 ad 526, servatis tamen decretis Concilii Vaticani II ceterisque Apostolicae Sedis praescriptis.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem sese et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea / haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius*. Maximilianus Card. DE FÜRSTENBERG, *S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus*. Franciscus Tinello, *Apostolicam Cancellariam Regens*. Ioannes Galleri, *Proton. Apost.* Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

4010

1971 NOV 29.-PAULUS VI, CONST. AAS 64 (1972) 409-410

IN BRASILIA EPARCHIA DOMINAE NOSTRAE PARADISI CONSTITUITUR, PRO MELKITIS RITUS BYZANTINI

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei-Ad perpetuam rei memoriam

Haec romana et apostolica Sedes, omnium Ecclesiarum, quotquot in orbe terrarum disseminatae sunt, mater sollicita, singulari semper studio et antiquissima cura ad Orientales Ecclesias respexit, quas nempe, christianae familiae partem nobilissimam, florentes ingenio, doctrina sancta abundantes, pietate castissima in Deum eiusque Matrem praestantes, per tot saeculorum intervalla experta est, easdemque firmum christianae veritatis praesidium. Accedunt sacrosancti Concilii Vaticani II decreta, patrimonium tantum Orientalium extollentia. Quam ob rem, cum Sacra Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus, post venerabilem Fratrem Maximum V Hakim, Melkitarum / Patriarcham, sententiam rogatum, bene fieri censuerit, si in Brasiliana Re publica Eparchia conderetur pro fidelibus ritus Byzantini Melkitarum, Nos id censentes haud parum conferre ad bonum atque prosperitatem eius coetus fidelium, haec quae sequuntur decernimus atque iubemus. In Brasilia Eparchiam pro fidelibus ritus Byzantini Melkitarum constituimus, cuius erit titulus: *Dominae Nostrae Paradisi*, sedes in urbe S. Pauli. Eadem praeterea suffraganea subicietur Apostolicae Sedi, ac tamquam eparchiale templum illud habebit, quod est a populo appellatum «Igreja de Nossa Senhora do Paraiso». Consultores insuper eligantur, qui Eparcho assint consilio atque opera. Ad mensam eparchialem quod attinet, efficietur fidelium collationibus, statutis paroeciarum tributis, bonis ad Eparchiam pertinentibus. Eparchiae postremo eiusque Eparchi iura Litteris apostolicis continentur, quae *Cleri sanctitati* [LE 2664] inscribuntur, a canone nempe 392 ad 526, servatis decretis sacrosancti Concilii Vaticani II, ceterisque Sedis apostolicae praescriptis.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud, S. Petrum, die undetricesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius*. Maximilianus Card. DE FÜRSTENBERG, *S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus*. Franciscus Tinello, *Apostolicam Cancellariam Regens*. Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.* Iosephus Massimi, *Proton. Apost.*

4011

1971 NOV 29.-PAULUS VI, CONST. AAS 64 (1972) 411-412

APOSTOLICUS EXARCHATUS PRO FIDELIBUS UCRAINIS IN BRASILIA DEGENTIBUS, AD DIGNITATEM EPARCHIAE EVEHITUR

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei-Ad perpetuam rei memoriam

Eius Vicarius, qui homo fieri voluit ut homines Dei filios faceret, maiore hac sollicitudine nulla afficimur, quam ut christiano populo subsidia apta comparemus ad

http://www.obrascatolicas.com

fidem suam augendam atque propagandam: nihil enim carius Nobis esse potest, quam illi, qui divino cruore re- dempti, ad aeternaque destinati, diligentiae Nostrae com- missi sunt, cui nullae parcimus. Quam ob rem, cum Apo- stolicus Exarchatus pro fidelibus Ucrainis in Brasilia, die tricesimo maii, anno MDCCCCLXI, conditus, post decem annos incrementa haud minima ceperit, atque maiora capturus esse videatur, bene fieri visum est, si ad digni- tatem Eparchiae tolleretur. Quare, tum Episcoporum coetu Brasiliano, seu Conferentia, sententiam rogato, tum Apostolico Nuntio, Sacra denique Congregatione pro Ec- clesiis Orientalibus, quid sentiret, apostolica Nostra po- testate Exarchatum illum ad gradum atque dignitatem Eparchiae evehimus, quae cognomine Eparchiae seu dioce- sis *Sancti Ioannis Baptistae Curitibensis Ucrainorum* ap- pellabitur, quaeque suffraganea constituetur metropoli- tanae Ecclesiae Curitibensis, donec provincia ecclesiastica Ucrainorum propria condatur. Eparchiae sedes erit in urbe Curitiba, in qua Eparchus domicilium suum colloca- bit, posita cathedra suae auctoritatis in templo quod ibi surgit. Mensam eparchialem efficient populi collationes. Ad cetera quod attinet, consultores eparchiales deligantur, qui Eparcho assistant; iuvenes qui ad sacerdotium Dei voce invitentur, ad id Seminarium mittantur, quod aptius Eparcho videatur, donec proprium condatur. Ad iura vero et onera quae tum constitutae Ecclesiae tum eius sacro Praesuli competunt, cogantur ex apostolicis Litteris de ritibus orientalibus et de personis, die altero datis mensis iunii, anno MDCCCCLXVII, a can. 392 ad 526 [LE 2664], itemque e Concilii Vaticani II decretis e ceterisque ab apostolica Sede factis. Ceterum hae Litterae Nostrae ad effectum deducantur a venerabili fratre Nuntio apostolico
412 in Brasilia, / cuius mentionem fecimus, vel ab eo qui
fuerit delegatus. Re vero acta documenta exarentur, quorum sincerae fidei exempla ad Sacram Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res et religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo primo, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius*. Maximilianus Card. DE FÜRSTENBERG, *S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus*. Franciscus Tinello, *Apostolicam Cancellariam Regens*. Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.* Iosephus Massimi, *Proton. Apost.*

4012

1971 NOV 29.-PAULUS VI, CONST. AAS 64 (1972) 413-414

EXARCHATUS APOSTOLICUS PRO FIDELIBUS RITUS ANTIOCHENI MARONITARUM, IN FOEDERATIS AMERICAE SEPTEMTRIONALIS CIVITATIBUS, AD GRADUM EPARCHIAE EVEHITUR

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei-Ad perpetuam rei memoriam

Quae spes atque exspectatio optima Nobis fuit cum, apostolicis Litteris *Cum supremi*, die decimo mensis Ianuarii, anno millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, datis [LE 3387], exarchatum apostolicum condidimus pro fidelibus ritus Antiocheni Maronitarum in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus degentibus, eadem veluti multiplicata Nos hodie inducit ut eundem ad gradum eparchiae seu dioecesis attollamus: post sex enim annos in promptu omnium est magna non solum rei catholicae incrementa esse ibidem habita, sed maiora etiam in posterum futura. Auditis igitur hoc super negotio sive Patriarcha Antiocheno Maronitarum, sive Episcoporum coetu Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis, sive Delegato Apostolico inibi insidente, de sententia praeterea venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis Praefecti Sacrae Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus deque apostolica Nostra potestate, exarchatum apostolicum quem diximus ad dignitatem eparchiae evehimus, nomine *Sancti Maronis Detroitensis* pro Maronitis, quam Apostolicae Sedi directe subiectam constituimus, firma tamen declaratione Sacrae Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, die quinto et vicesimo mensis Martii, anno millesimo nongentesimo

septuagesimo, significata de rationibus habendis cum Patriarchatu. Sic conditae eparchiae sedes in urbe Detroito erit, in qua episcopus et domicilium suum et magisterii cathedram, templum videlicet eparchiale, habebit. Insuper eparchiales consultores deligendi sunt, qui sacro Praesuli consilio et auxilio de more adsint. Decernimus quoque ut eparchialis mensa efficiatur pecuniis sponte a fidelibus oblatis, paroeciarum tributis ac bonorum redditibus ad novam eparchiam pertinentium. Ad Seminarium autem maius quod attinet, nuper structum, magis ac magis illi consulatur, utpote in quo eparchiae spes fideliumque
expectationes / foveantur. Iura denique et munera, epar- 414
chiam spectantia atque eiusdem sacrorum Antistitem, a Litteris sumantur *Cleri sanctitati* [LE 2664], a canone nempe 392 ad 526, servatis praeterea decretis Concilii Vaticani II ceterisque Apostolicae Sedis praescriptis.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius*. Maximilianus Card. DE FÜRSTENBERG, *S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus*. Franciscus Tinello, *Apostolicam Cancellariam Regens*. Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.* Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

4013

1971 NOV 29.-SECRET. STATUS, NOTIF. AAS 63 (1971) 841

NOTIFICATIO QUA SUSPENDUNTUR AD TEMPUS OMNES FACULTATES, PRAETER ILLAS A MOTU PROPRIO «PASTORALE MUNUS» CONCESSAS, CIRCA ONERA MISSARUM

Quo clarius ordinaretur materia, gravis multumque prudentiae postulans, quae ad celebrationem et applicationem Missarum ad intentionem offerentium pertinet, utque pari et eadem ratione instituerentur criteria in perpendendis deliberandisque petitionibus, quae —in casibus extraordinariis— postmodum forte admovebuntur circa reducenda, condonanda et commutanda onera Missarum, Summus Pontifex statuit Sibimet Ipsi reservare, sed interim prorsus et ad tempus, totam deliberationem de hac re. Simul etiam decrevit, ut a prima die mensis Februarii anno 1972 omnes facultates, generales aut peculiares, antea, quovis tempore, quavis de causa et cuivis personae physicae vel morali concessae sive vi iuris, sive ab Ipso aut ab Eius Decessoribus, sive directe, etiam «vivae vocis oraculo», sive per Sacra Dicasteria, suspenderentur, firmis illis tantum facultatibus, quae per Apostolicas Litteras «Pastorale munus» die 30 mensis Novembris anno 1963 motu proprio datas, nn. 11 et 12 [LE 3139], Episcopis tribuuntur.

Haec, de mandato Beatissimi Patris, in notitiam omnium eorum opportune perferuntur, quorum quomodocumque haec dispositio intersit, quae praedicta die vigere incipit; contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Die 29 mensis Novembris a. 1971.

Adn. C. G. in CpR 53 (1972) 78-79; D. GALEA in Apoll. 45 (1972) 783.

4014

1971 NOV 30.-PAULUS VI, RESCR. AAS 63 (1971) 897

SUMMUS PONTIFEX PUBLICI IURIS FACIT DOCUMENTA SYNODI II ORDINARIAE EPISCOPORUM, CUIUS NONNULLAS CONCLUSIONES APPROBAT, ALIAS SIBI EXAMINANDAS RESERVAT

Rescriptum ex Audientia. Die 30 *Novembris* 1971

Beatissimus Pater sedulo studio consideravit duos textus complectentes vota prolata ab altero Generali Coetu Synodi Episcoporum circa argumenta «De sacerdotio ministeriali» et «De iustitia in mundo», quae eidem Coetui pertractanda commissa erant.

Ut iam nuntiavit allocutione habita in generali Audientia die 24 novembris h. a., Summus Pontifex decrevit ut praedicta [illegible] publici iuris [illegible]

Sanctitas Sua iam nunc probat atque confirmat omnes conclusiones, quae in praedictis documentis cum vigentibus normis congruunt; peculiari autem modo confirmando statuit, ut in Ecclesia Latina integre observari pergat, Deo adiuvante, praesens disciplina de caelibatu sacerdotali.

Beatissimus Pater Sibi relinquit examen, postea omni cum diligentia instituendum, quo ponderabit, an et quas propositiones, quae in synodalis Coetus votis continentur, in praeceptiones vel agendi normas converti expediat.— I. Cardinalis VILLOT, *a publicis Ecclesiae negotiis*.

4015

1971 NOV 30.-SYNOD. EP., DECL. AAS 63 (1971) 898-922

DE SACERDOTIO MINISTERIALI, DEQUE PRINCIPIIS DOCTRINALIBUS ET RATIONIBUS PRACTICIS VITAE ET MINISTERII SACERDOTUM IN ECCLESIA

Prooemium

Ultimis temporibus, praesertim post Concilium Vaticanum II expletum, Ecclesia experitur profundum motum renovationis, quem christiani omnes magno gaudio ac fidelitate erga Evangelium prosequi debent. Adest enim virtus Spiritus Sancti ad nostram missionem illuminandam, roborandam perficiendamque.

Omnis veri nominis renovatio indubia necnon magni pretii beneficia Ecclesiae affert. Probe novimus per Concilium nuper celebratum sacerdotes novo ardore inflammatos esse et quotidiana sollicitudine ad fovendam hanc renovationem multum contulisse. Prae oculis habemus tot heroicos confratres, ministerio fideles, qui sive in populis, ubi Ecclesia duro subiacet iugo, sive in terris missionis, vitam Deo dicatam contentis animis degunt. Simul tamen et quaedam ardua illa renovatio secum fert, quae sacerdo- tes omnes sive episcopi sive presbyteri modo speciali per- sentiunt.

Nos omnes hac aetate renovationis signa temporum perscrutari et sub luce Evangelii interpretari debemus (cf. *GS* 4) [LE 3366], ut consociatis viribus discernamus spiritus, si ex Deo sint, ne ambiguitatibus unitas missionis Ecclesiae obscuretur, vel nimia uniformitate aptatio necessaria impediatur. Sic omnia probando et, quae bona sunt, tenendo, hodierna crisis occasionem praebere potest fidei incremento.

Pro rei gravitate Beatissimus Pater Synodo huius anni sacerdotium ministeriale tractandum proposuit. Multae Episcoporum Conferentiae hoc thema cum presbyteris et saepius cum laicis ante Synodum exploraverunt. Ad Synodum vocati sunt quidam presbyteri ut auditores, qui praesto essent episcopis de magni momenti quaestionibus acturis.

Officium nostrum adimplere volumus ea evangelica simplicitate, quae pastores Ecclesiae servientes decet. Per-
899 pensa / nostra *responsabilitate* pro fraterna communitate
Ecclesiae, fratrum nostrorum in sacerdotio ministeriali omniumque christianorum fidem cupimus confirmare, spem erigere, caritatem fovere. Possint verba nostra Populo Dei eiusque servitio deditis sacerdotibus solacium afferre et gaudium renovare!

Descriptio status rerum

1. Missionis Ecclesiae amplitudo a Concilio Vaticano II fusius explicata est, quin immo eius cum mundo consuetudo argumentum fuit praesertim Constitutionis Pastoralis *Gaudium et Spes* [LE 3366]. Multi fructus ex huius materiae impensiore consideratione promanarunt: clarius perspicitur salutem non esse *abstractam* quandam ac veluti *ahistoricam* vel *intemporalem* categoriam, sed ex Deo provenire et totum hominem totamque humanitatis historiam pervadere debere, eosdemque homines ad Regnum Dei libere ducere, ut tandem *sit Deus omnia in omnibus* (1 *Cor*. 15,28).

Difficultates tamen, ut facile intellegitur, etiam exortae sunt: quidam sacerdotes sese alienos sentiunt a motibus, qui ad hominum coetus pertinent, et impares ad quaestiones solvendas, quae hominibus cordi sunt. Saepe etiam problemata et perturbationes presbyterorum ex eo manant, quod in sua sollicitudine pastorali et missionaria, methodis nunc fortasse obsoletis, hodierno mentis habitui occurrere debent. Tunc gravia problemata et plures interrogationes exoriuntur, praeprimis e veris difficultatibus, quas presbyteri in munere suo fungendo experiuntur, et non (quod quidem verum est aliquando) ex spiritu exacerbato contendendi et controversiam inferendi vel ex curis personalibus tantum ob sui amorem habitis. Estne possibile laicos quasi ab extra exhortari? Estne Ecclesia aliquibus coeti-

bus satis praesens sine presbyteri actuosa praesentia? Si vero condicio propria presbyteri ea est, ut a saeculari vita segregetur, nonne melior est laicorum condicio? Quid sentiendum est de caelibatu sacerdotum Ecclesiae Latinae in hodiernis rerum adiunctis et de vita propria spirituali presbyteri in mundo immersi? /

2. Non pauci sacerdotes, in se ipsis contentiones *saecularizatione* mundi exortas sentientes, exigentiam experiuntur navitates profanas immediato exercitio sanctificandi necnon fermentum Evangelii medios in eventus inferendi. Similimodo augescit desiderium cooperandi cum coniunctis hominum conatibus, ut exstruatur societas magis iusta et fraterna. In mundo, ubi fere omnium problematum aspectus politici patent, participatio rei politicae, immo actionis ad rerum conversionem tendentis pernecessaria a nonnullis censetur.

3. Concilium extulit praecellentiam proclamationis Evangelii, quae per fidem ad plenitudinem celebrationis sacramentorum ducere debet, sed hodierna cogitatio circa phaenomenon religiosum in multorum animis alit dubia circa sensum ministerii sacramentalis et *cultualis*. Permulti sacerdotes vero, qui nullam patiuntur suae identitatis crisim, aliam quaestionem sibi ponunt: quibusnam agendi modis uti debent, ut praxis sacramentalis sit expressio fidei, quae revera totam vitam et personalem et socialem afficiat, ne cultus christianus perperam ad externum quendam *ritualismum* redigatur?

Sacerdotes valde attenti cum sint ad imaginem, quam sui ipsius Ecclesia coram mundo praebere videtur, simulque penitus conscii de dignitate singulari personae humanae, mutationem inducere cupiunt, intra ipsam Ecclesiam, in relationes inter personas, inter has et institutiones atque in ipsas structuras auctoritatis.

4. Relationes etiam inter episcopos et presbyteros atque inter ipsos presbyteros eo difficiliores fiunt, quo magis exercitium ministerii variatur. Societas enim hodierna dividitur in multos coetus, disciplinis diversis utentes, quae varias competentias et formas apostolicas expostulant. Exinde oriuntur problemata, quae ad fraternitatem, animorum coniunctionem et cohaerentiam in ministerio sacerdotali attinent.

Concilium recens feliciter in memoriam revocavit traditionalem et fecundam doctrinam de sacerdotio communi fidelium (cf. *LG* 10). Inde tamen, reciprocante quodam motu, quaestiones nonnullae oriuntur, quae condicionem sacerdotalis ministerii in Ecclesia videntur obscurare et
animos quorundam sacerdo/tum et fidelium vehementer 9
perturbant. Multae navitates, e. gr. catecheticae, administrationis communitatum, immo liturgicae, antea presbyteris reservatae, hodie a laicis saepius exercentur, cum ex altera parte multi sacerdotes, propter causas iam allatas, condicioni vitae laicorum sese inserere nitantur. Quo ex facto apud nonnullos plures quaestiones oriuntur: estne aliqua ratio specifica ministerii sacerdotalis necne? Estne necessarium hoc ministerium? Estne sacerdotium inamissibile? Quid sibi vult hodie: presbyterum esse? Nonne sufficeret habere pro servitio communitatum christianarum praesidentes designatos ad bonum commune servandum, citra sacramentalem ordinationem, munusque suum ad tempus exercentes?

5. Quaestiones adhuc graviores ponuntur, partim ex investigationibus exegeticis et historicis exortae, quae fiduciae crisim quoad Ecclesiam manifestant: num hodierna Ecclesia nimis longinqua est a suis originibus, ut credibiliter antiquum Evangelium hominibus huius aetatis nuntiare possit? Estne adhuc possibilis aditus ad *realitatem* Christi post tot criticas indagationes? Suntne essentiales structurae primaevae Ecclesiae nobis ita sufficienter notae, ut tamquam forma invariabilis pro omnibus saeculis, etiam nostro, retineri possint ac debeant?

6. Praedictae quaestiones, partim novae partim vero olim iam notae sed hodie novis formis indutae, extra totam regionem hodierni cultus humani, de sensu et valore suo valde dubitantis, intellegi nequeunt. Nova subsidia technica spem, mentium quodam aestu nimis innixam, simulque anxietatem profundam excitant. Merito quaeritur, num homo capax futurus sit suum opus dominandi et ad progressum dirigendi.

Alii, praesertim iuniores, de sensu huius saeculi desperant et salutem quaerunt in systematibus pure *meditativis*, in paradisis artificialibus et secundariis, communem conatum humanitatis deserentes.

Alii ardenti et *utopica* spe sine respectu ad Deum ducti alicui statui liberationis totalis adipiscendo sese devovent
et sensum totius suae vitae personalis de praesenti in futu- 90
rum transferunt. /
Ita profunde actio et contemplatio, labor et ludus, cul-

http://www.obrascatolicas.com

tus ingenii et religio, aspectus immanens et transcendens vitae humanae disiunguntur.

Sic mundus ipse solutionem huius dilemmatis subosbcure exspectat viamque sternit, qua Ecclesia Evangelium nuntians procedere possit. Profecto unica et integra salus hominibus oblata est Ipse Christus, Filius Dei et filius hominis, qui per Ecclesiam se ipsum in historia praesentem reddit: ille enim inseparabiliter conglutinat inter se caritatem erga Deum et Dei usque in finem, caritatem erga homines inter umbras viam quaerentes, et vim amoris humani, quo quis dat vitam pro amicis suis. In Christo et nonnisi in Ipso haec omnia in unum coalescunt et ex hac denique *synthesi* sensus vitae humanae tam *individualis* quam socialis elucet. Missio ergo Ecclesiae, quae est Corpus Christi, nequaquam obsoleta est, quin immo maxime consentanea tempori praesenti et futuro: Ecclesia tota huius unionis testis atque efficax signum exstat, peculiari modo per ministerium sacerdotale. Ministri enim in medio Ecclesiae munus proprium est repraesentare amorem Dei in Christo erga nos verbo et sacramento simulque excitare communionem hominum cum Deo et inter se. Quae omnia utique postulant, ut nos universi, praesertim qui sacro munere fungimur, quotidie secundum Evangelium nos renovare studeamus.

7. Scimus quidem esse mundi plagas, ubi illa profunda mutatio cultus humani usque adhuc minus sentiatur, et quaestiones supra propositas non ubique poni, neque ab omnibus sacerdotibus neque sub eodem respectu. Sed quia hodie communicationes inter homines et populos frequentiores factae sunt et celerrime procedunt, bonum et opportunum iudicamus, ut his quaestionibus sub lumine fidei prospiciamus et eisdem aliqua principia ad responsiones magis *concretas* inveniendas humiliter et in fortitudine Spiritus Sancti afferamus. Etiamsi hoc responsum diversimode secundum circumstantias uniuscuiusque regionis applicari debeat, vim tamen habebit veritatis pro omnibus fidelibus et sacerdotibus, qui in condicione maioris quietis versantur. Quapropter fidei testimonium ardenter cupientes ro-
903 borare, omnes christifideles / fraterne hortamur, ut Dominum Iesum in sua Ecclesia viventem contemplari studeant Eumque peculiari modo per suos ministros operari velle perspiciant, et sic persuasum habebunt communitatem christianam plenam missionem suam sine sacerdotio ministeriali adimplere non posse. Noscant autem sacerdotes Episcopos plane participare ipsorum anxietates magisque participare cupere.

Hoc desiderio moti, Patres Synodi, in spiritu Evangelii, doctrinam Concilii Vaticani II plane sequentes atque etiam documenta et allocutiones Summi Pontificis Pauli VI considerantes, capita quaedam doctrinae Ecclesiae de sacerdotio ministeriali hodie urgentiora nec non aliquas rationes directorias quoad praxim pastoralem breviter exponere intendunt.

Pars Prima

Capita Doctrinae

1. *(Christus Alpha et Omega).* Iesus Christus, Dei Filius et Verbum, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (*Io.* 10, 36), plenitudine Spiritus Sancti signatus (cf. *Lc.* 4, 1. 18-21; *Act.* 10, 38), mundo annuntiavit Evangelium reconciliationis inter Deum et homines. Eius praedicatio prophetica, per signa confirmata, culmen attingit in mysterio paschali, supremo verbo amoris divini, quo Pater nos allocutus est. In cruce Iesus se ipsum quam maxime ostendit ut Pastorem bonum, qui vitam suam pro ovibus posuit, ut eas ad illam unitatem in Ipso consistentem congregaret (cf. *Io.* 10, 15ss.; 11, 52). Sui ipsius oblatione summum atque unicum exercens sacerdotium, omnia ritualia sacerdotia et sacrificia Veteris Testamenti immo et genium adimplendo superavit. In suo sacrificio hominum miserias et sacrificia cunctarum aetatum assumpsit, atque etiam conamina eorum, qui propter iustitiam patiuntur, vel infausta sorte quotidie premuntur, ac molimina eorum,
904 qui, mundo relicto, per ascesim et contemplatio/nem Deum attingere conantur, vel labores eorum, qui vitam suam in meliorem praesentem et futuram societatem animo sincero impendunt. Omnium nostrum peccata in cruce portavit, a morte resurgens et Dominus constitutus (cf. *Phil.* 2, 9-11), cum Deo nos reconciliavit et Populi Novi Foederis, qui est Ecclesia, iecit fundamentum.

Ille est unicus Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus (*1 Tim.* 2, 5), in Ipso condita sunt universa (*Col.* 1, 16; cf. *Io.* 1, 3 ss.) et in Eo omnia recapitulantur (cf. *Eph.* 1, 10). Cum sit imago Patris et manifestatio Dei invisibilis (cf. *Col.* 1, 15), per suam exinanitionem et exaltationem in communionem Spiritus Sancti, quam Ipse vivit cum Patre, nos introduxit.

Quando ergo loquimur de sacerdotio Christi, oportet prae oculis habere *realitatem* unicam, incomparabilem, in se includentem munus propheticum et regale Verbi Dei incarnati.

Ita Iesus Christus multifarie significat et manifestat praesentiam et efficaciam praevenientis amoris Dei. Ipse Dominus, permanenter influens per Spiritum suum in Ecclesiam, omnium responsiones hominum sese huic gratuito amoris offerentium suscitat et promovet.

2. *(De aditu ad Christum in Ecclesia).* Aditus ad personam et mysterium Christi semper in Spiritu Sancto per Scripturas, in viva Ecclesiae Traditione intellectas, patet. Scripturae omnes, praesertim Novi Testamenti, ut unica inspiratione intime inter se conexae et ad invicem ordinatae interpretandae sunt. Nec libri Novi Testamenti ponderis adeo diversi sunt, ut aliqui eorum ad mera figmenta seriora redigi possint.

Personalis et immediata relatio cum Christo in Ecclesia etiam pro hodierno fideli totam eius vitam spiritualem sustentare debet.

3. *(Ecclesia a Christo per Apostolos).* Ecclesiam suam, quam in B. Petro se aedificaturum nuntiaverat, Christus super Apostolos fundavit (cf. *LG* 18), in quibus iam duplex eius aspectus manifestatur: in duodecim enim Apostolorum coetu iam adsunt et communio in Spiritu et origo hierarchici ministerii (cf. *AG* 5). Quapropter scripta Novi Testamenti loquuntur de Ecclesia super Apostolos fundata (cf. *Apoc.* 21, 14; cf. *Mt.* 16, 18); quod / idem antiqua traditio 905
sic breviter expressit: «Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo» [1].

Ecclesia autem, super Apostolos fundata et in mundum missa, in eoque peregrinans, ad hoc instituta est, ut sacramentum illius salutis sit, quae a Deo in Christo ad nos usque pervenit. In ea Christus mundo ut Salvator praesens est et operatur, ita ut amor, a Deo hominibus oblatus, eorumque responsiones inter sese conveniant. Spiritus Sanctus excitat in Ecclesia et per eam impetus generosae libertatis, quibus homo ipsum opus creationis et redemptionis participat.

4. *(Ministerii hierarchici origo et ratio).* Ecclesia, per donum Spiritus *organica* compagine instructa, munera Christi Sacerdotis, Prophetae et Regis, diversimode participat, ut salutis missionem nomine ac virtute eius, qua populus sacerdotalis (cf. *LG* 10), exsequatur.

Ex Novi Testamenti scriptis patet ad originalem Ecclesiae structuram inalienabilem pertinere Apostolum et Communitatem fidelium, mutua sibi connexione sub Christo Capite et Spiritus eius influxu respondentes. Duodecim enim Apostoli missionem ac munera sua exercuerunt, et «non solum varios adiutores in ministerio habuerunt» (cf. *Act.* 6, 2-6; 11, 30; 13, 1; 14, 23; 20, 17; 1 *Thess.* 5, 12-13; *Phil.* 1, 1; *Col.* 4, 11 et passim), sed ut missio ipsis concredita post eorum mortem continuaretur cooperatoribus suis immediatis, quasi per modum testamenti, mandaverunt munus perficiendi et confirmandi opus ab ipsis inceptum (cf. *Act.* 20, 25-27; 2 *Tim.* 4, 6s.; *Col.* 1, 1; 1 *Tim.* 5, 22; 2 *Tim.* 2, 2; *Tit.* 1, 5; S. Clem. Rom. *Ad Cor.* 44, 3); monentes eos, attenderent universo gregi, in quo Spiritus Sanctus eos posuit pascere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28). Constituerunt ergo huiusmodi viros ac deinceps ordinationem iis contulerunt, ut cum decessissent, ministerium ipsorum alii viri probati exciperent (cf. S. Clem. Rom. *Ad Cor.* 44, 2) (*LG* 20). / 906

Epistulae S. Pauli monstrant eundem sibi conscium esse se missione ac mandato Christi agere (cf. 2 *Cor.* 5, 18ss.). Potestates, Apostolo pro Ecclesiis commissae, aliis viris, in quantum communicabiles, tradebantur (cf. 2 *Tim.* 1, 6), qui et ipsi easdem aliis tradere debebant (cf. *Tit.* 1, 5).

Illa Ecclesiae structura essentialis, e grege et pastoribus consulto deputatis (cf. 1 *Ptr.* 5, 1-4) constituta, secundum ipsius Ecclesiae Traditionem semper *normativa* fuit et manet; qua quidem structura fit, ut Ecclesia numquam in se ipsa clausa manere possit et semper Christo, tamquam suo origini et Capiti, subdatur.

Inter diversi generis charismata et ministrationes unum sacerdotale Novi Testamenti ministerium, quod Christi mediatoris munus continuat, a communi omnium fidelium sacerdotio essentia et non gradu tantum distinctum (cf. *LG* 10), perenne reddit Apostolorum opus essentiale: Evangelii etenim efficaci proclamatione, communitatis congregatione ac ductu, peccatorum remissione, et praesertim eucharistica celebratione, Christum, Caput communitatis, praesentem reddit in eius humanae redemptionis et perfectae Dei glorificationis opere exercendo.

[1] Tert.: *De Praescr. haer.* XXI, 4; cf. etiam I Ep. Clementis *Ad Cor.* XLII, 1-4; Ignatius Ant.: *Ad Magn.* IV *et passim*; Irenaeus: *Adv. haer.* 4, 21, 3; Origenes: *De Princip.* IV, 2, 1; Serapion: Ep. Ant. apud Eus. *Hist. Eccl.* VI, 12.

Episcopi enim et, subordinato quidem gradu, presbyteri, vi sacramenti Ordinis, quod unctionem Spiritus Sancti confert eosque Christo configurat (cf. *PO* 2), participes fiunt munerum sanctificandi, docendi et regendi, quorum exercitium hierarchica communione pressius determinatur (cf. *LG* 24, 27 et 28).

Ministerium sacerdotale culmen attingit in peragenda sacra Synaxi, quae et fons et centrum est unitatis Ecclesiae. Solus sacerdos in persona Christi agere valet ad praesidendum et perficiendum sacrificale convivium, in quo Populus Dei Christi oblationi consociatur (cf. *LG* 28).

Sacerdos signum est divini ac praevenientis propositi, hodie in Ecclesia proclamati et efficacis. Ipse Christum, totius hominis Salvatorem, inter fratres sacramentaliter praesentem reddit et quidem tam in eorum vita personali quam sociali. Ipse sponsor est tam primae Evangelii proclamationis ad Ecclesiam congregandam, quam indefessae renovationis Ecclesiae iam congregatae. Deficiente praesentia et actione illius mini/sterii, quod per impositionem 907
manuum cum oratione recipitur, Ecclesia plenam certitudinem de sua fidelitate ac de sua visibili continuitate habere nequit.

5. *(Permanens indoles sacerdotii).* Per manuum impositionem donum inamissibile Spiritus Sancti communicatur (cf. 2 *Tim.* 1, 6). Haec ipsa res ministrum ordinatum Christo Sacerdoti configurat et consecrat (cf. *PO* 2), eumdemque participem efficit Christi missionis sub duplici eius respectu, auctoritatis nempe et servitii. Ista auctoritas non est ministri propria: est enim manifestatio «exousiae» (i. e. potestatis) Domini, cuius virtute sacerdos legatione fungitur, in opere eschatologico reconciliationis (cf. 2 *Cor.* 5, 18-20). Ipse quoque inservit humanis libertatibus in Deum convertendis ad christianae communitatis aedificationem.

Permanens haec indoles per totam vitam huius *realitatis signantis*, quae ad fidem pertinet et in Traditione Ecclesiae nomine characteris sacerdotalis appellatur, id exprimit Christum Ecclesiam sibi modo irrevocabili consociasse pro mundi salute et ipsam Ecclesiam modo definitivo Christo dicari ad eius opus adimplendum. Minister, cuius vita obsignationem praesefert doni per sacramentum Ordinis accepti, Ecclesiae in memoriam revocat donum Dei definitivum esse. In medio communitatis christianae, quae Spiritu vivit, non obstantibus suis defectibus, pignus est salvificae Christi praesentiae.

Haec sacerdotii Christi peculiaris participatio minime evanescit, etiamsi sacerdos ecclesialibus aut personalibus ex causis ab exercitio sui ministerii dispensetur vel amoveatur.

6. *(In servitium communionis).* Sacerdos, licet ministerium suum in peculiari communitate exerceat, tamen in singularem fidelium coetum exclusive intentus esse nequit. Ministerium enim eius semper ad totius Ecclesiae tendit unitatem et ad omnes gentes in eam congregandas. Quaevis singularis fidelium communitas indiget communione cum Episcopo et Ecclesia universali. Hoc modo sacerdotale etiam ministerium essentialiter *communitarium* est in presbyterio et cum Episcopo, qui, communionem servans cum Petri successore, corpori Episcoporum est insertus. 908
Quod dicendum est etiam de sacerdo/tibus non immediate servitio alicuius communitatis addictis, aut de iis, qui in remotis ac seiunctis territoriis operantur. Religiosi presbyteri quoque, intra ambitum peculiaris finis atque structurae sui Instituti, modo indissolubili missioni ecclesialiter ordinatae inserti sunt.

Vita et navitas tota presbyteri imbuatur spiritu catholicitatis, sensu nempe universalis missionis Ecclesiae, ita ut omnia Spiritus dona illa libenter agnoscat, eis libertatis spatium aperiat eaque ad commune dirigat bonum.

Christi exemplum sequentes, presbyteri fraternitatem cum Episcopo et inter se excolant, in ordinatione et unitate missionis fundatam, qua credibilius fiat sacerdotale testimonium.

7. *(Sacerdos et res temporales).* Quaevis incepta vere christiana ordinantur ad hominum salutem, quae, cum indolis eschatologicae sit, res quoque temporales complectitur: omnis enim huius mundi *realitas* Christi dominatui est submittenda, quod tamen non significat Ecclesiam sibi vindicare technicam competentiam in ordine saeculari, huius autonomia neglecta.

Missio propria sacerdotis, sicut et Ecclesiae, quam Christus ei concredidit, non est ordinis politici, oeconomici vel socialis, sed religiosi (cf. *GS* 42), attamen secundum rationem sui ministerii multum conferre potest ad ordinem saecularem magis iustum instaurandum, ibi praesertim, ubi humana problemata iniustitiae et oppressionis graviora sunt, semper tamen communione ecclesiali servata et seposita violentia sive in dictis sive in factis, utpote quae non sit evangelica.

Referre verbum Evangelii, quod ipse annuntiat in no-

mine Christi et Ecclesiae, atque efficax gratia vitae sacramentalis, quam administrat, hominem a suis personalibus et socialibus *egoismis* liberare ac iustitiae condiciones inter homines promovere debent, quae signum sint caritatis Christi apud nos praesentis (cf. *GS* 58, in fine). /

Pars Altera

Directoriae rationes quoad vitam et ministerium sacerdotis

Sacerdotalem missionem considerantes sub lumine mysterii Christi et communionis Ecclesiae, Patres huius Synodi, cum Romano uniti Pontifice, conscii anxietatum, quas Episcopi et presbyteri ex difficultatibus in communi munere hodie fungendo experiuntur, sequentes exhibent directorias rationes ad nonnullas quaestiones apertius explicandas et ad illorum animos corroborandos.

I. Presbyteri in missione Christi et Ecclesiae

1. *(Missio: evangelizatio et vita sacramentalis). a)* «Presbyteri Novi Testamenti, vocatione quidem et ordinatione sua, quodam modo in sinu Populi Dei segregantur, non tamen ut separentur, sive ab eo sive a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi ad quod Dominus eos assumit» (*PO* 3). Suam ideo identitatem inveniunt presbyteri, quatenus missionem Ecclesiae plene vivunt eamque diversis exercent modis in communione cum toto Populo Dei, ut pastores et ministri Domini in Spiritu, ad propositum salutis in historia opere complendum. «Cum autem Presbyteri per proprium suum ministerium —quod praecipue in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit— cum Christo Capite communicent et alios ad hanc communionem adducant, non possunt non sentire quantum adhuc ad plenitudinem Corporis desit, et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat» (*AG* 39).

b) Ad omnes homi es mittuntur presbyteri eorumque missio a praedicatione verbi Dei initium sumere debet. «Presbyteri... primum habent officium Evangelium Dei omnibus evangelizandi... Verbo enim salutari in corde non fidelium suscitatur et in corde fidelium alitur fides» (*PO* 4). Evangelizatio ad id ordinatur, «ut omnes, per fidem et Baptismum filii Dei facti, / in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participent et cenam dominicam manducent» (*SC* 10). Ministerium verbi, si recte intellegitur, ducit ad Sacramenta et ad vitam christianam, prout haec in visibili Ecclesiae communitate et in mundo ad praxim deducitur.

Sacramenta enim cum Verbi Dei proclamatione coniuncta celebrantur atque ita fidem provehunt, eam gratia corroborando. Non licet ergo parvipendi Sacramenta, quia per ea verbum ad suum pleniorem effectum pervenit, scilicet ad communionem mysterii Christi. Immo sacerdotes officium suum praestent ita ut fideles «ea Sacramenta impensissime frequentent, quae ad vitam christianam alendam sunt instituta» (*SC* 59).

Constans autem evangelizatio et ordinata vita sacramentalis communitatis postulant, natura sua, diaconiam auctoritatis, id est servitium unitatis et munus praesidendi caritatis. Ita relatio mutua inter evangelizationem et celebrationem Sacramentorum manifeste apparet in missione Ecclesiae. Divisio inter utramque ipsum veluti cor Ecclesiae divideret usque ad fidei discrimen et presbyter, qui servitio unitatis in communitate est mancipatus, ministerium suum graviter detorqueret.

Unitas inter evangelizationem et vitam sacramentalem semper est propria ministerialis sacerdotii et ab omni presbytero sedulo prae oculis habenda. Applicatio vero huius principii ad vitam et ministerium singulorum cum prudentia et moderatione fiat oportet; nam exercitium ministerii sacerdotalis saepe variari practice debet, quo melius respondeat rerum condicionibus peculiaribus vel novis, in quibus Evangelium nuntiandum est.

c) Quamvis paedagogia fidei exigat, ut homo vitae christianae gradatim initietur, Evangelium tamen mundo integre semper ab Ecclesia nuntiari debet. Quilibet presbyter speciale participat onus et officium praedicationis totius verbi Dei eiusdemque interpretationis iuxta fidem Ecclesiae.

Verbi Dei proclamatio, quae est in virtute Spiritus annuntiatio rerum mirabilium a Deo patratarum ac vocatio hominum ad paschale mysterium participandum idque ut fermentum inducendum in historiam *concretam* hominum, actio Dei est, qua virtus Spiritus Sancti Ecclesiam interius exteriusque con gregat. Minister verbi evangelizatione parat 9
vias Domini magna cum patientia et fide, variis condicionibus singulorum et populorum vitae, citius vel tardius pregraedientis, sese conformans.

http://www.obrascatolicas.com

Necessitate compulsa respiciendi aspectus sive personales sive sociales nuntii evangelici, ut eo simul respondeatur quaestionibus primariis hominum (cf. *CD* 13), Ecclesia non modo singulis hominibus conversionem ad Deum praedicat, verum etiam, pro parte sua, quasi conscientia societatis effecta, ipsam societatem alloquitur et munere prophetico circa eam fungitur, curans semper de sua propria renovatione.

Quod vero ad vitae experientias, sive hominum in genere sive presbyterorum attinet, quae prae oculis habendae sunt et semper sub lumine Evangelii interpretandae, eae non possunt esse neque sola neque principalis norma praedicationis.

d) Salus, quae per Sacramenta perficitur, non e nobis provenit sed desuper a Deo; quod demonstrat primatum actionis Christi, unici Sacerdotis et Mediatoris, in corpore Eius, quod est Ecclesia.

Sacramenta, cum revera sint fidei sacramenta (cf. *SC* 59), a quovis christiano, qui usu rationis capax est, consciam et liberam participationem exigunt. Hinc magnum patet momentum praeparationis atque dispositionis fidei pro eo, qui Sacramenta recipit; hinc etiam necessitas testimonii fidei, quod minister in tota vita sua perhibere debet, praesertim vero in modo aestimandi et celebrandi ipsa Sacramenta.

Episcopis et, in casibus iure statutis, Conferentiis Episcopalibus, munus committitur, iuxta normas a S. Sede datas, authentice promovendi actionem pastoralem et instaurationem liturgicam, magis unicuique regioni accommodatas, et etiam criteria definiendi circa admissionem ad Sacramenta. Quae criteria, a presbyteris applicanda, fidelibus quoque explicanda sunt, ita ut, qui sacramentum petit, proprii officii magis conscius fiat.

Presbyteri, conscii muneris sui reconciliandi omnes homines in Christi caritate et attento animo praecaventes pericula divisionum, magna cum prudentia caritateque pastorali satagant communitates zelo apostolico imbutas formare, quae spiritum missionarium Ecclesiae ubique ma-
912 nifestent. Parvae com/munitates, quae structurae paroeciali vel dioecesanae non opponuntur, ita inseri debent in communitatem paroecialem et dioecesanam, ut eidem tamquam fermentum spiritus missionarii inserviant. Necessitas inveniendi formas aptas, ut nuntium evangelicum omnibus hominibus, in variis adiunctis positis, modo quidem efficaci afferatur, locum praestat multiformi exercitio ministeriorum presbyteratu inferiorum.

2. *(Operositates profanae et politicae). a)* Ministerium sacerdotale, etiam si cum ceteris operositatibus conferatur, non modo ut navitas humana plene *valida* considerandum est, quin immo ceteris operositatibus praestantius, quamvis hoc eximium bonum tantum sub fidei luce prorsus intellegi possit. Itaque ex ordinaria rei ratione tribuatur ministerio sacerdotali tempus plenum. Minime enim participatio navitatum saecularium, quas homines exercent, praecipuus finis habenda est neque ad presbyterorum peculiarem *responsabilitatem* exprimendam sufficere potest. Presbyteri, cum de mundo non sint neque hunc quasi exemplar assumant, in mundo tamen vivere debent (cf. *PO* 3, 17; *Io.* 17, 14-16), testes existentes et dispensatores alterius vitae (cf. *PO* 3).

Ut in *concretis* adiunctis determinetur congruentia inter operositates profanas et ministerium sacerdotale, oportet inquirere, an et quo pacto illa officia et operositates inserviant tum missionis Ecclesiae, tum hominibus nondum evangelizatis, tum denique communitati christianae de iudicio Episcopi localis cum eius presbyterio, consulta, quantum opus sit, Conferentia Episcopali.

Quando huiusmodi operositates, quae ordinario modo laicis competunt, ipsa missione evangelizatrice presbyteri quasi postulantur, oportet ut eae cum aliis ministerialibus navitatibus componantur, siquidem iis in circumstantiis ut necessarii modi ac rationes veri ministerii considerari possunt (cf. *PO* 8).

b) Presbyteri, simul cum tota Ecclesia, debent omnibus, quibus possunt, viribus definitam agendi rationem seligere, cum agitur de primariis humanis iuribus defen-
913 dendis, de personis integre promovendis, de causa pacis et per quidem con/gruentibus. Quae omnia valent non tantum in ambitu *individuali*, sed etiam sociali; quocirca presbyteri laicos adiuvent, ut hi propriam conscientiam recte formare studeant.

In illis adiunctis, in quibus diversae optiones politicae aut sociales aut oeconomicae legitime exstant, presbyteri, sicut omnes cives, ius habent proprias optiones faciendi. Sed cum optiones politicae natura sua *contingentes* sint et Evangelium numquam omnino, congruentes et perenniter,

interpretentur, presbyter, qui testis est eorum, quae futura sunt, certa quadam ratione, se removeat a quolibet politico officio vel studio.

Ut autem signum *validum* unitatis maneat atque Evangelium in eius plenitudine nuntiare queat, presbyter quandoque obligatione teneri potest sese ab exercitio sui ipsius iuris hac in re abstinendi. Insuper curandum est, ne eius optio quasi unica legitima christianis appareat vel causa discidii inter christifideles fiat. Memores sint presbyteri maturitatis laicorum, quae magni facienda est, cum de ambitu peculiari, in quo versantur, agitur.

Assumptio muneris ad moderationem pertinentis *(leadership)* vel actuose militandi modus pro aliqua factione politica excludi debent a quolibet presbytero, nisi id in *concretis* extraordinariisque circumstantiis bono communitatis reapse postuletur, de consensu quidem Episcopi, consultis Consilio Presbyterali et —si casus ferat— Conferentia Episcopali.

Prioritas ergo missionis peculiaris, quae totam existentiam presbyterorum pervadit, prae oculis semper habenda est, ita ut ipsi magna cum fiducia, renovatam eorum, quae Dei sunt, experientiam habentes, ea hominibus, qui talia exspectant, efficaciter et cum gaudio nuntiare valeant.

3. *(Vita spiritualis presbyterorum).* Intimam rationem totius suae vitae in unitate et robore Spiritus ducendae inveniet quisque sacerdos in sua ipsa vocatione et ministerio. Vocatus enim, sicut et ceteri baptizati, ut conformis sit Christo (cf. *Rom.* 8, 29), presbyter insuper, sicut Duodecim, participat modo speciali consuetudinem cum Christo et Eius missionem ut Pastoris Supremi: «Et fecit Duodecim ut essent cum illo, et ut mitteret eos praedicare» *(Mc.* 3, / 14). Ideo in vita sacerdotali divisionem haberi 914
non licet inter amorem Christi et zelum animarum.

Sicut Christus, unctus a Spiritu Sancto, ex intimo suo amore ad Patrem impulsus est, ut propriam vitam pro hominibus daret, ita presbyter, a Spiritu Sancto consecratus et Christo specialiter configuratus se operi Patris per Filium patrato dedicat. Ideo tota regula vitae sacerdotalis his verbis Iesu exprimitur: «Pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate» *(Io.* 17, 19).

Exemplo ergo Christi, qui continenter orabat, et Spiritus Sancti ductu, in quo clamamus «Abba, Pater», presbyteri contemplationi Verbi Dei incumbere debent et occasionem quotidie capere eventus vitae sub luce Evangelii perpendendi, ita ut, verbi auditores fideles atque attenti facti, veraces ministri sermonis evadant; in oratione personali, in Liturgia horarum, in sacramento Paenitentiae frequentius recipiendo, et praesertim in devotione erga mysterium Eucharistiae assidui sint. Eucharistica celebratio, etsi eam sine fidelium participatione fieri contingit, manet tamen centrum vitae totius Ecclesiae et veluti cor exsistentiae sacerdotalis.

Mente ad caelestia elata, communionis Sanctorum consors, presbyter saepius aspiciat Mariam Dei Genetricem, quae Verbum Dei fide perfecta suscepit, et quotidie ab ea imploret gratiam sese conformandi eius Filio.

Apostolatus navitates, pro sua parte, alimentum pernecessarium praebent ad vitam spiritualem presbyteri fovendam: «Boni Pastoris partes agendo, in ipso caritatis pastorali exercitio invenient vinculum perfectionis sacerdotalis ad unitatem eorum vitam et actiones redigens» *(PO* 14). Presbyter enim in suo ministerio exercendo illuminatur et roboratur actione Ecclesiae et exemplo fidelium. Abnegationes, ipsa vita pastorali impositae, semper ad profundiorem Christi crucis participationem ideoque ad puriorem caritatem pastoralem adipiscendam illum adiuvant.

Eadem caritas presbyterorum efficiet quoque, ut vitam suam spiritualem accommodent modis et formis sanctificationis, quae aptiores sunt et magis consentaneae hominibus propriae aetatis et cultus humani. *Omnibus omnia fieri* cupiens, *ut omnes faciat salvos* (cf. 1 *Cor.* 9, 22), attentus esse debet sacerdos afflatui / Spiritus Sancti hisce diebus. 915
Ita non solum humano conatu Dei verbum annuntiabit, sed ut instrumentum validum ab ipso Verbo assumetur, cuius sermo est «efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti» *(Heb.* 4, 12).

4. *(Caelibatus). a)* Fundamentum caelibatus. Caelibatus sacerdotum plene concordat cum vocatione ad apostolicam sequelam Christi necnon cum responso, omnis exceptionis nescio, hominis vocati, qui servitium pastorale assumit. Per caelibatum sacerdos Dominum suum sequens, se pleniore modo promptum et paratum demonstrat et, viam crucis aggrediens, cum gaudio paschali quodammodo eucharistice consummari cupit.

Si autem caelibatus in spiritu Evangelii, in oratione et vigilantia, cum paupertate, laetitia, honorum despectu, amore fraterno vivitur, signum est, quod dilatione non

potest, sed efficaciter Christum hominibus etiam nostrae aetatis proclamat. Nam verba hodie vix aestimantur, sed vitae testimonium, *radicalismum* evangelicum ostendens, virtutem habet vehementer trahendi.

b) Causarum in unum convergens ratio. Caelibatus uti optio personalis, pro aliquo bono maioris momenti etiam mere naturali, personae humanae plenam maturitatem et *integrationem* promovere potest; idque magis dicendum de caelibatu propter regnum caelorum assumpto, uti patet in vita tot sanctorum necnon fidelium, qui vitam caelibem viventes pro Deo et hominibus sese prorsus impenderunt progressum humanum et christianum promovendo.

In humano cultu hodierno, in quo valores spirituales valde obnubilantur, sacerdos caelebs praesentiam Dei absoluti significat, qui ut ad Eius imaginem nos renovemus invitat. Ubi autem valor *sexualitatis* ita exaggeratur, ut genuinus amor oblivioni tradatur, caelibatus propter Regnum Christi homines ad altitudinem amoris fidelis revocat et ultimum sensus vitae patefacit.

Recte insuper sermo fit de valore caelibatus uti signi
916 escha/tologici. Omnem *contingentem* valorem humanum superans, sacerdos caelebs Christo ut bono ultimo et absoluto speciali modo se consociat atque libertatem filiorum Dei anticipando manifestat. Plene agnito valore signi et sanctitatis matrimonii christiani, caelibatus propter Regnum clarius ostendit illam *pneumaticam* fecunditatem seu virtutem generatricem Novae Legis, qua Apostolus se in Christo patrem et matrem suarum communitatum esse novit.

Ex hac peculiari Christi sequela sacerdos vim et virtutem potiorem haurit ad Ecclesiam aedificandam; quae virtus nonnisi intima ac permanenti coniunctione cum Eius Spiritu servari et augeri potest. Hanc coniunctionem cum Christo fidelis Populus Dei in suis pastoribus agnoscere vult et discernere potest.

Per caelibatum sacerdotes facilius corde indiviso Deo servire possunt et pro ovibus sese impendere ita ut plenius promotores evangelizationis et ecclesiasticae unitatis esse queant. Ideo sacerdotes, etsi numero pauciores sed praeclaro hoc vitae testimonio fulgentes, maiore fecunditate apostolica pollebunt.

Caelibatus sacerdotalis est insuper testimonium non modo unius tantum personae, sed vi communionis peculiaris, quo membra Presbyterii inter se devinciuntur, etiam socialem notam induit, utpote testimonium totius ordinis sacerdotalis populum Dei ditans.

c) Caelibatus in Ecclesia Latina servandus. Salvae maneant Ecclesiarum Orientalium traditiones, prout nunc vigent, in variis territoriis.

Ecclesia ius habet et officium determinandi formam *concretam* ministerii sacerdotalis et proinde etiam seligendi candidatos aptiores, certis qualitatibus humanis et supernaturalibus insignitos. Cum Ecclesia Latina caelibatum ut condicionem *sine qua non* ad sacerdotium suscipiendum exigit (cf. *PO* 16), hoc non facit propterea quod putet hunc vitae modum esse unicam viam ad sanctificationem assequendam. Id facit sedulo considerans formam *concretam* ministerium exercendi in communitate ad aedificationem Ecclesiae.

Propter intimam et multiformem cohaerentiam inter munus pastorale et vitam caelibem, lex vigens sustinetur:
917 qui / enim libere vult *disponibilitatem totalem*, quae est nota distinctiva huius muneris, libere etiam suscipit caelibem vitam. Candidatus hanc vitae formam non ut *ab extrinseco* impositam, sed potius ut manifestationem liberae suae donationis, quae ab Ecclesia per Episcopum acceptatur et rata habetur, sentiat oportet. Hoc modo lex tutela et praesidium fit libertatis, qua sacerdos se Christo donat, et tamquam «iugum suave» evadit.

d) Condiciones caelibatui faventes. Novimus plane caelibatui in mundo hodierno difficultates peculiares undequaque impendere, quas ceterum per saeculorum decursum iam pluries sacerdotes experti sunt. Difficultates vero presbyteri superare possunt, si promoveantur condiciones aptae, nempe: vitae interioris incrementum ope orationis, abnegationis, caritatis ardentis erga Deum et proximum, aliisque subsidiis vitae spiritualis; aequilibrium humanum per ordinatam insertionem in compaginem socialium relationum; fraterna cum aliis presbyteris et cum Episcopo consuetudo et conversatio, pastoralibus structuris ad hoc melius aptatis, adiuvante quoque communitate christifidelium.

Fatendum est caelibatum ut Dei donum servari non posse, nisi candidatus ad eum congruenter praeparetur. Inde ab initio candidati attendant oportet ad rationes positivas pro caelibatu eligendo, neque se obiectionibus tur-

bari sinant, quarum cumulatio et continua oppositio potius est signum valorem pristinum in discrimine positum esse. Meminerint insuper virtutem, qua Deus nos confortat, semper adesse iis, qui Illi fideliter et integre servire contendant.

Sacerdos, qui exercitium ministerii reliquit, aeque et fraterne tractetur; etsi in servitio Ecclesiae adiutricem operam praebere potest, non tamen admittatur ad actus sacerdotales exercendos.

e) Lex caelibatus. Lex caelibatus sacerdotalis in Ecclesia Latina vigens integre servari debet [2]. /

f) De ordinatione virorum matrimonio iunctorum. Duae formulae propositae sunt suffragationibus Patrum:

Formula A: Salvo semper Summi Pontificis iure, ordinatio presbyteralis virorum matrimonio iunctorum non admittitur ne in casibus quidem particularibus.

Formula B: Solius Summi Pontificis est, in casibus particularibus, ob necessitates pastorales, attento bono universalis Ecclesiae, concedere ordinationem presbyteralem virorum matrimonio iunctorum provectioris tamen aetatis et probatae vitae [3].

II. Presbyteri in communione Ecclesiae

1. *(Relationes inter Presbyteros et Episcopum).* Sacerdotes eo fidelius suae missioni adhaerebunt, quo magis fideles se communioni ecclesiali et sciant et exhibeant. Ita enim ministerium pastorale, quod ab Episcopis et presbyteris et diaconis exercetur, evadit in Ecclesia signum eminens huius communionis ecclesialis, quatenus ipsi peculiare mandatum acceperunt huic communioni serviendi.

Ut vero hoc ministerium fiat revera communionis signum, censendae sunt maximi ponderis condiciones *concretae*, quibus exercetur.

Principium vero dirigens in Decreto *Presbyterorum Ordinis* a Concilio Vaticano II expressum, quo scilicet ipsa unitas consecrationis missionisque requirit hierarchicam presbyterorum communionem cum ordine Episcoporum, habetur fundamentale ad practice restaurandam vel renovandam, plena cum fiducia, mutuam relationem inter Episcopum et Presbyterium, cui ipse Episcopus praeest. Hoc autem principium in praxim / praesertim per Episcoporum sollicitudinem pressius deducendum est.

Servitium auctoritatis, ex una parte, et exercitium oboedientiae non mere passivae, ex altera parte, in spiritu fidei, mutua caritate, filiali atque amicali fiducia, constanti et patienti dialogo fieri debent, ita ut sociata opera et *responsabilis* cooperatio presbyterorum cum Episcopo sincera, humana simulque supernaturalis evadat (cf. *LG* 28; *CD* 15; *PO* 7).

Libertas autem personalis, propriae vocationi et charismatibus a Deo susceptis respondens, simul atque omnium ordinata mutua necessitudo in servitium communitatis et in bonum missionis adimplendae, sunt duae condiciones, quae modum proprium actionis pastoralis Ecclesiae efficere debent (cf. *PO* 73); quarum condicionum spontrix est auctoritas Episcopi in spiritu servitii exercenda.

Fraternitatis inter sacerdotes in sacramento Ordinis fundatae, Consilium Presbyterale, quod natura sua est dioecesanum, quaedam forma est *institutionalis* manifestationis.

Navitas huius Consilii lege plene definiri non potest; eius efficacia pendet praesertim ex iterato conamine omnium opiniones audiendi, ut ad consensum perveniatur cum Episcopo, cuius est decisionem finalem ferre.

Si haec fiant maxima cum sinceritate et humilitate, quavis ratione unam tantum partem spectandi superata, facilius ad bonum commune recte procurandum perveniri potest.

Consilium Presbyterale est institutio, in qua presbyteri, accrescente in dies varietate in exercitio ministeriorum, agnoscunt sese invicem compleri in serviendo uni eidemque Ecclesiae missioni.

Ei competit inter alia investigare fines certos et distincte circumscriptos, prioritates proponere, rationem agendi indicare, quidquid Spiritus per singulos et coetus excitare solet, adiuvare, vitam spiritualem fovere, ut necessaria unitas facilius attingi possit.

Communionis hierarchicae inter Episcopos et presbyteros (cf. *PO* 7) inveniendae sunt novae rationes, quibus

[1] Exitus suffragationis: *Placet* 163. *Non placet* 10. *Placet iuxta modum* 21. *Abstentiones* 3.

[2] Iuxta dispositiones a Praesidibus datas suffragationes habitae sunt non per *placet* aut *non placet*, sed electionem unius aut alterius formulae (Prima formula, seu *A*, obtinuit 107 suffragia, altera, seu *B*, 87. Abstentiones fuerunt 2 et 2 pariter vota nulla).

http://www.obrascatolicas.com/

Ecclesiae locales magis inter se pateant et agant, quaerendi sunt modi communis operare presbyterorum cum Episcopis in institutis et in inceptis plurium dioecesium. /

920 Presbyterorum religiosorum adiutrix opera cum Episcopo in Presbyterio necessaria est, etiamsi eorum actio Ecclesiae universali validum adiutorium praestat.

2. *(Relationes presbyterorum inter se).* Cum presbyter intima fraternitate sacramentali et munere consocientur inter se et ad idem opus annitantur et conspirent, quaedam communitas vitae vel aliquod vitae consortium, quod varias formas, etiam non *institutionales*, induere potest, inter eos excitetur et ipso iure, opportunis normis ac renovatis aut inventis novis pastoralibus structuris, sanciatur.

Consociationes sacerdotales etiam provehendae sunt, quae, in spiritu ecclesialis communionis, a legitima ecclesiastica auctoritate recognitae, «per aptam et approbatam vitae ordinationem et per iuvamen fraternum» *(PO 8)* fines suo muneri proprios necnon «sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii» *(PO 8)* promovere student.

Optandum est, ut, quantum fieri potest, requirantur modi, quamvis difficiliores evadant, quibus consociationes clerum fortasse in factiones dividentes ad communionem et structuram ecclesialem adduci valeant.

Maior habeatur communicatio sacerdotum religiosorum cum sacerdotibus dioecesanis, ut vera fraternitas sacerdotalis eos exsistat, et mutuum adiutorium sibi praebeant praesertim in rebus spiritualibus.

3. *(Relationes inter presbyteros et laicos).* Meminerint presbyteri «cum fiducia laicis in servitium Ecclesiae officia» committere, «eis agendi libertatem et spatium relinquentes, immo eos ut opera etiam sua sponte aggrediantur opportune invitantes» *(PO 9)*. Laici «item, eorum sollicitudinem participantes, oratione et opere, quantum fieri possit, auxilio sint suis presbyteris ut hi aptius difficultates superare et fructuosius officia sua adimplere valeant» *(PO 9)*.

Oportet semper prae oculis habere indolem communionis Ecclesiae propriam, ut tum libertas personalis, iuxta uniuscuiusque probata officia et charismata, tum unitas
921 vitae et actionis Populi Dei apte inter se componantur. /

Consilium Pastorale, in quo clerici, religiosi et laici delecti partes habent (cf. *CD* 27), suo studio et consideratione iudicia praebeat necessaria, ut communitas dioecesana munus pastorale tum *organice* praeordinare, tum efficaciter persolvere possit.

Quo vero magis in dies invalescit Episcoporum ac presbyterorum mutua *responsabilis* cooperatio praesertim ope Consiliorum Presbyteralium, eo magis desiderandum est, ut in singulis dioecesibus Consilium Pastorale constituatur.

4. *(Ratio oeconomica).* Quaestiones oeconomicae Ecclesiae congruenter solvi nequeunt, nisi bene perspiciantur ratione habita communionis et missionis Populi Dei. Nam omnium christifidelium est necessitatibus Ecclesiae inservire.

In his autem quaestionibus tractandis prae oculis habenda est non tantum solida necessitudo in sinu Ecclesiae localis aut dioecesis aut Instituti religiosi, sed insuper condicio dioecesium eiusdem regionis aut nationis, immo orbis universi, praesertim Ecclesiarum in territoriis missionum, quae dicuntur, atque aliarum pauperum regionum.

Remuneratio sacerdotum, certe in spiritu paupertatis evangelicae determinanda sed pro viribus aequa et sufficiens, est officium iustitiae et debet etiam socialem cautionem comprehendere. Auferendae sunt in hac re nimiae differentiae, praesertim inter presbyteros eiusdem dioecesis vel dicionis, attenta etiam communi gentis regionis conditione.

Valde optandum videtur, ut christianus populus ita pedetemptim formetur, ut proventus sacerdotum separentur ab actibus ministerii, praesertim sacramentalibus.

Conclusio

Sacerdotibus, ministerium Spiritus (cf. 2 *Cor.* 3, 4-12) in medio communionis totius Ecclesiae exercentibus, novae viae patent ad testimonium profunde renovatum in mundo hodierno exhibendum.

922 Christiana ergo cum fiducia futurum tempus aspicere opor/tet ac Spiritum Sanctum implorare, ut, non obstantibus periculis, quibus Ecclesia ope adminiculorum mere humanorum occurrere nequit, Suo ductu ac Sua inspiratione portae Evangelio aperiantur.

Apostolos, praesertim Petrum et Paulum, uti exempla imaginis renovandi sacerdotii, semper prae oculis habentes, gratias Deo Patri agamus, quod nobis occasio datur, ut maiore cum fidelitate omnes vultum Christi manifestemus.

Iam adsunt vera signa renascentis vitae spiritualis, dum homines ubique terrarum, in incertitudine huius temporis versantes, plenitudinem vitae exspectant. Haec renovatio certe fieri nequit sine participatione crucis Domini, quia «non est servus maior domino suo» (cf. *Io.* 13, 16). Obliviscentes ea, «quae retro sunt, nos ad ea quae sunt futura extendimus» (cf. *Phil.* 3, 13).

Vera cum audacia mundo ostendere plenitudinem mysterii a saeculis in Deo absconditi necesse est, ut homines per eius participationem in totam plenitudinem Dei intrare possint (cf. *Eph.* 3, 19).

«Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo» *(1 Io.* 1, 2-3).

Adn. G. CAPRILE in NrT 104 (1972) 43-64; Ph. DELHAYE in L'ami du clergé 82 (1972) 65-71, 97-108, 161-169, 177-188; P. DE LETTER in The clergy Monthly 36 (1972) 16-24; The Clergy Monthly 36 (1972) 149-159.

4016

1971 NOV 30.-SYNOD. EP., DECL. AAS 63 (1971) 923-942

DE IUSTITIA IN MUNDO DEQUE MISSIONE ECCLESIAE QUOAD IUSTITIAE APPLICATIONEM IN HODIERNA SOCIETATE

Prooemium

Convenientes ex universo mundo, communione cum omnibus credentibus in Christum et cum tota familia humana coniuncti, atque cor nostrum aperientes ad Spiritum Sanctum Dei, nova facientem omnia, nosmet ipsos interrogavimus circa missionem Populi Dei, quod ad promotionem iustitiae in mundo attinet.

Signa temporum perscrutantes et sensum volventis rerum humanarum cursus perspicere nitentes, simul aspirationes et quaestiones participantes eorum, qui mundum humaniorem volunt aedificare, verbum Dei audire intendimus, quo ad impletionem consilii divini de salute mundi nos convertamus.

Etsi nostrum non est altius condicionem mundi perscrutari atque perpendere, potuimus tamen graves iniustitias percipere, quae circa terram hominum quodammodo texunt rete dominationum, oppressionum et malarum consuetudinum, libertatem suffocantium atque maiorem generis humani partem impedientium, quin accedat ad aedificandum aequiorem ac magis fraternum mundum et ad eius fruitionem.

Simul vero percepimus motum intimum ab imo impellere mundum. Adsunt nempe rerum adiuncta, quae ad promovendam iustitiam conferunt. Oritur in hominum coetibus et in ipsis populis nova conscientia, quae eos ab inerti rerum tolerantia, utpote e quodam fato orientium, excitat eosque movet, ut ab his condicionibus liberentur et propriae sortis conscientiam in seipsos recipiant. Animadvertuntur hominum motus, significantes melioris mundi spem et voluntatem ea omnia immutandi, quae ulterius tolerari non possunt.

Audientes clamorem eorum, qui violentiam patiuntur atque systematibus et mechanismatibus iniustis conculcantur, necnon interpellationem mundi, qui perversitate sua consilio Creatoris / contradicit, communem conscien- 924
tiam habuimus de Ecclesiae vocatione, ex qua praesens sit veluti in corde mundi praedicando pauperibus Bonum Nuntium, oppressis liberationem, gaudium afflictis. Spes et impulsiones, quae mundum funditus movent, non sunt alienae a dynamica vi Evangelii, per virtutem Spiritus Sancti liberantis homines a peccato personali et ab eius consectariis in vita sociali.

Historiae incertitudo et, quae cum dolore oriuntur, convergentia studia in itinere ascendente communitatis humanae, ad Historiam Sanctam nos adducunt, in qua Deus se ipsum nobis revelavit, nobis notum faciens consilium suum liberationis et salutis in eius progrediente effectione atque semel in omne tempus impletum in Paschate Christi. Actio pro iustitia et participatio transformationis mundi plene nobis apparent tamquam ratio constitutiva praedicationis Evangelii, missionis nempe Ecclesiae circa generis humani redemptionem et liberationem ab omni statu oppressionis.

I. Iustitia et societas mundialis

CRISIS SOLIDAE NECESSITUDINIS UNIVERSALIS

Mundus, in quo Ecclesia vivit et agit, captivus detinetur metuendae cuiusdam contradictionis. Vires enim, quae operantur pro adventu societatis mundialis in unum redigendae, numquam tam potentes ac dynamicae apparuerunt; radicantur enim in conscientia plenae aequalitatis fundamentalis atque etiam dignitatis humanae cunctorum hominum. Hi, cum sint membra eiusdem familiae humanae, vinculo insolubili sunt inter se coniuncti in una totius mundi destinatione, cuius responsabilitatem participant.

Novissimae facultates technologicae fulciuntur unitate scientiae, *globalitate* et *simultaneitate* communicationum necnon ortu cuiusdam *universi oeconomici*, ut aiunt, in quo omnia mutuo prorsus dependent. Homines praeterea intellegere incipiunt rationem quamdam novam ac profundiorem impensio/remque unitatis, eo quod percipiunt 425
proventus, sicut et pretiosissimos thesauros aëris et aquae, quibus vita carere nequit, ac parvam et fragilem *biosphaeram* totius complexus omnium, quae vivunt super terram, non esse infinita, sed e contra servanda ac praeservanda esse ad modum unici patrimonii totius humanitatis.

Contradictio in eo est posita, quod intra hunc unitatis prospectum, vires divisionis et contentionum oppositarum impetum suum hodie augere videntur. Antiquae divisiones inter nationes et imperia, inter stirpes et civium ordines, possident nunc nova technica instrumenta destructionis. Velox cursus ad arma apparanda minatur optimum hominis bonum, quod est vita; populos et homines pauperes miseriores reddit, tantummodo iam potentes locupletans; continuum periculum gignit conflagrationis et, si agitur de armis *nuclearibus*, totam vitam a facie terrae delere minatur. Simul autem novae divisiones exoriuntur, quibus homo separatur a proximo suo. Nisi oppugnetur et superetur per actionem socialem et politicam, influxus novae ordinationis industrialis et technologicae favet conglobationi divitiarum, potestatis, capacitatis ad decisiones spectantis, apud parvum moderatorum coetum, sive publicum sive privatum. Iniustitia oeconomica et defectus participationis socialis hominem a fundamentalibus iuribus humanis et civilibus consequendis arcent.

Spes, quae ultimis viginti quinque annis humanum genus pervasit —nempe oeconomicum incrementum tantam prolaturum esse bonorum quantitatem, ut pauperes saltem micis a mensa cadentibus ali permitterentur— vana evasit in regionibus parum progressis et in circumscriptis plagis paupertatis intra regiones ditiores, propter celerem naturum auctum et copiam opificum, propter immobilem agriculturae statum et agrariae reformationis defectum, et propter migratorum fluxum generalem versus urbes, ubi tamen quaestuosae industriae, etsi magnis nummorum summis donatae, adeo paucos suppeditant locos operis, ut non raro una ex quatuor operariorum partibus inactuosa maneat. Quae veluti suffocantes oppressiones constanter socialis vitae segreges turmatim gignunt, non satis nutritos, 426
inhumanarum domorum habitatores, litterarum inscios, / politica potentia orbatos sicut et congrua dispositione ad responsabilitatem et ad dignitatem moralem.

Praeterea, petitio opum et energiae, facta a nationibus ditioribus —sive *capitalisticis* sive *socialisticis*— talis est (perinde atque inquinamentum, quod ex earum usu tum in aëre terrae circumfuso tum in mari consequitur), ut essentialia vitae terrestris elementa, cuius generis sunt aër et aqua, irreparabiliter vastarentur, si taxationes altae consumptionis et contaminationis, constanter auctae, extenderentur ad totam humanitatem.

Validus impulsus ad unitatem mundialem et inaequalis distributio, quae efficit ut decisiones circa tres ex quattuor partibus redituum, collocationis pecuniae et commercii penes unam tantum ex tribus partibus generis humani sint, illius nempe, quae maiore progressione gaudet —atque simul inanitas progressus mere oeconomici una cum nova perceptione limitum materialium *biosphaerae*— nos ducunt ad conscientiam habendam huius facti, quod scilicet in hodierno mundo oriuntur novae dignitatem humanam concipiendi rationes.

IUS AD PROGRESSIONEM

Coram dominationis systematibus, quae inter nationes obtinent, effectio iustitiae magis magisque pendet e voluntate promotionis.

In nationibus, quae in via progressionis adhuc sunt, et in [illegible] *socialismi*, voluntas promotionis affir-

matur imprimis per pugnam pro formis illis expressionis et propriorum iurium vindicandorum, quam evolutio ipsius systematis oeconomici inducit.

Haec aspiratio ad iustitiam affirmatur, cum superatur illud veluti limen, a quo incipit conscientia, qua quis se *plus plusque valere* novit (Litt. Enc. *Populorum progressio*, n. 15: *A. A. A.*, LIX [1967], p. 265) [LE 3546], sive singulus integer homo consideratur, sive homines universi, ipsaque exprimitur conscientia iuris ad progressionem. Hoc ius perspiciendum est in mutua dynamica penetratione omnium illiorum fundamentalium iurium humanorum, in quibus aspirationes individuorum et nationum fundantur. /

Huiusmodi autem desiderium vota temporis nostri implere non poterit, si obiectiva obstacula ignoret, quae structurae sociales opponunt conversioni cordium vel etiam effectioni perfectae formae caritatis. Ipsum e contra exigit, ut superetur condicio illa generalis hominum quasi ad margines societatis degentium, utque tollantur saepta vel circuli vitiosi, quae iam in systemata conversa sunt, quaeque communitatis ascensum praepediunt ad perfruendam aequam remunerationem effectoribus opum debitam, atque adeo roborant inaequalitatis condicionem prohibentem, ne quis possit ad commoda et servitia collectiva accedere: quo fit ut magna civium pars ab illis aliena detineatur. Si nationes et regiones, quae in via progressionis sunt, non perveniunt ad sui liberationem per modum progressionis, periculum reapse est ne condiciones vitae, quas dominatio colonica praesertim creavit, in novam formam *colonialismi* evolvi possint, in qua eaedem progredientes nationes victimae forent vicissitudinum virium oeconomicarum internationalium. Tale ius ad progressionem ius est ante omnia ad spem secundum illam veram definitamque mensuram, quam hodie humanum genus nactum est. Ut huiusmodi spei respondeatur, liberanda est conceptio evolutionis ab illis mythis et falsis persuasionibus, quae adhuc secum fert mentis habitus obnoxius notioni cuiusdam progressus, qui in *determinismo* et processu quodam automatico fundatur.

Cum progredientes populi futurae suae sortis causam in se assumunt firma promotionis voluntate —etsi ipsi ad finalem exitum non perveniant—, suam ipsorum personalitatem authentice manifestabunt. Ut autem iidem iniustae inaequalitati relationum intra hodiernum mundi socialem complexum extantium respondeant, quidam *nationalismus responsabilis* hisce nationibus impulsum necessarium tribuit, quo ad propriam identitatem, ut aiunt, accedant. Ab hac autem *autodeterminatione* fundamentali manare poterunt sive conatus ad instaurationem novorum complexuum politicorum, qui eisdem populis plenam progressionem permittant, sive consilia necessaria ad inertiam vincendam, quae vanos huiusmodi nisus reddere possit —ut in quibusdam casibus ipsa impulsio demographica—, sive etiam nova sacrificia, quae incrementum praestitutae ordi/nationis postulat ab illa generatione, quae sortes suas futuras vult exstruere.

Ex altera parte, minime possibile est cogitare de vera societatis promotione, quin agnoscatur necessitas —intra rationem politicam electam— sive progressionis, quae coalescit simul ex incremento oeconomico et ex participatione; sive etiam auctus divitiarum, qui secum infert progressum socialem totius communitatis, quae quidem superet iniustas inter regiones inaequalitates et nimiam prosperitatem quibusdam locis circumscriptam. Ipsa vero participatio tale ius est, quod tam in campo oeconomico, quam in sociali atque politico applicari debet.

Dum iterum affirmamus ius populorum ad propriam identitatem servandam, clarius usque perspectum habemus, prorsus inefficacem fore luctam contra talem renovationis viam ac rationem, quae indolem nationum propriam tollat, provocando solummodo ad sacras consuetudines historicas et venerandos vitae modos. Iamvero, si ad nostrae aetatis rationem renovatio ea intentione accipiatur, ut bono nationis inserviat, tunc homines talem culturam creare valebunt, quae veram propriamque hereditatem constituat veluti quandam germanam *memoriam socialem*, quae actuosa est atque authenticam personalitatem creatricem in concentu nationum format.

IUSTITIAE VOCE DESTITUTAE

Nos percipimus in mundo complexum quemdam iniustitiarum, quae constituunt nucleum problematum nostri temporis et quarum solutio exigit labores et munera in omnibus gradibus societatis, etiam in illis, qui pertinent ad societatem mundialem, ad quam properamus hac novissima quarta parte saeculi XX. Proinde parati esse debemus ad suscI-

http://www.obrascatolicas.com

pienda nova munera et nova officia in omni provincia humanae navitatis, ac peculiari modo in ambitu societatis mundialis, si iustitia revera ad effectum deducenda est. Actio nostra imprimis dirigenda est ad illos homines illasque nationes, quae propter varias oppressionis formas et propter peculiares condiciones ingeniumque nostrae societatis, victimae iniustitiae manent ad silentium redactae, quinim-
429 mo ipso interpellandi iure destitutae. /

Sit in exemplum casus migrantium, qui saepe propriam relinquere patriam coguntur ad laborem quaerendum, quibus tamen multoties portae clauduntur propter praeiudicia socialis discriminis vel, si quando ipsis ingressus pateat, iidem non raro ad insecuram vitam ducendam adiguntur, aut inhumano modo tractantur. Item cum agitur de coetibus minore sorte in promotione sociali donatis, ut sunt operarii, praesertim agricolae, qui maiorem partem habent in evolutionis processu. Peculiari modo profecto lugenda est condicio, qua in exilio degunt tot millia hominum et cuiusvis coetus vel nationis persecutionem patientis —aliquando ex instituto decretam— sive ob originem stirpis aut generis, sive ob causam tribus. Haec ob causam tribus persecutio aliquoties veri genocidii nota signatur. In multis regionibus gravissime etiam laeditur iustitia contra eos, qui propter fidem persecutionem patiuntur, vel qui a factionibus politicis et publicis potestatibus iniqua actione oppressi ad atheismum indesinenter ac multimodis adiguntur aut libertate religiosa privantur: idque tum quia cultu publico Deum honorare impediuntur, tum quia fidem publice docere et propagare prohibentur, et ad suae ipsorum religionis principia temporales navitates peragere vetantur.

Iustitia violatur quoque antiquis novisque oppressionis modis, qui proficiscuntur ex personarum coartationibus iurium, tam repressione ex parte potestatis politicae, quam violentia privatae contentionis, usque ad extremum limitem condicionum integritatis personalis. Probe noti sunt casus torturae, praesertim contra captivos politicos, quibus praeterea multoties regularis processus denegatur, quive iniquis arbitriis in ipso iudicio subiciuntur. Neque illi in bello captivi praetereundi sunt, qui, posthabitis etiam conventis Genevensibus, inhumano modo tractantur.

Contentio contra abortum legalem et impositionem mediorum *anticonceptionalium*, necnon contra bellum pressiones, manifestae formae sunt vindicationis iuris ad vitam.

Praeterea, hominum nostri temporis conscientia exigit veritatem praeberi per instrumenta communicationis socialis; quod vero ius etiam includit ad genuinas imagines spectandas, quas ipsa instrumenta exhibent, et ad possi-
430 bilitatem corrigendi subversionem veritatis rerum. /

Id quoque efferendum est nostris iterum diebus ius, praesertim puerorum et iuvenum, ad educationem, ad vitae condiciones et ad instrumenta communicationis socialis moralia ac recta in periculum verti.

Familiarum actio in vita sociali raro, nec sufficienter ab reipublicae institutis agnoscitur.

Obliviscendus denique non est maior usque numerus personarum, quae a familia et a societate saepe derelinquuntur: senes, orphani, infirmi et omne contemptorum genus.

Necessitas dialogi

Ad veram unitatem propositorum obtinendam, quae ab universa humana societate postulatur, necessarium est munus mediationum, ut aiunt, ad superandas in dies oppositiones, obstacula et inveteratas emolumentorum rationes, quae in processu ad humaniorem societatem inveniuntur.

Sed *mediatio* effectiva secum fert creationem stabilium condicionum dialogi, ad cuius progredientem instaurationem conferre possint homines non coacti rationibus geopoliticis, ideologicis, socio-oeconomicis et differentiis, quae inter singulas generationes exstare solent. Ad restituendum vitae sensum per adhaesionem authenticis humanae vitae bonis, participatio atque testimonium surgentium iuvenum tam necessaria sunt quam inter populos communicatio.

II. Nuntium Evangelicum et Missio Ecclesiae

In tali mundi hodierni statu, qui magno iniustitiae peccato distinguitur, nostrum de illo officium necnon impotentiam ad eum nostris viribus vincendum experimur. Haec condicio nos incitat ad audiendum corde humili et aperto verbum Dei, qui patefacit nobis vias novas iustitiae instituendae in mundo.

Iustitia salvifica Dei per Cristum

In Vetere Testamento Deus nobis se ipsum praebet liberatorem oppressorum et defensorem pauperum, exigentem ab hominibus fidem in Ipsum et iustitiam erga proximum. Tan/tummodo in observantia officiorum iustitiae Deus vere 431
agnoscitur liberator oppressorum.

Actione et doctrina sua Christus coniunxit indivissibili modo necessitudinem hominis tum ad Deum, tum ad alios homines. Suam in mundo vitam Christus duxit uti donationem absolutam sui ipsius Deo Patri pro hominum salute et liberatione. Praedicatione sua proclamavit Dei paternitatem erga omnes homines et interventum iustitiae Dei pro indigentibus atque oppressis (*Lc.* 6, 21-23). Tali modo Christus se ipsum consociavit cum his suis *fratribus minimis*, ut asseruerit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis (Mt.* 25, 40).

Ecclesia inde a primis suis initiis vixit et intellexit eventum Mortis et Resurrectionis Christi uti vocationem Dei ad conversionem in fide Christi et in amore fraterno, adimpleto per mutuum auditorium usque ad voluntariam bonorum materialium communionem.

Fides in Christum, Filium Dei et Redemptorem, et amor proximi constituunt argumentum primarium scriptorum Novi Testamenti. Secundum S. Paulum tota exsistentia christiana recapitulatur fide operante illum proximi amorem et servitium, quae observationem officiorum iustitiae inferunt. Christianus sub lege interioris libertatis vivit, nempe continenter vocatur ad conversionem cordis sive e propria sufficientia ad fiduciam in Deo, sive ex immoderato sui studio ad amorem sincerum proximi. Sic efficitur eius genuina liberatio ac donatio sui pro hominum liberatione.

Iuxta nuntium igitur christianum habitudo hominis ad homines ipsa eius habitudine ad Deum completur; eius responsio ad amorem Dei, salvantis nos per Christum, in amore et servitio hominum efficax manifestatur. Amor autem christianus proximi et iustitia separari inter se non possunt. Nam amor secum fert exigentiam iustitiae absolutam, nempe agnitionem dignitatis et iurium proximi. Iustitia autem plenitudinem suam interiorem in solo amore attingit. Quia revera omnis homo visibilis Dei invisibilis imago et frater Christi est, ideo christianus in quovis homine Deum ipsum eiusque propriam absolutam exigentiam iustitiae et amoris invenit.

Hodierna mundi condicio, in lumine fidei perspecto, im-
pel/lit, ut redeamus ad nucleum ipsum ac sucum nuntii 432
christiani, intimam in nobis exstimulans conscientiam de huius vero sensu et de eiusdem urgentibus exigentiis. Munus praedicandi Evangelium postulat praesenti tempore, ut nos ipsos iam nunc devoveamus hominis plenae liberationi, dum is in hoc mundo degit. Nisi enim nuntium christianum amoris et iustitiae efficaciam suam in actione pro iustitia in mundo ostendet, difficilius credibile apud homines nostri temporis fiet.

Missio Ecclesiae, Hierarchiae et christianorum

Ecclesia accepit a Christo missionem praedicandi nuntium evangelicum, quod continet vocationem hominis ad se convertendum a peccato ad amorem Patris, et fraternitatem universalem et proinde exigentiam iustitiae in mundo. Haec est ratio, quare Ecclesia habeat ius, immo et officium, proclamandi iustitiam in provincia sociali, nationali et internationali, necnon denuntiandi statum rerum iniustarum, quando iura primaria hominis et ipsa eius salus hoc postulant. Ecclesia non una prospicere debet iustitiae in mundo; habet tamen proprium et peculiare officium, quod idem est ac eius munus reddendi coram mundo testimonium de exigentia amoris et iustitiae, quae continetur in nuntio evangelico; haec vero testificatio in ipsis institutis ecclesialibus et in vita christianorum implenda est.

Ad Ecclesiam, prout est communitas religiosa et hierarchica, per se non pertinet afferre solutiones concretas in re sociali, oeconomica et politica pro iustitia in mundo. Eius vero missio secum fert defensionem promotionemque dignitatis et iurium primariorum personae humanae.

Membra Ecclesiae, quatenus sunt societatis civilis membra, ius et officium habent bonum commune persequendi, sicut alii cives. Christiani sua munera temporalia cum fidelitate et competentia implere debent. Operari debent ut fermentum mundi in vita familiari, professionali, sociali, culturali et politica. Ipsorum est proprium onus et officium in toto hoc ordine sub ductu spiritus evangelici et doctrinae Ecclesiae suscipere. Hoc modo potentiam Spiritus Sancti testificantur sua actione pro servitio hominum in

433 illis, quae ad existentiam et futuram sor/tem humanitatis certum ac definitum momentum habent. Et dum illas navitates exercent, suo ipsorum consilio generatim agunt, quin ecclesiasticae hierarchiae responsabilitatem afficiant; aliquo tamen modo afficiunt responsabilitatem Ecclesiae, cum eius membra sint.

III. Effectio iustitiae

Testimonium Ecclesiae

Plures christiani ducuntur ad veras *confessiones* iustitiae variis modis actionis pro iustitia, quae proficiscitur a caritate iuxta gratiam, quam a Deo acceperunt. Pro aliquibus eorum haec actio versatur in campo ad conflictus sociales et politicos spectante, in quibus christiani testimonium Evangelio reddunt, ostendentes in historia esse fontes progressionis diversos a pugna, nempe amorem et ius. Hic primatus amoris in historia alios christianos ducit ad praeferendam viam actionis non violentae et actionem in opinione publica.

Si Ecclesia testimonium iustitiae reddere debet, ipsa agnoscit eum iustum in primis esse debere ante aliorum oculos, quicumque loqui audeat de iustitia coram hominibus. Quapropter nosmetipsos examen instituere oportet de modis agendi, de possessionibus et de genere vitae, quae in ipsa Ecclesia habentur.

Servanda sunt iura in sinu Ecclesiae. Propterea, qualiscumque est modus quo quis Ecclesiae sociatur, nemo tamen privari debet iuribus habitualibus. Qui Ecclesiae proprio labore inserviunt —presbyteris et religiosis non exceptis— subsidia ad vitam sufficientia accipere debent et illis securitatibus socialibus frui, quae in usu sunt in unaquaque regione. Laicis tribuenda sunt aequum stipendium et conveniens promotionis ratio. Votum iteramus, ut laici potiora munera exerceant quod attinet ad bona temporalia Ecclesiae, et in iisdem administrandis partem habeant.

Contendimus quoque, ut mulieres propriam partem responsabilitatis et participationis in vita communitaria so-
434 cietatis et etiam Ecclesiae habeant. /

Proponimus, ut profundo studio hoc argumentum subiciatur congruentibus rationibus adhibitis, e. g. ope mixtae commissionis ex viris et feminis, ex religiosis et laicis, e diversis condicionibus et disciplinis.

Omnibus Ecclesia agnoscit ius ad congruam libertatem sermonis et cogitationum; quod etiam complectitur ius, ut quisque audiatur in spiritu dialogi, legitimam diversitatem in Ecclesia servantis.

Forma procedendi iudiciaria accusato tribuat ius accusatores cognoscendi, sicut et ius convenientis defensionis. Ut sit perfecta, iustitia includat oportet celeritatem processus. Quod speciatim requiritur in causis matrimonialibus.

Membra denique Ecclesiae aliquam participationem habeant in apparandis decisionibus, iuxta normas a Concilio Oecumenico Vaticano II et a Sede Apostolica datas, e. g. quod attinet ad constitutionem Consiliorum in omnibus gradibus.

Ad res temporales quod attinet, qualiscumque est earum usus, numquam eo perveniendum est, ut ambiguum reddatur testimonium evangelicum, quod Ecclesia praebere debet. Quodsi quorundam munerum vel dignitatum privilegia conservari expediat, id tamen continenter ad regulam huius principii expendendum erit. Et quamquam in genere difficile est fines statuere inter ea, quae sunt necessaria recto usui, et ea quae exiguntur testimonio prophetico, certe hoc principium firmiter retineri debet: fides nostra a nobis exigit aliquam parsimoniam in rerum usu; Ecclesia et vivere et propria bona ita administrare debet, ut Evangelium pauperibus nuntietur. Si, e contra, Ecclesia ex divitibus vel potentibus huius mundi apparet, minuitur eius credibilitas.

Nostra conscientiae discussio pertingat ad genus vitae omnium: episcoporum, presbyterorum, religiosorum religiosarumque et laicorum. In populis egenis interrogandum est, utrum ex eo quod aliquis ad Ecclesiam pertineat, iam ingrediatur in circumscriptum recessum quendam opulentum, dum circum homines paupertate premuntur. In societatibus ubi plus consumitur, quaerendum erit an proprium vitae genus exemplum praebeat illius parsimoniae —quod ad consumptionem attinet—, quam nos aliis prae-
435 dicamus necessariam, ut alantur tot milia millium famelicorum in universo mundo.

Institutio ad iustitiam

Vita quotidiana christifidelis, instar fermenti evangelici in familia, in schola, in opere, in vita sociali et civili agentis, adiumentum est peculiare, quod christiani iustitiae afferunt; ad hoc vero prospectivae rationes ac significatio accedunt, quas ipsi conaminibus humanis tribuere possunt. Proinde ratio educationis talis esse debet, ut doceat homines vitam gerere in tota eius *realitate*, et iuxta principia evangelica doctrinae moralis, personalis simul ac socialis, quae vitali testimonio christiano exprimatur.

Comperta autem sunt impedimenta progressus, quem pro nobismetipsis et pro hominibus exoptamus. Modus educationis, nostris temporibus persaepe adhuc vigens, angustum quendam *individualismum* fovet. Pars familiae humanae vivit tamquam immersa in illo habitu mentis, qui possessionem plus aequo extollit. Schola atque instrumenta communicationis socialis, saepe impedita ordine constituto, sinunt talem solummodo hominem formare, qui ipso ordine desideratur, hominem nempe ad suam imaginem; non hominem novum, sed iterationem eiusdem prorsus hominis.

Haec autem educatio postulat cordis renovationem, quae in eo innititur, quod peccatum agnoscitur tam singulorum hominum quam totius societatis. Ipsa inculcabit etiam modum vere et plene humanum vivendi in iustitia, in caritate, in simplicitate. Suscitabit similiter facultatem criticam, quae ducit ad cogitationem de societate, in qua vivimus, ac de eius bonis, quaeque homines parat ad eadem bona repudianda, cum haec iustitiam pro omnibus hominibus fovere cessaverunt. Cuius iustitiae educationis primarium propositum in nationibus, quae sunt in via progressionis, consistere videtur in nisu excitandae conscientiae, ut rerum condicio, prout est, cognoscatur, et in cohortatione ad meliorem statum plene assequendum; quo fit ut iam transformatio mundi inchoetur.

Haec autem educatio, utpote quae penitus humaniores efficiat omnes, iuvabit homines, ne deinceps velut res tractentur vel per instrumenta communicationis socialis vel per vires politicas; e contra idoneos illos reddet ad sortem propriam regendam et ad efficiendas communitates 436
vere humanas. /

Proinde haec educatio merito dicitur permanens, quae nempe ad universos homines et ad omnem aetatem spectat. Eadem etiam ad actionem rerumque usum pertinet, quia traditur per experimenta et participationem, necnon per ipsa iniustitiae exempla, directo usu vitali cognoscenda.

Educatio ad iustitiam primum impertitur in familia. Probe novimus non solum instituta Ecclesiae ad id consociatam operam collocare, sed etiam alias scholas, opificum collegia, factiones politicas.

Talis educationis materies necessario secum fert respectum personae eiusque dignitatis. Quoniam hic de iustitia in universo mundo agitur, ante omnia graviter affirmanda est unitas familiae humanae, in qua secundum Dei dispositionem homo nascitur. Signum huius communis solidaeque coniunctionis pro christianis illud erit quod omnes homines eo fine nascuntur, ut divinae naturae in Christo participes fiant.

Principia fundamentalia, quibus vis Evangelii vitam socialem nostro hoc tempore affecit, inveniuntur in illa summa organica doctrinae, quae inde ab Encyclicis Litteris *Rerum Novarum* inscriptis usque ad Epistulam Apostolicam *Octogesima Adveniens* [LE 3975] gradatim et opportune proposita est. Per Concilii Vaticani II Constitutionem *Gaudium et Spes* [LE 3366] Ecclesia, quam umquam alias melius intellexit, quaenam suae partes essent in mundo huius temporis, in quo videlicet christianus servando iustitiam salutem propriam operatur. Encyclicae Litterae *Pacem in Terris* [LE 3110] dederunt nobis *magnam chartam* iurium hominis. Iustitia inter omnes gentes et populos in Encyclicis Litteris *Mater et Magistra* [LE 2984] priorem locum obtinere coepit, eademque, dum in documento *Populorum Progressio* [LE 3546] accuratius forma veri tractatus de iure ad progressionem fovendam exprimitur, in Epistula *Octogesima Adveniens* [LE 3975] summa lineamentorum ad actionem politicam spectantium evadit.

Sicut Apostolus, opportune et importune exhortamur, ut Verbum Dei praesens adsit in mediis eventibus humanis. Sententiae, quas proferimus, exprimere volunt illam fidem, quae hodie obligat et nos et christifideles omnes. In votis omnium nostrum est, ut declarationes illae semper locorum et temporum adiunctis respondeant. Mandatum nostrum postulat, ut animo forti iniustitias denuntiemus cum 437
caritate, prudentia et / firmitate, sincerum colloquium ha-

http://www.obrascatolicas.com

bentes cum omnibus, ad quos spectat. Scimus enim reprehensiones nostras tantum assensum sibi conciliare posse, quantum cum ipsa nostra vita congruant atque in actione continua sese ostendant.

Liturgia, quae cor vitae Ecclesiae est cuique nos praesumus, valde inservire potest educationi ad iustitiam. Ipsa est enim gratiarum actio Patri in Christo, ante oculos ponens per suam communitariam formam vincula nostrae fraternitatis nosque iterum iterumque commonefacit de Ecclesiae munere. Liturgia Verbi, catechesis, celebratio Sacramentorum vim habent, ut nos ad reperiendam Prophetarum, Domini Iesu Christi et Apostolorum doctrinam de iustitia adiuvent. Praeparatio ad baptismum formationem conscientiae christianae inchoat. Paenitentiae praxis significationem socialem peccati et sacramenti conspicuam faciat. Eucharistia, denique, constituit communitatem eamque ad hominibus serviendum inducit.

Cooperatio inter ecclesias locales

Ecclesia, ut sit revera signum coniunctionis, quam familia nationum exoptat, in sua vita exhibere debet maiorem cooperationem inter ecclesias regionum ditiorum et ecclesias regionum pauperum in spirituali communione atque in partitione facultatum humanarum et materialium. Praesentes liberales animi inclinationes ad auxilium inter ecclesias ferendum efficaciores evadere possunt per *coordinationem realem* (v. g. S. C. pro Gentium Evangelizatione et Consilium Pontificium «Cor Unum»), per prospectivam rationem in administratione communi donorum Dei, per necessitudinem fraternam semper faventem autonomiae et responsabilitati beneficiariorum, quod attinet ad determinationem criteriorum atque propositorum concretorum electionem eorumque effectionem.

Haec autem praestituta ordinatio nullo modo circumscribenda est propositis oeconomicis; e contra, actiones stimulare debet, quae promovere possint illam formationem humanam ac spiritualem, quae fermentum ad progressionem
938 integram hominis necessarium suppeditent. /

Cooperatio oecumenica

Probe conscii eorum, quae in hac provincia peracta iam sunt, nos ad iustitiam in mundo promovendam, ad efficiendam populorum progressionem, ad pacem stabiliendam, cooperationem cum fratribus christianis seiunctis a nobis, una cum Concilio Oecumenico Vaticano II, maxime commendamus. Haec cooperatio imprimis operositates ad dignitatem hominis eiusque iura primaria tuenda respicit, praesertim ius ad libertatem religiosam; inde contentio communis contra inducta discrimina ob differentiam religionis, stirpis et coloris, culturae etc. Cooperatio etiam ad studium doctrinae Evangelii, quatenus totam navitatem christianam attingit, sese extendit. Hanc cooperationem oecumenicam Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam et Pontificia Commissio Studiosorum a «Iustitia et Pace» communi consilio efficaciter provehere studeant.

Eodem spiritu ducti, pariter commendamus cooperationem cum omnibus iis, qui in Deum credunt, in iustitia sociali, pace et libertate fovendis; immo etiam cum iis, qui quidem Auctorem mundi non agnoscunt, tamen, bona humana aestimantes, sincere et honestis viis iustitiam quaerunt.

Actio internationalis

Cum Synodus indolem universalem prae se ferat, eas iustitiae quaestiones tractat, quae directe totam familiam humanam attingunt. Unde momentum agnoscentes cooperationis internationalis pro progressione sociali atque oeconomica, ante omnia inaestimabile opus laudamus, quod Ecclesiae locales, missionarii atque instituta eos sustinentia, in populis egentioribus effecerunt; et illa incepta illaque instituta promovere cogitamus, quae pro pace, pro iustitia internationali et progressione hominis operantur. Ideo catholicos homines hortamur, ut sequentes propositiones perpendant:

1. Agnoscatur fundamentum ordinis internationalis in-
939 niti in iuribus et in dignitate inamissibilibus hominis. Declaratio Iurium Hominis, facta a Nationibus Unitis, rata fiat ab illis omnibus guberniis, quae tali pacto convento nondum adhaeserunt; et plene ab omnibus servetur.

2. Nationes Unitae —quae secundum proprium finem participationem omnium nationum promovere debent —et Instituta internationalia sustineantur, quatenus sunt inimorum studium, dissuadere armorum commercium et cumulationem ac dirimere lites per pacificas vias actionis legalis, arbitratus et publicae disciplinae internationalis. Omnino necesse est, ne contentiones inter nationes bello solvantur, sed ut inveniantur aliae viae naturae humanae congruae. Foveatur insuper strategica ars abstinendi a vi, et singulae nationes obiectionem, quam appellant, conscientiae legibus agnoscant et moderentur.

3. Adiuventur proposita alterius *Progressionis Decennii*, inter quae translatio alicuius certae partis reditus annui nationum ditiorum ad nationes in via progressionis, aequiora pretia materiarum primarum, mercatus apertus nationum ditiorum, et, in quibusdam rebus, peculiaria iura exportandi merces manu factas e nationibus in via progressionis; agitur enim de primis lineamentis rationis contributionis progredientis, sicut et prospectivae rationis oeconomicae et socialis pro universo mundo. Lugemus, quoties nationes ditiores se removent ab hoc eximio bono expetendo, partitionis nempe et responsabilitatis mundialis. Fore speramus, ne ulla similis debilitatio communis solidaeque necessitudinis internationalis vigorem auferat disceptationibus de commerciis, quas Conferentia Nationum Unitarum de Commercio et Progressione (UNCTAD) praeparat.

4. Cumulatio potentiae, quae consistit in fere plena dominatione oeconomica et investigationis et collocationis pecuniae et traiectionis per maria et securitatum, paulatim exaequari debet per normas institutionales, quae roborent et auctoritatem et facultates quod attinet ad decisionem responsabilem nationum in via progressionis, et per plenam et aequalibilem participationem in Institutis internationalibus de progressione agentibus. Quod illae revera nuper prohibitae sunt, ne colloquiis de commercio mundiali atque etiam de decisioni/bus circa rem nummaria interessent, quae quidem graviter afficiunt earum sortem, hoc fuit exemplum defectus potentiae, quae in ordine mundiali iusto et responsabili tolerari nequit. 940

5. Etsi fatemur Instituta internationalia perfici ac corroborari posse, sicut et quodlibet instrumentum humanum, affirmamus quoque momentum coetuum peculiarium Nationum Unitarum, eorum praesertim, qui directe agunt de quaestionibus immediatis et acutioribus paupertatis in mundo, in campo agrariae reformationis et progressus agriculturae, sanitatis, educationis, locorum operis faciendi, hominum habitationis et urbium densissimi et celerrimi incolatus. Peculiari modo indicanda nobis videtur necessitas alicuius *fundi* seu aerarii, quo sufficientia alimenta et proteinae, quas vocant, suppeditentur ad plenam progressionem mentalem et physicam puerorum. De generis humani immenso incremento illa repetimus, quibus Summus Pontifex Paulus VI munera definivit publicae potestatis in Litteris Encyclicis, a verbis *Populorum Progressio* incipientibus: «Non est dubium quin potestates publicae, quantum ad eas pertinet, in haec se queant interponere, cives hac de re decentes et accommodata rei principia capientes, dummodo haec praescriptis legis moralis congruant, et iusta coniugum libertas absolutissime servetur» (n. 37: *A. A. S.*, LIX [1967], p. 276) [LE 3546].

6. Gubernia pergant sua tributa solvere, referenda in *fundum* seu aerarium progressionis, sed modum etiam inquirant, quo maxima horum conatuum pars sequatur vias *multilaterales*, plene servantes responsabilitatem nationum in via progressionis, quae sociandae sunt consiliis capiendis de prioritate et collocatione pecuniae.

7. Efferenda etiam nobis videtur nova sollicitudo mundi, de qua primum agetur in Conferentia de ambitu humano, Holmiae mense iunio anno 1972 celebranda. Intellegi non potest, quomodo nationes ditiores sibi sumere audeant ita bona materialia, quae expostulant, augere, ut vel reliquae nationes in misera paupertate persistant, vel periculum oriatur ne ipsa fundamenta physica vitae mundialis destruantur. Ii qui, iam sunt divites, debent suscipere genus vitae minus materiale, cum / minore rerum dissipatio- 941
ne, ut sic vitetur destructio patrimonii, quod ipsi absoluta ex iustitia participare debent cum omnibus aliis membris generis humani.

8. Ut ius ad progressionem opere compleatur:

a) populi ne impediantur progressionem assequi iuxta elementa humani cultus ipsis propria;

b) per mutuam cooperationem omnes populi principales artifices propriae progressionis oeconomicae et socialis fieri possint;

c) omnis populus, tamquam membrum actuosum et responsabile societatis humanae, cooperari possit ad bonum commune prosequendum aequo iure atque ceteri populi.

Optata Synodi ad effectum deducenda

Conscientiae discussio, quam omnes nos una simul instituimus, quaeque munus Ecclesiae in actione pro iustitia pertingit, inefficax manebit, nisi in vitam descendat nostrarum localium Ecclesiarum, in omnibus earum ordinibus. Conferentias Episcopales deprecamur, ut et ipsae pergant excolere prospectivas rationes, quas nos contemplati sumus diebus huius coetus et in praxim deducant, id, quod nos commendavimus, e. g. constitutionem sedium rei sociali-theologicae investigandae.

Rogamus etiam, ut Pontificiae Commissioni Studiosorum a «Iustitia et Pace», una cum Consilio Secretariae Synodi et Auctoritatibus competentibus commendentur descriptio, ponderatio atque altius studium sive votorum sive optatorum huius nostri coetus, ita quidem ut ea, quae
942 nos inchoavimus, felicem ad exitum deducant. /

IV. Spei Verbum

Potentia Spiritus, qui resuscitavit Christum a mortuis, continenter in mundo operatur. Populus Dei praesens est identidem, per generosos Ecclesiae filios, in medio pauperum et eorum qui oppressionem et persecutionem patiuntur, in propria carne et in proprio corde vivens Passionem Christi et testimonium reddens Ipsius Resurrectionis.

Omnis enim creatura ingemiscit et parturit usque adhuc et expectat revelationem gloriae filiorum Dei (cf. *Rom.* 8, 22). Persuasum ergo habeant christiani se fructus propriae naturae propriique conaminis ab omnibus sordibus purificatos deinceps inventuros esse in illa nova terra, quam Deus illis iam nunc parat, et in qua Regnum erit iustitiae et amoris: quod Regnum plene tunc complebitur, cum Dominus ipse veniet.

Spes Regni venturi properat habitare in spiritibus humanis. Absoluta et perfecta mundi transformatio per Pascha Domini plenitudinem sensus tribuit conatibus hominum, et nominatim iuvenum, ad minuendam iniustitiam, violentiam et odium, et ad efficiendum, ut omnes simul progrediantur in iustitia, libertate, fraternitate et dilectione.

Proclamans Evangelium Domini, Redemptoris et Salvatoris, simul Ecclesia omnes homines vocat, speciatim vero pauperes, oppressos et afflictos, ut cooperentur cum Deo ad liberandum ab omni peccato et exstruendum mundum, qui, tantum cum fiet opus hominis pro homine, perveniet ad plenitudinem creationis.

Adn. G. CAPRILE in NrT 104 (1972) 43-64; P. DE LETTER in The Clergy Monthly 36 (1972) 16-24; P. PAVAN in Apoll. 44 (1971) 187-200, 659-677.

4017

1971 DEC 3.-CONS. LAIC., NORM. AAS 63 (1971) 948-956

Directorium respiciens normas quibus Instituta Internationalia Catholica definiuntur

Introduction

Le Motu Proprio *Catholicam Christi Ecclesiam*, par lequel le Pape Paul VI fonde le Conseil des Laïcs, assigne à celui-ci comme la première de ses tâches, de: «promouvoir l'apostolat des laïcs au plan international ou réaliser la coordination de ce qui est déjà constitué et son insertion toujours plus grande dans l'apostolat général de l'Eglise» [LE 3515].

Ainsi est reconnu un aspect important de la vitalité de l'Eglise aujourd'hui: la qualité et la diversité des organisations internationales catholiques.

Ainsi est souligné le développement continu des institutions internationales dans le contexte du monde d'aujourd'hui.

A partir de ces réalités et se rappelant que «les laïcs exercent leur apostolat multiforme tant dans l'Eglise que dans le monde» *(A. A.*, 9) [LE 3346], le Conseil des Laïcs, en conformité avec sa mission, dégage les éléments qui permettent de déterminer les critères d'une définition des Organisations Internationales Catholiques afin d'assurer leur meilleure insertion à l'apostolat général de l'Eglise.

L'esprit et le but du document

Pour arriver à la détermination de ces critères, le Conseil a utilisé plusieurs données:

D'une part l'existence de nombreuses organisations qui reflète très largement les activités des membres du Peuple de Dieu.

Par la définition de leurs buts, par leur organisation interne et leurs structures, par la dimension et l'étendue de leurs activités, ces organisations fournissent l'apport indispensable de leur expérience.

D'autre part, les efforts déjà accomplis pour assurer à l'expérience des organisations ou mouvements internationaux, la reconnaissance institutionnelle de la part du Saint-Siège.

Ce sont: les dispositions adoptées par la Secrétairerie d'Etat pour / agréer les statuts des organisations internationales catholiques et quelques-unes des conditions posées par la Conférence des O. I. C. pour l'adhésion des organisations à son institution.

Enfin les documents nés du Concile Vatican II. Parmi eux le décret sur l'Apostolat des Laïcs *(A. A.)* [LE 3346], et la Constitution Pastorale *Gaudium et Spes* [LE 3366] sont une reference indispensable.

Pour déterminer les critères de définition, plusieurs possibilités s'ouvrent à partir de méthodes différentes. Ce qui guide le choix ici, c'est la nature même de ce document. Bien qu'il doive traiter d'aspects pratiques et juridiques, il se veut d'abord de portée apostolique et pastorale. Ce qui est en cause, c'est la confrontation entre une expression de vie à l'échelon international, son organisation et le lien qui s'établit avec la mission de l'Eglise: «faire participer tous les hommes à la rédemption et au salut» *(A. A.* ,2) [LE 3346].

Il s'agit donc bien ici, dans le cadre d'un règlement, de saisir le lien entre vie et foi, s'appliquant à des organisations ou mouvements.

Une double exigence s'impose:

Prendre en considération la réalité de ce qui existe, l'expérience du passé et les situations nouvelles qui se posent aux organisations et mouvements; c'est-à-dire envisager la situation avec souplesse dans une vision prospective et dynamique, notamment pour ne pas préjuger de l'avenir.

Exprimer aussi clairement que possible les éléments des critères à retenir pour permettre aux différents mouvements, organisations, associations et groupes de se situer par rapport à ces critères.

Il est important, en effet, de souligner que ce texte ne revêt pas le caractère d'un dispositif contraignant qui devrait s'appliquer sans nuances. Il laisse toute liberté aux initiatives des organisations dans leurs définitions et leurs buts, mais les convie à se situer elles-mêmes à partir des critères de définition retenus, si elles veulent être reconnues comme Organisations Internationales Catholiques.

Critères de définition proprement dits

Les observations ci-dessus conduisent à cerner le problème autour de l'explication, du sens de la dimension qu'il convient de donner aux trois termes qui constituent 95
l'expression «organisation internationale catholique». /

1. *Organisation.* Le mot «organisation» s'entend ici dans un sens large. Il signifie la mise en oeuvre coordonnée des efforts collectifs et des initiatives de personnes ou d'institutions sans préjuger de la forme pratique sous laquelle ils se manifestent. Il peut donc s'agir, selon les cas et les circonstances, de bureaux, services, mouvements, fédérations, organismes, etc...

A ce sujet, il paraît essentiel, au milieu de tant de possibilités et de choix dans les «multiples manières de participer à l'édification de l'Eglise, à la sanctification du monde et à son animation dans le Christ» *(A. A.*, 16), de retenir ce qui fait appel à une action d'ensemble, coordonnée au sein d'une organisation.

Le Concile rappelle d'ailleurs que cette forme d'action organisée «correspond bien à la condition humaine et chrétienne des fidèles; elle présente en même temps le signe de la communion et de l'unité de l'Eglise dans le Christ» *(A. A.*, 18). Dans *Gaudium et Spes* (n. 90), il dit également «de nos jours, l'efficacité et les nécessités du dialogue réclament des initiatives collectives».

A quels signes est-il possible de constater qu'il y a bien «organisation»?

a) En premier lieu, l'organisation doit exprimer clairement sa raison d'être, ce qui la caractérise, ce qui est son domaine spécifique.

Pour qu'une organisation se situe dans l'ensemble harmonieux des efforts et des activités des catholiques au

http://www.obrascatolicas.com

plan international, il convient qu'elle fasse apparaître clairement dans ses buts:

ce qui est son caractère spécifique, par exemple la catégorie de personnes qu'elle touche;

ce qui est son genre d'activité (spirituelle, intellectuelle, caritative, en milieu social, professionnel, etc.);

ce qui est sa raison d'être.

Une référence explicite aux descriptions données par le décret sur l'Apostolat des Laïcs, sur les buts et les champs d'apostolat, situe l'organisation dans le secteur d'activité qu'elle a choisi avec, éventuellement, ses extensions possibles.

b) En second lieu, l'organisation doit donner la preuve de son existence et de son activité par rapport à la finalité
951 et aux buts déterminés dans ses statuts ou son règlement. /

Pour cela il importe qu'elle ait une consistance numérique suffisante. On ne demande pas à tous un même nombre d'adhésions. Il s'agit là surtout d'une appréciation qualitative, en fonction du but poursuivi et pas seulement d'une appréciation quantitative. Autrement dit, l'organisation doit reposer sur une base réelle, s'appuyer, selon sa nature propre, sur des personnes ou des ensembles de personnes, sur des mouvements, des bureaux, des services.

Elle doit avoir des responsables de son animation et de son administration et posséder les moyens nécessaires à ses exigences de travail.

Elle doit faciliter les rencontres entre ses membres, notamment tenir à des intervalles réguliers des assemblées destinées: à faire le bilan de ses activités, à décider de son orientation en fonction des besoins et à procéder à la désignation de personnes appelées à en porter les responsabilités.

Elle doit assumer, par l'effort de ses membres, l'accomplissement de ses tâches et disposer d'une autonomie financière qui puisse être considérée comme gage suffisant de son indépendance. Ceci n'exclut pas qu'elle fasse appel à des dons ou des subventions.

2. *Caractère international.* S'il est évident que le caractère international doit être exprimé explicitement pour que l'organisation soit considérée comme telle, il convient de bien préciser les conditions auxquelles doit répondre cette intention:

a) Le caractère international se démontre. Il ne suffit pas de se déclarer «international» pour l'être. Ceci suppose plusieurs conditions concordantes.

L'organisation doit:

— avoir des membres dans différents pays;

— favoriser les échanges, communications et dialogues entre eux;

— former ses membres à un esprit international et développer chez eux le sens des responsabilités à ce niveau;

— avoir une visée universelle dépassant le cadre des nations et des régions, même si, pour des raisons de circonstances, elle se limite à ses débuts à plusieurs nations d'une même région; ceci ressort notamment d'un programme général rejoignant, sous un ou plusieurs aspects, les aspi-
952 rations des hommes de différents continents. /

Ces conditions sont nécessaires pour donner à l'organisation qui se réclame du caractère international, la consistance indispensable.

b) Le caractère international exige une mise en commun des activités, des initiatives, des apports de différentes composantes nationales ou régionales ainsi qu'une participation effective de la base au sommet dans une perspective internationale — le tout se faisant en vue du bien commun de l'organisation internationale. En effet une addition d'entités nationales ne suffit pas à faire une organisation internationale.

3. *Catholique.* Ce terme, dans ce cas, est le plus important, car il apporte à lui seul une spécificité toute particulière et il complète, en la précisant, la définition de l'organisation. En effet, il existe ou peut exister de nombreuses organisations internationales et il importe que, dans ce domaine aussi, l'Eglise, indépendamment de certains autres modes de présence, se manifeste au monde en tant que telle. Les organisations internationales catholiques sont une forme de présence. Il convient donc d'indiquer à quelles conditions une organisation internationale peut porter le titre de «catholique». Pour cela, il faut:

— Une référence précise de conformité à l'Evangile et à l'enseignement du Magistère.

— Une volonté de s'insérer dans l'effort pastoral de l'Eglise.

— Une préoccupation de l'éducation de la foi parmi ses membres.

— Une disponibilité de service dans des secteurs tels que: l'évangélisation et la sanctification, l'animation chrétienne de l'ordre temporel, la charité *(A. A.,* 6, 7, 8), ainsi que dans les milieux sociaux ou professionnels, famille, jeunesse, éducation, moyens de communication sociale, etc. *(A. A.,* 10 et suivants).

La référence «catholique», pour des organisations internationales, appelle en outre, les précisions complémentaires suivantes:

a) tenir compte de l'«ouverture» de l'Eglise dans l'esprit de Vatican II;

b) en tirer les conséquences au plan des rapports avec la hiérarchie ecclésiastique.

ad *a)* A l'heure actuelle il n'y a pratiquement pas d'organisation internationale catholique qui ne se pose des questions de rapports d'échanges, de collaboration avec d'autres chrétiens, des croyants d'autres religions et des non-croyants. / 953

Bien loin de gêner cette «ouverture» l'Eglise (cf. *Gaudium et Spes,* nn. 89 et 90) en souhaite le développement, mais dans l'absence de toute équivoque; elle le montre clairement, au plan institutionnel, en confiant à ses organismes compétents le soin d'orienter et de suivre les initiatives des catholiques, et donc des Organisations internationales catholiques en ce domaine. Si, dans certains cas, celles-ci peuvent accueillir des personnes chrétiennes non catholiques, voire même non chrétiennes, elles ne peuvent, sans changer leur caractère spécifique, se dégager de leur référence essentielle à l'Eglise catholique, à sa doctrine et à ses buts.

ad *b)* Comme le précise le décret sur l'Apostolat des Laïcs, «aucune initiative ne peut prétendre au nom de catholique sans le consentement de l'autorité ecclésiastique légitime» *(A. A.,* 24).

Au niveau international, la reconnaissance d'une organisation comme catholique implique l'agrément de celle-ci par le Saint-Siège qui authentifie ainsi sa participation à la mission de l'Eglise et de sa hiérarchie et confirme son adhésion à l'enseignement doctrinal de l'Eglise catholique.

A deux occasions précises *(L. G.,* 37 et *A. A.,* 24), le Concile a traité de la question en montrant dans quel climat de confiance et d'estime doivent s'établir les rapports avec la hiérarchie. Mais, tenant compte justement de la diversité des buts, le Concile dit que «les liens de l'apostolat des laïcs avec la hiérarchie peuvent revêtir des modalités différentes selon la diversité des formes et des buts de cet apostolat» *(A. A.,* 24). Il est opportun de constater ici que certaines des organisations existant au plan international furent crées par l'initiative directe de la hiérarchie ou regroupent des institutions ou organismes que celle-ci a pu susciter au plan national. La nature de leurs rapports avec l'autorité sera souvent différente de celle des associations promues par les fidèles.

Le Concile Vatican II reconnaît aux fidèles le «droit de fonder des associations» *(A. A.,* 19). La plupart des organisations internationales catholiques sont nées à partir de l'initiative des fidèles. Elles sont de par leur nature aptes à coopérer aux objectifs de la pastorale d'ensemble et à trouver ainsi une insertion toujours plus grande dans l'apostolat général de l'Eglise, sans pour autant se confondre avec ses organismes officiels et en gardant leur propre physionomie.

La hiérarchie veillera également à la «coordination des efforts» au plan international, dans l'esprit du par. n. 90 de *Gaudium et Spes,* et / elle s'assurera notamment que les 954
initiatives tendant à la création de nouvelles organisations ne fassent pas double emploi avec d'autres et que les forces existantes ne se dispersent pas inutilement.

De leur côté, les organisations entretiendront des relations de confiance et de collaboration non seulement avec le Saint-Siège mais aussi avec les Conférences épiscopales. Elles auront soin, notamment, d'obtenir leur accord préalable pour l'implantation d'un secrétariat international ou régional sur leur territoire, de les informer de la tenue d'un congrès ainsi que de leurs principales activités.

La reconnaissance par la hiérarchie du caractère «catholique» de l'organisation comporte:

— l'approbation des orientations fondamentales et des buts de l'organisation, normalement exprimés dans les statuts, de même que des modifications substantielles de ceux-ci;

— l'agrément des candidatures pour la présidence;

— la nomination des aumôniers ou assistans ecclésiastiques.

Il est évident que le caractère catholique de l'organisa-

tion internationale sera également garanti par le fait que ses responsables seront toujours des catholiques. Ceux-ci par ailleurs, étant placés à un niveau où l'Eglise se trouve nettement engagée, veilleront à se tenir sur la nécessaire réserve vis-à-vis de toute prise de position et activité publiques sur le plan politique ou syndical; leur abstention en ce domaine sera normalement l'attitude la plus indiquée durant l'exercice de leur mandat (cf. Lettre Apostolique *Octogesima Adveniens,* 50) [LE 3975].

Si, d'une manière habituelle, il n'y a pas de difficultés à prévoir pour que «l'autorité légitime», en l'occurrence la Secrétairerie d'Etat, donne son agrément à plusieurs noms en vue d'une élection ou nomination à la présidence d'une organisation et choisisse un aumônier ou assistant ecclésiastique parmi des personnes qui peuvent lui être présentées, il se peut qu'en certaines circonstances des questions se posent. Celles-ci trouveront d'autant mieux leur réponse qu'un dialogue habituel se sera instauré entre l'organisation et l'autorité ecclésiastique. Ce dialogue permettra en outre une plus grande souplesse dans l'exécution des normes concernant la nomination de personnes ou l'agrément
955 de candidatures. /

Registre permanent d'inscription

«Il y a dans l'Eglise diversité de ministères, mais unité de mission» *(A. A.,* 2).

Au plan international, cela veut dire que, tout en laissant à ses membres la liberté de leurs initiatives et en respectant son exercice, l'Eglise, par la voix du Saint-Siège, se réserve le droit de reconnaître comme liés à sa mission et à ses buts les organisations ou mouvements qui jugent opportun de lui demander cette reconnaissance.

En vue de constituer un inventaire précis et actuel des organisations catholiques agissant au plan international, le Conseil des Laïcs est chargé d'ouvrir un registre permanent d'inscription de ces organisations, c'est-à-dire des organismes, bureaux, services, associations ou mouvements ayant vocation internationale catholique. Cette disposition permettra aux organisations existantes de s'y faire inscrire en mettant à jour leurs statuts en fonction des critères de définition retenus et aux organisations nouvelles de se faire connaître et reconnaître.

Tout groupe qui dépasse les limites d'une nation et qui se constitue en vue d'une activité internationale, qu'il ait ou non l'intention de devenir une organisation internationale catholique, est invité à se faire porter sur ce registre afin d'établir un lien avec le Saint-Siège.

Au moment de leur inscription, les organisations précisent elles-mêmes leurs buts, leurs objectifs, ainsi que le caractère qu'elles se donnent, laïc ou mixte, de manière à clarifier la nature du rôle du Conseil des Laïcs à leur endroit.

L'inscription d'une organisation comme O. I. C. devient définitive après la reconnaissance de conformité de l'organisation ou mouvement avec les critères ci-dessus et après l'approbation de ses statuts par le Saint-Siège.

Dans ce cadre les rapports des organisations internationales catholiques tant avec la Secrétairerie d'Etat qu'avec le Conseil des Laïcs constituent le mode principal de leurs relations avec le Saint-Siège, sans pour autant gêner ceux qu'elles désirent établir avec d'autres instances, du fait de leurs objectifs particuliers.

A partir des éléments positifs émanant d'une connaissance détaillée de l'existence et des buts des organisations internationales catholiques, le Conseil des Laïcs assurera son rôle spécifique au service de l'Eglise et des organisations
956 en développant un dialogue constant entre elles et / le Saint-Siège et en les aidant à mieux s'insérer dans la mission d'ensemble de l'Eglise.

Mais il va sans dire que, comme par le passé, les organisations trouveront toujours dans la Secrétairerie d'Etat un interlocuteur disponible: c'est elle qui, notamment, a compétence pour apprécier en dernier ressort ce qui, dans l'activité de tout organisme catholique, engage l'Eglise au plan international.

Conclusion

C'est dans une perspective de dialogue et dans un esprit de communion que s'inscrit l'établissement de ce document d'orientation concernant les critères de définition des Organisations Internationales Catholiques. Ce document les précise et les rassemble en s'inspirant des textes conciliaires et de la pratique de longues années d'existence de diverses formes de la vie catholique organisée au plan international. Il exprime une réalité profondément ecclésiale

et pastorale. Il met en évidence les liens spirituels privilégiés qui unissent les diverses organisations à l'Eglise et au Pape en leur conférant le sceau d'authenticité de leur participation à l'apostolat général de l'Eglise.

3 Décembre 1971.

Adn. L. L. McREAVY in CR 57 (1972) 641-642.

4018

1971 DEC 7.-SC SACRAMENTORUM, INSTRUCTIO. PART.*

INSTRUCTIO AD LOCORUM ORDINARIOS DE CANONICA CELEBRATIONE MATRIMONII CORAM SOLIS TESTIBUS IN CASIBUS PARTICULARIBUS

Ad Sanctam Sedem haud ita pridem nonnulli Ordinarii dioecesani, sive singuli, sive in coetibus congregati, preces admoverunt ut, derogando Codicis Juris Canonici praescriptis (can. 1094-1103), in casibus particularibus, ob penuriam Sacerdotum et Diaconorum, concederetur facultas valide celebrandi canonicum matrimonium coram catholico fideli, a parocho vel loci Ordinario delegato, et duobus testibus.

Quarum precum studio sedulo peracto, consultisque Dicasteriis et Officiis competentibus aliisque, quorum quomodocumque interest, Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum proposita examinavit in ordinario coetu die 18 Junii 1971 habito, in quo quidem, ut oportebat, perpensa sunt etiam de hac materia argumenta, allata a Pontificia Commissione Codici Juris Canonici recognoscendo [1].

Id autem sine dubio statim constitit preces supra memoratas ortas esse ex laudabili animarum zelo Pastorum quos urget timor ne gratia sacramenti destituantur illi qui christianam familiam legitime condere cupiant.

Id etiam animadverterunt Patres interdum matrimonium ineuntes non censere se uti posse canone 1098 C. J. C. —si modo eum cognoscunt—, cum desit huiusmodi celebrationi signum quodvis nuptiarum indolem sacram et religiosam ostendens.

1. Omnibus vero accurate consideratis, visum est non expedire ut iure statuatur, absente Parocho aut Sacerdote vel Diacono, sive a jure sive a Parocho vel loci Ordinario delegato, alium christifidelem religiosum aut laicum esse nominatim deputandum ad assistendum, duobus sane testibus comitantibus, canonicae matrimonii celebrationi.

Etenim:

Si huiusmodi assistendi ratio *ad validitatem* requireretur, vis memorati canonis 1098 coartaretur, quo statuitur validum esse matrimonium coram solis duobus testibus contractum. Itaque immutatio iuris nunc vigentis fieret non quidem in bonum, sed forte in damnum animarum, cum nempe suapte vi destituerentur plura matrimonia, quae secus essent valida. Difficilior revera fieret pro variis occurrentibus casibus usus canonis 1098.

Si e contra huiusmodi assistendi ratio ad solam *liceitatem* requireretur, expetita bona plerumque non acciperentur et aliquid amplius imponeretur quod can. 1098 praecipit.

2. Cum vero plurimi habeatur, ut addecet, pastoralis sollicitudo Ordinariorum qui memoratas preces exhibuerunt, haec, quae sequuntur, facienda magnopere commendantur:

a) Illis in locis, ubi ingens ambitus sive totius dioeceseos sive singularum paroeciarum id suadeat —tum accedente penuria in dies graviore Sacerdotum et Diaconorum, tum increbrescente populi frequentia a sede paroeciali et a parochi domicilio longius commorantis, atque deficientibus vel difficilibus exstantibus commeatibus— attente perspiciant Ordinarii an legitime declarari possit fidelibus, inibi residentibus, validum et licitum esse usum canonis 1098 (qua quidem in re, praeter ipsum tenorem canonis, prae oculis habendae sunt authenticae eiusdem interpretationes, datae a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos die 10 Nov. 1925, die 10 Martii 1928 et die 25 Julii 1931, quae in Commentarium Officiale «Acta Apostolicae Sedis» relatae sunt) [2].

b) Iidem Ordinarii, aptis ad hoc institutis curriculis catecheticis, laicos instruendos curent, qui, descriptis locis assignati;

— catechesim celebrationi nuptiarum praeviam tradant, ita ut matrimonium ineuntes canonica praescripta discant et invitentur ad consequendum viis extraordinariis, quae praesto sunt fidelibus, statum gratiae necessarium pro salutari sacramenti matrimonii receptione;

[1] Cfr. Communicationes, III, 1 (1971) pp. 78-81.

[2] *A. A. S.* 17 (1925), p. 583, VIII [LE 673]; *A. A. S.* 20 (1928), p. 120, I [LE 822]; *A. A. S.* 23 (1931), p. 388, I [LE 1043].

http://www.obrascatolicas.com

—ad assistendum ipsi matrimonii celebrationi praesto sint, firma tamen sponsorum facultate coram quibuslibet testibus ad normam can. 1098 matrimonium valide contrahendi;

— debita forma et ad normam iuris documentum conficiant celebrationis matrimonii illudque curent in praescriptos libros paroeciales transcribendum.

Hac ratione —quae quidem praescriptum can. 1098 non immutat, quaeque fidelem «qualificatum» non facit testem canonicum cum auctoritate Ecclesiae, qui addatur duobus testibus requisitis in forma extraordinaria, sed efficit ut eorum alteruter, aptius edoctus, peropportunum opus ecclesiale agere queat— expetita bona videntur satis attingi. Praeterea «qualificatus» fidelis, qui opportune instructus celebrationi matrimonii assistit, poterit, iuxta Ordinarii praescripta, curare, ut ritus externam significationem religiosam et sacram induat (hac de causa, si fieri potest, idem in loco sacro peragatur et precationibus ditetur); expresse in praesentium notitiam afferre canonem 1098, publice declarans eiusmodi celebrationem esse legitimam formam, iure statutam et probatam, ineundi matrimonii sacramentum; se demum sponsorem praebere debitae transcriptionis in libros paroeciales.

Cura Ordinariis erit, ut ad munus hoc eligantur laici, qui spem faciant fore ut eo recte perfungantur. Imprimis igitur asciscantur, praeter candidatos Sacrorum Ordinum et alumnos theologici et philosophici Seminarii, catechistae, Actionis catholicae sodales aliique qui communi iudicio maturi censeantur.

SSmus Dominus Noster Paulus Div. Prov. Pp. VI die 26 Novembris 1971, hanc Instructionem approbavit et confirmavit, eamque ab omnibus quibus spectat servari mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 7 Decembris 1971.—Antonius Card. Samorè, *Praefectus*. Iosephus Casoria, *a Secretis*.

* E documento originali. Adn. F. TIMMERMANS in The Clergy Monthly 36 (1972) 167-168.

4019

1971 DEC 16.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECR. PART.*

DECLARATUR LIS FINITA IN RECURSU CONTRA TRANSLATIONEM PAROCHI OB DECRETI ORDINARII LOCI REVOCATIONEM

In causa de qua supra, promota a Rev.do D. X. Y. contra decisionem Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione diei 14 ianuarii 1969, confirmantem decretum Emi Ordinarii, diei 8 maii 1968, quo idem Sac. *transferebatur* a paroecia loci «M. P.» ad paroeciam loci «K.»;

Cum idem Emus Ordinarius per decretum diei 9 augusti 1971 revocaverit suum praecedens decretum translationis, de quo supra;

Attento quod per huiusmodi revocationem cessat obiectum contentionis agitatae coram Hoc Supremo Tribunali, *lis finita declaratur*. Et notificetur omnibus interesse habentibus.

Romae, die 16 decembris 1971.—Deinus Card. Staffa, *Praefectus*. Aurelius Sabattani, *Secretarius*.

* Apoll. 44 (1971) 627-628.

4020

1971 DEC 23.-SC GENTIUM EVANGEL., INSTR. PART.*

INSTRUCTIO DE ALUMNIS ADMITTENDIS IN PONTIFICIUM COLLEGIUM URBANUM IUXTA PERSPICUAS ET CERTAS NORMAS

Consuevit haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide loca vacantia in Pontificio Collegio Urbano quotannis mense fere aprili novis alumnis assignare, ratione habita petitionum sibi ab iis qui missionibus praesunt oblatarum.

Cum autem in hac re, proximis praesertim annis, frequentes occurrerint errores, qui et aliquibus Revmis Ordinariis inexpertam causarint deceptionem, et ipsi Sacrae Congregationi non leve incommodum, opportunum et perutile visum est perspicuas et certas normas cum Revmis Ordinariis communicare, quibus in posterum alumnorum in Pontificium Collegium Urbanum admissio regatur.

Itaque:

1) Petitiones pro alumnis admittendis singulis annis ita tempestive mittendae erunt, ut ante finem mensis Februarii ad hanc S. Congregationem perveniant. De iis quae posteriore tempore pervenerint nulla ratio habebitur.

2) A Revmis Ordinariis eligendi sunt, prae caeteris, iuvenes bonae indolis, ipsis optime cogniti, qui signa supernae vocationis praebeant ita ut Ordinarii confidere omnino possint illos missionarios zelo animarum ferventes futuros esse.

3) Alumni bene sint selecti, scilicet, ad cursum universitarium sequendum vere idonei et maturiori iudicio praediti; optima fruantur valetudine nec ullo morbo laborent, nec nimis iuvenes sint.

4) Una cum petitione admissionis necesse est ut Ordinarii accurate atque fideliter respondeant omnibus et singulis interrogationibus, quae in quaestionario huic Instructioni adnexo continentur.

5) Postquam haec Sacra Congregatio petitiones et omnia documenta examinaverit et loca Collegii distribuerit, Ordinariis rescribet quinam nominatim admissi fuerint.

6) Quum die 15 mensis Octobris scholae principium habeant, curent Revmi Ordinarii ut ante diem 10 mensis Septembris alumni Romae sint.

7) Alumni qui non accepta designatione Romam nihilominus venerint, in Pontificium Collegium Urbanum non admittentur.

8) Petitiones quae acceptae non fuerint, nullam vim aut effectum habebunt pro anno subsequenti, etsi hoc fortasse in precibus adiunctum sit. Etenim pro anno academico sequenti nova postulatio, tempore statuto, facienda erit.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die 23 Decembris a. D. 1971.

* Ad omnes Ordinarios, Prot. N. 6704: BIM 35 (1971) 190-191.

4021

1971 DEC 30.-SIGNATURA APOSTOLICA, RESP. PART.*

DOCTRINA DE NATURA MATRIMONII A TRIBUNALIBUS ECCLESIASTICIS NEERLANDICIS SECUTA CONFUTATUR EADEMQUE TRIBUNALIA MONENTUR NE ALIA CAPITA NULLITATIS MATRIMONII, IN SPECIE IMPOTENTIAM MORALEM, ADMITTANT, PRAETER EA A IURE ET IURISPRUDENTIA CANONICA COMPROBATA

Roma, 30 dic. 1971

Eminentissimo Signore, Presso questo supremo tribunale della Segnatura Apostolica, al quale è affidato il compito di aiutare i Vescovi nella retta amministrazione della giustizia, sono stati interposti parecchi ricorsi, di cui ho già parlato apertamente e fiduciosamente con vostra Eminenza. Con la presente lettera vorrei notificarle alcune cose che devono essere urgentemente corrette e riformate nell'amministrazione della giustizia nella provincia ecclesiastica olandese.

I

E' in questione non solo l'osservanza del diritto processuale, ma la stessa dottrina riguardante la natura del matrimonio fra battezzati. Ecco alcune opinioni meno provate *(minus probatae)* che furono accolte in quelle sentenze contro le quali si fa appunto ricorso:

1) L'indissolubile unità del matrimonio sancita da Cristo viene detta «l'ideale», «il meglio», che in nessun modo deve essere ritenuto norma o legge per i coniugi cristiani.

2) Il consenso matrimoniale va considerato non staticamente ma dinamicamente: con esso i coniugi portano gradualmente a compimento il loro mutuo amore. Tale concetto si fonda sulla dottrina del concilio Vaticano II che designa il matrimonio non come patto o alleanza, ma come comunione di vita e di amore.

3) Si deve fare distinzione tra volontà di sposarsi e affetto con cui uomo e donna realizzano il loro matrimonio: costoro prendono conoscenza del valore del loro matrimonio nella misura in cui in seguito esso avrà esito felice o fallirà.

4) Per cui spetta innanzitutto ai coniugi giudicare del valore del loro matrimonio: essi possono stabilire con proprio giudizio se il matrimonio sia stato valido, perché felice, oppure nullo o sciolto, perché non ebbe successo.

5) Questo giudizio dei coniugi può, tutto considerato

venire sancito oppure riprovato dai giudici ecclesiastici che sono i tutori «dell'ordine ecclesiale».

6) Basandosi su queste e su altre simili opinioni, i giudici ecclesiastici di codesta provincia introdussero molte cose nel processo matrimoniale: *a)* vengono sentiti i coniugi allo scopo di fare l'esame psicologico dell'evoluzione del loro matrimonio e della loro sincerità; *b)* si domanda ai competenti in psicologia di esaminare la capacità dei coniugi di intrattenere relazioni interpersonali, con le quali possano giungere progressivamente ad una felice unione.

7) I coniugi che, a giudizio dei competenti, sono incapaci di tale relazione, sono dichiarati inabili a contrarre matrimonio valido; i coniugi che, colpevolmente o senza loro colpa, impediscono o interrompono l'evolversi della relazione interpersonale, vengono dichiarati sciolti dal matrimonio.

8) I coniugi che erano incapaci di relazione interpersonale o che interrompono senza loro colpa l'evolversi di tale relazione, possono celebrare nuove nozze nella Chiesa; ma ad essi non viene precluso il matrimonio soltanto civile, mediante il quale, come affermano, possano esercitare il diritto fondamentale di sposarsi. In ambedue i casi, se sono in buona fede, vengono ammessi ai sacramenti, necessari rimedi di salvezza. Invece i coniugi che interrompono colpevolmente l'evolversi della relazione interpersonale, anche se ormai non sono più legati dal matrimonio per essersi sciolto il vincolo dell'amore, tuttavia, come pena, vengono considerati ancora congiunti e non possono celebrare un nuovo matrimonio.

9) Simile modo di pensare e di procedere viene confermato, essi dicono, anche dal nuovo modello di Chiesa proposto dal Concilio Vaticano II, secondo il quale la Chiesa non è società di perfetti ma di peccatori, pellegrina sulla terra, anelante al meglio e al più perfetto.

10) Ne nasce comprensibilmente una crisi contro il diritto matrimoniale della Chiesa, che viene definito puramente formalistico perché attribuisce più forza alla istituzione che alla persona umana. Questa legislazione, aggiungono, offende il criterio pastorale che considera le situazioni umane e procura di apportarvi rimedio, e che preferenzialmente si fonda sul giudizio personale delle parti e sulla sollecitudine dei pastori.

II

Ciò premesso, a proposito della procedura e delle sentenze dei tribunali olandesi si deve notare quanto segue:

1) Il modo di procedere quale viene applicato oggi nei tribunali di questa provincia ecclesiastica, per rendere più spedita la sentenza, può essere così descritto: audizione delle parti e, se è necessario, di uno o due testi; giudizio sulla buona fede dei coniugi dedotta da una conversazione anche a lungo potratta; opinione circa il successo o l'insuccesso del matrimonio; parere dei periti circa l'attitudine psicologica dei coniugi alla relazione interpersonale; affermazione di impossibilità per i coniugi di ritornare ad amarsi o di restaurare la vita coniugale; riconoscimento della causa colpevole o non colpevole di tale fallimento; opinione del giudice a proposito dell'accordo dei coniugi nell'ammettere e riconoscere il fallimento con conseguente nullità del loro matrimonio; sentenza conclusiva di un giudice che dichiara lo stato di libertà, anche a insaputa di uno dei coniugi; o di tre giudici che stabiliscono che il matrimonio fu celebrato invalidamente, o che non debba protrarsi ulteriormente.

2) Questo modo affrettato di procedere che si pretende più psicologico e che è stato seguito più volte, ora si desidera che venga approvato «post factum» dalla suprema autorità. Tale petizione indica già per se stessa l'illegittimità della predetta prassi.

3) Questa prassi, anche introdotta a modo di esperimento in forza della dispensa concessa dai vescovi, non può essere ammessa, trattandosi di leggi costitutive e processuali che salvaguardano i diritti delle persone, e dalle quali, in forza del decreto «*Christus Dominus*», n. 3, b [LE 3332], e del m.p. «*Episcoporum muneribus*», n. IV [LE 3449], nemmeno i vescovi possono dispensare.

4) Non si può invocare la sentenza rotale nella causa di Québec del 22 luglio 1969, sotto la presidenza di Anné, trattandosi in questa di mancanza di discernimento a motivo di grave turba psichica precedente il matrimonio.

5) Nella sentenza dei giudici olandesi l'incapacità di contrarre matrimonio per difetto di relazione interpersonale e di maturità psicologica viene a torto invocata come impotenza morale precedente il matrimonio, con ciò stesso dimostrata. Tali difetti infatti, se compaiono dopo la celebrazione del matrimonio, non si possono ritenere con morale certezza come incapacità precedenti il matrimonio; l'impotenza morale si dà quando si abbia incapacità del coniuge di discernere l'oggetto del matrimonio o di emettere il consenso matrimoniale.

6) Prendendo visione delle sentenze già emesse, si nota inoltre che le perizie si contraddicono esse stesse, affermando l'assoluta incapacità dei coniugi al matrimonio, e poi dichiarando i medesimi capaci di contrarre un nuovo matrimonio.

III

Infine, a proposito di dottrina e di procedura c'è da aggiungere quanto segue:

1) La celebrazione del matrimonio non viene considerata come il contratto con il quale avviene il matrimonio, ma come l'iniziazione matrimoniale che dà inizio al rapporto coniugale e diventa matrimonio un po' alla volta. Tale affermazione sconvolge i fondamenti del diritto matrimoniale.

2) Inoltre, con questa erronea dottrina non si può mai stabilire se un matrimonio sia valido o no. E l'incertezza circa l'esistenza del matrimonio comporta necessariamente incertezza sociale.

3) Contrariamente alla prassi della Chiesa e alla comprovata giurisprudenza, i giudici olandesi applicano il concetto di impotenza morale, punto capitale della nullità del matrimonio, sia al timore sia all'omosessualità e ad altre condizioni del soggetto.

4) I giudici che, fondandosi solo sul suo fallimento, dichiarano nullo o sciolto il matrimonio anche dopo molti anni di coabitazione e di rapporto coniugale, ledono gravemente i diritti delle persone.

5) Una simile prassi dei giudici favorisce le unioni libere, nuoce alla dignità e alla stabilità del matrimonio e infirma il valore stesso dell'atto coniugale con cui i coniugi si uniscono in reciproco dono. La dottrina del matrimonio senza vincolo sconvolge il bene e l'ordine della società.

6) E' chiaro che una Chiesa particolare o locale non può agire contro la prassi e la dottrina della Chiesa universale, venendo riconosciuta solo quella Chiesa particolare nella quale è presente e opera la Chiesa una, santa, cattolica e apostolica. Anche se in tante cose si ammette il pluralismo, ve ne sono tuttavia di essenziali, nelle quali a nessuna Chiesa particolare è permessod i dissentire dalla Chiesa universale e dalle altre Chiese particolari.

7) L'azione pastorale alla quale spesso si riferiscono alcuni giudici olandesi, è da dirsi superficiale, mancando completamente di fondamento teologico, e più sollecita di rimediare in qualche modo alle situazioni umane che di conservare la fede rivelata.

8) Del resto gli stessi giudici riconoscono che il loro modo di giudicare viene difficilmente accolto in altre regioni, e che nel loro stesso paese viene rifiutato da alcuni fedeli, scandalizzati nel vedere con quanta audacia vengano lesi i diritti umani anche fondamentali.

Voglia l'Eminenza vostra benignamente considerare in coscienza tutto ciò e farne partecipi gli altri Vescovi olandesi, affinché si regolino presso i tribunali ecclesiastici di codesta nazione. Se qualche giudice rifiuterà di agire così deve essere rimosso dall'esercizio del suo officio dalla competente autorità, come è ovvio, e il compito di amministrare la giustizia venga senza indugio conferito a uomini provati.

Colgo l'occasione di augurarle dal Signore ogni bene, e mi professo, con tutta la dovuta venerazione, dell'Eminenza vostra devotissimo.—Dino Card. Staffa, *Prefetto*. Aurelio Sabattani, *Segretario*.

* Praesidi Conferentiae Episcopalis neerlandicae. Prot. N. 238/70 V. T.: Il regno documentazione 17 (1972) 232-233.

http://www.obrascatolicas.com

ANNUS 1972

4022

1972 IAN 6.-SC CULTUS, DECR. AAS 64 (1972) 252

ORDO INITIATIONIS CHRISTIANAE ADULTORUM NOVITER CONFECTUS PROMULGATUR ET NORMAE GENERALES NOVI ORDINIS PROPONUNTUR

Decretum de «Ordine initiationis christianae adultorum»

Ordinis Baptismi adultorum recognitionem Concilium Oecumenicum Vaticanum II praecepit, statuens ut instauraretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, quo fieret ut tempus catechumenatus, aptae institutioni destinatum, sacris ritibus, subsequentibus temporibus celebrandis, sanctificari posset. Idem autem Concilium pariter statuit ut, ratione habita catechumenatus instaurati, etiam ritus tum sollemnior tum simplicior baptizandi adultos recognosceretur.

Quibus decretis obsecuta, Sacra Congregatio pro Cultu Divino novum Ordinem initiationis christianae adultorum confecit, quem, a Summo Pontifice Paulo VI approbatum, evulgandum curavit, eiusque editionem, quae nunc exhibetur, typicam esse declarat, ut loco Ordinis Baptismi adultorum in Rituali Romano nunc exstantis assumatur. Statuit pariter ut novus hic Ordo statim adhiberi possit lingua latina; lingua autem vernacula a die quem Conferentia Episcopalis indicaverit, postquam popularem interpretationem confeceriteandemque ab Apostolica Sede confirmatam habuerit. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus S. Congregationis pro Cultu Divino, die 6 ianuarii 1972, in sollemnitate Epiphaniae Domini.—Arturus Card. TABERA, *Praef.* A. Bugnini, *a Secr.*

DE INITIATIONE CHRISTIANA ADULTORUM*

Praenotanda**

1. Ordo initiationis christianae, qui infra describitur, adultis destinatur, qui, audita annuntiatione mysterii Christi, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente, scienter et libere Deum vivum quaerunt atque fidei et conversionis iter aggrediuntur. Cuius ope et in praeparatione sua auxilio spirituali munientur et tempore opportuno sacramenta ipsa fructuose recipient.

2. Ordo enim non constat e sola celebratione sacramentorum Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae, sed omnibus etiam ritibus catechumenatus, qui, perantiquo Ecclesiae usu probatus, hodiernae operositati missionali omnibus in regionibus accommodatus, ita undequaque postulatur, ut Concilium Vaticanum II decreverit ipsum esse instaurandum et recognoscendum traditionibusque locorum aptandum [1].

3. Quo melius componatur cum labore Ecclesiae et cum condicione individuorum, paroeciarum et missionum, Ordo initiationis exhibet in primis formam completam seu communem, multorum praeparationi aptam (cf. nn. 68-239), ex qua pastores simplici accommodatione obtinent formam uni soli congruam. Deinde, pro casibus particularibus, praebetur tum forma simplicior, quae vel uno tractu (cf. nn. 240-273) vel pluribus celebrationibus absolvitur (cf. nn. 274-277), tum forma brevior pro iis qui versantur in periculo mortis (cf. nn. 278-294).

I. De structura initiationis adultorum

4. Initiatio catechumenorum fit progressione quadam in medio communitatis fidelium qui, una cum catechumenis pretium mysterii paschalis considerantes et propriam conversionem renovantes, exemplo suo inducunt eos ad liberalius Spiritu Sancto obsequendum.

* Rituale Romanum ex decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli Pp .VI promulgatum: Ordo initiationis christianae adultorum, editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1972, p. 7-178.

** Praenotanda generalia de initiatione christiana inveniuntur in *Ordo Baptismi parvulorum*, Typis Polyglottis Vaticanis 1969, pp. 7-13 [LE 3749].

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 64-66 [LE 3141]; Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 14 [LE 3364]; Decr. de pastorali Episcoporum munere, *Christus Dominus*, n. 14 [LE 3332].

5. Ordo initiationis aptatur spirituali adultorum itineri, quod varium est secundum Dei gratiam multiformem, liberam ipsorum cooperationem, actionem Ecclesiae et adiuncta temporis et loci.

6. In hac via, praeter tempora investigationis et maturationis (cf. infra n. 7), sunt «gradus» seu gressus, per quos catechumenus progrediens veluti portam transit vel gradum ascendit.

a) Primus habetur, quando, ad initialem conversionem accedens, vult christianus fieri et ab Ecclesia ut catechumenus recipitur.

b) Secundus, quando, provecta iam fide et catechumenatu fere absoluto, admittitur ad impensiorem sacramentorum praeparationem.

c) Tertius, cum, perfecta praeparatione spirituali, sacramenta accipit quibus christianus initiatur.

Tres ergo sunt gradus seu gressus vel portae, quae habenda sunt momenta maiora seu densiora initiationis. Qui gradus tribus ritibus liturgicis signantur, primus per Ordinem ad catechumenum faciendum, secundus per electionem, tertius per celebrationem sacramentorum.

7. Gradus autem adducunt ad «tempora» investigationis et maturationis vel per ea praeparantur:

a) Primum tempus, quod ex parte candidati investigationem exigit, ex parte Ecclesiae evangelizationi et «praecatechumenatui» tribuitur et per ingressum in ordinem catechumenorum clauditur.

b) Secundum tempus, quod ab hoc ingressu in ordinem catechumenorum incipit et plures annos perdurare potest, in catechesi ritibusque ipsi adnexis insumitur et absolvitur die electionis.

c) Tertium tempus, revera brevius, quod de more incidit in quadragesimalem praeparationem sollemnitatum paschalium et sacramentorum, purificationi et illuminationi assignatur.

d) Ultimum tempus, quod per totum tempus paschale perdurat, attribuitur «mystagogiae», id est tum experientiae et fructibus colligendis, tum commercio et vinculis cum societate fidelium arctius ineundis.

Quattuor ergo sunt tempora continua: «praecatechumenatus», prima evangelizatione distinctus, «catechumenatus» ad catechesim integram destinatus, «purificationis et illuminationis» ad impensiorem praeparationem spiritualem comparandam, «mystagogiae» nova tum sacramentorum tum communitatis experientia signatum.

8. Praeterea, cum initiatio christianorum nihil aliud sit quam prima sacramentalis participatio mortis et resurrectionis Christi, cum insuper tempus purificationis et illuminationis in tempus Quadragesimae de more incidat [2], et «mystagogia» in tempus paschale, ideo tota initiatio indolem paschalem prae se ferat oportet. Propterea Quadragesima plenam vim obtineat ad impensiorem electorum praeparationem et ipsa Vigilia paschalis habeatur tempus legitimum sacramentorum initiationis [3], veruntamen non vetatur eadem sacramenta, propter necessitates pastorales, extra haec tempora celebrari.

A) DE EVANGELIZATIONE ET DE «PRAECATECHUMENATU»

9. Etsi Ordo initiationis incipit admissione in catechumenatum, tempus tamen praecedens seu «praecatechumenatus» magnum momentum habet nec ex more praetermittendum est. In eo enim fit illa evangelizatio, qua fiducialiter et constanter annuntiatur Deus vivus et, quem ad omnium salutem misit, Iesus Christus, ut non Christiani, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente, credentes ad Dominum libere convertantur, eique sincere adhaereant qui, cum sit via, veritas et vita, omnes eorum exspectationes spirituales explet, immo infinite superat [4].

10. Ex evangelizatione cum auxilio Dei peracta oriuntur fides et conversio initialis, quibus se quisque sentit a peccato revocari et in mysterio dilectionis divinae proclivem. Cui evangelizationi integrum praecatechumenatus tempus tribuitur, ut maturescat vera voluntas Christum sequendi et Baptismum petendi.

11. Hoc igitur tempore candidatis apta fiat a catechistis, diaconis et sacerdotibus, immo et a laicis, explanatio Evangelii; attentum iis auxilium praestetur, ut ipsi purificata et clariore intentione cum divina gratia cooperentur, denique conventus candidatorum cum familiis et coetibus christianorum faciliores evadant.

12. Ad Conferentias Episcopales pertinet, praeter illam evangelizationem huic tempori propriam, providere, si casus ferat, et iuxta regionis adiuncta, primum modum recipiendi fautores (qui «sympathizantes» vulgo dicuntur), id est eos qui, etiamsi plene non credant, propensionem tamen exhibent in christianam fidem.

[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 109 [LE 3141]. [3] Derogatur can. 790 C. I. C. [4] Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 13 [LE 3364].

1) Eorum receptio, quae ad libitum ac sine ritu fiet, rectam eorum intentionem, nondum vero fidem, manifestat.

2) Condicionibus locorum et opportunitatibus aptabitur. Aliis enim candidatis exhibendus est praesertim christianorum spiritus, quem noscere et experire satagunt; aliis autem, quorum catechumenatus propter varias rationes differtur, convenit primus quidam vel ipsorum vel communitatis actus externus.

3) Receptio fiet inter communitatis loci adunationes et conventus, dato tempore opportuno amicitiae et colloquiis. Praesentatus ab amico, fautor («sympathizans») ille liberis verbis salutatur et recipitur a sacerdote vel ab aliquo membro communitatis digno et apto.

13. Durante eodem «praecatechumenatus» tempore, pastorum est «sympathizantes» orationibus aptis adiuvare.

B) DE CATECHUMENATU

14. Summi momenti est ritus «ad catechumenos faciendos» nuncupatus, quia tunc, publice primum convenientes, et candidati voluntatem suam Ecclesiae aperiunt, et Ecclesia, munere suo apostolico fungens, eos admittit, qui membra eius fieri intendunt. Quibus Deus gratiam suam largitur, cum illorum desiderium hac celebratione palam exhibeatur et eorundem receptio primaque consecratio ab Ecclesia significentur.

15. Ad hunc gressum faciendum requiritur ut in candidatis initialia vitae spiritualis et doctrinae christianae fundamenta condita sint: [5] prima scilicet fides tempore «praecatechumenatus» concepta, initialis conversio voluntasque vitam mutandi et commercium cum Deo in Christo ineundi, ideoque primus paenitentiae sensus incipiensque usus invocandi Deum et orandi, necnon prima experientia societatis et spiritus christianorum.

16. Auxiliantibus sponsoribus (cf. infra n. 42), catechistis et diaconis, ad pastores pertinet externa indicia harum dispositionum iudicare [6]. Eorundem praeterea munus est ut, virtuti sacramentorum iam valide acceptorum attenti (cf. *Praenotanda generalia*, n. 4), praecaveant ne quis, iam baptizatus, quacumque de causa, iterum baptizari velit.

17. Post celebrationem ritus, tempestive scribantur in libro ad hoc destinato nomina catechumenorum, addita mentione de ministro et sponsoribus, de die et loco ipsorum admissionis factae.

18. Exinde enim catechumeni, quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia, quique cum ipsa coniuncti, iam de domo sunt Christi [7]: ab Ecclesia enim verbo Dei pascuntur et liturgicis subsidiis foventur. Ipsi proinde cordi habeant ut liturgiam verbi participent, benedictiones et sacramentalia recipiant. Quoties autem matrimonium contrahunt sive duo catechumeni inter se, sive catechumenus cum parte non baptizata, apto ritu utantur [8]. Si denique moriuntur durante catechumenatu, christianas obtinent exsequias.

19. Catechumenatus est tempus protractum, quo candidati institutione pastorali donantur et opportuna disciplina exercentur [9], cuius ope dispositiones animi, per ingressum manifestatae, ad maturitatem perducuntur. Quod quattuor viis obtinetur:

1) Apta catechesis, a sacerdotibus, diaconis vel catechistis et aliis laicis tradita, per gradus disposita et integre exhibita, anno liturgico accommodata et celebrationibus verbi fulta, eos adducit non solum ad congruam dogmatum et praeceptorum notitiam, sed etiam ad intimam cognitionem mysterii salutis, cuius applicationem desiderant.

2) In exercitio christianae vitae familiariter conversantes, adiuti exemplo et subsidio sponsorum et patrinorum, immo fidelium totius communitatis, assuescunt Deum facilius orare, fidem testificari, Christi exspectationem in omnibus servare, supernam inspirationem in operibus sequi, et ad caritatem proximi usque ad abrenuntiationem sui operari. Sic instructi, «neo-conversi spirituale iter aggrediuntur, quo, fide iam communicantes mysterio mortis et resurrectionis, transeunt a vetere homine ad novum hominem in Christo perfectum. Hic transitus, secum trahens progressivam sensus et morum immutationem, cum suis socialibus consectariis manifestus fieri et tempore catechumenatus paulatim evolvi debet. Cum Dominus, cui creditur, signum sit contradictionis, homo conversus rupturas et separationes non raro experitur, sed etiam gaudia quae non ad mensuram dat Deus» [10].

3) Liturgicis ritibus congruentibus a Matre Ecclesia in suo itinere iuvantur, iisque paulatim iam mundantur et benedictione divina sustentantur. Ad illorum usum celebrationes verbi opportune promoventur, immo ipsi ad liturgiam verbi iam accedere possunt una cum fidelibus, quo melius se praeparent ad futuram Eucharistiae participationem. Pro more tamen, quando congregationi fidelium adsunt, oportet ut, antequam celebratio eucharistica inchoetur, nisi difficultates urgeant, comiter dimittantur: debent enim exspectare Baptismum, quo, sacerdotali populo aggregati, deputabuntur ad novum cultum Christi participandum.

4) Cum vita Ecclesiae sit apostolica, catechumeni item discant testimonio vitae et fidei professione ad evangelizationem et Ecclesiae aedificationem actuose cooperari [11].

20. Temporis spatium, catechumenatui congruens, pendet tum e gratia Dei tum e variis rerum adiunctis, nempe e ratione institutionis ipsius catechumenatus, e numero catechistarum, diaconorum et sacerdotum, e singulorum catechumenorum cooperatione, e subsidiis necessariis ad sedem catechumenatus petendam ibique commorandum necnon ex auxilio communitatis localis. Nihil ergo «a priori» definiri potest. Ad Episcopum proinde spectat tempus determinare, sicut et disciplinam catechumenatus moderari. Opportune etiam Conferentiae Episcopales, attentis populorum et regionum condicionibus [12], rem pressius decernent.

[5] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 14. [6] *Ibid.*, n. 13. [7] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 14 [LE [illegible]232]; Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 14. [8] [illegible] n. 55-56 [illegible]. [9] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. [illegible] [LE [illegible]]. [10] Cf. [illegible]. [11] *Ibid.*, [illegible].

C) DE TEMPORE PURIFICATIONIS ET ILLUMINATIONIS

21. Tempus purificationis et illuminationis catechumenorum cum Quadragesima ex more congruit, quia Quadragesima tam in liturgia quam in catechesi liturgica, per memoriam vel praeparationem Baptismi et per paenitentiam [13], renovat communitatem fidelium una cum catechumenis, eosdemque disponit ad mysterium paschale recolendum, quod sacramenta initiationis singulis applicant [14].

22. Secundo gradu initiationis incipit tempus purificationis et illuminationis, tributum impensiori spiritus et cordis praeparationi. In hoc gradu fit ab Ecclesia «electio», seu delectus admissioque catechumenorum, qui propter dispositiones suas idonei sunt, ut in proxima celebratione partem habeant sacramentorum initiationis. Nuncupatur quidem «electio», quia admissio, ab Ecclesia facta, fundatur in electione Dei, cuius nomine agit Ecclesia; vocatur pariter «inscriptio nominum», quatenus candidati, in pignus fidelitatis, nomina sua in libro electorum inscribunt.

23. Antequam «electio» celebretur, requiritur ad catechumenos quod attinet conversio mentis et morum, sufficiens doctrinae christianae notitia, fidei caritatisque sensus; requiritur insuper deliberatio de ipsorum idoneitate. Postea in ipsa celebratione ritus manifestatio voluntatis eorum et sententia Episcopi vel delegati eius coram communitate habentur. Quapropter patet electionem, quae tanta sollemnitate ornatur, veluti cardinem esse totius catechumenatus.

24. A die «electionis» et admissionis suae catechumeni vocantur «electi». Dicuntur etiam «competentes», quia una simul contendunt seu competunt ut accipiant sacramenta Christi et donum Spiritus Sancti. Appellantur etiam «illuminandi», quia Baptismus ipse vocatur «illuminatio» et per eum neophyti luce fidei perfunduntur. Diebus autem nostris adhibere licet etiam alia verba, quae, pro diversitate regionum et civilis cultus, captui omnium ingenioque linguarum magis congruunt.

25. Hoc tempore, impensior animi praeparatio, quae ad recollectionem spiritualem potius quam ad catechesim pertinet, ordinatur ad corda et mentes tum purificanda per discussionem conscientiae et paenitentiam, tum illuminanda per altiorem Christi Salvatoris cognitionem. Quod variis ritibus perficitur, praesertim per scrutinia et traditiones.

1) «Scrutinia», quae sollemniter diebus dominicis celebrantur, ad duplicem supradictum finem spectant, nempe ad revelandum in cordibus electorum quod est debile, infirmum et pravum, ut sanetur; et quod est probum, validum et sanctum, ut firmetur. Scrutinia enim ordinantur ad liberationem a peccato et diabolo, et in Christo corroborant, qui est electorum via, veritas et vita.

2) «Traditiones», per quas Ecclesia electis mandat perantiqua fidei et orationis documenta, scilicet Symbolum et Orationem dominicam, ad illuminationem eorum tendunt. In Symbolo, quo magnalia Dei ad salutem hominum recoluntur, oculi eorum fide et gaudio perfunduntur. In Oratione autem dominica novum filiorum spiritum altius agnoscunt, quo Deum, in medio praesertim congregationis eucharisticae, Patrem vocabunt.

26. Ad proximam sacramentorum praeparationem:

1) Moneantur electi ut Sabbato sancto, quantum fieri potest ab opere consueto vacantes, tempus orationi et recollectioni mentis tribuant ieiuniumque pro viribus servent [15].

2) Eadem die, si qua fiat electorum congregatio, haberi possunt aliqui ritus proxime praeparatorii, v. g.: redditio Symboli, «Ephphetha», electio nominis christiani et, si casus ferat, unctio olei catechumenorum.

D) DE IPSIS INITIATIONIS SACRAMENTIS

27. Haec sacramenta, nempe Baptismus, Confirmatio et Eucharistia, sunt ultimus gradus, quo, accedentes electi, peccatis remissis, populo Dei aggregantur, adoptionem filiorum Dei accipiunt, a Spiritu Sancto inducuntur in promissam temporum plenitudinem, immo per sacrificium conviviumque eucharisticum ad regnum Dei praelibandum.

a) *De celebratione Baptismi adultorum.*

28. Baptismi celebratio, quae ablutione aquae cum invocatione SS.mae Trinitatis quasi ad fastigium perducitur, praeparatur benedictione aquae et professione fidei, quae cum ritu aquae intime conectuntur.

29. Etenim per benedictionem aquae, in qua dispensatio mysterii paschalis et electio aquae ad illud sacramentaliter operandum recoluntur et SS.ma Trinitas iam primum invocatur, creatura aquae significationem religiosam accipit et coeptum Dei mysterium coram omnibus illustratur.

30. Ritibus abrenuntiationis et professionis fidei, idem paschale mysterium, super aquam commemoratum, deinde breviter a celebrante in verbis Baptismi profitendum, actuosa

[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 64 [LE 3141]. [13] *Ibid.*, n. 109. [14] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 14. [15] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 110 [LE 3141].

baptizandorum fide profertur. Adulti enim non salvantur, nisi, sponte sua accedentes, donum Dei credendo velint accipere. Fides, cuius sacramentum recipiunt, non solius Ecclesiae, sed eorum etiam propria est, et exspectatur eam fore apud eos actuosam. Dum baptizantur, nedum passive tantum suscipiant sacramentum, sua voluntate cum Christo foedus ineunt, erroribus abrenuntiando, Deo autem vero adhaerendo.

31. Continuo, postquam viva fide paschale Christi mysterium confessi sunt, accedentes, mysterium illud ablutione aquae expressum accipiunt, et, postquam Ssñam Trinitatem professi sunt, ipsa Trinitas, a celebrante invocata, operatur, electos suos inter filios adoptionis annumerando et plebi suae aggregando.

32. Propterea ablutio aquae, cum mysticam participationem mortis et resurrectionis Christi significet, per quam credentes in nomine eius peccatis moriuntur et in vitam resurgunt aeternam, plenum suum momentum in celebratione Baptismi obtineat: seligatur proinde ritus vel immersionis vel infusionis, singulis casibus aptior, ut, pro variis traditionibus et rerum adiunctis, melius intellegatur eam ablutionem non esse mere purificationis ritum, sed sacramentum coniunctionis cum Christo.

33. Chrismatis unctio post Baptismum significat sacerdotium regale baptizatorum eorumque ascriptionem in populi Dei consortium. Vestis autem candida est symbolum novae ipsorum dignitatis, Cereus vero accensus illustrat eorum vocationem ambulandi ut filios lucis addecet.

b) *De celebratione Confirmationis adultorum.*

34. Secundum perantiquum usum in ipsa Liturgia Romana servatum, adultus ne baptizetur quin statim post Baptismum, dummodo ne obstent graviores rationes, accipiat Confirmationem (cf. n. 44). Hac conexione significantur unitas mysterii paschalis, necessitudo inter missionem Filii et effusionem Spiritus Sancti coniunctioque sacramentorum, quibus utraque persona divina cum Patre baptizatis advenit.

35. Propterea post ritus complementares Baptismi, omissa unctione post Baptismum (n. 224), confertur Confirmatio.

c) *De prima participatione eucharistica neophytorum.*

36. Denique habetur celebratio Eucharistiae, cuius neophyti hac die prima vice plenoque iure partem habent et in qua consummationem suae initiationis inveniunt. In ipsa enim iidem neophyti, ad dignitatem sacerdotii regalis provecti, partem actuosam habent et orationis fidelium et, quantum fieri poterit, ritus deferendi oblata ad altare; cum tota communitate participes fiunt actionis sacrificii et Orationem dominicam reddunt, qua spiritum adoptionis filiorum, Baptismate acceptum, patefaciunt. Denique, communicantes Corpori tradito et Sanguini effuso, accepta munera confirmant et aeterna praelibant.

E) DE TEMPORE «MYSTAGOGIAE»

37. Perfecto hoc ultimo gradu, communitas una cum neophytis tum meditatione Evangelii, tum participatione Eucharistiae, tum exercitio caritatis progreditur in mysterio paschali altius percipiendo et in vitae usum magis magisque traducendo. Hoc est ultimum tempus initiationis, id est tempus «mystagogiae» neophytorum.

38. Plenior revera et fructuosior «mysteriorum» intellegentia acquiritur novitate enarrationis et maxime sacramentorum acceptorum experientia. Neophyti enim mente renovati sunt, intimius gustaverunt bonum Dei verbum, Spiritui Sancto communicaverunt et exploraverunt quam suavis sit Dominus. Ex hac experientia, homini christiano propria et exercitio vitae aucta, hauriunt novum fidei, Ecclesiae et mundi sensum.

39. Nova sacramentorum frequentatio, sicut illuminat sacrarum Scripturarum intellectum, pariter adeo auget scientiam hominum et redundat in experientiam communitatis, ut neophytis facilius et utilius reddatur commercium ceterorum fidelium. Propterea tempus mystagogiae maximum momentum habet ut neophyti, a patrinis adiuti, intimiores relationes cum fidelibus ineant iisque renovatam visionem rerum novamque impulsionem afferant.

40. Cum indoles et vis propriae huius temporis procedant ex hac personali et nova experientia tum sacramentorum tum communitatis, praecipuus locus «mystagogiae» sunt sic dictae «Missae pro neophytis», seu Missae dominicarum paschalium, quia in eis, praeter adunatam communitatem et participationem mysteriorum, neophyti inveniunt, praesertim anno «A» Lectionarii, lectiones peculiariter sibi aptas. Propterea ad illas Missas invitanda est tota communitas loci una cum neophytis illorumque patrinis, earumque textus adhiberi possunt etiam quando initiatio extra tempora celebratur.

II. De ministeriis et officiis

41. Praeter ea, quae inter *Praenotanda generalia* (n. 7) dicta sunt, populus Dei, Ecclesia locali repraesentatus, intellegat semper et ostendat initiationem adultorum rem esse suam et negotium omnium baptizatorum [16]. Paratissimum ergo se praebeat ut, vocationem suam apostolicam adimplens, auxilium praestet iis qui Christum quaerunt. In variis adiunctis vitae cotidianae, sicut in apostolatu, cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit [17]. Exinde candidatos et catechumenos iuvare debet toto curriculo initiationis, in praecatechumenatu, in catechumenatu et in tempore mystagogiae. In specie autem:

[16] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 14 [LE 3364]. [17] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 17 [LE 3232].

1) Tempore evangelizationis et praecatechumenatus mente recolant fideles apostolatum Ecclesiae, omniumque membrorum eius, imprimis dirigi ad nuntium Christi verbis et factis mundo patefaciendum gratiamque eius communicandam [18]. Faciles igitur se praebeant ad spiritum communitatis christianorum aperiendum, ad candidatos admittendos in familias, in colloquia privata, immo in quosdam communitatis coetus.

2) Celebrationibus catechumenatus, pro opportunitate, adesse velint et actuosi se praestent responsionibus, orationi, cantui et acclamationibus.

3) Die electionis, cum agatur de incremento ipsius communitatis, curam habeant testimonium opportune reddendi de catechumenis iustum et prudens.

4) Tempore Quadragesimae, id est tempore purificationis et illuminationis, assidui adsint ritibus scrutiniorum et traditionum, et catechumenis afferant exemplum propriae renovationis in spiritu paenitentiae, fidei et caritatis. In Vigilia paschali cordi habeant renovare promissiones Baptismi.

5) Tempore mystagogiae Missas pro neophytis participent, eosdemque caritate amplectantur auxiliumque eis praestent quo iucundius in communitate baptizatorum se sentiant.

42. Candidatum, qui postulat ut inter catechumenos admittatur, comitatur sponsor, nempe vir aut mulier, qui eum novit, adiuvit et testis est morum, fidei et voluntatis eius. Contingere potest ut hic sponsor officium patrini temporibus purificationis et illuminationis necnon mystagogiae non adimpleturus sit, sed tunc ab altero in hoc munere substituatur.

43. Patrinus autem [19], a catechumeno propter exemplum, dotes et amicitiam delectus, a communitate christiana loci delegatus et a sacerdote approbatus, candidatum comitatur die electionis, in celebratione sacramentorum et tempore mystagogiae. Illius est catechumeno familiariter ostendere usum Evangelii in vita propria et commercio societatis, iuvare in dubiis et anxietatibus, ei testimonium reddere et incremento vitae eius baptismalis invigilare. Iam ante «electionem» delectus, munus suum publice exercet a die «electionis», cum de catechumeno coram communitate testimonium dicit; et officium eius conservat momentum, quando neophytus, sacramentis acceptis, adiuvandus est ut fidelis promissionibus Baptismi permaneat.

44. Episcopi est [20] per se vel per delegatum institutionem pastoralem catechumenorum condere, moderari atque fovere, necnon candidatos ad electionem et ad sacramenta admittere. Optandum est ut, quantum fieri poterit, quadragesimali liturgiae praesidens, ritum electionis et in Vigilia paschali sacramenta initiationis ipse celebret. Denique, pro sua pastorali cura, Episcopus catechistis, qui revera digni sunt et opportune praeparati, tradat deputationem ad exorcismos minores celebrandos [21].

45. Presbyterorum est, praeter consuetum ministerium quod in qualibet celebratione Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae gerunt [22], ut ad pastoralem personalemque catechumenorum curam attendant [23], de iis praesertim solliciti qui haesitantes et afflicti esse videantur, ut, auxiliantibus diaconis et catechistis, catechesi eorum provideant; ut patrinorum electionem approbent eosdemque libenter audiant et adiuvent; ut denique ad perfectum aptatumque usum rituum diligentiam adhibeant in decursu totius Ordinis initiationis (cf. infra n. 67).

46. Presbyter, qui adultum aut puerum aetatis catecheticae baptizat, absente Episcopo, Confirmationem quoque conferat, nisi hoc sacramentum alio tempore conferendum sit (cf. n. 56) [24].

Quando confirmandi numerosiores sunt, Confirmationis minister presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare potest.

Necesse est ut hi presbyteri:

a) aut peculiari munere vel officio in dioecesi fungantur, scilicet sint aut Vicarii Generales, aut Vicarii sive Delegati episcopales, aut Vicarii districtuales seu regionales, vel, qui Ordinarii mandato, iisdem pares ex officio habeantur;

b) aut sint parochi locorum in quibus Confirmatio confertur, vel parochi locorum ad quae confirmandi pertinent, vel presbyteri qui peculiarem operam naverunt in praeparatione catechetica confirmandorum [25].

47. Diaconorum, si adsunt, auxilium praesto sit oportet. Si Conferentia Episcopalis opportunum iudicaverit stabiles diaconos instituere, provideat etiam ut eorum numerus congruus sit, ut gradus, tempora et exercitia catechumenatus haberi possint omnibus locis, ubi necessitatibus pastoralibus requiruntur [26].

48. Catechistae, quorum officium ad progressum catechumenorum et incrementum communitatis momentum habet, teneant in ritibus, quotiescumque fieri poterit, partem actuosam. Dum edocent, attendant ut doctrina sua sit spiritu evangelico referta, symbolis liturgicis et curriculo anni accommodata, catechumenis aptata, et traditionibus loci, quantum fieri potest, locupletata. Immo, ab Episcopo deputati, possunt exorcismos minores (cf. supra n. 44) et benedictiones peragere [27], de quibus in Rituali nn. 113-124.

[18] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem*, n. 6 [LE 3346]. [19] Cf. Praenotanda generalia, n. 8. [20] Cf. *ibid.*, n. 12. [21] Abrogatur in hoc casu can. 1153 C. I. C. [22] Cf. Praenotanda generalia, nn. 13-15. [23] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 6 [LE 3365]. [24] Cf. *Ordo Confirmationis*, Praenotanda, n. 7 b [LE 3996]. [25] Cf. *ibid.*, n. 8.
[26] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26 [LE 3232]; Decr. de activitate missionali Ecclesiae, *Ad gentes*, n. 16 [LE 3364]. [27] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 79 [LE 3132].

http://www.obrascatolicas.com

III. De tempore et loco initiationis

49. Ordine initiationis pastores ita de more utantur, ut sacramenta celebrentur in Vigilia paschali et electio fiat prima dominica Quadragesimae. Ceteri autem ritus, ratione habita huius supradictae dispositionis (nn. 6-8, 14-40), distribuantur. Attamen, propter graviores necessitates pastorales, curriculum totius Ordinis aliter disponere licet, ut pressius infra dicetur (nn. 58-62).

A) TEMPUS LEGITIMUM SEU CONSUETUM

50. Quod attinet ad tempus celebrandi ritum ad faciendos catechumenos, haec notanda sunt:

1) Ne sit praematurum: exspectetur donec candidatis, pro dispositionibus et condicione, necessarium temporis spatium affuerit ad fidem initialem concipiendam et ad ostendenda prima conversionis indicia (cf. supra n. 20).

2) Ubi numerus candidatorum maior esse solet, exspectetur donec coetus efformetur sufficiens pro catechesi et liturgicis ritibus.

3) Statuantur in anno duae vel, pro necessitate, tres dies seu tempora opportuniora, in quibus de more ritus perficiatur.

51. Ritus «electionis» seu «nominis inscriptionis» de more celebretur prima dominica in Quadragesima. Pro opportunitate, paulo anticipari potest vel etiam celebrari infra hebdomadam.

52. «Scrutinia» locum habeant dominica III, IV et V in Quadragesima, pro necessitate aliis dominicis eiusdem Quadragesimae immo etiam in feriis hebdomadae magis congruis. Tria celebrentur «scrutinia»; attamen propter impedimenta gravia Episcopus potest ab uno vel etiam in extraordinariis adiunctis a duobus dispensare. Deficiente autem tempore, anticipata electione, anticipetur etiam primum scrutinium; attendatur tamen in hoc casu ne «tempus purificationis et illuminationis» protrahatur ultra octo hebdomadas.

53. Ab antiquitate «traditiones», cum post scrutinia fiant, pertinent ad idem tempus purificationis et illuminationis; celebrentur autem intra hebdomadam. Symbolum traditur in hebdomada post primum scrutinium; Oratio autem dominica, post tertium. Attamen, pro opportunitate pastorali, quo ditior fiat liturgia temporis catechumenatus, traditiones transferri possunt et celebrari intra catechumenatum ad modum «ritus transitionis» (cf. nn. 125-126).

54. Sabbato sancto, cum electi, a labore vacantes (cf. supra n. 26), meditationi se dedunt, peragi possunt varii ritus immediate praeparatorii: redditio Symboli, ritus «Ephphetha», electio nominis christiani, immo unctio cum oleo catechumenorum (cf. nn. 193-207).

55. In ipsa Vigilia paschali sacramenta initiationis adultorum celebrentur (cf. nn. 8 et 49). Si autem catechumeni permulti sunt, maior pars eorum hac ipsa nocte sacramentis donatur, ceteri autem ad dies infra octavam Paschae remitti possunt et sacramentis renovari vel in ecclesiis primariis vel etiam in stationibus secundariis. Quo in casu usurpetur vel Missa diei propria vel Missa ritualis pro initiatione christianorum, adhibitis etiam lectionibus Vigiliae paschalis.

56. Quibusdam in casibus collatio Confirmationis remitti potest circa finem temporis mystagogiae, v. g. in dominicam Pentecostes (cf. n. 237).

57. Omnibus et singulis dominicis post primam Paschae habeantur sic dictae «Missae pro neophytis», ad quas et communitas et noviter baptizati cum patrinis instanter invitantur (cf. supra n. 40).

B) EXTRA TEMPORA

58. Etsi Ordo inititationis ita de more disponendus est ut sacramenta in Vigilia paschali celebrentur, tamen, propter adiuncta insolita et necessitates pastorales, permittitur ut ritus electionis necnon temporis purificationis et illuminationis celebrentur extra Quadragesimam et sacramenta ipsa extra Vigiliam vel diem Paschae. In adiunctis etiam ordinariis, solummodo tamen propter graves necessitates pastorales, v. g. ubi permulti sunt baptizandi, seligere licet, praeter curriculum initiationis in Quadragesima de more peractum, aliud tempus, praeprimis tempus paschale, ad sacramenta initiationis celebranda. Quibus in casibus, mutatis momentis insertionis in anno liturgico, ipsa totius Ordinis structura, cum opportunis intervallis, eadem maneat. Accommodationes autem fiant prout sequitur.

59. Sacramenta ipsa initiationis, quantum fieri poterit, celebrentur die dominica, adhibita, pro opportunitate, aut Missa dominicae aut Missa rituali propria (cf. supra n. 55).

60. Ritus ad catechumenos faciendos locum habeat tempore congruo, uti dictum est n. 50.

61. «Electio» celebretur fere sex hebdomadis ante sacramenta initiationis, ita ut sufficiens adsit tempus pro scrutiniis et traditionibus. Caveatur ne celebratio electionis cadat in sollemnitatem anni liturgici. Pro ritu usurpentur lectiones in Rituali assignatae. Formularium autem Missae erit vel diei vel Missae ritualis.

62. «Scrutinia» non in sollemnitatibus, sed diebus dominicis vel etiam infra hebdomadam, servatis consuetis intervallis, celebrentur, lectiones usurpando in Rituali assignatas. Formularium Missae erit vel diei vel Missae ritualis, ut infra n. 374 bis.

C) DE LOCIS INITIATIONIS

63. Ritus [...] in locis congruentibus, prout significatur in Rituali. Ratio habeatur necessitatum peculiarium, quae oriuntur in stationibus secundariis regionum missionum.

IV. De aptationibus, quas Conferentiae Episcopales, hoc Rituali Romano utentes, facere possunt

64. Praeter aptationes in Praenotandis generalibus (nn.30-33) praevisas, Ordo initiationis adultorum alias accommodationes a Conferentiis Episcopalibus definiendas admittit.

65. Ad placitum illarum Conferentiarum haecstatui possunt:

1) Ante catechumenatum, ubi opportunum esse videtur, instituere modum quendam recipiendi fautores («sympathizantes») (cf. supra n. 12).

2) Sicubi cultus gentilitii passim floreant, inserere in Ordinem ad catechumenos faciendos, nn. 79 et 80, primum exorcismum primamque abrenuntiationem.

3) Statuere ut gestus frontem signandi fiat ante frontem, sicubi tactus decere non videatur (n. 83).

4) Ubi, iuxta praxim religionum non christianarum, initiatis nomen novum statim datur, statuere ut candidatis novum nomen imponatur in Ordine ad catechumenos faciendos (n. 88).

5) Secundum consuetudines locorum, admittere in eodem Ordine, n. 89, ritus auxiliarios ad significandam receptionem in communitatem.

6) Tempore autem catechumenatus, praeter ritus consuetos (nn. 106-124), instaurare «ritus transitionis», uti «traditiones» anticipandas (nn. 125-126), ritum «Ephphetha», redditionem Symboli vel etiam unctionem cum oleo catechumenorum (nn. 127-129).

7) Decernere omissionem unctionis catechumenorum (n. 218) vel eius translationem inter ritus immediate praeparatorios (nn. 206-207) vel eius usum intra tempus catechumenatus ad modum «ritus transitionis» (nn. 127-132).

8) Formulas abrenuntiationis pressiores et ditiores reddere (cf. nn. 217 et 80).

V. De iis quae ad Episcopum spectant

66. Episcopo autem, pro sua dioecesi, competit: 1) Institutionem catechumenatus condere et pro necessitatibus normas opportunas decernere (cf. n. 44). 2) Prout adiuncta ferunt statuere an et quando Ordo initiationis celebrari possit extra tempora (cf. n. 58). 3) Dispensare propter impedimenta gravia ab uno scrutinio vel etiam, in extraordinariis adiunctis, a duobus (cf. n. 240). 4) Permittere ut ex parte vel ex toto adhibeatur Ritus simplicior (cf. n. 240). 5) Catechistis, qui revera digni sunt et opportune praeparati, deputationem tradere ad exorcismos et benedictiones peragenda (cf. nn. 44 et 47). 6) Ritui «electionis» praesidere et ratam habere per se vel per delegatum admissionem electorum (cf. n. 44).

VI. De accommodationibus quae ministro competunt

67. Celebrantis est plene et intellegenter uti libertate quae ipsi sive in Praenotandis generalibus, n. 34, sive in rubricis Ordinis deinceps tribuitur. Multis in locis de consulto modus agendi et precandi non determinatus est vel duae solutiones oblatae sunt, ut celebrans ritum secundum prudens iudicium suum pastorale condicioni candidatorum et astantium possit accommodare. Maxima libertas relicta est in monitionibus et in supplicationibus, quae pro adiunctis semper abbreviari vel mutari possunt vel etiam ditari intentionibus, ut respondeant speciali condicioni sive candidatorum; (v. g. luctui vel gaudio quod alicui ex iis in familia occurrerit) sive astantium (v. g. luctui vel gaudio communi paroeciae aut civitatis).

Ipsius etiam celebrantis erit textus accommodare, mutatis genere ac numero, pro cuiusvis circumstantiae opportunitate.

Caput I — Ordo catechumenatus per gradus dispositus

Primus gradus
RITUS AD CATECHUMENOS FACIENDOS

68. Ordo, quo ii, qui christiani fieri intendunt, inter catechumenos annumerantur, celebratur cum, accepta prima Dei viventis annuntiatione, initialem iam fidem in Christum Salvatorem habent. Exinde praesupponitur absoluta prima «evangelizatio», initium conversionis et fidei ac sensus Ecclesiae praeviumque cum sacerdote vel aliquibus membris communitatis commercium necnon praeparatio ad hunc ordinem liturgicum.

69. Antequam candidati inter catechumenos admittantur, quod diebus determinatis inter annum iuxta locales condiciones fiet, tempus pro diversis casibus opportunum et necessarium exspectetur ad motiva conversionis investiganda et, si necesse est, purificanda.

70. Optatur ut vel integra christiana communitas vel aliqua eius pars, ex amicis et familiaribus catechistisque ac sacerdotibus constans, actuosam partem celebrationi habeant.

71. Adsint praeterea «sponsores», qui candidatos, ab ipsis adductos, nunc Ecclesiae praesentent.

72. Ritum, qui receptione candidatorum, liturgia verbi et dimissione eorum perficitur, Eucharistia etiam sequi potest.

73-97 [Sequitur *Ritus introductionis*].

DE TEMPORE CATECHUMENATUS EIUSQUE RITIBUS

98. Catechumenatus, seu pastoralis catechumenorum disciplina, ita protrahatur ut eorum conversio et fides mature-

scere queant, et si necesse est, etiam per plures annos. Etenim totius vitae christianae institutione et tirocinio debite producto catechumeni apte initiantur mysteriis salutis et exercitio morum evangelicorum sacrisque ritibus, subsequentibus temporibus celebrandis, et introducuntur in vitam fidei, liturgiae et caritatis populi Dei.

In casibus peculiaribus, attenta praeparatione spirituali candidati, de iudicio Ordinarii loci, tempus catechumenatus brevius esse potest, immo, in adiunctis omnino singularibus, uno tractu persolvi valet (cf. n. 240).

99. Intructiones intra illud tempus catechumenis tradantur, quibus, dum doctrina catholica ipsis omni ex parte exhibetur, fides illuminetur, cor in Deum dirigatur, participatio mysterii liturgici foveatur, actio apostolica excitetur vitaque tota secundum spiritum Christi nutriatur.

100. Celebrationes verbi Dei habeantur, tempori liturgico accommodatae, quae tum catechumenorum instructionibus, tum necessitatibus communitatis inserviant (cf. infra, nn. 106-108).

101. Exorcismi primi, seu minores, modo deprecatorio ac positivo instructi, ante oculos catechumenorum veram exhibeant condicionem vitae spiritualis, pugnam inter carnem et spiritum, momentum abrenuntiationis ad beatitudines regni Dei consequendas atque continuam divini auxilii necessitatem (cf. infra nn. 109-118).

102. Benedictiones etiam, quibus Dei caritas et Ecclesiae sollicitudo significantur, catechumenis offerantur, ut, dum ipsi gratia sacramentorum adhuc carent, animum tamen gaudiumque et pacem in labore et itinere persequendo ab Ecclesia accipiant (cf. infra nn. 119-124).

103. Per eosdem annos, dum catechumeni progredientes a primo coetu catechetico ad alios ascendunt, transitus occurrentes ritibus aliquoties significari possunt. Pro opportunitate ergo anticipare licet traditionem Symboli, immo Orationis dominicae, et ritum «Ephphetha», pro quibus tempus nonnumquam deerit in ultima competentium praeparatione (nn. 125-126). Provideri etiam possunt, pro locorum utilitate et voto, celebrationes ritus unctionis ope Olei catechumenorum (cf. infra nn. 127-132).

104. Catechumeni hoc tempore cogitent de illis patrinis inveniendis, a quibus Ecclesiae die electionis praesentabuntur (cf. *Praenolanda generalia de initiatione christiana*, nn. 8-10, et supra n. 43) [LE 3749].

105. Interdum in anno curetur, ut ad aliquas celebrationes catechumenatus, necnon ad ritus transitionis (cf. nn. 125-132), congregetur universa communitas, quae initiationis catechumenorum partem habet, nempe presbyteri, diaconi, catechistae, sponsores et patrini, amici ac familiares.

106-132 [Sequuntur *ritus liturgici*].

Segundus gradus:
RITUS ELECTIONIS SEU INSCRIPTIONIS NOMINIS

133. Ineunte Quadragesima, quae est proxima initiationis sacramentalis praeparatio, celebratur «electio» seu «nominis inscriptio», in qua Ecclesia, audito patrinorum et catechistarum testimonio, catechumenis voluntatem suam confirmantibus, de statu praeparationis ipsorum iudicat et statuit an possint ad sacramenta paschalia accedere.

134. Celebratione «electionis» concluditur catechumenatus ipse, ideoque longa mentis cordisque disciplina. Propterea, ut quis inter «electos» ascribi possit, requiritur ab eo fides illuminata deliberataque voluntas recipiendi sacramenta Ecclesiae. Electione autem facta, incitabitur ad Christum maiore cum liberalitate sequendum.

135. Ad Ecclesiam autem quod attinet, electio est veluti centrum attentae erga eosdem catechumenos sollicitudinis. Episcopus, presbyteri, diaconi, catechistae, patrini et tota loci communitas, suo quisque ordine et modo, de institutione et profectu catechumenorum, re diligentissime perpensa, sententiam ferant. Denique electos oratione amplectantur, ut tota Ecclesia eos secum obviam Christo conducat.

136. Tunc publice patrini, a catechumenis antea de consensu sacerdotis electi et, quantum fieri potest, a communitate locali accepti, ministerium suum primum exercent: iam nominantur in principio ritus et accedunt cum catechumenis (n. 143), pro his coram communitate testimonium dicunt (n. 144), et, pro opportunitate, cum eis nomen inscribunt (n. 146).

137. Ut autem rerum veritati satisfiat, oportet ut, ante ritum liturgicum, de idoneitate candidatorum habeatur deliberatio ab iis quorum interest, ab iis videlicet in primis qui institutioni catechumenatus praesunt, presbyteri, diaconi et catechistae, necnon a patrinis delegatisque communitatis loci; immo, si casus ferat, cum participatione coetus catechumenorum. Quae deliberatio, secundum condiciones regionis et postulata pastoralia, poterit varias formas exhibere. Ipsa autem acceptio postea intra ritum liturgicum a celebrante nota fiet.

138. Celebrantis munus est, scilicet Episcopi vel eius vice fungentis, quamvis remota vel proxima fuerit pars eius in deliberatione praevia, sive in homilia sive cursu ritus manifestare quae sit religiosa et ecclesiastica indoles «electionis». Ad illum ergo pertinet tum sententiam Ecclesiae proferre coram astantibus eorumque iudicium, pro opportunitate, audire, tum a catechumenis personalem voluntatis manifestationem exquirere, tum, nomine Christi et Ecclesiae agendo, admissionem «electorum» peragere. Praeterea omnibus aperiat divinum mysterium, quod in vocatione Ecclesiae et in eius celebratione liturgica continetur; fidelesque admoneat ut una cum electis, quibus exemplum praebeant, ad sollemnia paschalia se praeparent.

139. Cum sacramenta initiationis in sollemnitatibus paschalibus celebrentur eorumque praeparatio ad indolem Quadragesimae propriam pertineat, ritus electionis fiat ex more dominica prima in Quadragesima, et tempus ultimae competentium praeparationis conveniat cum tempore quadragesimali, cuius curriculum, sive propter structuram eius liturgicam sive propter participationem communitatis, electis proderit. Attamen, urgentibus causis pastoralibus (praesertim in stationibus secundariis missionum), ritum celebrare licet praecedente vel sequente hebdomada.

140-151 [Sequitur *ritus liturgicus*].

DE TEMPORE PURIFICATIONIS ET ILLUMINATIONIS EIUSQUE RITIBUS

152. Hoc tempore, quod ex more in Quadragesimam incidit et ab «electione» incipit, catechumeni una cum communitate loci recollectioni spirituali se dedunt, ut ad festa paschalia et ad sacramentorum initiationem se praeparent. Ad hunc finem eis offeruntur scrutinia, traditiones et ritus immediate praeparatorii.

Scrutinia et traditiones

153. In Quadragesima, quae sacramenta initiationis praecedit, fiunt scrutinia et traditiones. Quibus ritibus praeparati, spiritualis et catechetica electorum, seu «competentium»o completur et per totum tempus Quadragesimae protrahitur.

Scrutinia

154. Spiritualis praecipue est finis scrutiniorum, quae ope exorcismorum perficiuntur. Scrutiniis enim propositum est purificare mentes et corda, contra tentationes munire, intentiones convertere et voluntates excitare, ut arctius Christo adhaereant et suum catechumeni Dei diligendi studium fortius prosequantur.

155. A competentibus postulatur voluntas perveniendi ad sensum intimum Christi et Ecclesiae, et maxime profectus in sincera sui cognitione, seria animi discussione et vera paenitentia, exspectatur.

156. In ritu exorcismi, a sacerdotibus vel diaconis celebrato, electi, de mysterio Christi a peccato liberantis eruditi a Matre Ecclesia, solvuntur a sequelis peccati et a diabolico influxu, roborantur in itinere suo spirituali, et corda aperiunt ad dona Salvatoris recipienda.

157. Ad excitandum desiderium purificationis et redemptionis Christi, tria fiunt scrutinia, sive ut catechumeni paulatim doceantur de illo mysterio peccati, a quo mundus universus et quivis homo redimi exoptat, ut a sequelis eius praesentibus ac futuris liberentur; sive ut animi imbuantur sensu Christi Redemptoris, qui est aqua viva (cf. Evangelium de muliere samaritana), lux (cf. Evangelium de caeco nato), resurrectio et vita (cf. Evangelium de Lazaro suscitato). A primo usque ad ultimum scrutinium progressum fieri oportet in cognitione peccati et desiderio salutis.

158. Scrutinia celebrentur a sacerdote vel a diacono, communitati praesidente, ut ex liturgia scrutiniorum etiam fideles utilitatem capiant et in deprecationibus pro electis intercedant.

159. Scrutinia fiant in Missis scrutiniorum, quae habentur dominica III, IV et V in Quadragesima; seligantur lectiones seriei «A» cum suis cantibus, prout in Ordine lectionum Missae assignantur (nn. 745, 746, 747). Quae, si his dominicis propter rationes pastorales fieri nequeant, eligantur aliae dies dominicae in Quadragesima, vel etiam feriae magis convenientes. Semper tamen prima Missa scrutiniorum sit Missa de muliere Samaritana, secunda de caeco nato, tertia de Lazaro.

160-207 [Sequitur *Ritus liturgicus*].

Tertius gradus:
CELEBRATIO INITIATIONIS SACRAMENTORUM

208. Cum ex more initiatio adultorum in sancta nocte Vigiliae paschalis celebretur, sacramenta ipsa conferuntur post benedictionem aquae, ut in Ordine Vigiliae paschalis indicatur, n. 44.

209. Si autem extra tempora consueta peragitur (cf. *Praenolanda* nn. 58-59), curetur ut celebratio indole paschali refulgeat (cf. *Praelonanda generalia de initiatione christiana*, n. 6), [LE 3749], adhibita Missa rituali, quae in Missali proponitur, p. 732 (cf. etiam infra, n. 388).

Celebratio Baptismi

210. Etiam quando sacramenta initiationis celebrantur extra sollemnitatem paschalem, habeatur ritus benedictionis aquae (cf. *Praenolanda generalia de initiatione christiana*, n. 21), in quo per commemorationem magnalium Dei recolitur inde ab initio mundi et creatione generis humani mysterium caritatis Dei; ac deinde, per invocationem Spiritus Sancti et annuntiationem mortis et resurrectionis Christi, inculcatur novitas lavacri regenerationis Domini, quo mortem et resurrectionem eius participamus et divinam sanctitatem accipimus.

211. Abrenuntiatio Satanae et professio fidei unus ritus sunt, qui in adultorum Baptismo plenam vim consequitur. Cum enim Baptismus sit sacramentum fidei, qua catechumeni Deo adhaerent et insimul ab eo regenerantur, apte lavacro praemittitur singulorum actus, quo, sicut in primo patriarcharum foedere praefigurabatur, ita nunc peccato et Satanae prorsus abrenuntiant, ut in perpetuum promissioni Salvatoris et mysterio Trinitatis inhaereant. Hac professione, quam coram celebrante et communitate peragunt, significant voluntatem, tempore catechumenatus [illegible] cum

Christo foedus ineundi. In hac fide, quam, ab Ecclesia divinitus traditam, amplexi sunt baptizantur adulti.

212. Olei catechumenorum unctio, quae inter abrenuntiationem et professionem fidei occurrit, potest, pro necessitate pastorali et opportunitate liturgica, anticipari (cf. nn. 206-207). Quo in casu attendatur per eam significari necessitatem divini roboris, ut baptizandus, non obstantibus vitae praeteritae vinculis et superata diaboli adversitate, gressum professionis fidei strenue peragat eamque totius vitae decursu indefectibiliter teneat.

213-234 [Sequitur *ritus liturgicus*].

DE TEMPORE MYSTAGOGIAE

235. Ut primi gressus neophytorum firmiores sint, optatur ut in omnibus adiunctis a communitate fidelium, a patrinis suis et a pastoribus attente et familiariter adiuventur. Omnino curetur, ut plenam et iucundam insertionem in communitatem assequantur.

236. Per totum tempus paschale, in Missis dominicalibus, loca particularia neophytis propria inter fideles serventur. Omnes neophyti studeant Missas cum patrinis suis participare. In homilia et, pro opportunitate, etiam in oratione universali de illis ratio habeatur.

237. Ad claudendum tempus mystagogiae, in fine temporis paschalis, circa dominicam Pentecostes, habeatur aliqua celebratio, additis etiam externis festivitatibus iuxta consuetudines regionis.

238. In anniversario Baptismi optandum est ut neophyti iterum congregentur ad gratias Deo agendas, spiritualem experientiam inter se conferendam et novas sumendas vires.

239. Ad ineundum cum novis Ecclesiae suae membris pastorale commercium, curam habeat Episcopus, praesertim si ipse sacramentis initiationis praesidere nequierit, ut semel saltem in anno, quantum fieri potest, neophytos nuper baptizatos conveniat celebrationique Eucharisticae praesideat, in qua ipsis sub utraque specie communicare licet.

Caput II—Ordo simplicior initiationis adulti

240. In adiunctis extraordinariis, quando candidatus omnes gradus initiationis percurrere nequiverit, vel quando Ordinarius loci, de sinceritate conversionis christianae candidati de eiusque religiosa maturitate iudicans, decernit ut sine mora baptismum recipiat, ipse permittere potest pro singulis casibus ut usurpetur ritus hic simplicior, in quo vel omnia uno tractu absolvuntur (nn. 245-273), vel datur etiam facultas habendi, praeter celebrationem sacramentorum, unum vel alterum ritum sive catechumenatus sive temporis purificationis et illuminationis (nn. 274-277).

241. Antequam baptizetur candidatus, qui patrinum (vel matrinam) sibi elegerit (cf. *Praenotanda*, n. 43) communitatemque loci frequentaverit (cf. ib., nn. 12 et 19 § 2), oportet ut tempore congruo instructus et praeparatus sit, quo melius rationes propter quas Baptismum petierit purificentur et conversio fidesque eius maturescere queant.

242. Praeter praesentationem et receptionem candidati, ritus significat eius manifestam firmamque voluntatem petendi initiationem christianam necnon assensum Ecclesiae; deinde, post aptam liturgiam verbi, celebratio omnium sacramentorum initiationis peragitur.

243. Ritus ex more celebratur intra Missam, cuius lectiones apte seligantur, formularium autem sumatur e Missa initiationis vel ex alia; post Baptismum et Confirmationem, neophytus celebrationis eucharisticae primum partem habet.

244. Celebratio fiat, quantum fieri potest, die dominica (cf. *Praenotanda*, n. 59), cum actuosa participatione communitatis loci.

245-273 [Sequitur *ritus liturgicus*].

274. In adiunctis extraordinariis, uti sunt morbus, senium, mutatio commorationis, longa itinera, etc., quando: *a)* candidatus non potuit totum catechumenatum vel ritu apto, incipere vel inceptum persolvere cum omnibus ritibus; *b)* et aliunde de bono ipsius spirituali detrimento esset si, adhibito ritu priore, privaretur beneficiis longioris praeparationis, tunc magni refert ut, cum permissione Episcopi, ritus prior augeatur uno vel pluribus elementis Ordinis completi.

275. Hic ritus auctus praebet facultatem faciendi sive ut novus aliquis candidatus alios provectiores consequatur, additis opportune ritibus initialibus Ordinis completi (v. g.: ingressu in catechumenatum, exorcismis minoribus, benedictionibus, etc.); sive ut perficiat solus quod, inceptum cum aliis, non fuerit absolutum (v. g.: electio, ritus purificationis et illuminationis, sacramenta ipsa).

276. Accommodationes, prudentia pastorum faciendae, provideri possunt, collatione habita inter ritum priorem et ritum auctum, modo sequenti:

1) simpliciter addendo: v. g. ritus temporis catechumenatus (nn. 106-132), traditiones (nn. 183-192);

2) dividendo et ampliando vel ritum receptionis (nn. 245-251) vel liturgiam verbi (nn. 252-256). In ritu receptionis, nn. 245-247 augeri possunt ad instar Ritus ad faciendum catechumenum (nn. 73-97); ablatis autem pro opportunitate nn. 246-247, nn. posteriores 248-249 possunt dare locum ritui electionis. In liturgia verbi, nn. 253-255 aptari possunt ad unum vel alterum scrutinium (nn. 160-179), etc.;

3) adhibendo partem huius ritus simplicioris loco aliquorum rituum Ordinis communis seu completi; quando recipiuntur fautores (qui vulgo dicuntur «sympathizantes»)

(cf. *Praenotanda*, n. 12 § 3), coniungendo ritum ad catechumenos faciendos (nn. 73-97) et electionem (nn. 143-151).

277. In usu huius ritus aucti curetur: 1) ut catechesis candidati sit integra; 2) ut ritus celebretur cum actuosa participatione alicuius congregationis; 3) ut, sacramentis acceptis, neophyto tribuatur, quantum fieri potest, tempus mystagogiae.

Caput III—Ordo brevior initiationis adulti in proximo periculo vel in articulo mortis adhibendus

278. Qui proximo periculo mortis versatur, sive catechumenus sive non catechumenus baptizari potest ritu breviore infrascripto (nn. 283-294), dummodo, nondum in ipso mortis articulo degens, interrogationes audire iisque respondere valeat.

279. Si est catechumenus iam receptus, promittere debet se, post recuperatas vires, catechesim consuetam absoluturum esse. Si non est catechumenus, oportet ut seria signa ostendat conversionis ad Christum et abrenuntiationis gentilitiis cultibus, neque vitae moralis obicibus alligari videatur (v. g. polygamia «simultanea», etc.); praeterea promittat se, post restitutam sanitatem, totum curriculum initiationis sibi congruentis secuturum.

280. Hic ritus catechistis et laicis praesertim aptatur. Attamen etiam presbyter et diaconus, in casu urgentioris necessitatis, hoc ritu uti poterunt. De more tamen presbyter et diaconus adhibeant ritum qui simplicior appellatur (n. 240-273), inductis necessariis, pro loco et tempore, accommodationibus.

Presbyter autem qui baptizat, et sacrum Chrisma habeat tempusque supersit, ne praetermittat, post Baptismum, conferre Confirmationem, omissa hoc in casu chrismatione post Baptismum (n. 263).

Item, si fieri potest, tum presbyter tum diaconus, et, pro opportunitate, etiam catechista vel laicus, qui facultatem habeat sacram communionem distribuendi, Eucharistiam neophyto ministrent. Quo in casu, sacramentum ante ritus celebrationem deferri potest et, tempore ipsius celebrationis, super mensa, alba tobalea cooperta, honorifice collocatur.

281. In articulo autem mortis seu, morte imminente, quando tempus urget, minister, omissis ceteris, aquam, etsi non benedictam, sed naturalem, in caput infirmi infundit, formulam consuetam dicens (cf. *Praenolanda generalia de initiatione christiana*, n. 23) [LE 3749].

282. Pro iis, qui sive in proximo periculo sive in articulo mortis baptizati sunt, provideatur, si redeant ad sanitatem, ut catechesi apta instituantur, et, in ecclesiam tempore opportuno recepti, ceteris sacramentis initiationis donentur. Quo in casu serventur, cum debitis accommodationibus, principia, quae nn. 295-305 statuuntur.

283-294 [Sequitur *ritus liturgicus*].

Caput IV—De praeparandis ad Confirmationem et Eucharistiam adultis qui, infantes baptizati, catechesim non receperunt

295. Suasiones pastorales, quae sequuntur, eos adultos respiciunt, qui ut infantes baptizati, catechesim postea non receperunt neque proinde ad Confirmationem et Eucharistiam sunt admissi. Possunt tamen casibus similibus aptari, praesertim pro adulto qui in periculo vel in articulo mortis baptizatus est.

Etsi huiusmodi adulti nuntium mysterii Christi nondum audierunt, eorum tamen condicio a catechumenorum condicione eo differt quod iam sunt in Ecclesiam introducti et filii Dei per Baptismum effecti. Eorum proinde conversio fundatur in Baptismo iam accepto, cuius vim exinde explicare debent.

296. Eadem ratione ac pro catechumenis, praeparatio horum adultorum tempus protractum requirit (cf. *Praenotanda*, n. 21), quo fides in Baptismo ipsis infusa crescere, ad maturitatem pervenire et plene imprimi debet per pastoralem institutionem quae ipsis traditur; eorundemque vita christiana confirmetur oportet per opportunam disciplinam quae ipsis proponitur, per iis aptam catechesim, commercium cum fidelium communitate et quorundam liturgicorum rituum participationem.

297. Catecheseos ordo plerumque respondet ordini pro catechumenis proposito (cf. *Praenotanda*, n. 19 § 1); in ea tamen tradenda, sacerdos, diaconus vel catechista rationem habeat peculiaris condicionis horum adultorum qui Baptismo iam sunt donati.

298. Sicut catechumenis, ita et his adultis communitas fidelium opem suam afferat fraterna caritate et oratione, testimoniumque reddendo de eorum idoneitate cum ad sacramenta erunt admittendi (cf. *Praenotanda*, nn. 4, 19 § 2, 23).

299. Adulti a sponsore praesentantur communitati. Tempore vero suae formationis unusquisque illorum eligit, sacerdote approbante, patrinum, qui ut delegatus communitatis apud ipsum aget, et qui eadem munera erga ipsum habebit ac patrinus erga catechumenum (cf. *Praenotanda*, n. 43). Patrinus autem, hoc tempore electus, poterit esse etiam patrinus Baptismi, dummodo revera capax sit hoc munus implendi.

300. Praeparationis tempus actionibus liturgicis sanctificatur, quarum prima est ritus quo adulti in communitatem recipiuntur, et se, utpote iam Baptismo signatos, partem eius se habere agnoscunt.

301. Exinde celebrationes liturgiae verbi participabunt, tum eas ad quas fidelium coetus congregatur, tum eas quae catechumenis proxime destinantur.

http://www.obrascatolicas.com

302. Ad actionem autem Dei in hoc praeparationis opere significandam, opportune adhiberi poterunt quidam ritus catechumenatus proprii, qui horum adultorum condicioni et utilitati spirituali respondeant, cuiusmodi sunt traditiones Symboli, Orationis dominicae aut etiam Evangeliorum.
303. Catecheseos tempus anno liturgico apte inseratur, praesertim vero ad ultimam partem quod spectat, quae plerumque cum Quadragesima componetur. Huius vero temporis spatio ad actiones sacras paenitentiales ordinandas opportune conferent, quae ad celebrationem sacramenti Paenitentiae conducent.
304. Culmen vero totius formationis erit ex more Vigilia paschalis, in qua adulti fidem baptismalem profitebuntur, sacramentum Confirmationis recipient et Eucharistiam participabunt. Si Confirmatio in ipsa Vigilia paschali dari nequit, quia Episcopus vel minister extraordinarius Confirmationis abest, quam primum conferatur, et quidem, quantum fieri potest, tempore paschali.
305. Denique christianam formationem suam complebunt adulti suamque in communitatem perficient insertionem, tempus mystagogiae una cum neophytis viventes.

Caput V – **Ordo initiationis puerorum, qui aetatem catecheticam adepti sunt**

306. Ritus hic destinatur pueris, qui, tempore infantiae non baptizati et aetatem discretionis catechesisque adepti, ad initiationem christianam veniunt sive a parentibus vel a tutoribus adducti, sive cum eorundem permissione sponte moti. Iam idonei sunt qui fidem propriam concipiant ac nutriant et ipsi pro conscientiae officio aliquid in se recipiant. Attamen nondum tractari possunt ut adulti, quia, ornati cultura puerili, e parentibus vel e tutoribus pendent et influxu sodalium necnon societatis nimis moventur.
307. Initiatio illorum ante requirit tum conversionem propriam condicione aetatis, paulatim maturatam, tum auxilium educationis huic aetati necessariae. Exinde aptanda est et itineri spirituali candidatorum, nempe incremento eorum in fide, et institutioni catecheticae, quam audiunt. Propterea, ad instar adultorum, initiatio eorum etiam per plures annos, si necesse est, protrahitur antequam accedant ad sacramenta et variis gradibus temporibusque distinguitur atque ritibus est instructa.
308. Cum autem progressus puerorum in institutione accepta pendeat tam ex auxilio et exemplo sodalium quam e parentibus, utrorumque ratio habeatur.
a) Etenim cum pueri initiandi plerumque pertineant ad aliquem coetum sodalium iamdiu baptizatorum, qui ad Confirmationem et Eucharistiam catechetice praeparantur, initiatio progressione impertitur et in hoc ipso coetu catechetico velut in fundamento innititur.
b) Optatur autem ut iidem pueri, quantum fieri poterit, auxilium et exemplum inveniant pariter apud parentes suos, quorum permissio requiritur ad initiationem faciendam necnon ad futuram eorum vitam christianam ducendam. Praeterea tempus initiationis opportune familiae praebebit opportunitatem colloquendi cum sacerdotibus et catechistis.
309. Pro rerum adiunctis, non parvi refert plures pueros, in hac eadem condicione versantes, insimul consociari in celebrationibus huius Ordinis, ut mutuo exemplo in itinere catechumenatus se adiuvent.
310. Quod autem attinet ad tempus celebrationum, optatur ut, quantum fieri potest, ultimum tempus praeparationis cum Quadragesima conveniat et sacramenta ipsa celebrentur in Vigilia paschali (cf. *Praenotanda*, n. 8). Sed, antequam pueri in festis paschalibus admittantur ad sacramenta, attendatur tum an ipsi idonei facti sint, tum an tempus congruat ordini institutionis catecheticae, quam frequentant. Etenim, quantum fieri poterit, curandum est ut candidati ad sacramenta initiationis accedant dum eorum sodales iamdiu baptizati ad Confirmationem vel ad Eucharistiam admittuntur.
311. Celebrationes fiant cum actuosa participatione alicuius congregationis, quae, congruo numero fidelium constans, a parentibus familiaque, necnon a sodalibus coetus catechetici et a nonnullis adultis familiaribus afficiatur. Plerumque enim, quando initiantur pueri huius aetatis, optanda non est praesentia totius communitatis paroecialis: satis est ut haec repraesentetur.
312. Prout est concinnatus, hic Ordo a Conferentiis Episcopalibus opportunas accipere potest accommodationes et additamenta, quo plenius necessitatibus et adiunctis regionis opportunitatibusque pastoralibus respondeat. Inseri potest, pro aetate puerorum aptatus, ritus «traditionum», in usu pro adultis (cf. nn. 103, 125, 181-192). Praeterea, quando Ordo hic vertitur in linguas vernaculas, curandum est ut monitiones et deprecationes et orationes captui puerorum accommodentur. Pro opportunitate, v. g. cum oratio aliqua Ritualis Romani convertitur in linguam loci, approbari etiam potest a Conferentia Episcopali altera oratio, quae eadem argumenta congruentius pueris proponat (cf. *Praenotanda de initiatione christiana*, n. 32) [LE 3749].
313. Ministri, hunc Ordinem adhibentes, libenter et intellegenter utantur facultatibus quae sibi tribuuntur sive in Praenotandis generalibus (nn. 34 et 35), sive in Praenotandis particularibus Ordinis Baptismi parvulorum (n. 31) et Initiationis adultorum (n. 67).

Primus Gradus:
RITUS AD CATECHUMENOS FACIENDOS

314. Ritus hic in primis celebretur coram parva, etsi actuosa, congregatione, ne mens puerorum multitudine turbetur (cf. n. 311). Parentes vel tutores candidatorum, quantum fieri potest, adsint. Si autem venire nequeant, significent consensum pueris datum; et loco eorum adsint «sponsores» (cf. n. 42), nempe fideles idonei qui, pro casu, vicem parentum gerant et praesentent pueros.
315. Celebratio fit in ecclesia vel in loco tam apto ut, pro aetate et captu candidatorum, foveatur experientia intimae receptionis. Prima pars seu ritus introductionis fiat pro adiunctis, ad ingressum ecclesiae vel alius loci; altera pars seu liturgia verbi, in ipsa ecclesia vel in loco ad id electo.
316-329 [Sequitur *ritus liturgicus*].

Secundus gradus:
SCRUTINIA RITUS SEU PAENITENTIALES

330. Ritus hi paenitentiales, qui sunt inter tempora praecipua catechumenatus puerorum, attinent ad genus scrutiniorum, quae occurrunt in Ordine initiationis adultorum (nn. 152-180). Ideo, cum ad finem similem spectent, usurpare et accommodare licet normas, quae pro scrutiniis proponuntur (nn. 25 § 1, 154-159).
331. Cum scrutinia ex more ad ultimum tempus praeparationis ad Baptismum pertineant, ritus paenitentiales in pueris postulant ut fides eorum animique sensus iam accedant ad ea quae requiruntur ad Baptismum.
332. Hi ritus, quos una cum catechumenis patrini (matrinae) eorum et sodales coetus catechetici participant, omnibus astantibus aptantur, ita ut evadant celebrationes paenitentiales ad usum eorum etiam qui non sunt catechumeni. Revera, intra hanc celebrationem, nonnulli pueri iamdiu baptizati, coetui catechetico ascripti, possunt primum ad sacramentum Paenitentiae admitti. Quo in casu curetur ut in celebrationem tempestive inserantur monitiones, intentiones orationis et actiones, quae ad huiusmodi pueros spectant.
333. Ritus paenitentiales celebrantur in Quadragesima, si catechumeni in sollemniis paschalibus initiandi sunt; secus, tempore opportuniore. Unus saltem ritus habeatur. Si vero commode fieri potest, alter addatur. Cuius formulae instruentur ad instar prioris; pro deprecatione autem et oratione exorcismi, adhibentur textus nn. 164, 171, 178 exhibiti, opportune accommodati.
334-342 [Sequitur *ritus liturgicus*].

Tertius gradus:
CELEBRATIO INITIATIONIS SACRAMENTORUM

343. Ad illustrandam Baptismi indolem paschalem, suadetur ut hoc sacramentum in Vigilia paschali celebretur aut die dominica, in qua Ecclesia resurrectionem Domini commemorat (cf. *Praenotanda Ordinis Baptismi parvulorum*, n. 9) [LE 3749], attentis iis quae n. 310 proponuntur.
344. Baptismus celebratur in Miass, in qua neophyti primum Eucharistiae partem habent. Confirmatio una simul confertur vel ab Episcopo vel a presbytero qui Baptismum administrat.
345. Si Baptismus celebratur extra Vigiliam vel diem Paschae, adhibetur vel Missa diei vel Missa ritualis initiationis christianae. Lectiones seliguntur inter eas quae proponuntur n. 388; licet usurpare etiam lectiones dominicae vel festivitatis.
346. Unumquemque puerum catechumenum comitatur patrinus (matrina), ab ipso delectus et a sacerdote approbatus (cf. *Praenotanda* n. 43).
347-391 [Sequitur *ritus liturgicus*].

APPENDIX

Ordo admissionis valide iam baptizatorum in plenam communionem ecclesiae catholicae

Praenotanda

1. Ritus quo quis, in Communitate ecclesiali separata natus et baptizatus, in plenam communionem Ecclesiae catholicae, iuxta ritum latinum, recipitur [1], ita instruitur, ut ad communionem et unitatem instaurandam nihil ultra imponatur oneris, quam quae necessaria sunt [2] (cf. Act. 15, 28).
2. A christianis autem orientalibus ad plenitudinem communionis catholicae venientibus non plus exigitur quam quod simplex fidei catholicae professio exigit, etiamsi, vi recursus ad Sedem Apostolicam, eis permittatur transitus ad ritum latinum [3].
3. *a)* Ritus celebrationis appareat tamquam celebratio Ecclesiae, et culmen suum habeat in communione eucharistica. Inde generatim admissio peragatur intra Missam.
b) Sedulo tamen ea vitentur, quae quovis modo magnificentiae studium sapiant. Accurate definiendus est modus, quo haec Missa, attentis adiunctis, celebrabitur. Ratio habenda est tum boni oecumenici tum vinculi inter candidatum et communitatem paroecialem. Saepe opportunius erit Missam cum paucis tantum propinquis et amicis celebrare. Si autem gravi de causa Missa celebrari nequeat, admissio habeatur intra liturgiam verbi, quoties saltem haec sit possibilis. De forma autem eligenda audiatur et ipse admittendus.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 69b [LE 3141]; Decr. de Oecumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 3 [LE 3235]; Secr. ad unitatem Christianorum fovendam, *Directorium*, n. 19: *A. A. S.* 59 (1967), p. 581 [LE 3558]. [2] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Oecumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 18. [3] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Ecclesiis Orientalibus catholicis, *Orientalium Ecclesiarum*, n. 25 ... [LE ...].

4. Si admissio celebratur extra Missam, eius nexus cum communione eucharistica patefiat ex eo, quod celebratio eucharistica, quam noviter admissus primum inter fratres catholicos plene participat, sequatur quam primum.
5. Pro admissione iam baptizati ad plenam communionem Ecclesiae catholicae requiritur praeparatio candidati tam doctrinalis quam spiritualis secundum necessitates pastorales singulis casibus accommodatas. Discat candidatus magis magisque corde adhaerere Ecclesiae, in qua plenitudinem baptismi sui inveniet.
Tempore huius praeparationis iam aliqua communicatio in sacris, secundum normas in Directorio de re oecumenica statutas, fieri potest.
Vitetur omnino aequatio candidatorum cum catechumenis.
6. Ab eo qui natus et baptizatus est extra communionem Ecclesiae catholicae visibilem, non iam requiritur abiuratio haeresis, sed sola professio fidei [4].
7. Sacramentum Baptismi iterari nequit, ideoque Baptismum sub condicione iterum conferri non permittitur, nisi adsit prudens dubium de facto vel de validitate Baptismi iam collati. Si seria investigatione peracta, ob prudens dubium de facto vel de validitate Baptismi iam collati, necessarium videtur Baptismum sub condicione iterum conferre, minister opportune explicet rationes propter quas Baptismus, hoc in casu, sub condicione confertur et illum in forma privata ministret [5].
Ordinarius loci videat, singulis in casibus, quinam ritus in Baptismo sub condicione conferendo servandi, quinam praetermittendi.
8. Episcopi est candidatum admittere. Presbyter tamen, cui celebrationem peragendam committit, facultatem habet confirmandi candidatum in ipso ritu admissionis [6], nisi admittendus Confirmationem iam valide receperit.
9. Si professio et admissio fiunt intra Missam, admittendus, attenta sua personali condicione, confiteatur peccata sua, postquam confessarium de admissione mox instante certiorem reddiderit. Quam confessionem omnis confessarius rite approbatus recipere potest.
10. Admittendum comitetur, si casus fert, in ipsa admissione, sponsor, nempe vir (vel mulier) qui in adducendo vel praeparando candidato prae aliis maiorem partem habuerit; admitti etiam possunt duo sponsores.
11. In ipsa celebratione eucharistica, in qua fit admissio, vel, si haec fiat extra Missarum sollemnia, in Missa quae eam sequitur, licet non tantum ipsi admisso sacram communionem sub utraque specie recipere, sed etiam sponsoribus, parentibus, coniugi, si hi sunt catholici, catechistis laicis qui admittendum forte instruxerint, immo omnibus praesentibus catholicis, si numerus vel alia rerum adiuncta id suadeant.
12. Ritus admissionis a Conferentiis Episcopalibus, iuxta Constitutionem de sacra Liturgia (n. 63), variis rerum adiunctis accommodari potest. Insuper Ordinarius loci, attentis peculiaribus condicionibus personarum aut locorum, poterit ipsum ritum iis aptare, illum pro opportunitate ampliando vel breviando [7].
13. Nomina admissorum notentur in speciali libro, additis die et loco Baptismi.
14-31 [Sequitur *ritus liturgicus*].

[4] Cf. Secr. ad unitatem Christianorum fovendam, *Directorium*, nn. 19 et 20: *A. A. S.* 59 (1967), p. 581 [LE 4013]. [5] Cf. *ibid.*, nn. 14-15: *A. A. S.* 59 (1967), p. 580.
[6] Cf. *Ordo Confirmationis*, Praenotanda, n. 7 [LE 3996].
[7] Cf. Secr. ad unitatem Christianorum fovendam, *Directorium*, n. 19. *A. A. S.* 59 (1967), p. 581 [LE 3558].

Adn. R. BERAUDY in La maison-Dieu n. 110 (1972) 25-50; J. CELLIER in Doc. Cath. 69 (1972) 217-220 et in Riv. dioc. Roma 13 (1972) 471-477; A. DUVAL in La maison-Dieu n. 110 (1972) 16-24; A. HOUSSIAU in La maison-Dieu n. 110 (1972) 7-15; J.-B. MOLIN in Notit. 8 (1972) 87-95.

4023

1972 IAN 8.-SIGNATURA APOSTOLICA, RESP. PART.*

Civiles effectus tribui nequeunt decreto nullitatis matrimonii lato ab Episcopo cum nuptiae celebratae sunt extra Ecclesiam catholicam

Roma, 8 gennaio 1972.

Eccellenza Reverendissima, E' stato trasmesso a questo Supremo Tribunale, per l'esecuzione civile, il Decreto del 26 novembre 1971 con il quale l'Eccellenza Vostra Reverendissima dichiarava nullo, per difetto di forma, il matrimonio sopra indicato, celebrato in Svezia, secondo un rito non cattolico.

Mi reco a premura significarLe che nel caso non è possibile procedere alla esecuzione civile del Decreto perchè non si tratta di un matrimonio concordatario, cioè di matrimonio contratto «davanti un ministro del culto cattolico secondo le norme del diritto canonico» (Art. 5 della Legge 27 maggio 1929, n. 847) e trascritto poi nei registri dello stato civile.

Occorreva ricordare che casi del genere ordinariamente vanno risolti in via amministrativa nelle investigazioni prematrimoniali; si ricorre alla via giudiziaria soltanto quando dalle ordinarie investigazioni prematrimoniali non risulta sufficientemente chiaro il difetto di forma nel matrimonio impugnato (Cfr. *Resp. Pontificiae Commissionis ad Codicis Canones authentice interpretandos* del 16 ottobre 1919, *A. A. S.*, vol. XI, p. 479 [LE 210]; e la Instr. *Provida Mater* del 15 agosto 1936, art. 231) [LE 1347].

Qualora si accedesse alla richiesta esecuzione civile di tali decreti, ne deriverebbero gravi conseguenze. Difatti la stessa procedura potrebbe usarsi per tutti i matrimoni civili di cattolici italiani, perchè anch'essi celebrati senza la debita forma canonica.

Con ciò la Chiesa non solo interferirebbe indebitamente nella giurisdizione dello Stato, ma agevolerebbe cattolici male intenzionati a contrarre matrimoni civili che non avrebbero alcuna efficacia pratica nè davanti alla Chiesa nè davanti allo Stato: La Chiesa infatti giustamente li considera inesistenti, e lo Stato, tramite la Chiesa, si vedrebbe costretto a cancellarli ad arbitrio degli interessati.

Colgo volentieri l'occasione per professarmi con sensi di distinta stima, dell'Eccellenza Vostra Reverendissima dev.mo. Dino Card. Staffa, *Prefetto*. Aurelio Sabattani, *Segretario*.

* Prot. N. 2157/71 EC 1731: Apoll. 44 (1971) 608-609.

4024

1972 IAN 15.-SC RELIGIOSORUM, NOTIFICATIO. PART.*

Singula perfectionis Instituta exhibeant S. Congregationi de Religiosis elenchum facultatum omnium quibus gaudent circa reductionem, condonationem vel commutationem onerum Missarum

Roma, 15 gennaio 1972

Reverendo Padre, Mi reco a dovere comunicarLe che il Santo Padre ha disposto di riservare a Sé personalmente, in via del tutto provvisoria e temporanea, le facoltà di riduzioni, condonazioni e commutazioni, riguardanti gli stipendi di SS. Messe e gli obblighi relativi alla loro applicazione o celebrazione, sospendendone, in pari tempo, tutte le facoltà generali o particolari, precedentemente concesse, sia dalle norme del diritto, sia da Lui personalmente o dai Suoi Predecessorii direttamente o per tramite di Sacri Dicasteri, in qualsiasi tempo, per qualsiasi ragione e a qualsiasi persona, fisica o morale, ferme restando le sole facoltà, a favore dei Vescovi, previste dai nn. 11 e 12 del Motu Proprio *Pastorale Munus* [LE 3139].
Le pontificie disposizioni suddette avranno pieno vigore a partire dal 1° febbraio 1972, «contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus» [LE 4013].
In conformità con le citate deliberazioni i Superiori di tutti gli Istituti vorranno presentare a questo Sacro Dicastero, non oltre la Solennità di Pascua del corrente anno, una dettagliata relazione di tutte le facoltà, di cui essi o i loro Religiosi fossero in possesso, relative a riduzioni, condonazioni e commutazioni di stipendi di SS. Messe e di obblighi inerenti alla loro applicazione o celebrazione.
La prego, pertanto, di voler cortesemente portare quanto sopra a conoscenza dei Superiori Generali di codesta Unione. Profitto dell'incontro per professarmi con sensi di religioso ossequio devotissimo nel Signore.—I. Card. Antoniutti, *Prefetto*.

* Praesidi Unionis Superiorum Generalium. Prot. N. Sp. R. 161/72: CpR 53 (1972) 78. Adn. C. GORRICHO in CpR 53 (1972) 78-79.

4025

1972 IAN 20.-SC INST. CATH., DECR. AAS 64 (1972) 583-586

Facultas Theologica penes studiorum Universitatem Fluminis Ianuarii canonice erigitur

Sacra Theologia, quae saeculis ante actis ceteras disciplinas cuiusvis studiorum Universitatis excitabat atque provehebat, coepit temporibus proxime superioribus a publicis Athenaeis sensim removeri ob rationes, a quibus prope nunquam aliena fuit mens religioni infensa.

Hodie vero plures provide animadvertunt praecipuas scientiarum quaestiones non modo sine ea apte solvi non posse, sed immo homines universos adducere ad insanabilia sibi afferenda detrimenta. Ideo multi libenter pro-

http://www.obrascatolicas.com

bant, atque adeo necessarium censent, Theologiam, praesertim catholicam, Universitati studiorum esse restituendam, ut in ipso scientiarum sacrario ratio et divina revelatio inter se prudenter comparentur et salubriter compleantur, atque ita certam tutamque viam commonstrent hominibus ineundam. Nullibi enim melius quam in Universitate studiorum quaestiones attingi percipique possunt, quae nostra aetate agitantur, neque aptius potest necessitatibus subveniri, quas assidua variarum disciplinarum renovatio proponit.

Ideo Pontificia Universitas Catholica S. Sebastiani Fluminis Ianuarii impensius nunc quammaxime contendit
584 esse investigationis sedes, / in qua scientiae plenam in Christo lucem accipiant; officina formationis secundum spiritum Evangelii; locus in quo divinitus revelata conferantur et concilientur cum novissimis scientiarum repertis et cum doctrinis, quibus novae formae vitae socialis nituntur. Haec studiorum Universitas, a duobus condita brasiliensibus viris de patria optime meritis —Patribus Leonello Franca S.I. et Sebastiano Leme, qui postremus Archiepiscopus ipsius Fluminensis Dioecesis fuit et dein S. R. Ecclesiae Cardinalis —a Sancta Sede canonice erecta est die 20 ianuarii 1947 [LE 1904] et moderationi Societatis Iesu commissa.

Itaque brasilienses Episcopi, signa temporum interpretantes cupientesque doctis nostrae aetatis hominibus —et imprimis suae gentis— efficax exhibere instrumentum utilis comparationis cum scientiis congruensque cum severioribus hodiernae scientiae postulatis, oculos in Catholicum Fluminis Ianuarii Athenaeum iniecerunt, cum illud censerent idoneam esse posse sedem altiorem theologiae studiorum, quippe quod sufficienter sit illis didacticae et inquisitionis instrumentis ornatum, quae ad fructuosam actuositatem scientificam in Ecclesiae et societatis bonum requiruntur, ut hominum intellegentia et scientia ad Eum reducantur, qui «in historiam mundi intravit, eam in Se assumens et recapitulans» *(Gaudium et spes*, 38) [LE 3366]. Hac de causa Brasiliensis Episcoporum Conferentia, de re quid sentiret rogata, persuasum se habere significavit, in supra dicto Fluminis Ianuarii Athenaeo condiciones existere requisitas ad Theologicam Facultatem condendam.

Iam enim ab anno 1968 quaedam Sacrae Theologiae Sectio («Dipartimentum» vocant) in eo viget, quae et Professores numerat insignis doctrinae et frequentatur a studentibus sive laicis sive utriusque cleri candidatis ad sacerdotium. Die autem 10 februarii 1971 Societas Iesu, quae hanc partem in se recepit, petiit a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica ut in hac studiorum Universitate canonice erigeretur proprie dicta facultas Theologiae, praedita igitur potestate concedendi congruentes academicos gradus ecclesiasticos.

Rebus omnibus perpensis habitaque ratione responsi tum Conferentiae Episcopalis Brasiliensis, tum Nuntii Apostolici in Brasilia, tum Archiepiscopi Fluminis Ianuarii, hoc ipsum Sacrum Dicasterium commune votum Summo Pontifici Paulo VI proposuit, qui illud benigne assensu suo probavit. Eadem igitur Sacra Congregatio, ad normas art. 1 Constitutionis *Deus scientiarum Dominus* [LE 1930], «Sectionem Theologicam» sic dicti «Centro de Teologia e
585 Ciencias Humanas (CTCH)» praesenti Decreto erigit et canonice erectam declarat in / *Facultatem Sacrae Theologiae Pontificiae Universitatis Catholicae Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii*, ius ei tribuens conferendi in Theologia gradus:

a) *Baccalaureatus*: studentibus qui, peracto curriculo philosophico-theologico saltem per quinquennium seu decem semestria et superatis examinibus scripto et ore habendis omnium eiusdem curriculi disciplinarum, felici exitu peculiare examen subierint de praecipuis quinquennii disciplinis theologicis;

b) *Licentia* seu *Prolytatus* («Mestrado»): studentibus qui saltem per aliud biennium seu quattuor semestria operam dederint cursibus monographicis et exercitio inquisitionis scientificae, idoneam dissertationem conscripserint, peculiareque examen de potioribus disciplinis in biennio traditis superaverint;

c) *Doctoratus*: studentibus qui, post congruum tempus a propriis statutis definitum, in accuratiores inquisitiones scientificas incubuerint typisque ediderint saltem partem dissertationis doctoralis «quae vere ad scientiae profectum conducat».

Facultatis autem structura, accuranda prout «Normae quaedam» praescribunt, Magni Cancellarii munus —quod substitui prorsus nequit— agnoscet in loci Archiepiscopo

«pro tempore», bene definitis normis ei praestituens ius officiumque invigilandi «nomine Sanctae Sedis» toti actuositati didactico-investigativae Facultatis, curando prudentem assiduamque doctrinae inspectionem, atque opportunis certisque normis indicando viam rationemque procedendi. Huiusmodi enim actuositas praecipue et natura sua ecclesialis est et proxime pertinet ad Magnum Universitatis Cancellarium qui, in casu de quo agitur, in se cumulat omnes auctoritatis partes Ordinario loci ex iure competentes.

Pertinebit igitur ad Ordinarium loci praevium dare asi sensum nominando —ex ternis designatis— Moderatori Sectionis seu Facultatis, ac pariter nominandis omnibus et singulis in ea Docentibus; eorum professionem fidei quotannis accipere; probare graviores Consilii Facultatis deliberationes, antequam subdantur Consilio «Centri Theologiae Scientiarumque Humanarum» vel Consilio Universitario vel «Conselho de Ensino e Pesquisa» Universitatis.

Quod denique attinet ad programmata rationesque studiorum, prae/sertim vero ad activam studentium partici- 586
pationem optimamque eorum formationem spiritualem, sacerdotalem et pastoralem, definietur quam primum in propriis peculiaribus Statutis —examini probationique Sacrae Congregationis subiciendis—, ita ut ipsi Facultati corpus normarum suppeditetur, quo illa possit totam Athenaei Fluminensis actuositatem religiosam excitare ac promovere, quasi sidus omnibus in Brasilia praelucens et proprium verae scientiae sacrarium.

Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis, die 20 ianuarii, vigesimo recurrente anno a canonica Fluminensis Universitatis erectione, anno Domini 1972.—Gabriel Maria Card. GARRONE, *Praef.* Iosephus Schröffer, Archiep. tit. Volturnen., *a Secretis.*

4026

1972 IAN 20.-SC INSTITUTIONIS CATH., LIT. CIRC. PART.*

DE INSTITUTIONE PHILOSOPHICA SACRORUM ALUMNIS TRADENDA DEQUE MODO PHILOSOPHIAM DOCENDI HODIE APUD SEMINARIA DIOECESANA

A Leurs Excellences les Evêques sur l'enseignement de la Philosophie dans les Séminaires

Romae, 20 janvier 1972

Excellence, En cette période où la vie des séminaires connaît des changements de tout genre, la S. Congrégation pour l'Education catholique voudrait entretenir votre Excellence d'un sujet qui revêt à ses yeux une grande importance.

En effet, parmi les problèmes divers qui sont liés au renouvellement conciliaire des séminaires, le problème de la formation philosophique des futurs prêtres se pose, comme on le sait, avec une gravité particulière. Dans l'intention d'assurer une base solide aux études philosophiques et de préparer à une rencontre féconde entre l'Eglise et le monde, entre la foi et la science, entre le patrimoine spirituel chrétient et la culture d'aujourd'hui, le IIe Concile du Vatican a jugé opportun d'insister, entre autres choses, sur la nécessité d'une réforme profonde de l'enseignement philosophique, en offrant à cet effet un certain nombre d'orientations fondamentales (cf. décret *Optatam totius* [LE 3334] n. 15; Const. past. *Gaudium et spes* [LE 3366], n. 62 et passim; décret *Ad gentes*, n. 16) [LE 3364].

Il s'agit là d'un problème très vaste et qui exige un grand effort: il présente en effet, dans les circonstances actuelles, un caractère d'urgence et, d'autre part, il rencontre de sérieuses difficultés. La S. Congrégation pour l'Education catholique, qui suit avec un intérêt particulier la situation dans ce domaine, a pu en bien des occasions être témoin du travial accompli et des progrès réalisés, mais elle a pu aussi, et par contre, relever des signes inquiétants, capables d'engendrer quelquefois défiance et découragement.

A la distance de six ans du Concile, il paraît donc nécessaire de faire le point de la situation afin d'en tirer pour l'avenir des conclusions concrètes et précises. On ne peut en effet méconnaître les difficultés que rencontrent aujourd'hui les efforts de renouvellement philosophique, et la nécessité, pour les résoudre, d'un examen commun approfondi et d'une étude attentive des remèdes propres à les surmonter.

I.—*Difficultés actuelles des études philosophiques*

La réforme actuelle des études philosophiques dans les séminaires s'inscrit dans un climat spirituel qui, par rapport à la philosophie, est en même temps favorable et hostile: d'une part, en raison des nombreux changements sociaux et des mouvements d'idées, notre époque est riche d'appels dans le sens d'une réflexion philosophique [illegible] dans il

http://www.obrascatolicas.com

existe d'autre part une tendance à sous-estimer la philosophie, au point de la déclarer à la limite inutile ou même de l'éliminer. La culture moderne sans aucun doute, en se fermant toujours plus au problème de la trascendance, tend à s'opposer à la pensée philosophique authentique, seule capable cependant d'atteindre aux valeurs absolues.

A cet égard, il faut signaler avant tout l'esprit technologique qui porte aujourd'hui à réduire l' *«homo sapiens»* à l' *«homo faber»*. Bien qu'elle comporte pour l'humanité de nombreux et indéniables avantages, la technique ne favorise pas toujours dans l'homme le sens des valeurs spirituelles. Selon la remarque communément faite, la mentalité de l'homme semble se tourner de préférence vers le monde matériel concret, vers la maîtrise de la nature par le moyen du progrès scientifique et technique: la connaissance est ramenée ainsi au niveau des méthodes des sciences positives. L'accent mis exclusivement sur l'action et sur le futur, l'optimisme entretenu par une confiance sans réserve au progrès poussent aux transformations immédiates et radicales dans le domaine économique, politique et social; ils font du même coup oublier souvent le caractère permanent de certaines valeurs morales et spirituelles, donnant en particulier à la spéculation philosophique, qui devrait être considérée comme une base indispensable aux changements, le caractère d'une chose superflue ou même dommageable. Dans un tel climat, la recherche sérieuse de la vérité suprême est souvent dévaluée et les critères de la vérité ne sont plus cherchés dans les principes métaphysiques fermes et indiscutés, mais dans l'actualité et dans le succès. On comprend dès lors facilement que l'esprit de notre temps apparaisse comme antimétaphysique, ouvrant par conséquent la voie à toute forme de relativisme.

Dans un tel contexte, on ne pourra donc s'étonner que beaucoup ne voient plus de place pour une philosophie distincte des sciences positives. Et de fait, tandis qu'on note presque partout une diminution notable d'intérêt pour les disciplines philosophiques classiques, l'importance des sciences naturelles et anthropologiques ne cesse de grandir; souvent on veut y trouver une explication définitive de la réalité en éliminant complètement la philosophie comme une chose archaïque et destinée a disparaître. Par là, au lieu d'une rencontre souhaitable qui pourrait contribuer au véritable bien et progrès tant des sciences que de la philosophie s'affirme progressivement un antagonisme dont les conséquences sont fâcheuses pour l'un et l'autre des partis.

Les savants ne sont pas seuls à s'opposer, par un certain nombre d'entre eux, à une philosophie distincte des sciences positives, allant jusqu'à en contester l'existence: ce sont des théologiens eux-mêmes qui parfois considèrent la philosophie comme inutile et par conséquent dommageable pour la formation sacerdotale. Ils estiment que la pureté du message évangélique a été compromise dans le cours de l'histoire par l'introduction de la spéculation grecque dans les sciences sacrées; ils pensent que la philosophie scolastique a surchargé a théologie spéculative d'un grand nombre de faux problèmes; ils sont donc d'avis que les disciplines théologiques doivent être cultivées exclusivement suivant la méthode historique.

D'autres difficultés encore surgissent dans le domaine de la philosophie. En effet, quand la philosophie n'est pas contestée, on voit de plus largement s'ouvrir la route vers un pluralisme philosophique fondé non seulement sur la rencontre de cultures variées dans le monde, mais sur la diversité et la complexité des courants philosophiques et sur le pluralisme presque inépuisable des sources de l'expérience. Ce processus va s'accentuant malgré les louables efforts de plusieurs philosophes modernes pour arriver à une cohérence plus grande de leur système et à des positions plus équilibrées. L'ampleur et la profondeur de la problématique qui résulte de l'apparition de philosophies nouvelles et du progrès scientifique sont telles qu'elles rendent extrêmement difficiles non seulement une synthèse, mais encore l'assimilation de notions nouvelles que demanderait un enseignement philosophique vraiment vivant et efficace.

Cette situation ne peut que se répercuter gravement dans les études philosophiques des séminaires: professeurs et élèves en subissent le contrecoup. On sait combien lourds et nombreux sont les aspects que doit revêtir l'activité d'un professeur de philosophie aujourd'hui: il lui faut assimiler un grand nombre de notions nouvelles dérivant de la multiplicité des pensées philosophiques et du progrès des sciences; il doit affronter une problématique souvent entièrement neuve; il doit, dans son langage et ses méthodes didactiques, se soumettre à des ajustements inédits, etc. Et tout cela bien souvent dans des limites de temps relativement restreintes, dans un milieu pauvre de moyens, face à des élèves dont l'intérêt et la préparation ne sont pas toujours suffisants.

Les difficultés se rencontrent aussi, et nombreuses, du côté des élèves. Même s'ils montrent de l'intérêt pour certains problèmes vivants touchant l'homme et la société, le climat culturel d'aujourd'hui ne les encourage guère généralement aux études philosophiques. En effet, on est en général plus porté aux images qu'à la réflexion, et surtout la formation préalable est souvent de caractère surtout technique et tournée vers la pratique. D'autres circonstances encore rendent pour les élèves l'étude de la philosophie peu attrayante: ils restent perplexes devant la multiplicité des courants philosophiques contrastants, ils sont rebutés par une recherche désintéressée de la vérité qui leur semble trop exigeante et même impossible; ils répugnent aux systèmes fixes proposés avec autorité; l'enseignement qui leur est offert leur semble n'être pas à jour et répondre à une problématique vieillie, sans contact avec la vie; la philosophie parle un langage archaïque peu accessible à l'homme moderne. Enfin, le caractère abstrait de cette science empêche les étudiants de découvrir clairement le lien qui existe entre la philosophie et la théologie, et surtout entre la philosophie et l'activité pastorale à laquelle ils aspirent essentiellement.

De là, en plusieurs séminaires, un certain malaise, une désaffection à l'égard de la philosophie. On met en doute sa valeur et l'utilité pratique de ce genre d'étude. On finit par se relâcher et même par abandonner véritablement l'enseignement philosophique pour se porter vers les sciences qui semblent plus actuelles et orientées vers les exigences concrètes de la vie.

Comme on le voit, les principales difficultés qui mettent aujourd'hui les études philosophiques en question dans les séminaires semblent pouvoir se réduire aux trois points suivants:

1. La philosophie n'a plus d'objet propre: elle a été absorbée et remplacée par les sciences positives naturelles et humaines: celles-ci sont tournées vers les problèmes véritables et réels, elles les étudient à l'aide des méthodes reconnues aujourd'hui comme les seules valables. Cette attitude est celle qui s'inspire des courants positivistes, néo-positivistes ou structuralistes.

2. La philosophie a perdu toute importance pour la religion et pour la théologie: les études théologiques doivent se détacher de la spéculation philosophique comme d'un jeu inutile de paroles, elle doit se construire en pleine indépendance sur la base positive que lui offrent la critique historique et les méthodes exégétiques. La théologie de l'avenir sera la tâche spécifique des historiens et des philologues.

3. La philosophie contemporaine est devenue aujourd'hui une science ésotérique, inaccessible à la plus grande partie des candidats au sacerdoce: les écoles philosophiques modernes —phénoménologie, existentialisme, structuralisme, néo-positivisme, etc.— exercent leur activité à un niveau si élevé de technicité dans le vocabulaire, les analyses et les démonstrations, qu'elles deviennent un champ réservé à des hommes hautement spécialisés. On ne voit donc ni la convenance ni la possibilité d'insérer une science aussi difficile et complexe dans la formation normale des candidats au sacerdoce.

On peut comprendre que de tels obstacles semblent à beaucoup presque insurmontables et de nature à susciter en certains milieux un véritable et authentique découragement.

II. *La nécessité de la philosophie pour les futurs prêtres*

1. Même en tenant compte de tout ce qui vient d'être dit, nous restons convaincus qu'il est possible de surmonter toutes ces tendances qui vont vers un abandon de la philosophie ou une diminution de son importance, et qu'il n'y a pas lieu de se décourager. Même si les obstacles qui s'opposent aujourd'hui à l'enseignement philosophique sont nombreux et graves, on ne voit pas comment la philosophie pourrait être sous-estimée, voire supprimée, si l'on veut former à un véritable et authentique humanisme et en particulier quand il s'agit de former à la mission sacerdotale. En effet, de céder à ces tentations signifierait qu'on ignore tout ce qu'il y a de plus authentique et de plus profond dans la pensée contemporaine: les problèmes philosophiques les plus fondamentaux, il est impossible d'en douter, se trouvent aujourd'hui plus que jamais au centre des préoccupations des hommes, au point même d'envahir tous les domaines de la culture: littérature —romans, essais, poésie—, théâtre, cinéma, radio-télévision, et jusqu'à la chanson. On y trouve constamment évoqués les thèmes éternels de la pensée humaine: sens de la vie et de la mort; sens du bien et du mal; fondement des valeurs; dignité et droits de la personne humaine; confrontation des cultures et de leurs patrimoines spirituels; scandale de la souffrance, de l'injustice, de l'oppression, de la violence; nature et lois de l'amour; ordre et désordre dans la nature; problème de l'éducation, de l'autorité, de la liberté; sens de l'histoire et du progrès; mystère de l'au-delà; et enfin comme fond à tant de question: Dieu, son existence, son caractère personnel et sa Providence.

2. Aucun problème de ce genre ne peut évidemment trouver de solution adéquate au niveau des sciences positives, naturelles ou humaines, car leurs méthodes spécifiques ne leur donnent aucun moyen de les affronter de façon satisfaisante. De telles questions appartiennent à la sphère propre de la philosophie, laquelle, transcendant les aspects purement extérieurs et partiels des phénomènes, s'applique à la réalité entière pour tâcher de la comprendre et de l'expliquer à la lumière des causes suprêmes.

C'est ainsi que la philosophie, tout en ayant besoin de l'apport des sciences expérimentales, se présente comme une science distincte, autonome, capitale pour l'homme qui n'est pas seulement intéressé à enregistrer, décrire, ordonner les phénomènes, mais aussi et surtout à en comprendre la véritable valeur et le sens dernier. Toute autre connaissance de la réalité est incapable de porter les choses à ce niveau suprême d'intelligence qui est la prérogative caractéristique de l'esprit humain. Tant que la réponse n'est pas donnée à ces interrogations fondamentales, la culture entière demeure au-dessous des capacités de réflexion de notre esprit. On peut donc affirmer que la philosophie possède, du point de vue de la culture, une valeur irremplaçable: elle en est l'âme en tant qu'elle pose les questions qui concernent le sens des choses et de l'existence humaine d'une façon qui correspond complètement aux aspirations les plus intimes de l'homme.

3. On ne peut pas non plus prétendre toujours recourir à

la seule lumière de la Révélation. Une telle attitude d'esprit se révélerait radicalement insuffisante pour les motifs suivants:

a) L'adhésion bien comprise à la Révélation divine ne peut être conçue comme un acte de foi aveugle, comme un comportement fidéiste dépourvu de tout motif rationnel. L'acte de foi suppose, de par sa nature, des «raisons de croire», des «motifs de crédibilité», lesquels sont en grande partie de nature philosophique: connaissance de Dieu, idée de la création, providence, discernement de la vraie religion révélée, connaissance de l'homme en tant que personne libre et responsable. On peut dire que la moindre parole du Nouveau Testament suppose expressément ces notions philosophiques de base. Le prêtre a donc besoin de la philosophie pour assurer à sa foi personnelle les fondements rationnels de valeur scientifique qui soient au niveau de sa culture intellectuelle.

b) Le programme de la *fides quaerens intellectum* n'a rien perdu de son actualité: la vérité révélée continue de réclamer la réflexion du croyant; elle l'invite à un travail d'analyse, d'approfondissement et de synthèse, à savoir une «théologie spéculative».

Il vostro servizio, la vostra missione deve innanzi tutto, a noi pare, educare i vostri ascoltatori all'attenzione per l'avvenimento, per la storia che si distende davanti alla nostra esperienza, all'attualità; i giornalisti sanno bene questa esigenza quanto sia importante per la loro professione; tanto più per voi che intendete svegliare il mondo che vi ascolta all'attenzione, all'apprezzamento della realtà vissuta nel flusso degli avvenimenti, quasi come per una lettura non solo delle opere umane, ma per quella misteriosa presenza del governo divino nella vicenda umana, presenza che chiamiamo Provvidenza e che impegna, con l'attenzione, il compimento di tanti doveri inerenti alla storia, nella quale non è lecito al cristiano intelligente rimanere distratto e passivo. Educazione alla conoscenza dell'attualità. E questa conoscenza, per noi, per voi, per chiunque si dedica alle comunicazioni sociali, deve essere guidata da un altro scopo pedagogico: la verità, il rispetto alla realtà storica, all'esattezza delle notizie annunciate. E aggiungiamo subito un terzo scopo informatore della vostra attività: la formazione dell'ascoltatore al giudizio sui fatti, sulle notizie annunciate; è questa una delle finalità principali che qualifica il compimento dei vostri doveri professionali, in questa sede: insegnare a bene valutare le cose narrate; esse possono assumere significati diversi, certamente; voi dovete abituare l'ascoltatore a leggere le notizie in profondità e a scoprirvi l'aspetto morale, il riferimento ai punti cardinali della vita, al valore umano e cristiano che le notizie, gli avvenimenti, le cose annunciate rivestono alla luce dei principi morali e religiosi; è questo il punto più alto della vostra missione; molto delicato e difficile, che non deve certo soverchiare il carattere espositivo della comunicazione sociale e convertirla in un sermone moralistico, ma deve tuttavia essere sempre presente nell'annuncio e quasi trasparire dal discorso informativo, e qualche volta può e deve venire in evidenza con esplicita affermazione leale e coraggiosa.

Un ultimo compito dà merito in tal modo alla vostra assidua fatica, quella di formare una «opinione pubblica». È forse questo lo scopo terminale. Che cos'è l'opinione pubblica? e quale è la sua potenza nello svolgimento della vita sociale moderna? Tema questo interessantissimo, che 297 confidiamo alla vostra sperimentata riflessione; con/tentiamoci ora di indicare, quasi a tema di tale riflessione, la relazione che l'opinione pubblica, guidata da una sapiente comunicazione sociale, può avere col senso della vita, anzi, per noi, con quel «sensus Ecclesiae», nel quale circola quanto di meglio offre al Popolo di Dio la diffusione della Parola, il carisma segreto, ma operante dello Spirito animatore dell'umanità attratta nel piano della salvezza cristiana.

4. Parallelamente, si dovranno utilizzare, in maniera opportuna, *gli studi compiuti*: secondando, incoraggiando, suggerendo, eventualmente correggendo: a livello di pubblicazioni specializzate, di esercizio dell'attività professionale degli operatori della comunicazione, di volgarizzazione a vantaggio dei recettori; e contribuendo a dare sani orientamenti soprattutto all'opinione pubblica, sia generale come ecclesiale, in mutua collaborazione coi Vescovi dei diversi Paesi e sempre al loro servizio.

Sono prospettive di lavoro senza dubbio molto vaste e impegnative, ma che, lungi dallo scoraggiarvi, devono rafforzare il sicuro convincimento della bontà, dell'importanza, della necessità della vostra opera, e confortare i vostri fermi propositi per una efficienza sempre più adeguata e incisiva.

5. Una parola, infine, sull'informazione religiosa. Essendo un settore particolare della comunicazione sociale, pure ad essa sono ovviamente applicabili le indicazioni di carattere generale date in precedenza. Ma l'informazione religiosa merita una menzione esplicita e diretta, con qualche osservazione appropriata, per due ragioni: perché si riferisce immediatamente alla Chiesa, alla sua vita, alla sua immagine; e perché costituisce una delle principali competenze e responsabilità della Pontificia Commissione.

Le difficoltà non mancano, gli ostacoli da superare sono numerosi. Non tutti, anche tra gli informatori religiosi, conoscono la Chiesa nella sua vera natura, nella sua genuina missione, e ciò può danneggiare tanto l'accettazione come la presentazione delle informazioni che la riguardano. Di qui la necessità di un paziente e delicato lavoro di contatti, di comprensione, di prudente e leale dialogo, di intelligente illuminazione, per vedere di rimuovere gli accennati pregiudizi. Anche negli ambienti cattolici ci sono a volte degli equivoci pericolosi: quello, ad esempio, che riconosce all'informatore quasi la legittimità di una certa tensione tra le sue esigenze professionali, il suo dovere di andare incontro alle attese del Popolo di Dio, e il suo desiderio di essere fedele alle direttive e agli insegnamenti del Magistero ecclesiastico: come se, / invece, la Gerarchia 298 non fosse parte costitutiva del Popolo di Dio e suo organo essenziale, con precise e qualificate funzioni in ordine alla vita del Corpo mistico di Cristo; e come se tra le norme tecniche e morali della professione dell'informatore e la dottrina della Chiesa non fosse possibile e doverosa una intrinseca coordinazione, una integrazione essenzialmente ed esistenzialmente coerente, una armonizzazione proficua ai fini stessi di una informazione religiosa valida sotto ogni aspetto.

Ma le difficoltà non vi toglieranno lena e fantasia. Al contrario, esse stimoleranno la vostra riflessione, la vostra diligenza, la vostra capacità di escogitare e attuare nuove iniziative, adatte allo scopo. Vi incoraggi e conforti soprattutto, nell'ardua impresa, lo spirito di fede e di amore alla Chiesa, e la certezza che si tratta di una imprescindibile missione ecclesiale, pastorale e di apostolato.

Con la nostra Benedizione Apostolica.

4041

1972 MAR 7.-SC SACRAM., INSTR. AAS 64 (1972) 244-252

Instructio de quibusdam emendationibus circa normas in processu super matrimonio rato et non consummato servandas

Dispensationis matrimonii rati et non consummati petitionibus, a Christifidelibus Sedi Apostolicae porrectis, in dies percrescentibus, opportunum visum est Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum, ad magis animarum bono favendum per sollicitiorem huiusmodi processuum instructionem et definitionem, a Summo Pontifice petere ut normis a iure statutis quaedam afferrentur emendationes.

Summus Pontifex, qui plenam habet potestatem dissolvendi vinculum matrimonii rati et non consummati [1], postquam vota Dicasterii ac instantias nonnullorum animarum Pastorum sedulo consideravit, eadem Plenario Coetui Patrum praefatae Congregationi praepositorum examinanda commisit.

Rogationibus autem in Plenario Coetu diligenter examinatis et / Episcopatu Catholico audito, Summus Pontifex 245 ea quae sequuntur statuere dignatus est:

I. *De facultate generali conficiendi processum super matrimonio rato et non consummato*

Ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum exclusive [2] cognoscere spectat de facto inconsummationis matrimonii non tantum inter partes catholicas, sive ad latinum ritum sive ad orientales ritus pertineant, verum etiam inter partem catholicam et acatholicam baptizatam atque inter partes baptizatas acatholicas, necnon de iustae seu proportionaliter gravis causae existentia pro concessione pontificiae gratiae dispensationis.

Vi huius Instructionis omnes Episcopi dioecesani [3], pro suo cuiusque territorio, facultate generali processum confi-

[1] Can. 1119; Pius XII, Motu proprio *Crebrae allatae*, 22 febr. 1949, can. 108 [LE 2029].

[2] Cann. 249 § 3, 1962; Pius XII, Motu proprio *Cleri sanctitati*, 2 iun. 1957, can. 196 § 3 [LE 2664]; Pius XII, Motu proprio *Sollicitudinem Nostram*, 6 ian. 1950, can. 470 [LE 2098]; Paulus VI, Const. Ap. *Regimini Ecclesiae Universae*, 15 aug. 1967, n. 56 § 1: *A. A. S.* 59 (1967), p. 904 [LE 3388].

[3] Summus Pontifex, Sui Pontificatus exordio, confirmare solet S. R. Rotae Decano habitualem facultatem pertractandi, Turno id postulante, causas super matrimonio rato et non consummato, si et quatenus exoriantur e causis nullitatis matrimonii quae ad idem Tribunal fuerint legitime delatae, atque ad effectum ad finem praebendi Ipsi Summo Pontifici dispensandi consilium.

http://www.obrascatolicas.com

endi super matrimonio rato et non consummato fruuntur die a quo haec Instructio vigere incipit usque ad C.I.C. ecogniti promulgationem, ita ut ipsam non amplius a ede Apostolica postulare debeant [4]. Qua facultate utentes, dem Episcopi, prae oculis habitis artt. 7 et 8 *Regularum ervandarum*, praescripta quae sequuntur sedulo servent:

a) Processus super matrimonio rato et non consum- ato non est iudicialis, sed administrativus, ac proinde iffert a processu iudiciali pro causis nullitatis matrimonii. n processu, enim, super rato per supplicem petitionem nploratur gratia ex benigna Summi Pontificis conces- ione obtinenda. Nihilominus, propter rei gravitatem, acti sc. inconsummationis matrimonii, his in processibus eritas non minus / religiose ac sedulo inquirenda est quam n negotiis proprie iudicialibus, ut Summus Pontifex, re robe cognita, sua suprema potestate uti valeat.

Instructoris rite deputati, igitur, est in huiusmodi pro- essibus probationes colligere, quibus constare possit de nconsummationis matrimonii facto et de iustae seu pro- portionaliter gravis causae exsistentia pro gratiae conces- sione. Si autem ex actorum processus examine probationes collectae sufficientes non inveniantur, Congregatio, si ca- sus ferat, Episcopo suggerere poterit ut ipsae, per opportu- nas instructiones, compleantur.

b) Soli coniuges petere queunt dispensationem super matrimonio rato et non consummato [5]; potest autem illam petere sive uterque coniux, sive alteruter, invita etiam altera parte [6].

Quamvis cuilibet fideli integrum sit petitionem, quae tamen semper Summo Pontifici erit inscribenda [7], directe ad Sedem Apostolicam mittere, expedit vero et semper suadendum est ut eadem ad Episcopum porrigatur qui, omnibus in Domino perpensis, processum conficiendum curabit. Quoties autem unius tantum partis exstiterit petitio, altera quoque pars extraiudicialiter est audienda, antequam processus instruatur, nisi, peculiaribus in casibus, aliter opportunum videatur.

c) Episcopus, antequam processus instruatur, de iuridico precum fundamento ac de opportunitate conficiendi processum se certiorem reddere debet; idem pariter agere ne omittat, causis aversionis et animorum dissociationis remotis, ut coniugum reconciliationi, quantum fieri possit, faveatur, nisi rerum et personarum adiuncta huiusmodi experimentum inutile esse suadeant [8].

d) Casus vero inconsummationis matrimonii implicatos atque peculiaribus difficultatibus ordinis iuridici vel moralis aggravatos Episcopus Congregationi deferat, quae, omnibus mature diligenterque perpensis, quid et quomodo agendum sit cum eodem Episcopo communicabit.

e) Si fieri contingat ut ex petitionis dispensationis super rato et non consummato examine prudens quoque dubium oriatur circa ipsius matrimonii validitatem, tunc Episcopi erit aut parti oratrici consilium dare ut viam ineat iudiciariam ad nullitatis matrimonii, ad normam / iuris, declarationem obtinendam, aut, dummodo preces de matrimonii inconsummatione firmo ac iuridico fundamento nitantur, permittere ut processus instruatur super rato et non consummato.

Cum autem causa de nullitate matrimonii agitata fuerit ex capite impotentiae et ex actis et probatis, Tribunalis iudicio, non impotentiae sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, tunc accedente petitione unius vel utriusque partis de Apostolica dispensatione imploranda, acta omnia, una cum vinculi defensoris animadversionibus ac voto Tribunalis et Episcopi, argumentis firmato sive in iure sive praesertim in facto, ad Congregationem transmittantur ad causam super rato et non consummato definiendam. Ad votum vero quod attinet, nihil obstat quominus Episcopus sequatur ipsius Tribunalis votum, huic subscribendo, in tuto positis exsistentia iustae seu proportionaliter gravis causae pro dispensationis gratia et scandali fidelium absentia.

Quodsi, Tribunalis iudicio, probationes de non secuta matrimonii consummatione hactenus collectae, non sufficientes habeantur iuxta *Regulas Servandas* diei 7 Maii 1923, eaedem ab iudice instructore compleantur et acta plene instructa ad Congregationem cum vinculi defensoris animadversionibus ac voto Tribunalis et Episcopi, transmittantur.

Quatenus vero de alio nullitatis capite agatur (ex. gr. de defectu consensus, de vi et metu etc.) et, eiusdem Tribunalis iudicio, matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri aut utrique parti petitionem porrigere Summo Pontifici de Apostolica dispensatione a matrimonio rato et non consummato et instructori ius est causam instruendi iuxta normas in praefatis *Regulis Servandis* definitas. Acta omnia deinde, ut supra, sc. cum suetis vinculi defensoris animadversionibus et voto Tribunalis et Episcopi, ad Congregationem transmittantur [9].

f) Episcopus vero vigilanti animo prospicere debet ne partes in causa aut testes aut periti quandoque falsum deponere vel veritatem reticere audeant. Scit enim, et per ipsum sciant omnes quorum interest, dispensationis gratiam concedi non posse nisi duo constent: matrimonium revera consummatum non fuisse et iustam seu proportionaliter gravem exstare causam; uno aut altero deficiente, rescriptum / gratiae, utpote obreptionis vitio affectum, 248
impetranti minime suffragari [10]. Pontificiam autem dispensationem nunquam in rem definitam transire perspicuum est ac novum matrimonium, forte post dispensationem initum, semper posse nullum declarari, si primum fuisse revera ratum et consummatum deinceps innotuerit.

II. *De instructione causae et actorum confectione*

Ad ipsam causae instructionem quod spectat, ut inquisitio ad veritatem de facto inconsummationis accuratius citiusque dignoscendam ac proinde ad matrimonii sanctitatem atque indissolubilitatem fovendam aptius conducat, has quae sequuntur emendationes in normas, pro hisce processibus in C.I.C. [11] ac in praefatis *Regulis Servandis* S. Congregationis de disciplina Sacramentorum statutas, inducere visum est:

a) Si, propter dioecesis seu eparchiae parvitatem et praesertim sacerdotum in iure canonico peritorum penuriam, non sine difficultate processus super rato confici queat in Curia vel in Tribunali, tunc Episcopus, prudenter harum rerum discrimine ponderato, potest competentiam instruendi processus super rato ministris Tribunalis regionalis aut provincialis aut interdioecesani aut interritualis (si adsint) vel Tribunalis dioecesis seu eparchiae vicinioris deferre, qui tali oneri sustinendo, praesertim in casibus difficilioribus, aptiores sint.

b) In causis inconsummationis matrimonii debet uterque coniux testes producere qui ipsorum coniugum probitatem et praesertim veridicentiam circa assertam matrimonii inconsummationem, testificari possint; quibus testibus instructor alios ex officio inducere valet [12]. Pauci sufficere possunt testes, dummodo eorum concors testimonium validam probationem atque moralem certitudinem afferre possint; quod quidem evenit, si personae omni exceptione maiores sunt, inter se firmiter cohaerent, testificantur sub fide iuramenti: referentes quando, quomodo et quid a coniugibus aut proximis propinquis de facto inconsummationis matrimonii audierint [13]. Obliviscendum non erit in huiusmodi causis argumentum morale permagni ponderis esse ad certitudinem moralem de matrimonii inconsummatione adipiscendam. / 249

c) Corporalis coniungum inspectio adhibenda est, si necessaria est ad iuridicam facti inconsummationis probationem assequendam; si vero, iuxta Decretum S. S. Congr. S. Officii diei 12 Iunii 1942, attenta partium et testium morali excellentia ac serio consideratis eorum animi dispositionibus necnon ceteris adminiculis aut argumentis, plena, Episcopi iudicio, habetur probatio assertae matrimonii inconsummationis [14], tunc omitti potest inspectio; caute vero omnia perpendantur antequam eam inutilem esse edicatur [15]. Si mulier autem inspectionem corporalem recuset, tunc, iuxta regulam per memoratum Decretum prolatam, «abstinendum est ab urgenda inspectione». De ceteris, quae ad hanc inspectionem attinent, facultate potiuntur Synodi Patriarchales et Conferentiae Episcopales ampliores normas exsecutorias statuendi, iuxta locorum ac rerum adiuncta.

d) Acta processualia scripto exarata esse debent aliisque cautelis sunt tutanda ope notariorum [16]. Curiae autem vel Tribunali in causis inconsummationis uti licet (consentiente Episcopo), iuxta hodiernos populorum mores et technicas progressiones, instrumento «magnetophonio», si eiusdem usus utilis atque idoneus revera est ad accuratiorem et certiorem actorum processus confectionem. Acta, tamen, fidem facere queunt tantum si licet ex taeniola magnetica exscripta, praescriptionibus a iure expresse requisitis congruant.

e) Secus atque in causis nullitatis matrimonii, in processibus super matrimonio rato et non consummato ob peculiarem eorum naturam, advocatorum et procuratorum opera postulari nequit. Votis, tamen, ac desideriis quorundam animarum Pastorum obsecundando, decernitur nihil obstare quominus partes —aut si petant aut Episcopus *ex officio* statuat— in his quoque causis consiliariorum vel peritorum, praesertim ecclesiasticorum, opera utantur sive in petitionibus gratiae dispensationis conscribendis sive in instruendo processu vel in ipsis actis processus complendis, ad eum finem ut, inconsummationis matrimonii veritate in tuto posita, animarum bonum certius foveatur [17]. Consiliariorum vel peritorum designatio, sive iidem *ex officio*, sive ad partis petitionem eligantur, ad Episcopum perti-
250 net, audito vinculi / defensore et praemonitis consiliariis vel peritis, per peculiare decretum, de secreto iurato servando [18], ne actorum processualium notitiae ad extraneorum aures perveniant.

f) Episcopi in voto «pro rei veritate» exarando, causae naturam et qualitates perpendant modo *concreto* et *practico*, scilicet consideratis adiunctis peculiaribus sive personarum sive facti inconsummationis sive opportunitatis gratiae.

In causis autem sive nullitatis matrimonii, quorum acta ad Congregationem pro dispensationis gratia transmittantur (cfr. n. I, *e*)) sive inconsummationis, quae cum competentiae prorogatione instruantur (cfr. n. II, *a*)), Archiepiscopus seu Metropolita sedis Tribunalis regionalis aut provincialis aut interdioecesani aut interritualis vel Episcopus dioecesis aut eparchiae vicinioris, antequam votum suum conscribat, opportune cum Episcopo partis oratricis, cui notae sunt suae dioecesis aut eparchiae condiciones, consilia conferat saltem de scandali absentia ex pontificiae dispensationis gratia forte orituri. Episcopus vero si iudicaverit scandalum sine fundamento seu arte oriri vel ortum esse, tunc pastorali cura opportunisque modis illud cohibere vel continere nitatur.

g) Omnia acta processualia, acta sc. sive causae sive processus [19], necnon alia documenta, praeterquam in lingua latina, vernaculis etiam linguis late cognitis confici queunt. Ipsorum actorum iudicialium necnon documentorum alio idiomate minus cognito confectorum in praedictas linguas translatio permittitur.

Quae acta processualia atque documenta in triplici exemplari, etiam photostatico, authenticitate praedito ad Congregationem transmittantur [20]; chirographicus textus (qui sc. vulgo dicitur «manoscritto») in Archivo Curiae vel Tribunalis servetur et transmittatur, adhibitis opportunis cautelis, tantummodo si expresse a Dicasterio requisitus fuerit [21].

Optandum est, cum hoc plurimum ad sollicitiorem expeditioremque causae definitionem valeat, ut omnium actorum iudicialium necnon documentorum exemplaria dactylographice exarentur et singula processus folia, numerata atque in fasciculis conglutinata, actuarii vel / notarii testi- 251
ficatione de eorum fideli transcriptione, integritate et authenticitate muniantur [22].

III. *De clausulis rescripto dispensationis forte appositis*

Concessa pontificia dispensatione super vinculo matrimonii non consummati, coniugibus ad alias nuptias transire fas est, dummodo transitus ille ne prohibeatur. Quae prohibitio duplici modo exprimi potest: clausula «ad mentem», (et hoc in casu «mens» diversa esse potest ac opportune explicatur) vel clausula «vetito».

a) Clausula verbis «ad mentem» expressa, quae prohibitoria est, apponi solet quoties factum inconsummationis e causis minoris momenti pendeat; eius remotio committitur Episcopo, ita ut fidelium pastoralibus necessitatibus expeditius provideatur. Episcopus autem partem, clausulae remotionem postulantem, ad novum coniugium ne admittat nisi, praescriptis regulis servatis, ipsa ad matrimonialia onera sustinenda revera apta inveniatur ac se in posterum honesto et christiano more officia coniugalia esse exsecuturam promiserit.

b) Peculiaribus autem in casibus, quando sc. inconsummationis ratio fuerit defectus physicus vel psychicus maioris momenti et gravitatis, «vetitum» pro aliis nuptiis apponi potest; quod, nisi expresse in rescripto dicatur, dirimens non est sed tantum prohibens, eiusdemque remotio Sedi Apostolicae reservatur. Venia autem alias nuptias ineundi conceditur si pars oratrix, praevia petitione Congregationi adhibita et impletis praescriptis condicionibus, idonea ad actus coniugales rite exercendos iudicetur.

Episcopi iudicio eiusque pastoralibus considerationibus relinquitur de hac vel illa clausula in rescripto dispensationis apposita ac postea remota certiorem reddere partem, quacum novum matrimonium iniri contenditur.

Omnia quae in hac Instructione continentur SSmus D.N. Paulus divina Providentia Papa VI, in Audientia die 30 Decembris 1971 infrascripto Congregationis Card. Praefecto concessa, benigne approbare et rata habere dignatus est, mandans ut ea in Officiali Commentario / 252
Acta Apostolicae Sedis publici iuris fiant et ab omnibus Episcopis sive latini ritus sive orientalium rituum, et a ceteris ad quos spectat, rite et religiose serventur, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 m. Martii a. 1972.— A. Card. SAMORÉ, *Praef.* I. Casoria, *a Secretis*.

[4] Episcopi dioecesani intelleguntur non solum Episcopi residentiales, sed etiam alii ipsis in iure aequiparati: cfr. Conc. Vat. II, Decr. de past. Episc. munere in Ecclesia *Christus Dominus*, n. 21 *A. A. S.* 58 (1969), p. 683 [LE 3332]. Ad Episcopos rituum orientalium specifice quod attinet cfr. Paulus VI, Litt. Ap. *Episcopalis potestatis*, 2 maii 1967, n. 11: *A. A. S.* 59 (1967), p. 387 [LE 3553].

[5] Can. 1963 § 1; *Sollicitudinem Nostram*, can. 471 § 1 [LE 2098]; S. C. de disciplina Sacramentorum, *Regulae Servandae*, 7 maii 1923, art. 2: *A. A. S.* 15 (1923), p. 392 [LE 513]; S. C. pro Ecclesia Orientali, Instr. *Quo facilius*, 10 iun 1935, art. 4: *A. A. S.* 27 (1935), p. 334 [LE 1273].

[6] Can. 1973; *Sollicitudinem Nostram*, can. 480; *Regulae Servandae*, art. 5; *Quo facilius*, art. 1. [7] Can. 119; *Crebrae allatae*, can. 108. [7] *Regulae Servandae*, art. 6 § 1; *Quo facilius*, art. 1. [8] *Regulae Servandae*, art. 10; *Quo facilius*, art. 3.

[9] Can. 1963 § 2; *Sollicitudinem Nostram*, can. 471 §§ 2 et 3 [LE 2098]; S. C. de disciplina Sacramentorum, Instr. *Provida Mater Ecclesia*, 15 aug. 1936, art. 206: *A. A. S.* 28 (1936), pp. 553-554 [LE 1347]; *Quo facilius*, art. 4 [LE 1273].

[10] Can. 40; S. C. de disciplina Sacramentorum, Decr. *Catholica doctrina*, 7 maii 1923; *A. A. S.* 15 (1923), p. 390 [LE 513]. [11] Cann. 1960-1992; *Sollicitudinem Nostram*, cann. 468-500 [LE 2098]. [12] Can. 1975; *Sollicitudinem Nostram*, can. 482. [13] Can. 1789; *Sollicitudinem Nostram*, can. 312.

[14] S. S. C. S. Officii, Decr. *Qua singulari cura*, 12 iun. 1942: *A. A. S.* 34 (1942), p. 200 [LE 1689]. [15] *Regulae Servandae*, artt. 85-86; *Quo facilius*, art. 16. [16] Cann. 373 § 1, 1585, 1642; *Cleri sanctitati*, can. 440 § 1 [LE 2664]; *Sollicitudinem Nostram*, cann. 56, 157 [LE 2098].

[17] Pius XII, Alloc. *ad Praelatos Auditores ceterosque Officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae*, 2 oct. 1944: *A. A. S.* 36 (1944), pp. 281-290 [LE 1805].

[18] Can. 1623 § 3; *Regulae Servandae*, artt. 46 et 93; *Provida Mater Ecclesia*, art. 130; *Sollicitudinem Nostram*, can. 138 § 3; *Quo facilius*, art. 9. [19] Can. 1642; *Sollicitudinem Nostram*, can. 157. [20] *Regulae Servandae*, art. 101 § 1; *Quo facilius*, art. 21. [21] *Provida Mater Ecclesia*, art. 105 § 1.

[22] Cann. 1643 § 1, 1644 § 1; *Regulae Servandae*, art. 30; *Sollicitudinem Nostram*, cann. 158 § 1, 159 § 1; *Quo facilius*, art. 23.

Quae sub hac litt. *g.* praescribuntur et pro tribunalibus valent, quae processus inconsummationis, vi can. 1963 § 2 et art. 206. *Provida Mater Ecclesia* necnon art. 4. *Quo facilius*, ut superius dictum est, pertractaverint [*]

Adn. M. DESDOUITS in **L'ami du clergé** 82 (1972) 617-620; B. MARCHETTA in **Apoll.** 45 (1972) 197-209; E. F. REGATILLO in **Sal terrae** 60 (1972) 638-645, 706-724.

[* *Prae oculis habeatur sequens Rescriptum Pontificium*].

1665n

1942 FEB 13.-PIUS XII, RESCRIPTUM PONT. PART.*

NOVA CAUSAE PROPOSITIO DE INCONSUMMATIONE MATRIMONII

Ex audientia SSmi diei 13 febr. 1942.

Istantibus sive Vinculi Defensore, sive actricis Patrono, proposito Sanctissimo quaesito:

«An, denegata definitive matrimonii nullitate, obtenta forte prius Apostolica facultas videndi etiam super inconsummatione ad dispensationem obtinendam adhuc perduret, ut vel si subordinato quoque huic dubio responsum semel fuerit negative, eadem quaestio proponi iterum possit».

Sanctitas Sua, audita infrascripti relatione, respondere dignata est: «Affirmative, audito tamen Vinculi Defensore et dummodo nova eaque gravia habeantur documenta et argumenta».—D. GRAZIOLI, *Decanus S. R. Rotae*.

* Decano Sacrae Romanae Rotae: Aeg. DEL CORPO, **De retractione causae matrimonialis**, Neapoli 1969, p. 170. Adn. Aeg. DEL CORPO, op. cit., p. 169-174.

http://www.obrascatolicas.com

4042

972 MAR 8.-SC RELIGIOSORUM, LITT. CIRC. PART.*

E RATIONE ET INTENTIONIBUS QUIBUS DIES MUNDIALIS PRECUM PRO VOCATIONIBUS CELEBRANDA EST

Roma, 8 marzo 1972

Reverendi Padri e Reverende Madri, Anche quest'anno, la acra Congregazione per i Religiosi e gli Istituti secolari com- e il gradito dovere d'informare per tempo che la prossima X Giornata Mondiale di preghiera per le Vocazioni» verrà lebrata la domenica 23 aprile, indicata nel nuovo Messale me quarta di Pasqua.

I Superiori e le Superiore Maggiori avranno così la pos- bilità di predisporre quanto necessario, affinché la celebra- one venga preparata in tutte le loro Case con profondo spirito fede e con opportune iniziative, come si conviene ad uno opo che tocca intimamente la vita e l'avvenire della Chiesa degli Istituti.

A tal riguardo sia consentito di richiamare le intenzioni, rmulate dal Santo Padre quando ha istituito la Giornata:
— sia una «giornata» di spiritualià, ossia di meditazione e preghiera per un approfondimento della libera risposta rsonale e comunitaria data alla chiamata di Dio verso una ta di speciale consacrazione. Il Decreto *Perfectae caritatis* LE 3333] (n. 24) fa infatti osservare che «l'esempio della opria vita costituisce il migliore invito ad abbracciare lo ato religioso»;
— sia dedicata a tutte le vocazioni di speciale consacra- one —sacerdozio, vita contemplativa, apostolato nei diversi tituti religiosi come in quelli di vita comune o secolari— orenti sulla base della comune vocazione alla santità *(Lumen ntium*», nn. 38 e ss.) [LE 3141];
— sia rivolta alle necessità della Chiesa intera, e particolar- ente ai paesi di missioni e a quelle regioni dove attualmente no più gravi le difficoltà.

La Giornata sia inoltre un'occasione per valutare le attività olte dagli Istituti e dalle Conferenze nazionali dei Superiori aggiori per la promozione delle vocazioni e per lo studio dei etodi più qualificati da seguire a questo scopo.

Con fervidi voti per un fiorente risveglio di vocazioni in tte le Famiglie consacrate, mi confermo devotissimo in omino.—I. Card. ANTONIUTTI, *Prefetto*. Agustinus Mayer, *grel.*

* Ad Superiores Maiores Institutorum perfectionis, Prot. N. AG. 00/63: CpR 53 (1972) 261-262.

4043

972 MAR 25.-CONS. EC. NEG., DEC. AAS 64 (1972)386-391

ECRETUM QUO NORMAE DE PROMOVENDIS AD EPISCOPALE MINISTERIUM IN ECCLESIA LATINA APPROBANTUR

I—DECRETUM APPROBATIONIS PONTIFICIAE

Episcoporum delectum ita faciendum ut ad regendam cclesiam praeficerentur Pastores «facti forma gregis ex nimo» (1 *Pt* 5, 3) Apostolica Sedes praeteritis temporibus uravit editis particularibus regulis ad varias Nationes pectantibus.

Cum autem necesse sit ut etiam in hac parte vim suam xerant Oecumenici Concilii Vaticani II praescripta, Sum- nus Pontifex Paulus VI, plurimorum in Episcopatu Fra- rum acceptis votis et competentium Romanae Curiae Dicasteriorum exquisita sententia, ad effectum adducere tatuit id quod Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, n. 10 [LE 3457], edicitur, nimirum «Conferentiae Episcopales, uxta normas ab Apostolica Sede statutas vel statuendas, de viris ecclesiasticis ad Episcopatus officium in proprio territorio promovendis prudenti consilio sub secreto quo- tannis agant, et candidatorum nomina Apostolicae Sedi proponant». Itaque mandavit ut textus de hac re diligen- tissime appararetur et Conferentiarum Episcopalium exa- mini proponeretur.

Quibus absolutis, Summus Pontifex normas quae hic adnectuntur approbavit, quae de promovendis ad Episco- patum ecclesiasticis viris latini ritus agunt, non tangunt vero proprias Ecclesiarum Orientalium leges, quaeque vi- gere incipient a die XXI mensis Maii, anno MCMLXXII, simul abrogatis memoratis particularibus decretis.

Contrariis quibusvis non obstantibus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Martii, anno MCMLXXII.—G. Card. VILLOT, *Praefectus Consilii pro Pu- blicis Ecclesiae Negotiis.*/

II—NORMAE DE PROMOVENDIS AD EPISCOPALE MINISTERIUM IN ECCLESIA LATINA

ART. I—1. Episcopis facultas et officium competit Apostolicae Sedi patefaciendi nomina presbyterorum quos episcopali munere dignos putant et ad illud idoneos, non solum in ambitu dioecesani Cleri, sed etiam religiosorum qui in Dioecesi ministerio sacro funguntur, et sacerdotum alius iurisdictionis quos bene compertos habeant.

2. Singuli Episcopi dioecesani et alii loci Ordinarii, non autem Vicarii Generales, satagent acquirere notitias et elementa omnia, quibus opus est ut tale praecipuum et haud facile munus adimpleatur, sive ipsi per se explo- rantes, sive pro opportunitate consulentes, intra terminos suae iurisdictionis, non quidem in coetu, sacerdotes e Capi- tulo Cathedrali vel e gremio Consultorum, e Consilio presbyterali, alios denique tum e Clero, sive dioecesano sive regulari, tum e laicorum ordine.

3. Quod attinet ad ecclesiasticas circumscriptiones con- creditas Missionalibus Institutis, respectivis Moderatori- bus Supremis agnoscitur, iuxta praxim vigentem in Sacra Congregatione pro Evangelizandis Populis, facultas pro- ponendi candidatos e proprio Instituto, salvo semper iure Apostolicae Sedis, si id opportunum censuerit, aliter pro- videndi.

ART. II—1. Nomina candidatorum episcopalium re- gulariter perpendantur et proponantur ab Episcopis in coetum coalescentibus. Singulis tamen Episcopis, aliisque Ordinariis ut supra, art. I, 2, fas est candidatos Apostoli- cae Sedi directe proponere.

2. Coetus seu conferentiae de quibus agitur sint de more provinciales, constent nimirum ex Episcopis aliisque Ordinariis ut supra pertinentibus ad eandem Provinciam Ecclesiasticam, nisi peculiaria locorum adiuncta coetus interprovinciales, vel regionales vel demum nationales suadeant, Apostolica Sede prius certiore facta. / 388

ART. III—1. Coetui iisdem cum iuribus intersunt om- nes Episcopi Provinciae, vel Regionis vel Nationis, qui iuxta respectiva statuta ad eamdem Conferentiam Epi- scopalem pertinent cum voto deliberativo.

2. Agendorum ordinem praeparare coetibusque praeesse est Metropolitae, eoque absente Suffraganei senioris, si agatur de coetu provinciali; Conferentiae vero Praesidis si agatur de coetu regionali vel nationali.

ART. IV—1. Coetus habeantur certis intervallis, iuxta praescriptum in Motu Proprio «Ecclesiae Sanctae», n. 10. Expedit ut celebrentur cum de more Episcopi conveniunt.

2. Coetus recurrente tempore congregantur eo consilio ut Episcopi candidatos proponant vel, si casus ferat, circa candidatos iam antea propositos ulteriores notitias sup- peditent. Fieri etiam poterit ut aliquis e candidatis alias propositis, in indice non sit retinendus vel ob progressam aetatem, vel ob morbum, vel ob aliam causam, unde ad episcopatum inhabilis factus sit.

ART. V—Congruo tempore ante coetus congregationem, nomina proponendorum ab iis, qui interesse ius et officium habent, mittantur Praesidi, qui cum iisdem integram no- minum seriem communicare sataget, opportunis adhibitis cautelis.

Ipsi autem candidatorum nomina perpendant, et de unoquoque quae sibi perspecta sint adnotent.

ART. VI—1. De singulis candidatis notitias et animad- versiones Episcopi secum communicent, explicantes utrum de propria scientia eas confirment an ex auditu referant.

2. Sic autem examinandi sunt candidati ut discernatur an polleant dotibus quibus necesse est adornetur bonus pastor animarum et doctor Fidei: an nimirum bona fama honestentur, an sint moribus irrepre/hensibiles, recto iudi- 389
cio et prudentia instructi, animo aequabiles, indole con- stantes; an sint orthodoxae Fidei tenaces, Apostolicae Sedi devoti et Ecclesiae Magisterio fideles, an dogmaticam et moralem theologiam ac ius canonicum penitus calleant, an pietate, spiritu sacrificii et pastorali zelo fulgeant, an aptitudine ad gubernandum donentur. Sed et attendi debent acies ingenii, studiorum curriculum, sensus socialis, spiritus dialogi conserendi et cooperationis, intellegentia signorum temporum, laudabile studium non favendi parti- bus, familiae genus, valetudo, aetas, habitus per succes- sionem hereditariam traditi.

ART. VII—1. Absoluta disceptatione orali, vota, aut abstentio a voto, scripto aliave apta ratione exprimantur pro singulis candidatis.

2. Vota secreto exprimantur, ut integra unicuique servetur libertas in suffragando. Expedit ut, praeter ipsum votum, distincte indicetur indoles dioeceseos vel officii cui aptior quisque candidatus videatur.

3. Post lata suffragia de singulis candidatis, ipsa reco- gnoscantur, modo apto ad exactam computationem eo- rundem.

4. Si expedire videatur, Praeses potest Episcopos invi- tare ad novam oralem disceptationem, circa unum candi- datum vel plures, et suffragia iterum ferenda curare, quo nempe peculiares notae alicuius candidati clarius ap- pareant.

ART. VIII—1. Ante coetus absolutionem elenchus con- ficiatur eorum qui, episcopali munere digni et idonei, Apostolicae Sedi proponendi erunt.

2. Itidem, ante coetus dimissionem ea omnia deleantur ex quibus dignosci posset qua ratione singulus quisque suffragium tulerit. De omnibus autem in coetu peractis acta conficiantur ad normam iuris.

3. Optandum est omnino, ne Episcopi discedant nisi actorum tabulis perlectis, probatis et subsignatis.

ART. IX—Praeses coetus integrum exemplar actorum et elenchi candidatorum ad Apostolicam Sedem mittat per
390 Pontificium Legatum. /

ART. X—1. Illis in Nationibus in quibus plures exstant Provinciae Ecclesiasticae et id, iudicio saltem duarum tertiarum partium eorum qui cum voto deliberativo perti- nent ad Conferentiam Episcopalem Nationalem, expedire videbitur, elenchus in Provinciali vel Regionali coetu con- fectus mittatur, pro opportuna cognitione, ad Praesidem Conferentiae Episcopalis Nationalis, qui animadversiones et notitias addere poterit, prae mente habens necessitates et adiuncta Ecclesiae in tota Natione.

2. Itidem, si maiori parti ut in praecedenti paragrapho membrorum Conferentiae Episcopalis Nationalis expedire videbitur, statui poterit ut vel Comitatus permanens Con- ferentiae, vel peculiaris non nimis ampla Commissio, con- stans membris ab ipsius Conferentiae plenario coetu ad certum tempus eligendis, cui praeerit ipse Praeses Natio- nalis Conferentiae, animadversiones et notitias ut supra n. 1 addat.

ART. XI—1. Cum agitur de indicandis Apostolicae Sedi candidatis pro aliquo officio episcopali, ratio habenda est indicum confectorum a coetibus provincialibus, vel a coetibus regionalibus sive nationalibus in casibus descri- ptis art. II, 2.

2. Indices autem non minuunt libertatem Romani Pontificis, cui pro suo munere semper integrum est eligere et instituere etiam viros aliunde sumptos.

ART. XII—1. Antequam quilibet candidatus Episco- pus renuntietur, Apostolica Sedes de eo diligentem et prolatam peragit inquisitionem, consultis singulatim perso- nis quae eum intime norint et de eo valeant quam absolu- tissimas notitias et prudens deliberatumque coram Deo proferre iudicium.

2. Haec inquisitio facienda committitur Pontificio Le- gato, qui quidem quaestiones ad hoc confectas tradit ec- clesiasticis viris: episcopis, presbyteris, religiosis; possunt quoque eumdem in modum interrogari laici prudentes et
391 vere probati, qui utilia scitu de candidato norint. /

ART. XIII—1. Cum de providenda aliqua dioecesi aut de constituendo Coadiutore cum iure successionis agitur, Pontificius Legatus a Vicario Capitulari vel ab Admini- stratore Apostolico aut ab ipso Episcopo dioecesano requi- ret amplam et diligentem relationem de Dioeceseos statu et necessitatibus; poterunt etiam clerus et laicorum ordo, praesertim per corpora ad normam canonum instituta eorumque personas agentia, necnon religiosi interrogari.

2. Salvis casibus particulari lege vel consuetudine vel alia ratione legitime exceptis, ad ternos, qui dicuntur, Apostolicae Sedi proponendos, Pontificii Legati est singil- latim requirere et cum ipsa Apostolica Sede communicare, una cum suo voto, quid suggerant Metropolita et Suffra- ganei Provinciae ad quam pertinet, vel quacum in coetum convenit, providenda dioecesis, necnon Conferentiae Epi- scopalis Nationalis Praeses. Pontificius Legatus, insuper, quosdam e Capitulo Cathedrali, vel e Consultoribus dioe- cesanis, aliosque ex utroque Clero, praesertim e Consilio Presbyterali sede plena exsistente, pro opportunitate audiet.

3. Congrua congruis referendo, similis procedendi modi ratio habeatur ab iis ad quos candidatos proponere perti- net cum agitur de nominandis Episcopis Auxiliaribus.

ART. XIV—In iis omnibus expediendis, sive Episcopis, sive Pontificiis Legatis, sive Presbyteris et fidelibus quo- modocumque partem habentibus, praescriptum secretum Pontificium, quod vocant, ad amussim servandum est, quod exigunt ipsa natura rei et observantia debita personis de quibus agitur.

ART. XV—Firmo manente voto Concilii Oecumenici Vaticani II in Decr. *Christus Dominus* [LE 3332], n. 20, de Episcopis libere eligendis, normae quae praecedunt legitima privilegia concessa vel iure quaesita specialesque procedendi modos ab Apostolica Sede inita pactione vel aliter approbatos non abrogant nec iisdem obrogant. /

Adn. M. DESDOUITS in **L'ami du clergé** 82 (1972) 403-408; E. F. REGATILLO in **Sal terrae** 60 (1972) 464-467; P. TOCANEL in **Apoll.** 45 (1972) 375.

4044

1972 APR 13.-PAULUS VI, LITT. AP. AAS 64 (1972) 471

NUNTIATURA APOSTOLICA REIPUBLICAE ALGERIENSIS CONSTITUITUR

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Cum sit e maioribus apo- stolici officii Nostri munus, hodierni temporis necessitati- bus ac postulationi consentaneum, Apostolicae Sedis nun- tios apud nationum rectores legare quorum prudenti fide- lique opera ea in primis agat quae salutem spectet animo- rum, commodum esse censuimus si Algeriensis Respublica atque Sancta Sedes arctius vinculis inter se coniungerentur, idque solemni iustrumento. Quae cum ita sint, Nos, re qua oporteret diligentia considerata, summa Nostra po- testate *Nuntiaturam Apostolicam* in Republica Algeriensi constituimus, simulque decernimus ut eiusdem sedes in urbe Icosio, seu gallice Alger, sit. Huius vero nuntiaturae Legato officia, iura et privilegia tribuimus quae, praeter pacta conventa peculiaria, huiusmodi muneris propria sunt, ad normam Litterarum Apostolicarum *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* [LE 3761], quas motu proprio dedi- mus die XXV mensis Iunii, anno MDCCCCLXIX, quod videli- cet officia spectat Legatorum Romani Pontificis. Quae per praesentes Litteras statuimus, firma sint omnino nunc et in posterum, vimque suam habeant, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Aprilis, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius.*

4045

1972 APR 13.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 64 (1972) 471-472

IN REPUBLICA TUNETANA APOSTOLICA NUNTIATURA CONSTITUITUR, CUIUS SEDES IN URBE ICOSIO SEU ALGER, UT GALLICA LINGUA, COLLOCATUR

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Quantopere aestimanda ac facienda sit amicitia inter sanctam Christi Ecclesiam atque singulos orbis terrae populos ac nationes, ille facile intelleget, qui secum reputet per eam, cum nempe animi religiosae sociantur pignore pacis, posse cives maiore facultate cum suam fidem alere, tum etiam officia civilis / 472
vitae aptius tueri. Accedit quod Ecclesia, firmo coniun- ctionis et amicitiae vinculo, praedicationis munere liberius fungitur, in qua re tota eius vis et efficacia consistit.

Quamobrem, cum inter apostolicam Sedem et Rempu- blicam Tunetanam publicae necessitudines feliciter iunctae sint, quo magis hae constringantur, visum est Nobis in ea Republica *Apostolicam Nuntiaturam* constituere, cuius Sedes in urbe Icosio, seu gallice Alger, collocaretur. Quod, post rem bene reputatam, per praesentes Litteras facimus, Legato Pontificio munera, iura, privilegia dantes, quae, praeter pacta conventa, apostolicae Litterae continent *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* [LE 3761], die XXIV mensis Iunii, anno MDCCCCLXIX editae.

Contrariis nihil obstantibus.

Ceterum, hae Litterae Nostrae in perpetuum serventur, vimque suam omnem habeant, sive nunc sive in posterum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Aprilis, anno MCMLXXII, Pontificatus No- stri nono.—Aloisius Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius.*

http://www.obrascatolicas.com

4046

972 APR 18.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

ATRIMONIUM INTER PARTES GRAECO-ORTHODOXAM ET NGLICANAM CORAM MINISTRO ANGLICANO INITUM DECLARI POTEST NULLUM OB DEFECTUM RITUS SACRI SI PARTES NISTRUM ORTHODOXUM IN LOCO COMMODE ADIRE POTERANT

FACTI SPECIES.—Georgius, in Ecclesia graeco-orthodoxa ptizatus, et Helena, Communitati ecclesiali anglicanae iscripta, anno 1937 matrimonium mutuo affectu ac libero oluntatis consensu in Anglia, coram ministro anglicano ntraxerunt, licet in loco adesset ecclesia graeco-orthoxa sacerdotem proprium habens.

Anno 1956 Helena a viro discessit et divortium obtinuit; eorgius autem brevi post tempore matrimonium civile m Claudia, muliere catholica ritus latini, inivit. Idem r hanc illegitimam unionem coram Ecclesia catholica tificare volens, Tribunali ecclesiastico dioecesis S. supicem porrexit libellum, quo petiit declarationem nullitis sui matrimonii cum Helena ex defectu formae seu tus sacri.

Causa a Tribunali rite instructa et definita, Ordinarius ci exemplar authenticum actorum et sententiae pro ullitate matrimonii ad Supremum Signaturae Apostolicae ribunal misit ad obtinendam approbationem, uti statuit ecisio eiusdem Signaturae diei 28 novembris 1970.

IN IURE.—Uti notum est, die 28 novembris 1970, Patres ardinales, Membra Supremi Signaturae Apostolicae Tribualis, proposito dubio: *An constet de nullitate matrimonii inter uos orthodoxos ritus byzantino-romeni ob defectum formae seu itus sacri*, respondendum decreverunt: *Affirmative*. Summus utem Pontifex in audientia diei 28 decembris 1970, Cardinali raefecto eiusdem Supremi Tribunalis concessa, declaravit ihil obstare quominus haec decisio publicaretur [Cf. LE 3924].

Oportet tamen notetur, iuxta eamdem decisionem, in huiusodi causis instruendis inquirendum esse, praeter alia, an natrimonium celebrari potuisset coram ministro sacro citra rave incommodum, nam, si defectus benedictionis tribuendus it impossibilitati inveniendi ministrum sacrum, tunc matrionium etiam coram solis testibus initum valet.

Quaeritur tamen utrum minister protestanticus dici possit inister *sacer*. Communis fere sententia haec habet: Si ille inister vere est sacerdos, tunc procul dubio agitur de mistro sacro. Si vero charactere sacerdotali caret, tunc dici equit minister sacer, quia character sacerdotalis est effectus onsecrationis seu sacrae ordinationis; sed ad summum erit inister «a sacris» vel «ad sacra deputatus» sine ulla vera ordiatione; et quamvis in illa deputatione seu designatione «ad acra» aliquis ritus perficiatur, nullo modo hic ritus ut vera rdinatio haberi potest, qua deputato character ministri sacri letur. Ideo pastor protestanticus tamquam minister sacer aberi nequit, eiusque praesentia non sufficit ad matrimonii aliditatem. (Cf. C. PUJOL, *Decretum Concilii Vaticani II Orientalium Ecclesiarum». Textus et Comentarius*, Romae 970, p. 130).

Cum in casu praesenti agatur de ministro anglicano, ad mne rationabile dubium e medio tollendum, referre iuvat Litteras Apostolicas Leonis Pp. XIII *Apostolicae curae*, diei 13 septembris 1896. Summus Pontifex, definitive dirimere volens notam et tam acriter agitatam quaestionem de validitate ordinationum ritu anglicano peractarum, declaravit huiusmodi ormae et intentionis; requisita haec necessaria sunt, ut conferatur candidato ordo sacer, qui est Novae Legis sacramentum, quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad debita obeunda munia ecclesiastica. «Itaque, concludit, omnibus Pontificum Decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio, certa scientia, pronunciamus et declaramus, Ordinationes ritu anglicano actas irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas» (Cf. *Acta Leonis XIII*, vol. 16, pp. 258-275; *Fontes* C.I.C., vol. 3, n. 631, pp. 494-502, ad 6, 10 et 12).

IN FACTO.—In casu, ex certo et authentico documento constat Georgium baptismum in Ecclesia graeco-orthodoxa recepisse; unde sequitur quod ipse non poterat matrimonium validum contrahere absque praesentia et benedictione ministri sacri, quia certo certius facile adire poterat ecclesiam graeco-orthodoxam in loco existentem, ubi etiam aderat sacerdos eiusdem ritus stabiliter constitutus. Ex alia parte, iuxta declarationem Leonis Pp. XIII, Communitas ecclesialis anglicana non habet veros sacerdotes, qui possint sacram benedictionem sponsis impertiri.

In pertractanda causa, Iudex diligenter se gessit, perpendens omnes casus circumstantias et faciens omnia quae humaniter possibilia erant. Etenim, interrogavit actorem, qui sub iuramento confirmavit matrimonium unice in ecclesia anglicana initum fuisse et nunquam deinde a ministro orthodoxo benedictionem petivisse. Praeterea, excussit aliquos testes, qui confirmarunt actorem esse virum honestum, veracem ideoque fide dignum. Mulier autem conventa audita non est, quia, non obstante debita ac diligenti inquisitione, inveniri non potuit. Immo, iuxta quasdam informationes receptas a competenti auctoritate civili, conventa probabiliter iam mortua est. Defensor Vinculi, omnibus attente perpensis, declaravit se nihil excipiendum habere contra petitionem actoris.

Sententia Tribunalis pro nullitate matrimonii, die 25 novembris 1971 prolata, recte exarata apparet: in iure enim allegatur decisio Signaturae Apostolicae d. 28 novembris 1970; in facto autem Iudex animadvertit quod actor, si voluisset, facile potuisset obtinere benedictionem sui matrimonii a ministro sacro ecclesiae graeco-orthodoxae in loco, in quo matrimonium inivit cum Helena, parte conventa in causa, ideoque logice concludit: «*Affirmative*, seu *constare de nullitate matrimonii ob defectum formae seu ritus sacri, in casu*».

DECISIO.—In Congressu die 18 aprilis 1972 habito coram Emo Cardinali Praefecto, proposita sententia in causa nullitatis matrimonii de quo agitur die 25 novembris 1971 lata, et ad Signaturam Apostolicam pro approbatione missa, qua nempe nullum declaratur matrimonium ob defectum formae seu ritus sacri, decretum est: «*Sententia de qua agitur approbatur et rata habetur ita ut exsecutioni mandari possit*».

* Apoll. 45 (1972) 383-385.

4047

1972 APR 21.-PAULUS VI, NUNT. AAS 64 (1972) 381-385

Nuntius scripto datus universis christifidelibus et bonae voluntatis hominibus, die recurrente recto instrumentorum communicationis socialis usui provehendo per totum terrarum orbem dicato:

DE STUDIO ET OFFICIO VERITATIS RECTE PERSEQUENDAE AC INTEGRE PROPONENDAE PER INSTRUMENTA COMMUNICATIONIS SOCIALIS

Fratelli e figli sparsi nel mondo, uomini tutti di buona volontà, L'uomo moderno può facilmente riconoscere che molti dei suoi atteggiamenti, giudizi, prese di posizione, adesioni e opposizioni sono dovuti alle sempre più vaste e rapide conoscenze di opinioni e di comporta/menti, a lui 382
pervenute tramite gli strumenti della comunicazione sociale.

La nostra vita pone giovani e adulti di fronte ad un flusso quasi incessante di notizie e interpretazioni, di immagini e suoni, di proposte e sollecitazioni. In questa situazione, l'essere ragionevole si sente stimolato all'interrogativo inquietante: dov'è la verità? Come attingerla o riscoprirla nella colluvie di comunicazioni che incalzano in ogni momento?

num accedere potest, res ita disponantur ut sacerdos,
atenus fieri potest, singulis vicibus audiat sacramenta-
confessiones aliculus coetus paenitentium, dum aliis
enitentibus, si adsint condiciones de quibus supra [9],
cramentalem absolutionem generali modo impertit; ita
men ut omnes fideles, si possibile sit, semel saltem in
no confessionem individualem perficere valeant.

X. Fideles enixe edoceantur celebrationes liturgicas et
mmunes ritus paenitentiales perutiles esse ad praepara-
onem magis fructuosae confessionis peccatorum et ad
tae emendationem. Caveatur autem, ne huiusmodi cele-
ationes vel ritus cum sacramentali confessione et absolu-
ne confundantur.
Si intra huiusmodi celebrationes paenitentes indivi-
alem confessionem perfecerint, unusquisque a confes-
rio, quem adit, singulariter absolutionem accipiat. In
su autem absolutionis sacramentalis una simul pluribus
ndae, haec impertiatur semper iuxta peculiarem ritum /
Sacra Congregatione pro Cultu Divino statutum [10].
ius ritus celebratio sit omnino distincta a Missae cele-
atione.

XI. Qui actu est scandalo fidelibus, potest quidem, si
t sincere paenitens et scandalum removere serio propo-
t, sacramentalem absolutionem una cum aliis accipere;
l S. Communionem tamen ne accedat, nisi postquam
andalum removerit iuxta confessarii iudicium, ad quem
rius personaliter recurrat.
Quoad absolutionem a reservatis censuris, serventur
ormae iuris vigentis, tempus recursus computando a
roxima individuali confessione.

XII. Ad confessionem frequentem seu «devotionis»
uod attinet, sacerdotes ne audeant ab ea dissuadere fi-
eles. E contra, uberes eius fructus pro vita christiana com-
nendent [11] seque ad eam excipiendam semper paratos
stendant, quotiescumque id a fidelibus rationabiliter pe-
itur. Omnino vitandum est, ne confessio individualis ad
ola peccata gravia reservetur; hoc enim fideles privaret
ptimo fructu confessionis, ac famae noceret eorum, qui
ingulariter ad sacramentum accedunt.

XIII. Absolutiones sacramentales modo generali im-

[7] Cfr. Conc. Lat. IV, c. 21, cum Conc. Trid., Doctrina de Sacramento Paenitentiae, c. 5 De confessione et can. 7-8: DS 812; 1679-1683 et 1707-1708; cfr. etiam Prop. 11 damnata a S. C. S. Officii in Decr. 24 Sept. 1665: DS 2031.

[8] Cfr. Instructio S. Paenit. Apost. diei 25 martii 1944 [LE 1792]. [9] Cfr. n. III. [10] Attamen, usque ad novi huius ritus promulgationem, ipsa absolutionis sacramentalis verba, nunc praescripta, adhibenda sunt, quae, ut patet, plurali numero aptentur. [11] Cfr. Litt. Encycl. *Mystici Corporis*, A. A. S. 35 (1943), p. 235 [LE 1759].

pertitae, nisi supradictae normae servantur, tamquam abusus graves habendae sunt. Quod pastores omnes sedulo arceant, conscii moralis oneris sibi iniuncti erga bonum ac dignitatem sacramenti paenitentiae tuendam.

Has normas Summus Pontifex Paulus Pp. VI, in audientia infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei Praefecto die 16 Iunii 1972 concessa, speciali modo adprobavit ac promulgari statimque valere iussit.

Romae, ex aedibus S. Congregationis pro Doctrina Fidei, die 16 Iunii 1972.—Franciscus Card. Seper, *Praefectus*. Paulus Philippe, *a Secretis*.

Adn. M. DESDOUITS in **L'ami du clergé** 82 (1972) 9-11; 83 (1973) 103-108; G. LOBO in **The Clergy Monthly** 38 (1972) 390-393; B. RUSSO in **Pal. clero** 51 (1972) 1095-1112; G. SESSOLO in **L'Osservatore romano**, diei 31 iul. -1 aug. 1972, p. 1-2; D. TETTAMANZI in **La Scuola cattolica** 100 (1972) 255-289; P. TOCANEL in **Apoll.** 45 (1972) 587; M. ZALBA in **Notit.** 8 (1972) 317-328 et in **PrM** 62 (1973) 193-213 et in **Rassegna di Teologia** 13 (1972) 17-39; **Doc. Cath.** 54 (1972) 1124-1125.

4061

1972 IUN 16.-SC CULTUS DIVINI, RESCRIPTUM. PART.*

ORDINARIUS LOCI CONCEDERE POTEST, IN ADIUNCTIS PARTICULARIBUS, CELEBRATIONEM UNIUS MISSAE IUXTA VETEREM RITUM ROMANUM

Preces—*Mon Révérend Père*, Le 19 mai dernier, j'ai eu l'honneur de solliciter un renseignement, et éventuellement une autorisation, au sujet de la Messe de Saint Pie V. Je me permets de renouveler, ce jour, mon instance.

Chaque année, la «Schola Saint-Grégoire» du Mans (Ecole technique et pratique de Chant Grégorien) organise une Session internationale pour ses élèves. Celle-ci s'achève par une messe radiodiffusée sur «France-Culture». Elle sera célébrée le 23 juillet, et, bien entendu, le nouvel «Ordo Missae» sera utilisé.

Mais, pour la Session, qui se déroule au Grand Séminaire du Mans, pour les seuls élèves, la directrice désirerait utiliser la Messe de Saint Pie V. S'agissant d'un groupe spécifique et restreint, compte tenu des règles en vigueur, peut-elle envisager cette messe? Si une autorisation est nécessaire, vu le cas précis, Son Excellence Monseigneur Alix peut-il l'accorder?

Avec ma gratitude, et celle des élèves de la Schola Saint-Grégoire pour l'intérêt que vous voudrez bien apporter à ma missive, je vous prie d'agréer, etc.».

Rescr.—*Sacra Congregatio die 16 iunii respondit:* «quaestionem proponendam esse Ordinario Dioecesano, qui pro sua prudentia pastorali iudicabit an opportunum sit concedere celebrationem *unius* sanctae Missae iuxta Missale romanum non instauratum, remoto quovis periculo dissentionis et turbationis in communitate fidelium».

* Cuidam sacerdoti dioecesis Cenomanensis, qui die 7 iunii 1972 praedictam miserat epistulam S. Congregationi pro Cultu Divino: Notit. 9 (1973) 48, ubi tamen adnotatur: «Quidam, neglegentes petitionem scribentis, deduxerunt Ordinarium loci concedere posse, de more, celebrationem Missae iuxta Missale non instauratum. Clarum est in petitione et in responsione agi de unica missa «pour un groupe spécifique et restreint», in quodam «cas précis». Quaevis alia illatio est inepta et falsa.»

4062

1972 IUN 17.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECR. PART.*

APPELLATIO APUD ROTAM NUNTIATURAE APOSTOLICAE HISPANIARUM PROPOSITA DEFERRI POTEST AD ROTAM ROMANAM ANTE CITATIONEM PARTIUM

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, visa instantia a Dño Paulo, actore in causa, die 27 aprilis 1972 missa ad obtinendum ut causa definita in prima instantia a Tribunali Metropolitano pertractari ac definiri possit in secunda instantia a Sacra Romana Rota potius quam a Rota Nuntiaturae Apostolicae in Hispania ad quam idem actor appellaverat; viso consensu partis conventae; attento art. 39 M.P. *Apostolico Hispaniarum Nuntio* [LE 1923], quo facultas datur partibus in hoc mutuo convenientibus causas directe ad Sacram Rotam per legitimam appellationem deferre; attento can. 1725, n. 2 (collato cum art. 216, § 3, Instructionis *Provida Mater* [LE 1347], vi cuius causa fit propria tribunalis cum citatio legitime peracta fuerit; consideratis notitiis ab Excmo Nuntio Apostolico missis, ex quibus constat citationes nondum factas esse, decrevit: «*Actor utatur iure suo appellationem prosequendi apud Sacram Romanam Rotam*».

Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 17 iunii 1972.—Dinus Card. Staffa, *Praef.* Aurelius Sabattani, *a Secr.*

* Apoll. 45 (1972) 389

4063

1972 IUN 19.-PAULUS VI, LIT. AP. AAS 64 (1972) 545

In Republica Litoris Eburnei Apostolica Nuntiatura constituitur, cuius sedes in urbe Dakar collocatur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.—Iussum, quo Christus Dominus praecepit apostolis suis ut universum terrarum orbem peragrantes divina hominibus monita traderent (cf. *Mc.* 16, 15), tam instat, ut Nos, toto animo in eas rationes atque consilia incumbamus, quae ad sanctissimam religionem latius propagandam gentibusque inferendam conducant. Cui sane rei cum Romanae Sedis ceterarumque nationum mutua amicitia prosit admodum, idcirco sancta Christi Ecclesia curam hanc egit usquequaque ut cum populis necessitudines coniungeret. Cumque, opitulante Deo, qui omnia temperat, apostolica haec Sedes et Res publica Litoris Eburnei secundo rerum cursu in vicem voluntatem sibi conciliaverint, visum est cum utriusque commodo fieri, si ibi loci *Apostolica Nuntiatura* constitueretur, cuius sedes, nunc quidem, in urbe Dakar collocaretur. Quod per has Litteras facimus, datis iuribus omnibus. Ceterum quod iussimus sive nunc in posterum robur suum habeat, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Iunii, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri nono.—Aloisius Card. Traglia, *S. R. E. Cancellarius*.

4064

1972 IUN 19.-SIGNATURA APOSTOLICA, DECISIO. PART.*

SACERDOS E SOCIETATE SINE VOTIS SAECULARIZATUS ET LEGITIME UXORATUS CARET IURE PERCIPIENDI REDITUS ET PENSIONEM CONSTITUTAM EX BONIS QUAE AD SOCIETATEM PERTINEBANT

Facti Species.—Dominus Paulus, olim sodalis Congregationis Religiosae in ditione Archidioecesis X, obtento indulto laicisationis, atque paulo post matrimonio rite celebrato, Superiori eiusdem Congregationis scripsit: «I once more make my claim against the Congregation for $ 8.865 (25 years 8 months of Masses at the rate of 6 Masses per week for 46 weeks of each year)». Superior autem respondit: «Your letter of 28th july last was discussed at a Chapter held recently. The decision reached was that you have no claim on the Congregation».

Tunc Dñus Paulus, die 8 decembris 1969, ad Summum Pontificem recurrit scribens: «For 25 years 8 months I was a member of the Congregation Y and as such contributed to the Congregation Fund all my Mass stipends and Stole dues. I am now reclaiming the amount contributed by me to this Fund by way of Mass stipends (scilicet $ 8.865 dollars) ... I have not claimed my Stoles dues which must be in the region of $ 25.000. I regard them as more than adequately covering any expenses incurred by the Congregation on my behalf such as one or two minor illnesses, my education for the Priesthood, etc.».

Hoc scriptum una cum adnexis documentis Secretaria Status transmisit Signaturae Apostolicae, quae «vorrà prenderne visione e sottoporlo all'esame di codesto Supremo Tribunale».

Duae quidem ponuntur quaestiones: I.—Quonam competentiae titulo hoc Supremum Tribunal praesentem causam cognoscat? II.—Utrum recursus valido fundamento nitatur, seu utrum recurrens ius habeat ad restitutionem cuiusdam summae pecuniae e parte Congregationis Y?

IN IURE ET IN FACTO

I.—De titulo competentiae.

Certe agi non potest de competentia n. 106 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae* [LE 3588] statuta ad dirimendas contentiones ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae ortas, quae Signaturae Apostolicae deferuntur ob interpositam appellationem seu recursum adversus decisionem competentis Dicasterii, quoties legis violatio allegetur (cf. *Normae Speciales*, art. 96, n. 1 [LE 3630]).

Nec agitur de negotio administrativo a Congregatione Romanae Curiae delato.

Quaestio quidem videtur Signaturae Apostolicae a Summo Pontifice commissa esse (Const. Apost. *Regimini*, n. 107). Quod patet ex ipsis Secretariae Status litteris, peculiari ratione habita instantiae recurrentis, qui a Summo Pontifice expresse imploravit: «I am most anxious, Your Holiness, that this matter be settled soon and that it be settled by the Holy See, not by Archidiocese X nor by an Civil Court».

Cum igitur Signatura Apostolica ex Pontificia Commissione casum cognoscat, de merito causae sine dubio iudicandum est.

II.—Quid de fundamento recursus?

1. Quoad petitum a recurrente postulatum, is, contra ac litteris diei 8 decembris 1969 asserebat, alia epistula die 11 ianuarii 1971 huic Supremo Tribunali missa, praeter summam $ 8.865 pro Missis, alteram pro iuribus Stolae postulat: «After taking into consideration the cost of my education to the Priesthood, my medical, dental and opticians expenses, and my monthly remuneration, I claim $ 8.865 for my Mass offerings and $ 11.320 for my Stole dues, making a total of $ 20.185.

2. Ad rationes seu motiva quod attinet, «in which I base the above claim, ait recurrens D.nus Paulus, they were: 1) There was no wow of Poverty. 2) I was a secular priest (as were all the Members of the Congregation) ordained under the tile of the Archdiocese X. 3) Each year the Archdiocese Year Book listed the members of the Congregation Y as Diocesan Clergy. 4) All offerings received while on vacation were the priest's own property. 5) There was no written or oral agreement that once hanted in the offerings were property of the Congregation. There was merely an understanding that the priest would be provided for especially in retirement. 6) The Congregation have no legal or moral right to retain the money I have handed in especially when this is against my will».

3. Quaestio fundamentalis canonica ponitur de iuridica natura Religiosae Congregationis Y, atque de iure quo regitur, ad bona peculiariter temporalia quod attinet.

1) «Ratio» autem praedictae Congregationis enuntiatur, quod haec «ex Clero coalescens Archidioeceseos X Societate continetur Sacerdotum saecularium, qui quum a reliquo Dioeceseos Clero divisi non sint, una cum eodem iurisdictioni Archiepiscopi subsunt: vitamque communem et quadamtenus regularem degentes in id incumbunt, ut ipsimet Archiepiscopo auxilio sint» *(Constitutiones)*.

Finis vero prior Congregationis statuitur «ad singulorum membrorum sanctificationem per vitam imprimis communem obtinendam» *(ibid.)*.

Inter conditiones admittendi socios in Congregationem asseritur quod «nihil tanquam conditio necessaria vel ad ingressum vel ad stabilitatem in Congregatione usque ad vitae exitum requiretur, nisi simplex in ea perseverandi promissum...» *(ibid.)*.

Congregatio Y igitur aequiparatur Societati virorum in communi viventium sine votis, quae praescriptis canonum 673-681 regitur.

Rationes proinde a recurrente D.no Paulo supra sub numeris 1-3 enumeratae revera comprobantur ac commode admittuntur.

2) Ad bona vero temporalia quod attinet, quae ceteris recurrentis sub nn. 4-6 rationibus vindicantur, perpendenda sunt super re iuris praescripta.

Iuxta autem Constitutiones memoratae Congregationis, sacerdotes qui uti socii admittuntur, «cautionem dabunt et pactum restituendi, quod in eos a Congregatione expensum fuerit, inibunt» *(Constitutiones)*. Cuius obligationis restituendi ipse D.nus Paulus conscius est, cum, litteris diei 8 decembris 1968, iura Stolae non vindicanda esse agnoverit, utpote quae habenda sunt tanquam «covering any expenses incurred by the Congregation on my behalf». Nec videtur, ex hoc capite, quomodo iustificari possit vindicatio iurium Stolae, quae recurrens, ulterius, litteris diei 11 ianuarii 1971, expostulavit.

Immo ad rem habetur textus explicitus capitis III Constitutionum «De bonorum ecclesiasticorum subiectione»: «Eleemosynae pro Missis acceptae, aliique reditus et fructus omnes qui ex exercitio ministeriorum ecclesiasticorum Sodalibus proveniunt, subiicientur Congregationi».

Ex hoc Constitutionum praescripto clare patet bona, quae Sodalibus obveniunt tum ex Missarum eleemosynis tum ex Stolae iuribus, Congregationi acquiri. Ac proinde rationes supra sub nn. 5 et 6 a recurrente allatae non sustineri videntur, videlicet quod non solum adest «written or oral agreement that once handed in the offerings were property of the Congregation», quin immo hoc pactum induit formam legis seu normae constitutionalis Societatis; atque D.nus Paulus, quo in Congregationem admitteretur, hanc «formulam oblationis» pronuntiare debuerit: «...oboedientiam ad praescriptum Congregationis offero et promitto».

Ideoque iuxta praescriptum Constitutionum, Congregatio habet «legal and moral right to retain the money», seu «reditus et fructus omnes, qui ex exercitio ministeriorum ecclesiasticorum Sodalibus proveniunt».

Quod vero «all offerings received while on vacation were the priest's own property», id validum pro Congregatione argumentum praestat, atque pro feriis affert exceptionem, quae confirmat normam generalem de ordinaria Congregationi subiectione omnium bonorum, quae Sodalibus sacerdotibus ex exercitio ministeriorum ecclesiasticorum proveniunt.

http://www.obrascatolicas.com

3) Manet quaestio de obligatione Congregationis, quod «the priest would be provided for especially in retirement».

Revera institutus est «Fundus Sodalium Congregationis» ad auxilium aegrotis et senibus Sociis praestandum. Ideo quaeritur utrum D.nus Paulus ius habeat ad restitutionem summarum ab ipso in hunc communem Fundum immissarum.

Ipse autem recurrens, vindicat summam § 20.185 Americanorum nummorum, «quae pecunia, scribit eius patronus, ei debetur cum ab eodem per 25 annos et 8 menses fructus e suo apostolico ministerio provenientes dedit ac remisit ad «Fundum Sodalium», intentione recipiendi debitam in senectute adsistentiam, quae ceterum est exsecutio ipsius fundi».

Pro casu autem, quo D.nus Paulus, e Congregatione egressus, ad Clerum Archioeceseos X simpliciter associari intendisset, Superior Congregationis eidem significaverat quod «it has been decided that the Community will help to provide for sickness and old age by paying your entrance fee to the Secular Clergy Common Fund or an alternative fund of a similar nature».

Quae Congregationis propositio revera componitur, ad normam rectae aequitatis, cum fine «Fundi Sodalium», eo quod is, cuius interest, permanet officio sacerdos in dioecesi. Aliter, «at no time, scribit Superior, has any priest who seceded from the Congregation been compensated for previous duties performed whilst Member of the Congregation».

At hanc propositionem D.nus Paulus recusavit, quia ministerium sacerdotale deserere intendebat, et nunc aliam vitam matrimonio gerit.

Tunc ad eiusdem vindicationes quod attinet, ex adhuc relatis sequentes deduci possunt animadversiones.

Ad normam Constitutionum Congregationis, D.nus Paulus non habet ius ad restitutionem redituum, qui ex exercitio ministerii ecclesiastici ei provenerint atque in Fundum Sodalium Congregationis immissi sint, utpote qui iam Congregationi subiciuntur. Aliunde computatio istorum redituum a recurrente exhibita sat arbitraria videtur.

Praeterea D.nus Paulus, cum Sodalis Congregationis non amplius sit, quin immo ad statum laicalem redactus, adsistentiam a Congregatione praetendere nequit, eo magis quod, de facto, nec aegrotus nec senex sit.

4. Demum, si ratio caritatis attendatur, ordo quoque caritatis servandus est, nec convenit ut fructus ministerii sacerdotalis tribuantur ei, qui sacerdotium deseruit ut aliam vitam matrimonio componeret. Aliter grave damnum Congregationi integrisque presbyteris inferretur. Proinde oportet illi reditus pro debita adsistentia fidelibus sacerdotibus, ceteroquin ad normam iuris, serventur atque impendantur.

DECISIO.—In Congressu habito die 19 Iunii 1972 coram Emo Cardinali Praefecto, proposito recursu a Dño Paulo interposito adversus Congregationem Y Archidioeceseos X ad obtinenda stipendia SS. Missarum a recurrente celebratarum ante reductionem ad statum laicalem, decretum est: «*Recursum esse reiciendum, utpote manifeste carentem fundamento*».

* Apoll. 45 (1972) 391-396.

4065

1972 IUN 21.-SC RELIGIOSORUM, RESPONSUM. PART.*

MONASTERIA MONIALIUM DOMINICARUM QUAE VOTA TANTUM SIMPLICIA ADHUC EMITTUNT, SERVARE TENENTUR CLAUSURAM «PAPALEM» AUT «CONSTITUTIONALEM»

Romae, die 21 Iunii 1972

Reverende Pater, Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, ad quaesita proposita circa Monasteria Monialium Dominicanarum quae vota tantum simplicia emittunt, omnibus attente consideratis, quae sequuntur respondendum putat:

1. post editam Constitutionem Apostolicam *Sponsa Christi* [LE 2167] et Instructionem *Inter cetera* [LE 2569], uti Moniales habeantur quae professae sunt in Monasteriis in quibus vota sollemnia vel actu emittuntur vel ex instituto emitti deberent;

2. Monasteria in quibus ob graves rationes vota sollemnia sucipi nequeant, simplicia adhuc retinere poterunt;

3. Clausura quae episcopalis dicitur pro Monialibus in posterum iam agnosci non poterit:

4. proinde, praefata Monasteria clausuram servare tenentur, quae erit «papalis», ad normam iuris et Instructionis *Venite seorsum* [LE 3779], si vitam unice contemplativam persequi desiderant, vel «constitutionalis», iuxta praescriptum Motu Proprio *Ecclesiae sanctae* [LE 3457], n. 32, si aliqua apostolatus opera exercent; quo in casu, Constitutiones Ordinis ad suam peculiarem condicionem aptare atque Statutum praeparare debent, examini et approbationi huius Sacrae Congregationis postea subiciendum.

Quae dum communico cum Paternitate Tua, cuncta fausta a Domino apprecor ac permaneo addictissimus in Domino—
AUG. MAYER, *Secr.*

* Procuratori Generali Ordinis Fratrum Praedicatorum, Prot. N. 33902/72: AOP 80 (1971-72) 860.

4066

1972 IUN 24.-SC CULTUS DIV., DECR. AAS 65 (1973) 274

ORDO CANTUS MISSAE SEU GRADUALIS ROMANI NOVA ORDINATIO PROMULGATUR CUM PROPRIIS RECOGNITIS NORMIS

I—DECRETUM PROMULGATIONIS

Thesaurum cantus gregoriani, quem traditio usque ad nostram aetatem transmisit, sancte esse servandum et opportune adhibendum Concilium Vaticanum II in Constitutione de sacra Liturgia (nn. 114 et 117) [LE 3141] expresse declaravit.

Ut haec ergo norma ad effectum deduceretur, praesertim post editos novos libros liturgicos, secundum mentem eiusdem Concilii Vaticani instauratos, Sacra haec Congregatio pro Cultu Divino opportunum duxit quaedam indicare, quibus Graduale Romanum novae rerum condicioni accommodaretur et nullus textus deperderetur thesauri authentici cantus gregoriani.

Statuit proinde Sacra haec Congregatio, de mandato Summi Pontificis Pauli VI, ut, qui celebrationem eucharisticam lingua Latina peragunt, in disponendis cantibus ad illam pertinentibus novam hanc ordinationem sequantur. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 24 iunii 1972, in Nativitate sancti Ioannis Baptistae.—
Arturus Card. TABERA, *Praefectus*. A. Bugnini, Archiep. tit. Diocletianensis, *a Secretis*.

II—PRAENOTANDA GENERALIA*

I. *De instauratione Gradualis Romani*

Instauratio Calendarii generalis et librorum liturgicorum, praesertim vero Missalis et Lectionarii, id effecit ut nonnullae mutationes et accommodationes necessariae evaderent etiam in Graduali Romano. Etenim, suppressis quibusdam celebrationibus in anno liturgico, veluti tempore Septuagesimae, octava Pentecostes, Quattuor anni Temporibus, etiam Missae ipsis respondentes auferendae erant; quibusdam autem Sanctis ad aliud anni tempus translatis, opportunae aptationes faciendae erant; dum, e contra, novis Missis inductis cantus proprii erant providendi. Item nova ordinatio lectionum biblicarum requisivit ut nonnulli textus, ex. gr. antiphonae ad communionem, quae cum ipsis lectionibus arctius conectuntur, ad alios dies transferrentur.

Huiusmodi Gradualis Romani nova ordinatio facta est, prae oculis habitis iis quae n. 114 Constitutionis de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, praecipiuntur: «Thesaurus musicae sacrae summa cura servetur et foveatur». Authenticum enim repertorium gregorianum nullum detrimentum passum est; immo aliquo modo fuit instauratum, sepositis recentioribus imitationibus, textibus antiquis aptiore ratione dispositis, quibusdam adiectis normis, quae ipsius repertorii usum facilliorem et magis varium efficerent.

Imprimis ergo curae fuit thesaurum gregorianum authenticum integre servare. Proinde cantus ad Missas pertinentes, quae in anno liturgico locum iam non obtinent, ad alias Missas formandas adhibiti sunt (ex. gr. pro feriis Adventus, pro feriis inter Ascensionem et Pentecosten), aut pro aliis substituti sunt, qui pluries in anno occurrunt (ex. gr. tempore Quadragesimae vel in dominicis per annum) aut, eorum indole permittente, celebrationibus Sanctorum attributi sunt.

Sed et viginti fere textus gregoriani authentici, qui decursu temporum ob varias mutationes inductas e repertorio deciderant, iterum in ipsum assumpti sunt. Provisum est quoque ne ullus cantus authenticus deturparetur vel mutilaretur, demptis ex eo quibusdam elementis, quae cum aliquo tempore liturgico minus forsan conveniant, prouti sunt *Alleluia*, quae in ipso antiphonarum textu aliquando occurrunt cum notis, quae partem integram melodiae constituunt.

Sepositio autem partium, quae tardiores exhibent imitationes *neo-gregorianas*, praesertim in festis Sanctorum, id efficiet ut authenticae solummodo retineantur cantilenae gregorianae, quamvis semper liceat, iis, qui maluerint, easdem melodias *neo-gregorianas* retinere et cantare. Nulla enim ex his plane expungitur e Graduali Romano. Immo pro nonnullis, quae in usum universalem receptae sunt (ex. gr. in sollemnitatibus Ss.mi Cordis Iesu, D. N. Iesu Christi universorum Regis, Immaculatae Conceptionis B. M. V.), nulla alia substituta est. Loco aliarum, e contra, proponuntur cantus ex authentico repertorio selecti, eundem textum, quantum fieri potest, referentes.

Curae denique fuit authenticum repertorium gregorianum, melodiis non authenticis purgatum, aptius disponere, ut nimiae repetitiones eorundem textuum vitarentur, et eorum loco assumerentur aliae partes, optimae quidem formae, quae semel tantum in anno occurrunt. Hinc omnimoda industria est adhibita quo ditiora fierent Communia, omnibus collectis in iis cantibus qui alicui Sancto stricte proprii non sunt, et proinde pro omnibus Sanctis eiusdem ordinis possunt assumi. Communia insuper ditata sunt pluribus cantibus, e Proprio de Tempore derivatis, qui raro adhibebantur. Rubricae autem

* Notit. 8 (1972) 216-220.

ampliorem facultatem praebent hauriendi e Communibus noviter dispositis, ita ut necessitatibus quoque pastoralibus largius satisfiat.

Eadem fere ratione facultas tribuitur eligendi inter cantus ad Proprium de Tempore pertinentes: nam pro textu diei proprio alium textum eiusdem temporis licet pro opportunitate substituere.

Normae quoque pro cantu Missae, initio Graduali Romani exstantes, ita recognitae sunt atque emendatae, quo clarius munus uniuscuiusque cantus clarius appareret.

II. *De ritibus in cantu Missae servandis*

1. Populo congregato, et sacerdote cum ministris ad altare accedente, incipitur antiphona ad introitum. Eius intonatio brevior vel magis protracta pro opportunitate fieri potest, vel, melius, cantus potest ab omnibus simul inchoari. Asteriscus proinde, qui ad partem intonationis significandam in Graduali invenitur, signum habendum est solummodo indicativum.

Antiphona a choro decantata, versus a cantore vel a cantoribus proferatur, ac deinde antiphona resumatur a choro.

Huiusmodi antiphonae et versiculorum alternatio haberi potest quoties sufficit ad processionem comitandam. Attamen antequam antiphona in fine repetatur cantari potest, ut ultimus versus, *Gloria Patri, Sicut erat*, per modum unius decantatus. Si autem *Gloria Patri* peculiarem habet terminationem melodicam, haec eadem terminatio in omnibus versiculis adhibenda est.

Si contingat ex versu *Gloria Patri* et antiphonae iteratione cantum nimis protrahi, omittitur doxologia. Si autem processio brevior est, unus tantum psalmi versus adhibetur, vel etiam sola antiphona, nullo addito versu.

Quoties vero liturgica processio Missam praecedit, antiphona ad introitum canitur dum processio ingreditur ecclesiam, vel etiam omittitur, prout singulis in casibus in libris liturgicis providetur.

2. Acclamationes *Kyrie, eleison* inter duos vel tres cantores aut choros, pro opportunitate, distribui possunt. Acclamatio quaeque de more bis dicitur, non tamen excluso numero maiore, attenta praesertim ratione artis musicae.

Quando *Kyrie* cantatur ut pars actus praenitentialis, singulis acclamationibus brevis tropus praeponitur.

3. Hymnus *Gloria in excelsis* inchoatur a sacerdote vel, pro opportunitate, a cantore. Profertur autem aut alternatim a cantoribus et choro, aut a duobus choris sibi invicem respondentibus. Divisio versuum, quam significant geminatae lineae in Graduali Romano, non necessario servanda est, si quis aptior modus inveniatur, qui cum melodia possit componi.

4. Quoties sunt duae lectiones ante Evangelium, prima lectio, quae de more e Vetere Testamento depromitur, profertur secundum tonum lectionis seu prophetiae, ea terminatur consueta forma puncti. Etiam conclusio *Verbum Domini* cantatur eadem forma puncti, omnibus deinde acclamantibus *Deo gratias*, iuxta modum in fine lectionum consuetum.

5. Post primam lectionem dicitur Responsorium Graduale a cantoribus vel a choro. Versus autem a cantoribus profertur usque ad finem. Nulla proinde ratio habenda est asterisci, quo indicatur resumptio cantus a choro facienda in fine versus Gradualis, versus ad *Alleluia* et ultimi versus Tractus. Quando autem opportunum videtur, licet repetere primam partem Responsorii usque ad versum.

Tempore paschali, omisso Responsorio Graduali, cantatur *Alleluia*, prout infra describitur.

6. Lectio secunda, quae e Novo Testamento desumitur, cantatur in tono Epistolae, cum clausula finali propria. Potest etiam cantari in tono primae lectionis. Conclusio autem *Verbum Domini* cantatur secundum melodiam in tonis communibus notatam, omnibus deinde acclamantibus *Deo gratias*.

7. Secundam lectionem sequitur *Alleluia* vel Tractus. Cantus *Alleluia* hoc modo ordinatur: *Alleluia* cum suo neumate canitur totum a cantoribus et repetitur a choro. Pro opportunitate tamen cantari potest semel tantum ab omnibus. Versus a cantoribus profertur usque ad finem; post ipsum vero *Alleluia* ab omnibus repetitur.

Tempore Quadragesimae, loco *Alleluia* cantatur Tractus, cuius versus alternatim canuntur a duabus partibus chori sibi invicem respondentibus, vel alternatim a cantoribus et a choro. Ultimus versus ab omnibus cantari potest.

8. Sequentia, si casus fert, cantatur post ultimum *Alleluia* alternatim a cantoribus et a choro, vel a duabus partibus chori, omisso *Amen* in fine. Si non cantatur *Alleluia* cum suo versu, omittitur Sequentia.

9. Quoties una tantum fit lectio ante Evangelium, post eam cantatur Responsorium Graduale vel *Alleluia* cum suo versu. Tempore autem paschali canitur alterutrum *Alleluia*.

10. Ad cantum Evangelii, post clausulam finalem propriam, additur conclusio *Verbum Domini*, prout in tonis communibus notatur, omnibus deinde acclamantibus *Laus tibi, Christe*.

11. *Credo* de more aut ab omnibus aut alternatim cantatur.

12. Oratio universalis iuxta uniuscuiusque loci consuetudines peragitur.

13. Post antiphonam ad offertorium cantari possunt, iuxta traditionem, versiculi, qui tamen semper omitti possunt, etiam in antiphona *Domine non sum dignus*, in Missa pro defunctis. Post singulos versus resumitur antiphonae ad hoc indicata.

14. Praefatione peracta, omnes *Sanctus* cantant; post consecrationem vero, proferunt acclamationem anamneseos.

15. Expleta doxologia Precis eucharisticae, omnes acclamant: *Amen*. Deinde sacerdos solus invitationem profert ad Orationem dominicam, quam omnes cum ipso dicunt. Ipse autem solus embolismum subdit, quem omnes doxologia concludunt.

16. Dum fractio panis et immixtio peraguntur, invocatio *Agnus Dei* a cantoribus, omnibus respondentibus, cantatur. Haec invocatio repeti potest quoties necesse est ad fractionem panis comitandam, prae oculis habita eius forma musica. Ultima vice, invocatio concluditur verbis *dona nobis pacem*.

17. Dum sacerdos sumit Corpus Domini, inchoatur antiphona ad communionem. Cantus autem eodem modo peragitur ac cantus ad introitum, ita tamen ut cantores sacramentum commode participare possint.

18. Post benedictionem sacerdotis, diaconus profert monitionem *Ite, missa est*, omnibus acclamantibus *Deo gratias*.

III. *De modo Ordinem Cantus Missae adhibendi*

19. Lectionum magna varietate in Missale Romanum introducta, dum cantus Missae ex traditione recepti mutari non possint, idem formularium cantus componitur cum diversis lectionibus, iuxta cyclum trium annorum A, B, C Lectionarii pro dominicis statutum.

Item pro feriis resumuntur cantus dominicae praecedentis, qui componuntur tam cum lectionibus unicuique diei temporum peculiarum, nempe Adventus, Quadragesimae et Paschae, assignatis, quam cum lectione prima temporis per annum, iuxta cyclum duorum annorum I et II.

Patet cantus, qui relatione plus minusve stricta lectionibus uniuntur, eas in fortuitis translationibus comitari debere.

20. Mutationes forte inducendae in Proprium de Tempore in praesenti Ordine signantur, post unumquodque formularium fundamentale, per haec, quae sequuntur, scribendi compendia: A, B, C pro dominicis, sollemnitatibus et quibusdam festis; I et II cum numeris feriarum (sabbatum numero 7 indicatur) pro feriis per annum; soli numeri feriarum pro feriis ceterorum temporum.

Huiusmodi scribendi compendia remittunt ad alteram partem, in qua omnes mutationes conectuntur.

21. Norma praecipua, quam hic Ordo Cantus Missae sequitur, talis est, ut Missale Romanum quam maxime in eius ordinatione observare contendat. Quapropter quaedam formularia cantus translata vel commutata inveniuntur.

Psalmi ad communionem

22. Psalmorum versiculorumque numeri sumuntur ex editione appellata «nova Vulgata» (Typis Polyglottis Vaticanis, 1969). Hi versiculi ac versiculorum partes disponuntur ut in libro Liturgiae Horarum (Typis Polyglottis Vaticanis, 1971).

23. Asteriscus post numerum psalmi positus, indicat antiphonam non esse e psalterio sumptam, ideoque psalmum propositum esse ad libitum. Quo in casu, alius psalmus, si magis placuerit, substitui potest, exempli gratia psalmus 33, qui ad communionem ex antiqua traditione adhibetur.

Quando psalmus 33 indicatur ut psalmus ad communionem, nulli plerumque versus selecti proponuntur, quia singuli valde conveniunt.

Adn. J. CLAIRE in Notit. 8 (1972) 221-226; G. OURY in L'ami du clergé 82 (1972) 668-669.

4067

1972 IUN 26.-SC DOCT. FID, DECL. AAS 64 (1972) 641-643

DECLARATIO QUOAD INTERPRETATIONEM QUARUNDAM DISPOSITIONUM, QUAE NORMIS, DIE 13 IANUARII 1971 EDITIS, STATUTAE SUNT CIRCA REDUCTIONEM SACERDOTUM IN STATUM LAICALEM CUM DISPENSATIONE AB OMNIBUS ONERIBUS SACRIS

Die XIII Ianuarii 1971 hoc Sacrum Dicasterium novas *Normas* statuit ad apparandas sive in Curiis Dioecesanis sive in Curiis Generalitiis Religionum Clericalium causas reductionis sacerdotum ad statum laicalem cum dispensatione ab omnibus oneribus e Sacris Ordinibus manantibus [LE 3947].

Memorata publicatione peracta nonnulla dubia ac difficultates huic Sacrae Congregationi propositae fuerunt praesertim quoad interpretationem quarundam dispositionum in *Normis* statutarum.

Ad dicta dubia seu difficultates solvendas vel devincendas, hoc Sacrum Dicasterium, Ordinariorum sollicitudinis particeps, haec consideranda proponit authentico modo praedictas *Normas* interpretando in materia gravi et peculiariter ardua.

http://www.obrascatolicas.com

I. Hoc Sacrum Dicasterium Ordinarios enixe adhor-atur ut, pro eorum laudanda prudentia, «opportune et nportune» Sacerdotibus qui in crisi vocationis versantur aterne assistere velint ne in re tam gravis momenti, tum ro eorum ipsorum futuro, tum pro bono Ecclesiae, praeci-itanter agant, nec dispensationem sine gravibus obiectivis ationibus petant.

Revera praesertim his ultimis temporibus nonnulli qui b repentinam crisim dispensationem expostulaverant po-tea propriam petitionem revocabant cum iam Sacrum Dicasterium casum perpendebat.

Alii autem post communicatum Rescriptum gratiae am impertitae eam acceptare noluerunt ut sacerdotii xercitium servarent, divina gratia moti ac angoribus onscientiae cruciati.

Sunt denique et qui, dispensatione obtenta et matri-nonio coram Ecclesia celebrato, fidem etiam matrimo-ialem prodiderunt.

Novae *Normae* non eum finem habent ut gratia dispen-ationis cuicumque petenti indiscriminatim concedatur, ed tantum ut ad / simpliciorem formam investigationes b Ordinariis peragendae reducantur.

II. Ad n. II, 3, *b*, Normarum: «Causae et adiuncta seu ircumstantiae difficultatum quibus orator premitur», sunt lementa praecipua investigationis ab Ordinariis peragen-lae ut Sacro Dicasterio referre possint quibus rationibus ratoris petitio fulciatur. Hae autem rationes firmari de-ent etiam aliis notitiis et adiunctis ex ipsis investigatio-ibus forte manantibus (cfr. n. II, 3, *c*, *d*, *e*) et Voto quo pse Ordinarius circa ipsam petitionem propriam mentem nanifestat. Dispensatio autem non veluti «automatice» onceditur, sed rationes proportionate graves requiruntur.

Huius S. Congregationis est allatas rationes perpendere t in singulis sententiam dicere, considerando non tantum psius Oratoris bonum spirituale, sed et bonum Ecclesiae Universae, integra servata lege sacri coelibatus.

Hac de causa non quaecumque rationes propositae emper sufficientes seu validae censendae sunt ad implora-am gratiam obtinendam. Ita sufficientes dici nequeunt: *a)* simplex voluntas nubendi, *b)* legis sacri coelibatus contemptus, *c)* attentatum matrimonium civile vel prae-stituta dies pro matrimonii celebratione cum spe dispensa-ionem sic facilius obtinendi.

Petitiones igitur quae unice memoratis rationibus fulciri apparent Ordinarii huic Sacrae Congregationi ne mittant, praesertim dum agitur de sacerdotibus qui tantum a paucissimis annis Sacram Ordinationem acceperint.

III. Ad propositum dubium an Ordinarii applicare possint can. 81 CIC etiam cum de dispensatione a sacro coelibatu agitur, «Negative» respondendum est. Haec enim dispensatio unice et personaliter Summo Pontifici reser-vatur (cfr. *De Episcoporum muneribus*, n. IX, 1) [LE 3449].

Proinde matrimonium forte celebratum quin concessa fuerit ab ipsa Sede Apostolica dispensatio quavis validi-tate caret.

IV. Rescriptum reductionis ad statum laicalem et dispensationis ab oneribus suam vim plene exercet im-mediate a momento notificationis ex parte Ordinarii, nec ulla acceptatio ex parte Oratoris requiritur. Opportuna cautela, Sacra Congregatio numquam directe cum Oratore dispensationis Rescriptum communicat, sed semper Ordi-nario / id mittit, ut occasione Rescripti executionis, ipsum Oratorem modo magis personali moneat quoad vitam christianam ducendam ad animae propriae aeternam salu-tem promerendam et christifidelium aedificationem.

Si vero, Rescripto notificato, Orator poenitentia motus voluntatem manifestat perseverandi in exercitio sacerdotii, ipse pariter a quovis sacerdotali munere iure suspensus censendus est quia ipsa notificatione ad statum laicalem reductus est; attamen potest Sacrae Congregationi novam petitionem porrigere pro readmissione in statum clerica-lem. Ipsa autem Sacra Congregatio, post congruum pro-bationis tempus, attento favorabili Voto Ordinarii, decer-net de opportunitate proponendi novam gratiam Summo Pontifici.

V. Verbis «similibus Institutis» quae in n. VI, 4, *d*, «Normarum» inveniuntur, intelligi debent:

a) *Facultates, Instituta, Scholae etc., scientiarum ec-clesiasticarum vel religiosarum (v. g. Facultates Iuris Ca-nonici, Missionologiae, Historiae Ecclesiasticae, Philoso-phiae vel Instituta Pastoralia, Paedagogiae Religiosae, Catecheticae, etc.)*. Apud memorata Instituta nullum do-cendi munus sacerdotibus dispensatis committi potest, immo ipsi a dicto munere omnino recedant oportet ante dispensationis concessionem.

b) *Quaevis alia superiora studiorum centra, etiam ab Ecclesiae auctoritate stricte non dependentia in quibus etiam theologicae vel disciplinae doceantur*. Apud haec Instituta memoratis sacerdotibus dispensatis committi nequeunt disciplinae proprie theologicae vel ipsis intime conexae (e. g. paedagogia religiosa et catechetica). In dubio quoad disciplinas theologiae conexas, res a S. Congregatione pro Doctrina Fidei, collatis consiliis cum S. Congregatione pro Educatione Catholica, dirimetur.

VI. Haec Sacra Congregatio confidit nonnullorum expectationes explevisse ut, difficultatibus solutis, faci-liori via Normae datae integre servari possint.

Datum Romae, die 26 Iunii 1972.—Franciscus Card. Seper, *Praef*. Paulus Philippe, *a Secretis*.

Adn. E. F. REGATILLO in Sal terrae 61 (1973) 139-142; P. TOCANEL in Apoll. 46 (1973) 17-18.

4068

1972 IUN 27.-SC ECCL. OR., DECR. AAS 64 (1972) 738-743

Decretum quo nonnullae facultates Religiosis Orientalibus conceduntur et quidam canones de iisdem Religiosis mutantur vel suspenduntur

Orientalium Religiosorum Supremi Moderatores, reno-vationem vitae ac disciplinae religiosae ad mentem Conci-lii Vaticani II expeditius efficaciusque perficere cupientes, Apostolicae Sedi supplices porrexerunt preces ut ipsis quaedam ampliores facultates concederentur.

Quas preces Sacra Congregatio Ecclesiis Orientalibus praeposita, attentis Institutorum Religiosorum Orienta-lium diversitate atque rituum varietate, Summo Pontifici Paulo Pp. VI subiicere peropportune duxit, Qui statuit ut res examini Plenarii Patrum Coetus committeretur.

Propterea, Sacra Congregatio, auditis Supremis Modera-toribus atque opera Consultorum adhibita, elenchum fa-cultatum parare curavit, quo nonnullas normas iuris ca-nonici vigentis de Religiosis perficere necnon huius tem-poris necessitatibus aptare sategit, ut eae magis consonae congruentesque vitae et profectui Institutorum evangeli-cae perfectionis fierent, proponens mutationem vel su-spensionem quorumdam canonum, qui in Motu Proprio *Postquam Apostolicis Litteris* [LE 2263] continentur. Huiusmodi elenchum, a Plenario Patrum Coetu rite emen-/ 739
datum, Summus Pontifex benigne excipere dignatus est, ea tamen mente ut opportuna clausula, quoad Religiosarum confessiones, adnecteretur.

Quibus adamussim expletis, Summus Pontifex omnia quae acta sunt rata habuit atque adprobavit, simul man-dans ut integer elenchus facultatum publici iuris fieret, salvis Patriarcharum iuribus.

Quapropter, haec Sacra Congregatio pro Ecclesiis Orien-talibus, de mandato Summi Pontificis Pauli Pp. VI, has quae sequuntur, Religiosis Orientalibus facultates conces-sas, publici iuris facit:

1. Cuiusvis Instituti Religiosi iuris pontificii erit con-stitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere, firma manente pro prima divisione in provincias aut pro totali earumdem suppressione, obligatione recurrendi ad Sedem Apostoli-cam (cfr. M. P. *Postquam Apostolicis Litteris*, can 15, § 1). Synaxis seu Capitulum Generale statuat normas servandas in erectione et innovatione provinciarum Constitutionibus inserendas.

2. Pro Religionibus pontificia exemptione fruentibus, exceptis tamen Monasteriis, obligatio suspenditur Sedis Apostolicae beneplacitum petendi ad domum religiosam constituendam vel supprimendam (cfr. cann. 8, § 3; 10, § 2; 19, § 1, n. 2 et 20, § 1), salvis iis quae ad normam iuris Hierarchis locorum competunt.

3. Firmis proprii cuiusvis Instituti Constitutionibus, quae potiorem aetatem aliaque requisita exigant, ad mu-nus Supremi Religionis Moderatoris inhabiles sunt qui eandem Religionem professi non sint per decem saltem annos a prima professione computandos et annos triginta quinque non expleverint (cfr. can. 31, n. 2 et 5). Pro aliis Superioribus maioribus, praeter professionem perpetuam, sufficiunt triginta anni (cfr. can. 31, n. 3). Pro ceteris vero officiis ius particulare aetatis requisitum determinare valet, ita tamen ut pro Magistro Novitiorum, praeter profes-sionem perpetuam, aetas saltem triginta annorum re-quiratur (cfr. can. 92, § 1).

4. Supremis Moderatoribus Religionum laicalium iuris

pontificii facultas conceditur dispensandi, de consensu sui Consilii, admittendos in Religionem super illegitimitate natalium, dummodo ne sint sacrilegi vel adulterini.

5. Institutis Religiosis relinquitur facultas aptius de-terminandi tempus et locum praeviae probationis seu postulatus, etiam extra domum novitiatus, non exclusa facultate eam extra domum propriae Religionis peragendi
740 (cfr. cann. 71-73). /

6. Religiosi, de propria coniunctione cum Deo fovenda solliciti, bis saltem in mense ad Paenitentiae Sacramentum accedere satagant (cfr. can. 138, § 1, n. 3); Superiores vero frequentiam huiusmodi promovere studeant atque provi-deant ut sodales alternis saltem hebdomadis ac etiam saepius, si id cupiunt, sacramentalem confessionem pera-gere possint (cfr. can. 138, § 2).

7. Quod ad confessiones Religiosarum nominatim at-tinet, statuitur: *a)* Religiosae omnes atque novitiae, ut in hac re debita libertate fruantur, confessionem sacramen-talem valide et licite instituere possunt apud quemcumque sacerdotem ad confessiones audiendas in loco approbatum, firma semper disciplina religiosa communitatis; Hierarcha loci tamen invigilet ne in re abusus irrepant, quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscien-tiae libertate; *b)* Quo melius autem communitatum bono consulatur, Monasteriis vitae contemplativae, domibus formationis et communitatibus numerosioribus confes-sarius ordinarius detur; et saltem Monasteriis praedictis necnon domibus formationis etiam extraordinarius, nulla vero facta obligatione ad illos accedendi; *c)* Pro aliis com-munitatibus confessarius ordinarius nominari potest, si adiuncta peculiaria iudicio Hierarchae loci id suadeant; *d)* Hierarcha loci confessarios accurate seligat, qui con-gruenti maturitate aliisque necessariis qualitatibus pol-leant; ipse iudicet de numero, aetate et duratione in mu-nere, necnon ad illos nominandos vel ulterius confirmandos procedat collatis consiliis cum communitate cuius interest; *e)* Praescripta canonum, quae praecedentibus determina-tionibus contraria sunt, vel quae cum illis componi ne-queunt, vel quae, illis perspectis, ratione et applicatione carent, suspensa manent.

8. Quae praecedenti numero statuuntur, valent quoque pro communitatibus laicalibus virorum quatenus ipsis ap-plicari possunt.

9. Supremis Moderatoribus Religionum laicalium iuris pontificii facultas fit concedendi, de consensu sui Consilii, iusta de causa, ut bona propriae Religionis alienari, op-pignerari, hypothecae nomine obligari, emphyteusi redimi possint, utque personis moralibus propriae Religionis aes alienum contrahere liceat usque ad eam pecuniae summam quam Synodus Patriarchalis aut coetus Nationalis vel Regionalis Episcoporum proposuerit et Apostolica Sedes approbaverit.

10. Supremus Instituti Religiosi Moderator, de con-sensu sui Consilii, non requisito beneplacito Sedis Apo-
741 stolicae, valet: / *a)* sedem novitiatus constituere in aliqua domo Instituti Religiosi vel etiam plures in una provincia, servatis praescriptis iuris communis et particularis (cfr. can. 87, § 1, n. 3); *b)* transferre, vel in perpetuum vel ad tempus, sedem novitiatus, ad normam iuris iam erectam, in aliam domum, praemonitis Hierarchis locorum quorum interest et servatis de iure servandis; *c)* permittere ut no-vitiorum coetus, per certa temporis spatia, in alia Insti-tuti domo, a se designata, commoretur pro bono institu-tionis eorundem novitiorum; *d)* si exiguus novitiorum numerus ad vitam communem promovendam non aptus esse videatur, collocare novitiatum apud Instituti commu-nitatem quae ad formationem parvi eiusmodi coetus novi-tiorum fovendam idonea sit.

11. Circa tempus novitiatus, serventur praescripta Constitutionum proprii Instituti Religiosi. Attamen: *a)* Ad validitatem requiritur ut novitiatus 12 menses, non necessario continuos, complectatur, in domo ad hoc rite designata (cfr. can. 88, § 1, nn. 3 et 4); *b)* Absentia a coetu et a domo novitiatus, quae tres menses sive continuos sive intermissos superet, ipsum novitiatum invalidum reddit (cfr. can. 89, § 1); *c)* Absentia tribus mensibus brevior, apta prorogatione completur auctoritate Superioris Maioris audito Novitiorum Magistro; brevissima vero, dispositione Superioris Maioris solvitur (cfr. can. 89, § 2); *d)* Experi-menti causa, Synaxis seu Capitulum Generale maioritate duarum partium suffragiorum e tribus decernere potest ut, ad complendam novitiorum institutionem unum vel plura temporis spatia actuositati formativae, cum indole Instituti congruenti, tribuenda extra novitiatus domum peragantur, dummodo neque primos tres menses post in-tium, neque unum ante finem impediant, et novitiatus 2 annos non excedat. Quae spatia actuositatis formatviae 12 mensibus novitiatus adduntur (cfr. can. 89, §§ 3-4); *e)* Iusta de causa, Superior Maior permittere potest, ut prima votorum professio anticipetur, non tamen ultra 15 dies nec non ut extra novitiatus domum emittatur (cfr. can. 110, § 1).

12. Synaxeos seu Capituli Generalis est determinare tempus probationis ad emittendam professionem votorum perpetuorum, quod tamen tribus annis ne sit brevior, ne-que novem annos continuos excedat (cfr. can. 110, §§ 1-2). / 742

13. Supremus Instituti Religiosi Moderator, de con-sensu sui Consilii, potest sodalem, qui Religionem legitime deseruit sive expletis votis temporaneis sive ab eisdem exemptus, readmittere etiam sine obligatione iterum novi-tiatum peragendi, praescripto tamen quodam probationis tempore (cfr. can. 74, § 1, n. 6 et can. 191, § 2).

14. Ordinationibus particularibus cuiusque Instituti reliquitur recollectionis spiritualis temporis determinatio, antequam candidati novitiatum incipiant vel novitii vota temporaria nuncupent, de qua in canonibus 73 et 105, § 3, cauto tamen ut minimum quinque dierum statuatur.

15. Voluntatis explorationis obligatio, de qua in can. 84, suspenditur.

16. Testamenti condendi obligatio, quae nunc in can. 103, § 3 statuitur, ad tempus quod immediate vota perpe-tua praecedit transferri potest.

17. Synaxes seu Capitula Generalia Religionum cleri-calium possunt: *a)* concedere sodalibus non clericis perpe-tuo professis vocem activam et passivam ad Synaxes cuiusque gradus, sive electionum sive negotiorum, secun-dum condiciones a Synaxi Generali statuendas; *b)* statuere ut sodales non clerici perpetuo professi, admitti valeant ad munera excercenda mere administrativa quae cum mi-nisterio proprie sacerdotali relationem directam non ha-beant; *c)* statuere insuper, secundum condiciones ab ipsis determinatas, ut sodales non clerici perpetuo professi fungi valeant munere consiliarii cuiusque gradus, non autem munere Superioris vel Vicarii cuiusque gradus.

³ Cfr. S. Congr. Rituum, Instr. de cultu mysterii eucharistici, *Eucharisticum mysterium*, [illegible] maii 1967, n. 48: *A. A. S.* 59 (1967), p. [illegible] [LE 3562].

vel «communitatis» [4] eodem die concelebrare possunt. Magni enim aestimanda est concelebratio eucharistiae in communitatibus. Concelebratio fraterna presbyterorum inter se [5] atque totius communitatis vincula significat et firmat, quia in huiusmodi sacrificii celebratione, quam omnes conscie, actuose atque modo uniuscuiusque proprio participant, clarius apparet actio totius communitatis atque praecipua habetur manifestatio Ecclesiae in unitate sacrificii et sacerdotii, in unica gratiarum actione circa unum altare [6].

2. Qui in Missa principali occasione oblata visitationis pastoralis aut peculiaris coetus sacerdotum, v. gr. conventus de re pastorali, congressus, peregrinationis, ad mentem n. 158 Institutionis generalis Missalis Romani concelebrat, Missam ad utilitatem fidelium iterum celebrare potest.

3. Haec tamen quae sequuntur servanda sunt:

a) Episcopi et Superiores competentes [7] sedulo curent, ut concelebratio in communitatibus et in conventibus sacerdotum cum dignitate et vera pietate peragatur. Ad hunc finem et ad bonum spirituale plenius assequendum, concelebrantium libertati semper consulatur eorumque interior et exterior participatio foveatur per genuinam et integram celebrationis ordinationem iuxta normas Institutionis generalis Missalis Romani, omnium Missae partium secundum propriam earum naturam executionem [8], munerum et officiorum distinctionem, ad cantus et sacri si-
563 lentii momentum attendendo. /

b) Sacerdotibus, qui in bonum pastorale fidelium celebrant et alteram Missam concelebrant, nullo titulo pro Missa concelebrata stipendium percipere licet.

c) Quamvis concelebratio forma sit praeclara celebrationis eucharisticae in communitatibus habendae, ipsa quoque celebratio sine fidelium participatione «manet tamen centrum totius Ecclesiae et veluti cor exsistentiae sacerdotalis» [9].

Quapropter salva sit oportet cuique sacerdoti Missae singularis celebrandae facultas [10]; ad quam libertatem fovendam omnia illa praestentur, quoad tempus, locum, ministri auxilium et alia celebrationis adiuncta, quae hanc celebrationem facilem reddant.

Hanc declarationem, collatis consiliis cum Sacris Congregationibus, ad quas res pertinet, apparatam, Summus Pontifex Paulus VI, die VII mensis augusti, anno MCMLXXII, ratam habuit et confirmavit atque publici iuris fieri iussit.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 7 mensis augusti anno 1972.—Arturus Card. TABERA, *Praef.* H. Bugnini, Archiep. tit. Diocletianen., *a Secretis*.

⁴ Cfr. *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 76 [LE 3840].
⁵ Cfr. Conc. Oec. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 28: *A. A. S.* 57 (1965), p. 53 [LE 3232]; Decr. de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 8: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1003-1005 [LE 3365].
⁶ Cfr. S. Congr. Rituum, Decr. gen. *Ecclesiae semper*, 7 martii 1965: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 410-412 [LE 3270]; Cfr. S. Congr. Rituum, Instr. de cultu mysterii eucharistci, *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 47: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 565-566 [LE 3562].
⁷ Cfr. *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 155 [LE 3840].
⁸ Cfr. S. Congr. Rituum, Instr. de musica in sacra Liturgia *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 6: *A. A. S.* 59 (1967), p. 302 [LE 3541].
⁹ Cfr. Synodus Episcoporum, *De sacerdotio ministeriali*, pars altera, n. 4: *A. A. S.* 63 (1971), p. 914 [LE 4014].
¹⁰ S. Congr. Rituum, Instructio de cultu mysterii eucharistici, *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 47: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 565-566 [LE 3562].

Adn. GP in Notit. 8 (1972) 329-332; C. GORRICHO in CpR 53 (1972) 366-368; E. F. REGATILLO in Sal terrae 61 (1973) 228-229; P. TOCANEL in Apoll 46 (1973) 27.

4079

1972 AUG 9.-SIGNATURA APOST., DECLARATIO. PART.*

EFFECTUS SUSPENSIVUS RECURSUUM AD SIGNATURAM APOSTOLICAM INCIPIT DECURRERE A MOMENTO INTERPOSITIONIS IPSIUS RECURSUS LEGITIME FACTAE

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, super instantia Rev. D. Sac. Aloysii Rossi diei 8 augusti 1972, qua petit ut declaretur a quonam momento decurrat effectus suspensivus actus potestatis administrativae ecclesiasticae, contra quem propositus sit recursus ad Hoc Supremum Tribunal, declarat effectum suspensivum decurrere ab ipsa interpositione recursus legitime facta (art. 104-107 *Normarum Specialium* Huius Supremi Tribunalis) [LE 3636] et ideo vigere etiam antequam decernatur «utrum recursus admittendus sit ad disceptationem, an [illegible] quia manifeste ipse caret fundamento» (art. [illegible] *Normarum*).

Idque communicetur cum recurrente et cum Exc.mo Episcopo Dioecesis X.

Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 9 augusti 1972.—Dinus Card. STAFFA, *Praef.* Aurelius Sabattani, *a Secr.*

* Apoll. 45 (1972) 402.

4080

1972 AUG 9.-SIGNATURA APOST., DECLARATIO. PART.*

DIACONUS ASSUMI POTEST AD OFFICIUM IUDICIS PRO CAUSIS MATRIMONIALIBUS DEFINIENDIS

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, super instantia Exc.mi Episcopi Dioecesis X diei 28 iulii 1972, qua petit facultatem nominandi Rev. D. Diaconum Petrum ad officium iudicis prosynodalis; attentis notitiis receptis circa aetatem, studia et longum exercitium muneris notarii eiusdem Diaconi apud Tribunal dioecesanum; cum canoni 1574 C.I.C., exigenti ordinem presbyteratus in iudicibus synodalibus aut prosynodalibus iam derogatum sit per Litteras Apostolicas motu proprio datas *«Causas matrimoniales»* diei 28 martii 1971, art. V, par. 1 [LE 3960], quo admittitur in Tribunali dioecesano et regionali collegium iudicans efformatum ex tribus *«clericis»*; declarat nihil obstare quominus Excmus Episcopus Dioecesis X, servatis ceteris de iure servandis, procedat ad nominationem Rev. D. Diaconi Petri ad officium iudicis prosynodalis.

Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 9 augusti 1972.—Dinus Card. STAFFA, *Praef.* Aurelius Sabattani, *a Secr.*

* Ordinario dioecesis X: Apoll. 45 (1972) 390-391.

4081

1972 AUG 12.-SC DOCTRINA FIDEI, RESPONSUM. PART.*

ALIAS PRECES EUCHARISTICAS, PRAETER EAS IN MISSALI ADMISSAS, NON LICET INDUCERE AUCTORITATE PRIVATA IN CANONEM MISSAE

Rome, le 12 août 1972

Madame, Excusez-moi de la réponse tardive à la lettre que vous m'avez adressée le 13 juin. Votre lettre est arrivée pendant la haute saison de travail chez nous et c'est seulement maintenant que je trouve le temps libre pour vous écrire.

Vous demandez si l'on doit faire respecter l'*Ordo Missae* de Paul VI et agir pour que les quatre canons continuent à être utilisés à la messe.

La réponse est claire: seulement les quatre canons approuvées par le Pape peuvent être utilisés à la messe. La liturgie est le *public* de l'Eglise et le Pape est l'instance suprême pour régler la liturgie. D'autre part, le canon est en quelque manière le coeur de la liturgie. Tous les autres canons qui circulent dans différents pays sont *abusifs*. Certes, les prêtres qui les utilisent ne sont pas obéissants ni fidèles au Pape.

Agréez, Madame, mes sentiments dévoués en Notre Seigneur.—François Card. SEPER.

* Praesidi cuiusdam Unionis fidelium Galliae: Doc. Cath. 69 (1972) 919. Adn. Notit. 8 (1972) 132-134.

4082

1972 AUG 15.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 64 (1972) 529-534

DISCIPLINA CIRCA PRIMAM TONSURAM, ORDINES MINORES ET SUBDIACONATUM IN ECCLESIA LATINA INNOVATUR.

PAULUS PP. VI

Ministeria quaedam ad cultum Deo rite exhibendum et ad populi Dei servitium iuxta necessitates praestandum vetustissimis iam temporibus ab Ecclesia instituta fuerunt; quibus sacrae liturgiae et caritatis officia exercenda fidelibus committebantur, variis rerum adiunctis accommodata. Horum munerum collatio peculiari ritu saepius fiebat, quo fidelis, benedictione Dei impetrata, ad officium aliquod ecclesiasticum adimplendum in speciali classi seu gradu constituebatur.

Nonnulla ex his muneribus, cum actione liturgica arctius conexa praeviae institutiones ad sacros ordines recipiendos paulatim habita sunt, ita ut Ostiariatus, Lectora-

http://www.obrascatolicas.com

s, Exorcistatus et Acolythatus minores ordines in Ecsia Latina appellarentur respectu Subdiaconatus, Dianatus et Presbyteratus, qui ordines maiores vocati sunt , etsi non ubique, iis generatim reservabantur, qui per os ad Sacerdotium ascendebant.

Attamen cum ordines minores non semper iidem extirint ac plura munera ipsis adnexa reapse, sicut nunc ioque accidit, etiam / a laicis exerciti sint, opportunum detur praxim hanc recognoscere eamque hodiernis necesatibus accommodare, ita ut ea, quae in illis ministeriis soleta sint, dimittantur; quae utilia, retineantur; si quae cessaria, constituantur; itemque, quid a candidatis ad dinem sacrum exigendum statuatur.

Dum Concilium Oecumenicum Vaticanum II apparatur, haud pauci Ecclesiae pastores preces detulerunt, ut dines minores et Subdiaconatus recognoscerentur. Conlium autem, licet nihil de hac re pro Ecclesia Latina cerneret, enuntiavit principia quaedam, quibus aperitur via ad quaestionem enodandam, ac dubium non est, in normae a Concilio latae, generalem ordinatamque urgiae renovationem respicientes [1], ea quoque compleantur, quae ad ministeria in coetu liturgico spectant, a ut ex ipsa celebrationis ordinatione appareat Ecclesia suis diversis ordinibus et ministeriis constituta [2]. Proerea Concilium Vaticanum II statuit, ut *in celebrationis liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo ngens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura normis liturgicis pertinet* [3].

Cum hac vero assertione arcte conectitur id, quod paulo te in eadem Constitutione scriptum est: *Valde cupit later Ecclesia ut fideles universi ad plenam illam, consciam que actuosam liturgicarum celebrationum participationem ucantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur et ad tam populus christianus «genus electum, regale sacerdotium, ns sancta, populus acquisitionis»* (1 Pt. 2, 9; *cf.* 2, 4-5), *Baptismatis ius habet et officium. Quae totius populi ena et actuosa participatio, in instauranda et fovenda sacra iturgia summopere est attendenda: est enim primus, isque cessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles auriant; et ideo in tota actione pastorali, per debitam instiionem ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda* [4].

In officiis peculiaribus servandis et ad hodiernas necestates accommodandis, continentur ea, quae praesertim m ministeriis Verbi et Altaris arctius conectuntur et in cclesia Latina Lectoratus, Acolythatus et Subdiaconatus ocantur; quos ita servari et accommodari / convenit, ut uplex ex hoc tempore habeatur munus: *Lectoris* nempe *Acolythi*, quod et Subdiaconi partes complectatur.

Praeter officia Ecclesiae Latinae communia, nihil obstat, uominus Conferentiae Episcopales alia quoque petant ab postolica Sede, quorum institutionem in propria regione ecessariam vel utilissimam, ob peculiares rationes, indiaverint. Ad haec pertinent ex. gr. munera *Ostiarii, xorcistae* et *Catechistae* [5], necnon alia munera iis mananda, qui operibus caritatis sunt addicti, ubi hoc minierium diaconibus non sit collatum.

Congruit autem cum rei veritate et hodierno mentis abitu, ut ministeria, de quibus supra, non amplius ordines inores vocentur; eorum vero collatio non «ordinatio» sed nstitutio» appelletur; clerici autem proprie ii tantum sint t habeantur, qui Diaconatum receperunt. Hac ratione nelius etiam apparebit discrimen inter clericos et laicos; nter ea, quae clericis sunt propria et reservantur, atque a, quae christifidelibus laicis demandari possunt; ideo pertius apparebit mutua ratio, quatenus *sacerdotium ... ommune fidelium et sacerdotium ministeriale seu hierarchium, licet essentia et non gradu tantum differant, ad invicem amen ordinantur; unum enim et alterum suo peculiari nodo de uno Christi sacerdotio participant* [6].

Omnibus igitur mature perpensis, peritorum voto exquisito atque Conferentiis Episcopalibus consultis earumque ententiis attentis, necnon collatis consiliis cum Venerabilibus Fratribus Nostris membris Sacrarum Congregationum, ad quas res pertinet, Apostolica auctoritate Nostra decernimus ea, quae sequuntur, derogando —si et quatenus opus sit— praescriptis Codicis Iuris Canonici hucusque vigentis, eademque hisce Litteris promulgamus.

I. Prima Tonsura non amplius confertur; ingressus vero in statum clericalem cum Diaconatu coniungitur.

II. Ordines, qui hucusque minores vocabantur, «ministeria» in posterum dicendi sunt.

III. Ministeria christifidelibus laicis committi possunt, ita ut candidatis ad sacramentum Ordinis reservata non habeantur. / 532

IV. Ministeria in tota Ecclesia Latina servanda, hodiernis necessitatibus accommodata, duo sunt, *Lectoris* nempe et *Acolythi*. Partes, quae hucusque Subdiacono commissae erant, Lectori et Acolytho concreduntur, ac proinde in Ecclesia Latina ordo maior Subdiaconatus non amplius habetur. Nihil tamen obstat, quominus, ex Conferentiae Episcopalis iudicio, Acolythus alicubi etiam Subdiaconus vocari possit.

V. Lector instituitur ad munus, quod est ei proprium, legendi in coetu liturgico verbum Dei. Quapropter in Missa et in aliis sacris actionibus, lectiones (non autem Evangelium) e Sacra Scriptura proferat; deficiente psalmista, psalmum inter lectiones recitet; intentiones orationis universalis enuntiet, ubi diaconus vel cantor praesto non sint; cantum moderetur et populi fidelis participationem dirigat; fideles ad Sacramenta digne recipienda instituat. Poterit quoque —quatenus opus sit— praeparationem curare aliorum fidelium, qui ex temporanea deputatione in actionibus liturgicis Sacram Scripturam legant. Quo autem aptius atque perfectius hisce muneribus fungatur, Sacras Scripturas assidue meditetur.

Lector suscepti officii conscius, omni ope contendat atque apta subsidia adhibeat, quo plenius in dies sibi acquirat suavem et vivum Sacrae Scripturae affectum [7] atque cognitionem, quibus perfectior fiat Domini discipulus.

VI. Acolythus instituitur, ut Diaconum adiuvet ac Sacerdoti ministret. Eius igitur est servitium altaris curare, Diacono atque Sacerdoti opitulari in liturgicis actionibus, praesertim in Missae celebratione; eiusdem praeterea, qua ministri extraordinarii, est Sanctam Communionem distribuere, quoties ministri, de quibus in can. 845 C.I.C., desunt vel propter adversam valetudinem, provectam aetatem vel aliud pastorale ministerium impediuntur aut quoties numerus fidelium ad Sacram Mensam accedentium tam ingens est, ut Missae celebratio nimis protrahatur. Iisdem in extraordinariis adiunctis ei mandari licebit, ut SS. Eucharistiae Sacramentum fidelium adorationi publice exponat ac postea reponat; non autem ut populo benedicat. Poterit quoque —quatenus opus sit— aliorum fidelium institutionem curare, qui ex temporanea deputatione sacerdoti vel diacono in liturgicis actionibus opitulantur, missale, crucem, cereos etc. deferendo vel alia huiusmodi officia / exercendo. Quae munera dignius exse- 533
quetur, si SS. Eucharistiam flagrantiore in dies pietate participet, de ipsa enutriatur eiusque altiorem cognitionem adipiscatur.

Acolythus, servitio altaris peculiari modo destinatus, ea omnia, quae ad publicum cultum divinum pertinent, discat, eorumque intimum et spiritualem sensum percipere studeat, ita ut cotidie se totum offerat Deo atque omnibus gravitate et reverentia exemplo sit in templo sacro, necnon Christi corpus mysticum seu populum Dei, praesertim vero debiles et infirmos, sincero amore prosequatur.

VII. Institutio Lectoris et Acolythi, iuxta venerabilem traditionem Ecclesiae, viris reservatur.

VIII. Ut quis ad ministeria consequenda admitti possit, requiruntur: *a)* petitio ab adspirante libere exarata ac subscripta exhibenda Ordinario (Episcopo et, in institutis perfectionis clericalibus, Superiori Maiori), penes quem est acceptio; *b)* congrua aetas et peculiares dotes, a Conferentia Episcopali determinandae; *c)* firma voluntas fideliter Deo famulandi et christiano populo serviendi.

IX. Ministeria conferuntur ab Ordinario (Episcopo et, in institutis perfectionis clericalibus, Superiore Maiore) ritu liturgico «de institutione Lectoris» et «de institutione Acolythi» a Sede Apostolica recognoscendo.

X. Interstitia, a S. Sede aut a Conferentiis Episcopalibus statuta, serventur inter collationem ministerii Lectoratus et Acolythatus, quoties eisdem personis non unum tantum confertur ministerium.

XI. Candidati ad Diaconatum et ad Sacerdotium ministeria Lectoris et Acolythi recipere, nisi ea iam receperint,

[1] Cfr. Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 62: *A. A. S.* 56 (1964), p. 117; cfr. etiam n. 21: l.c., pp. 105-106 [LE 3141]. [2] Cfr. Ordo Missae, *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 58, ed. typ. 1969, p. 29 [LE 3840]. [3] Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 28: *A. A. S.* 56 (1964), p. 107. [4] *Ibid.*, n. 14: l.c., p. 104. [5] Cfr. Decr. de activ. mission. Ecclesiae *Ad gentes divinitus*, n. 15: *A. A. S.* 58 (1966), p. 965 [LE 3364];, ibid., n. 17: l.c., pp. 967-968. [6] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium* n. 10: *A. A. S.* 57 (1965), p. 14 [LE 3232]. [7] Cfr. Const. de S. Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 24: *A. A. S.* 56 (1964), p. 107 [LE 3141]; Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, n. 25: *A. A. S.* 58 (1966), p. 829 [LE 3345].

et per congruum tempus exercere debent, quo melius disponantur ad futura munera Verbi et Altaris. Dispensatio a suscipiendis ministeriis pro iisdem candidatis Sanctae Sedi reservatur.

XII. Collatio ministeriorum ius non confert ad sustentationem vel remunerationem ab Ecclesia praestandas.

XIII. Ritus institutionis Lectoris et Acolythi a competenti Romanae Curiae Dicasterio proxime publici iuris fiet.

Hae normae valere incipiunt a die 1 mensis Ianuarii,
534 anno MCMLXXIII. /

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris, motu proprio datis, decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die xv mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis B. Mariae Virginis, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri decimo.—PAULUS PP. VI.

Adn. G. M. GARRONE in Doc. Cath. 69 (1972) 974-976; Doc. Cath. 69 (1972) 858-859); G. RAMBALDI in PrM 62 (1973) 173-191; E. F. REGATILLO in Sal terrae 61 (1973) 62-65; Notit. 9 (1973) 16.

4083

1972 AUG 15.-PAULUS VI, MOT. PR. AAS 64 (1972) 534-540

NONNULLAE NORMAE AD SACRUM DIACONATUS ORDINEM SPECTANTES STATUUNTUR

PAULUS PP. VI

Ad pascendum populum Dei eumque magis magisque augendum a Christo Domino varia in Ecclesia ministeria instituta sunt, totius Corporis bono conducibilia [1].

Iam inde ab ipsa Apostolorum aetate eminet inter illa ministeria et conspicuus apparet Diaconatus, qui in Ecclesia magno semper in honore habitus est. Quod quidem expressis verbis testatur S. Paulus Apostolus sive in epistula ad Philippenses, ubi non modo Episcopis sed etiam Diaconis salutem nuntiat [2], sive in litteris ad Timotheum datis, quibus Diaconorum illustrat dotes et virtutes pernecessarias, ut ii proprio ministerio digni comprobentur [3].

Prisci deinde Ecclesiae scriptores, dum praedicant Diaconorum dignitatem, non omittunt, quominus animi ornamenta ac virtutes simul extollant, quae ad idem exsequendum ministerium postulantur, scilicet erga Christum fidelitatem, morum integritatem, Episcopo obtemperationem.

S. Ignatius Antiochenus Diaconi officium nihil aliud esse asseverat quam *ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit* [4], atque haec
535 animadvertit: *Oportet autem et Diaco/nos, qui sunt ministri mysteriorum Iesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum Diaconi sunt, sed ecclesiae Dei ministri* [5].

S. Polycarpus Smyrnaeus Diaconos adhortatur, ut sint *continentes omnibus, misericordes, seduli, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est* [6]. Auctor vero operis, quod *Didascalia Apostolorum* inscribitur, verba Christi commemorans: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister* [7], fraternam hanc adhortationem Diaconis adhibet: *Ita ergo et vos Diaconos oportet facere, ut, si necessitas vos exegerit et animam pro fratre ponere per ministerium vestrum, ponatis ... Si ergo Dominus coeli et terrae nobis servivit et omnia passus est propter nos et sustinuit, quomodo non magis nos oportet hoc facere pro fratribus, quia imitatores eius sumus et locum Christi sortiti?* [8]

Praeterea priorum saeculorum auctores, dum ministerii Diaconorum momentum animis inculcant, copiose etiam explicant multiplicia et gravia munera iis concredita, atque aperte declarant, quantum auctoritatis apud christianas communitates consecuti sint et quantopere ad apostolatum contulerint. Definitur Diaconus ut *Episcopi auris et os et cor et anima* [9]. Episcopo Diaconus praesto est, ut omni deserviat populo Dei curamque gerat infirmorum atque inopum [10]; recte igitur ac merito eum appellant *amatorem orphanorum, amatorem colentium pietatem, amatorem viduarum, ferventem spiritu, amatorem bonarum rerum* [11]. Officium insuper ei mandatur, ut aegris domi decumbentibus sacram Eucharistiam deferat [12], baptismum conferat [13], verbo Dei praedicando det operam ad voluntatem 536
nutumque Episcopi. /

Itaque Diaconatus in Ecclesia mirabiliter effloruit simulque insigne praebuit testimonium amoris erga Christum ac fratres in caritatis operibus exsequendis [14], in ritibus sacris celebrandis [15] atque in pastoralibus perfungendis muneribus [16].

Diaconali autem officio exercendo, qui presbyteri futuri erant, illud sui experimentum ac laborum merita praebebant atque eam praeparationem acquirebant, quae ad sacerdotalem honorem ac pastorale officium consequendum expetebantur.

Progredientibus vero aetatibus disciplina ad hunc spectans ordinem sacrum immutata est. Firmius quidem factum est vetitum ordinationes *per saltum* conferendi, at paulatim decrevit eorum numerus, qui per omnem vitam mallent diaconi permanere quam altius ascendere. Ita factum est, ut in Ecclesia Latina paene evanuerit Diaconatus permanens. Vix commemorare attinet ea, quae Tridentinum Concilium decrevit, cum sibi proposuisset ordines sacros secundum propriam eorum naturam redintegrare ut munia pristina in Ecclesia [17]; multo tamen serius mens maturuit, ut hic magni momenti ordo sacer etiam tamquam gradus vere permanens restitueretur. Rem celeriter attigit etiam Decessor Noster fel. rec. Pius XII [18]. Concilium denique Vaticanum II optatis et precibus suffragatum est, ut Diaconatus permanens, ubi id animarum bono conduceret, instauraretur veluti medius ordo inter superiores ecclesiasticae hierarchiae gradus et reliquum populum Dei, quasi interpres necessitatum ac votorum christianarum communitatum, instimulator famulatus seu *diaconiae* Ecclesiae apud locales christianas communitates, signum vel sacramentum ipsius Christi Domini, qui *non venit ministrari, sed ministrare* [19].

Quapropter tertia in Concilii sessione, mense Octobri anno MCMLXIV habita, ratum habuerunt Patres principium renovationis Diaconatus, atque insequenti mense Novembri promulgata est Constitutio Dogmatica *Lumen Gentium*, 537
cuius articulo 29 praecipua lineamenta illius sta/tus propria describuntur: *In gradu inferiori hierarchiae sistunt Diaconi, quibus «non ad sacerdotium, sed ad ministerium» manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in Diaconia liturgiae, verbi et caritatis Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt* [20].

De stabilitate vero in diaconali gradu, eadem Constitutio haec declarat: *Cum vero haec* [*Diaconorum*] *munera, ad vitam Ecclesiae summopere necessaria, in disciplina Ecclesiae latinae hodie vigenti in pluribus regionibus adimpleri difficulter possint, Diaconatus in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae restitui poterit* [21].

Restitutio autem haec permanentis Diaconatus postulabat, ut Concilii mandata altius pervestigarentur atque ut mature deliberaretur de iuridica condicione Diaconi, tam caelibis quam matrimonio iuncti. Simul vero necesse erat, ut ea, quae ad Diaconatum eorum, qui Sacerdotes futuri sunt, spectant, ad hodiernas condiciones aptarentur, ut revera Diaconatus exercitium eam praeberet probationem vitae, maturitatis atque ad sacerdotale ministerium aptitudinis, quam vetus disciplina a candidatis ad Presbyteratum postulabat.

Quam ob rem Apostolicas Litteras, motu proprio datas, a verbis incipientes *Sacrum Diaconatus Ordinem*, die XVIII mensis Iunii anno MCMLXVII edidimus, quibus congruentes

[1] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 18: *A. A. S.* 57 (1965), pp. 21-22 [LE 3232]. [2] Cfr. *Phil.* 1, 1. [3] Cfr. *1 Tim.* 3, 8-13. [4] *Ad Magnesios*, IV, 1: *Patres Apostolici*, ed. F. X. Funk, I, Tubingae, 1901, p. 235. [5] *Ad Trallianos*, II, 3: *Patres Apostolici*, ed. F. X. Funk, I, Tubingae, 1901, p. 245. [6] *Epist. ad Philippenses*, V, 2: *Patres Apostolici*, ed. F. X. Funk, I, Tubingae, 1901, pp. 301-303. [7] *Mt.* 20, 26-27. [8] *Didascalia Apostolorum*, III, 13, 2-4: [illegible] *Constitutiones Apostolorum*, ed. F. X. Funk, I, Paderbornae, 1906, p. [illegible]. [9] *Didascalia Apostolorum*, II, 44, 4: ed. F. X. Funk, I, Paderbornae, 1906, p. 138. [10] Cfr. *Traditio Apostolica*, 39 et 34: *La Tradition Apostolique de Saint Hippolyte. Essai de reconstitution* par B. Botte, Münster, 1963, pp. 87 et 81. [11] *Testamentum D. N. Iesu Christi*, I, 38; ed. et latine redd. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 93. [12] Cfr. S. Iustini *Apologia* I, 65, 5 et 67, 5: S. Iustini *Apologiae duae*, ed. G. Rauschen, Bonnae, 1911², pp. 107 et 111. [13] Cfr. Tertullianus, *De Baptismo*, XVII, 1: *Corpus Christianorum*, I, *Tertulliani Opera*, pars I, Turnholti, 1954, p. 291. [14] Cfr. *Didascalia Apostolorum*, II, 31, 2: ed. F. X. Funk, I, Paderbornae, 1906, p. 112; cfr. *Testamentum D. N. Iesu Christi*, I, 31: ed. et latine redd. I. E. Rahmani, Moguntiae, 1899, p. 75. [15] Cfr. *Didascalia Apostolorum*, II, 57, 6; 58, 1: ed. F. X. Funk, I, Paderbornae, 1906, pp. 162 et 166. [16] Cfr. S. Cypriani *Epistolae* XV et XVI: ed. G. Hartel, Vindobonae, 1871, pp. 513-520; cfr. S. Augustinus, *De catechizandis rudibus*, I, cap. I, 1: *PL* 40, 309-310. [17] Sessio XXIII, capp. I-IV: Mansi, XXXIII, col. 138-140. [18] *Allocutio ad eos qui interfuerunt Conventui alteri catholicorum ex universo orbe pro Laicorum Apostolatu* Romae habita, die 5 Octobris anno 1957: *A. A. S.* 49 (1957), p. 925. [19] Cfr. *Mt.* 20, 28. [20] *A. A. S.* 57 (1965), p. 36 [LE 3232]. [21] *Ibidem.*

http://www.obrascatolicas.com

rmae canonicae de Diaconatu permanenti statutae
nt [22]. Die autem XVII Iunii anno sequenti, per Constitu-
nem Apostolicam *Pontificalis Romani recognitio* [23],
vum ritum sanximus conferendorum ordinum sacrorum
aconatus, Presbyteratus et Episcopatus, materia ac
rma ipsius ordinationis simul definitis.

Nunc autem, dum, ulterius procedentes, hoc ipso die
postolicas Litteras, a verbis *Ministeria quaedam* inci-
entes, promulgamus, expedire arbitramur certas edere
rmas circa Diaconatum; itemque volumus, ut candidati
Diaconatum noscant, quae ministeria ipsi exercere
beant ante sacram ordinationem, necnon quo tempore
qua ratione onera caelibatus et precationis liturgicae
bi assumenda sint.

Cum vero ingressus in statum clericalem ad Diaconatum
fferatur, non amplius habetur ritus primae tonsurae,
o laicus fiebat clericus. Attamen novus ritus inducitur,
o is, qui ad Diaconatum vel Presbyteratum adspirat,
blice manifestat suam voluntatem se Deo et Ecclesiae
ferendi, ut sacrum ordinem exerceat; Ecclesia vero, hanc
lationem accipiens, eum eligit et vocat, ut ad sacrum
dinem recipiendum se praeparet, et hac ratione inter
ndidatos ad Diaconatum et Presbyteratum rite coo-
etur.

Peculiari autem ratione convenit, ut ministeria Lectoris
Acolythi committantur iis, qui ut candidati ad ordinem
crum specialiter se Deo et Ecclesiae devovere cupiunt.
cclesiae enim, quippe quae *non desinat ex mensa tam verbi*
ei quam Corporis Christi panem vitae sumere atque fideli-
ts porrigere [24], valde opportunum existimat, ut sacrorum
dinum candidati tum studio tum exercitio, quod gra-
atim fiat, ministerii Verbi et Altaris, duplicem hunc
cerdotalis muneris aspectum familiari consuetudine per-
iciant atque meditentur. Ex quo fit, ut veritas mini-
erii maxima eniteat efficacitate. Candidati, enim, ad
cros ordines accedant, suae vocationis plane consci,
piritu ferventes, Domino servientes ... orationi instantes,
cessitatibus sanctorum communicantes [25].

Omnibus igitur mature perpensis, peritorum voto exqui-
lo atque Conferentiis Episcopalibus consultis earumque
ntentiis attentis, necnon collatis consiliis cum Venera-
libus Fratribus Nostris membris Sacrarum Congregatio-
um, ad quas pertinet, Apostolica auctoritate Nostra
cernimus ea, quae sequuntur, derogando —si et quate-
us opus sit— praescriptis Codicis Iuris Canonici hucusque
gentis, eademque hisce Litteris promulgamus.

I. *a)* Ritus inducitur admissionis inter candidatos ad
iaconatum et Presbyteratum. Ad quam admissionem rite
bendam requiritur libera adspirantis petitio, propria
anu exarata ac subscripta, necnon competentis Superio-
s ecclesiastici acceptio scripto data, vi cuius Ecclesiae
ectio efficitur.

Professi in religionibus clericalibus, ad Presbyteratum
ntendentes, hoc ritu non tenentur.

b) Superior competens pro hac acceptione est Ordina-
us (Episcopus et, in clericalibus institutis perfectionis,
uperior Maior). Acceptari possunt ii, qui signa verae
ocationis praebeant, atque, bonis moribus ornati et, a
entis corporisque defectibus immunes, vitam suam / Ec-
lesiae servitio dicare velint ad Dei gloriam animarumque
onum. Oportet, ut, qui ad Diaconatum transeuntem
dspirant, vigesimum saltem aetatis annum expleverint
t studiorum theologicorum curriculum coeperint.

c) Vi acceptionis candidatus vocationem suam pecu-
lari modo curare altiusque excolere debet; atque ius
equirit ad necessaria subsidia spiritualia, quibus vocatio-
nem suam colere atque Dei voluntati, nulla condicione
pposita, obtemperare possit.

II. Candidati ad Diaconatum, sive permanentem sive
ranseuntem, et ad Presbyteratum ministeria Lectoris et
Acolythi debent recipere, nisi ea iam receperint, et per
congruum tempus exercere, quo melius disponantur ad
futura munera Verbi et Altaris.

Dispensatio a recipiendis ministeriis pro iisdem candi-
datis Sanctae Sedi reservatur.

III. Ritus liturgici, quibus fit admissio inter candidatos
ad Diaconatum et Presbyteratum ac ministeria supra me-
morata demandantur, peragi debent ab Ordinario (Episco-
Maiore) adspirantis.

[22] *A. A. S.* 59(1967), pp. 697-704 [LE 3571]. [23] *A. A. S.* 60 (1968), pp. 369-373 [LE 3666]. [24] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, n. 21: *A. A. S.* 58 (1966), p. 827 [LE 3345]. [25] *Rom.* 12, 11-13. [26] Cfr. Paulus VI, Litt. Apost. motu proprio datae *Sacrum Diaconatus Ordinem*, n. 16: *A. A. S.* 59 (1967), p. 701 [LE 3571].

IV. Interstitia a S. Sede vel a Conferentiis Episcopalibus statuta, serventur inter collationem —per curriculum theologicum habendam— ministeriorum Lectoratus et Acolythatus, necnon inter collationem Acolythatus et Diaconatus.

V. Candidati ad Diaconatum, ante ordinationem, Ordinario (Episcopo et, in clericalibus institutis perfectionis, Superiori Maiori) tradant declarationem propria manu exaratam et subscriptam, qua testificentur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturos esse.

VI. Consecratio propria caelibatus, propter Regnum caelorum servati, huiusque obligatio pro candidatis ad Sacerdotium et pro candidatis non uxoratis ad Diaconatum reapse conectuntur cum Diaconatu. Publica ipsius sacri caelibatus assumptio coram Deo et Ecclesia etiam a religiosis celebranda est speciali ritu, qui ordinationem diaconalem praecedat. Caelibatus hoc modo assumptus impedimentum dirimens est ad nuptias ineundas.

Diaconi quoque uxorati, amissa uxore, ex tradita Ecclesiae disciplina ad novum matrimonium ineundum inhabiles sunt [26]. /

540

VII. *a)* Diaconi ad Presbyteratum vocati ne ordinentur nisi prius expleverint studiorum curriculum, Apostolicae Sedis praescriptionibus definitum.

b) Quod spectat ad theologicorum studiorum cursum, ordinationi Diaconorum permanentium praeponendum, Episcoporum Conferentiae, attentis locorum adiunctis, congruas normas tradant easque Sacrae Congregationi pro Institutione Catholica approbationi subiciant.

VIII. Ad normam nn. 29-30 Institutionis generalis de Liturgia Horarum:

a) Diaconi ad Presbyteratum vocati ex ipsa sacra ordinatione obstringuntur obligatione Liturgiam Horarum celebrandi;

b) maxime decet stabiles Diaconos aliquam saltem partem Liturgiae Horarum, ab Episcopali Conferentia definiendam, cotidie recitare.

IX. Ingressus in statum clericalem et incardinatio alicui dioecesi ipsa ordinatione Diaconali habentur.

X. Ritus admissionis inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum necnon consecrationis propriae sacri caelibatus a competenti Romanae Curiae Dicasterio proxime iuris publici fiet.

NORMA TRANSITORIA.—Candidati ad sacramentum Ordinis, qui ante promulgationem harum Litterarum Primam Tonsuram iam receperunt, omnia officia, iura et privilegia clericorum propria retinent; qui vero ad ordinem Subdiaconatus sunt promoti, susceptis obligationibus sive circa caelibatum sive circa Liturgiam Horarum tenentur; at publicam sacri caelibatus assumptionem coram Deo et Ecclesia, novo speciali ritu, qui ordinationem Diaconalem praecedit, iterum celebrare debent.

Quaecumque vero a Nobis per has Litteras, motu proprio datas, decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis nihil obstantibus. Statuimus autem, ut ea vigere incipiant a die 1 mensis Ianuarii, anno MCMLXXIII.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis B. Mariae Virginis, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri decimo.—PAULUS PP. VI.

Adn. G. M. GARRONE in Doc. Cath. 69 (1972) 974-976; Doc. Cath. 69 (1972) 858-859; G. RAMBALDI in PrM 62 (1973) 173-191; E. F. REGATILLO in Sal terrae 61 (1973) 62-65; Notit. 9 (1973) 16.

4084

1972 SEP 20.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 64 (1972) 615-620

Allocutio die 20 *sept.* 1972 *habita Institutorum saecularium Moderatoribus qui Romae internationali Coetui interfuerunt:*

DE RATIONE PROPRIA INSTITUTORUM SAECULARIUM IN ECCLESIA, QUAE PARI IURE CONSISTIT IN EORUM SODALIUM SAECULARITATE CONSECRATA AC IN IPSORUM CONSECRATIONE SAECULARI

Diletti Figli e Figlie nel Signore, Ancora una volta ci è data l'occasione di incontrarci con voi, Dirigenti degli Istituti Secolari, che siete e rappresentate una porzione fiorente e rigogliosa della Chiesa, in questo momento della storia. La circostanza che vi ha ricondotto davanti a noi questa volta il Congresso Internazionale [1] svoltosi

e state per concludere qui a Nemi, presso la nostra residenza estiva di Castel Gandolfo, e nel quale avete esaminato gli statuti della erigenda «Conferenza Mondiale degli Istituti Secolari» (C.M.I.S.).

Noi non vogliamo entrare nel merito dei vostri lavori, certamente condotti con profondità e impegno, sotto la vigile cura e con la partecipazione del Sacro Dicastero competente, ed ai quali auspichiamo frutti copiosi in ordine all'incremento delle vostre Istituzioni.

Desideriamo piuttosto indugiare in alcune riflessioni
616 circa quella / che potrebbe essere la funzione degli Istituti Secolari nel mistero di Cristo e nel mistero della Chiesa.

Quando guardiamo a voi, e pensiamo alle migliaia e migliaia di uomini e di donne di cui fate parte, non possiamo non sentirci consolati, mentre ci invade nell'intimo un vivo senso di gioia e di riconoscenza al Signore. Come forte e fiorente appare in voi la Chiesa di Cristo! Questa Madre nostra veneranda, che oggi taluni, anche tra i suoi figli, fanno bersaglio di critiche aspre e impietose; di cui qualcuno si diletta a descrivere fantasiosi sintomi di decrepitezza e a predire rovine; eccola, invece, divenire un gettito ininterrotto di gemme nuove, un fiorire insospettato di iniziative di santità. Noi sappiamo che dev'essere così, e non potrebbe essere altrimenti che così, perché Cristo è la divina inesauribile fonte della vitalità della Chiesa; e la vostra presenza ce ne offre una ulteriore testimonianza, ed è per tutti noi occasione di rinnovata consapevolezza.

Ma vogliamo guardare più da vicino il vostro volto, nella famiglia del Popolo di Dio. Anche voi riflettete un «modo proprio» in cui si può rivivere il mistero di Cristo nel mondo, e un «modo proprio» in cui si può manifestare il mistero della Chiesa.

Cristo Redentore è una tale pienezza, che noi non potremo mai comprendere né esprimere al completo. Egli è tutto per la sua Chiesa e, in essa, quello che noi siamo lo siamo proprio per Lui, con Lui ed in Lui. Anche per gli Istituti Secolari Egli resta dunque l'esemplare ultimo, l'ispiratore, la sorgente da cui attingere.

Basati su Cristo Salvatore e a suo esempio svolgete, in modo a voi proprio e caratteristico, un'importante missione della Chiesa. Ma anche la Chiesa, a suo modo, come Cristo, è una pienezza tale, è tale una ricchezza che nessuno da solo, nessuna istituzione da sola, potranno mai comprendere ed esprimere adeguatamente. Né sarebbe a noi possibile scoprirne le dimensioni, perché la sua vita è Cristo, che è Dio. Dunque anche la realtà della Chiesa, e la missione della Chiesa, possono essere espresse completamente solo nella pluralità dei membri. È la dottrina del Corpo Mistico di Cristo, la dottrina dei doni e dei carismi dello Spirito Santo.

Il discorso ci conduce qui, voi l'avete compreso, ad interrogarci sul modo a voi proprio di compiere la missione della Chiesa. Qual è il vostro dono specifico, il vostro ruolo caratteristico, il «quid novum» da voi apportato alla
617 Chiesa di oggi? Oppure: in che modo siete voi / Chiesa oggi? Voi lo sapete; l'avete ormai chiarito a voi stessi e alla comunità cristiana. Noi lo supponiamo.

Voi siete ad una misteriosa confluenza tra le due poderose correnti della vita cristiana, accogliendo ricchezze dall'una e dall'altra. Siete laici, consacrati come tali dai sacramenti del battesimo e della cresima, ma avete scelto di accentuare la vostra consacrazione a Dio con la professione dei consigli evangelici, assunti come obblighi con un vincolo stabile e riconosciuto. Restate laici, impegnati nei valori secolari propri e peculiari del laicato [1], ma la vostra è una «secolarità consacrata» [2], voi siete «consacrati secolari» [3].

Pur essendo «secolare», la vostra posizione in certo modo differisce da quella dei semplici laici, in quanto siete impegnati negli stessi valori del mondo, ma come consacrati: cioè non tanto per affermare l'intrinseca validità delle cose umane in se stesse, ma per orientarle esplicitamente secondo le beatitudini evangeliche; d'altra parte non siete religiosi, ma in certo modo la vostra scelta connviene con quella dei religiosi, perché la consacrazione che avete fatto vi pone nel mondo come testimoni della supremazia dei valori spirituali ed escatologici, cioè del carattere assoluto della vostra carità cristiana, la quale quanto più è grande tanto più fa apparire relativi i valori del mondo, mentre al tempo stesso ne aiuta la retta attuazione da parte vostra e degli altri fratelli.

Nessuno dei due aspetti della vostra fisionomia spirituale può essere sopravvalutato a scapito dell'altro. Ambedue sono coessenziali.

«Secolarità» indica la vostra inserzione nel mondo. Essa però non significa soltanto una posizione, una funzione, che coincide col vivere nel mondo esercitando un mestiere, una professione «secolare». Deve significare innanzitutto presa di coscienza di essere nel mondo come «luogo a voi proprio di responsabilità cristiana». Essere nel mondo, cioè essere impegnati nei valori secolari, è il vostro modo di essere Chiesa e di renderla presente, di salvarvi e di annunziare la salvezza. La vostra condizione esistenziale e sociologica diventa vostra realtà teologica, è la vostra via per realizzare e testimoniare la salvezza. Voi siete così un'ala avanzata della Chiesa «nel mondo»; esprimete
618 la / volontà della Chiesa di essere nel mondo per plasmarlo e santificarlo «quasi dall'interno a modo di fermento» [4], compito, anch'esso, affidato precipuamente al laicato. Siete una manifestazione particolarmente concreta ed efficace di quello che la Chiesa vuol fare per costruire il mondo descritto ed auspicato dalla *Gaudium et spes*.

«Consacrazione» indica invece l'intima e segreta struttura portante del vostro essere e del vostro agire. Qui è la vostra ricchezza profonda e nascosta, che gli uomini in mezzo ai quali vivete non si sanno spiegare e spesso non possono neppure sospettare. La consacrazione battesimale è stata ulteriormente radicalizzata in seguito ad una accresciuta esigenza di amore, suscitata in voi dallo Spirito Santo; non nella stessa forma della consacrazione propria dei religiosi, ma purtuttavia tale da spingervi ad una opzione fondamentale per la vita secondo le beatitudini evangeliche. Così che siete realmente consacrati e realmente nel mondo. «Siete nel mondo e non del mondo, ma per il mondo», come altra volta noi stessi vi abbiamo descritti [5]. Vivete una vera e propria consacrazione secondo i consigli evangelici, ma senza la pienezza di «visibilità» propria della consacrazione religiosa; visibilità che è costituita, oltre che dai voti pubblici, da una più stretta vita comunitaria e dal «segno» dell'abito religioso. La vostra è una forma di consacrazione nuova e originale, suggerita dallo Spirito Santo per essere vissuta in mezzo alle realtà temporali, e per immettere la forza dei consigli evangelici —cioè dei valori divini ed eterni— in mezzo ai valori umani e temporali.

Le vostre scelte di povertà, castità e ubbidienza sono modi di partecipazione alla croce di Cristo, perché a Lui vi associano nella privazione di beni altrove pur leciti e legittimi; ma sono anche modi di partecipazione alla vittoria di Cristo risorto, in quanto vi liberano dal facile sopravvento che tali valori potrebbero avere sulla piena disponibilità del vostro spirito. La vostra povertà dice al mondo che si può vivere tra i beni temporali e si può usare dei mezzi della civiltà e del progresso, senza farsi schiavi di nessuno di essi; la vostra castità dice al mondo che si può amare con il disinteresse e l'inesauribilità che attinge al cuore di Dio, e ci si può dedicare gioiosamente a tutti senza legarsi a nessuno, avendo cura soprattutto dei più abbandonati; la vostra ubbidienza dice al mondo che si
619 può essere felici pur senza / fermarsi in una comoda scelta personale, ma restando pienamente disponibili alla volontà di Dio, come appare dalla vita quotidiana, dai segni dei tempi e dalle esigenze di salvezza del mondo di oggi.

Così, dalla vostra vita consacrata, anche la vostra attività nel mondo —sia personale che collettiva, nei settori professionali in cui siete singolarmente o comunitariamente impegnati— riceve un più spiccato orientamento verso Dio, restando in certo qual modo anch'essa come coinvolta e trasportata nella stessa vostra consacrazione. E in questa singolare e provvidenziale configurazione, voi arricchite la Chiesa di oggi di una particolare esemplarità nella sua vita «secolare», vivendola come consacrati; e di una particolare esemplarità nella sua vita «consacrata», vivendola come secolari.

A questo punto vorremmo soffermarci su un particolare aspetto di fecondità delle vostre Istituzioni. Vogliamo alludere al folto gruppo di coloro che, consacrati a Cristo nel sacerdozio ministeriale e desiderando di unirsi a Lui con ulteriore vincolo di donazione, abbracciano la professione dei consigli evangelici, confluendo a loro volta

[1] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 31 [LE 3232].
[2] Paolo VI, Discorso ai Dirigenti e Membri degli Istituti Secolari nel XXV della «Provida Mater», *A. A. S.* 64 (1972), p. 208 [LE 4028].
[3] Paolo VI, Discorso ai partecipanti al Congresso Internazionale degli Istituti Secolari, 26 settembre 1970, *A. A. S* 62 (1970), p. 623 [LE 3900].
[4] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 31 [LE 3232].
[5] Paolo VI, Discorso ai partecipanti al Congresso Internazionale degli Istituti Secolari, 26 settembre 1970, *A. A. S* 62 (1970), p. 623 [LE 3900].

http://www.obrascatolicas.com

egli Istituti Secolari. Noi pensiamo a questi nostri fra-
lli nel sacerdozio di Cristo, e li vogliamo incoraggiare,
entre ammiriamo in loro, ancora una volta, l'azione dello
pirito, instancabile nel suscitare l'ansia di sempre mag-
ore perfezione. Quanto fin qui detto, vale certamente
nche per loro, ma abbisognerebbe di altri approfondi-
enti e precisazioni. Essi infatti pervengono alla consa-
razione nei consigli evangelici e all'impegno dei valori
ecolari» non già come laici, bensì come chierici, cioè
ortatori di una mediazione sacra nel Popolo di Dio. Oltre
l Battesimo e alla Cresima, che costituiscono la consa-
razione di base del laicato nella Chiesa, essi hanno rice-
uto una susseguente specificazione sacramentale nel-
Ordine Sacro, che li ha costituiti titolari di determinate
nzioni ministeriali nei confronti dell'Eucaristia e del
orpo Mistico di Cristo. Ciò ha lasciato intatta l'indole
ecolare» della vocazione cristiana, ed essi possono quindi
rricchirla, vivendola come «consacrati» negli Istituti Seco-
ri, ma ben diverse sono le esigenze della loro spiritualità,
onché certe implicanze esteriori nella loro pratica dei
onsigli evangelici e nel loro impegno secolare.

Vogliamo ora concludere rivolgendo a tutti un pres-
ante e paterno invito: quello di coltivare e incrementare,
i avere a cuore sempre e soprattutto, la comunione ec-
lesiale. Voi siete articolazioni vitali di questa comunione,
erché anche voi siete la Chiesa; non vogliate / giammai
ttentare alla loro efficienza. Non si potrebbe concepire
é comprendere un fenomeno ecclesiale al di fuori della
hiesa. Non vi lasciate mai sorprendere, neppure sfiorare
alla tentazione oggi troppo facile, che sia possibile un'au-
entica comunione con Cristo senza una reale armonia
on la comunità ecclesiale retta dai legittimi pastori.
arebbe ingannevole e illusorio. Che cosa potrebbe contare
n singolo o un gruppo, pur nelle intenzioni soggettiva-
nente più alte e perfette, senza questa comunione? Cristo
e l'ha chiesta come garanzia per ammetterci alla comu-
ione con Lui, allo stesso modo che ci ha chiesto di amare
l prossimo come documentazione del nostro amore per
ui.

Voi siete dunque di Cristo e per Cristo, nella sua Chiesa;
la vostra comunità locale, il vostro Istituto, la vostra
arrocchia, ma sempre nella comunione di fede, di Eucari-
tia, di disciplina e di fedele e leale collaborazione con il
ostro Vescovo e con la Gerarchia. Le vostre strutture e
e vostre attività non dovranno mai condurvi —siate
acerdoti o laici— ad una «bipolarità» di posizioni, né ad
n «alibi» di atteggiamento interiore ed esteriore, né tan-
omeno a posizioni antitetiche con i vostri pastori.

A questo vi invitiamo; questo vi auguriamo, perché pos-
iate essere in mezzo al mondo operatori autentici del-
'unica missione salvifica della Chiesa, nel modo a voi
roprio, a cui siete stati chiamati e inviati. Così il Signore
vi aiuti a prosperare e fruttificare ancora, con la nostra
Benedizione Apostolica.

4085

1972 SEP 23.-PAULUS VI, ALLOC. AAS 64 (1972) 623-631

Allocutio die 23 *sept.* 1972 *habita iis qui adfuerunt sexagesimo internationali Conventui a publicis legumlatorum coetibus ex universis nationibus Romae celebrato:*

DE CRISI ACTUALI SYSTEMATIS ET OFFICII SENATUS SEU COETUS PUBLICI LEGUMLATORUM DEQUE MEDIIS AD HOC IURIDICUM INSTITUTUM APTANDUM ET IN PRIMAEVAM RATIONEM RESTITUENDUM

Mesdames et Messieurs, Cette rencontre Nous apporte une double satisfaction. Tout d'abord, Nous aimons voir, dans votre démarche, un témoignage rendu à l'action de ce Siège Apostolique, et de l'Eglise Catholique, en faveur de la paix dans le monde. Votre visite Nous offre, de plus, une occasion vraiment exceptionnelle de proposer certaines réflexions à un / groupe de personnalités hautement qualifiées, investies de responsabilités aussi nobles qu'importantes, puisqu'elles concernent l'action politique, dont l'objectif essentiel est la réalisation du bien commun.

Nous ne croyons pas nécessaire de Nous attarder à décrire les éléments qui composent ce bien commun, pour chaque peuple comme pour la famille humaine tout entière. Votre participation à un rassemblement de caractère international manifeste, en effet, que vous avez pleinement

conscience du lien entre le bien commun d'une nation et son accomplissement au niveau mondial. Comment pourrait-il en être autrement, puisque certains de ses éléments appartiennent au patrimoine des valeurs universelles, dont Nous trouvons une affirmation, sous une forme explicite ou implicite, dans la Déclaration Universelle des Droits de l'homme, aujourd'hui reçue par tous —ou presque tous—, au moins sur le plan des principes.

Jean XXIII, dans son Encyclique «Pacem in Terris» déclarait à ce propos: «Pour la pensée contemporaine, le bien commun réside surtout dans la sauvegarde des droits et des devoirs de la personne humaine; dès lors, le rôle des gouvernants consiste principalement à garantir la reconnaissance et le respect des droits, leur conciliation mutuelle, leur défense et leur expansion, et en conséquence à faciliter à chaque citoyen l'accomplissement de ses devoirs» [1]. Cette affirmation n'a rien perdu de son prix; mais si les droits de la personne, lorsqu'on les considère dans l'abstrait, demeurent invariables, leur contenu concret doit être déterminé suivant la diversité des situations, c'est-à-dire de peuple à peuple et, dans un même peuple, d'un moment à l'autre de sa vie, d'une période à l'autre de son histoire.

Summus igitur Pontifex Paulus VI novam formulam sacramentalem Unctionis per Constitutionem Apostolicam *Sacram Unctionem infirmorum* die 30 novembris 1972 editam [LE 4095] statuit, necnon *Ordinem Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae* approbavit, quem Sacra Congregatio pro Cultu typicam esse declarans, ut is pro titulis huc spectantibus, qui in Rituali Romano usque adhuc vigente exstant, substitueretur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Culti Divino, die 7 decembris 1972.—Arturus Card. TABERA, *Praefectus*. A. BUGNINI, Archiep. tit. Diocletianensis, *a Secretis*.

[1] Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 75: AAS 56 (1964) 119 [LE 3141]. [2] *Cf. ibid.*, n. 74: l.c.

II. ORDO UNCTIONIS INFIRMORUM EORUMQUE PASTORALIS CURAE *

PRAENOTANDA

I. De infirmitate humana eiusque significatione in mysterio salutis

1. Hominum dolores atque infirmitates inter maximas semper habita sunt difficultates, quae eorum conscientiam angerent. Qui vero christianam fidem profitentur, etsi eadem

* **Rituale Romanum ex decreto sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum: Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae**, Typis Poliglottis Vaticani 1972, p. 13-58.

Textus Sacrae Scripturae e Novo Testamento excerpti citantur iuxta editionem Pontificiae Commissionis pro Nova Vulgata.

http://www.obrascatolicas.com

atiunt et experiuntur, fidei tamen lumine adiuvantur quo ius doloris mysterium percipiant et fortius dolores ipsos petiantur. Non solum enim noverunt ex verbis Christi quid sua et etiam pro mundi salute infirmitas significet et valeat, haud ignorant se infirmos ab ipso Christo diligi, qui in a sua pluries aegrotos invisit atque sanavit.

2. Infirmitas, etsi arcte cum hominis peccatoris condicione nexa, quasi poena plerumque haberi non potest, quae gulis pro peccatis propriis infligatur (cf. *Io*, 9, 3). Ipse uper Christus, qui est sine peccato, adimplens quae in ia propheta scripta sunt, quaevis in Passione sua vulnera it et omnibus hominum doloribus communicavit (cf. *Is.* 53,); quin etiam adhuc in membris suis sibi configuratis ciatur et angitur, quando nos dura patimur; quae tamen mentanea et etiam levia videntur, si referantur ad aeternae riae pondus, quod operantur in nobis (cf. 2 *Cor.* 4, 17).

3. Est in ipsa divinae providentiae dispensatione positum, homo contra quamvis infirmitatem strenue pugnet et num etiam sanitatis sollicita cura quaerat, ut in humana cietate et in Ecclesia officio suo fungi possit, dummodo ratus semper inveniatur ad ea implenda quae desunt pasnum Christi pro mundi salute, exspectans liberationem ius creaturae in gloria filiorum Dei (cf. *Col.* 1, 24; *Rom.* 8, -21).

Insuper in Ecclesia infirmorum officium est testimonio suo m ceteros monere ne rerum essentialium vel supernarum liviscantur, tum ostendere vitam hominum mortalem per ysterium mortis et resurrectionis Christi redimendam esse.

4. Nec infirmum tantum decet contra infirmitatem pugna- sed medici etiam et omnes qui infirmorum quovis modo nt addicti, ea omnia sibi facienda vel temptanda vel exrienda considerent, quae infirmorum animis corporibusque evandis prodesse videantur; haec enim facientes, verbum ud Christi adimplent quo ipse infirmos visitandos mandavit, asi diceret totum hominem visitantibus esse commissum, et physicis adiuvarent subsidiis et spiritali confortatione ficerent.

II. De Sacramentis infirmis conferendis

A. De Unctione infirmorum

5. Quantam vero Dominus infirmis corporalem atque spirilem curam ipse adhibuerit et fidelibus suis adhibendam aeceperit, Evangelia satis testantur atque potissimum osten- Unctionis sacramentum, quod ab ipso institutum et in ati Iacobi epistola denuntiatum, exinde Ecclesia pro memis suis unctione et oratione presbyterorum celebrare consue-, aegrotantes Domino patienti et glorificato commendans eos allevet et salvet (cf. *Iac.* 5, 14-16), immo eos adhortans sese Christi passioni et morti libere sociantes (cf. *Rom.* 8,)[1] ad bonum populi Dei conferant.[2]

Homo enim, periculose aegrotans, peculiari Dei gratia indi-t, ne, anxietate premente, animi demissione percellatur et, ntationibus subiectus, in sua ipse fide forsitan deficiat.

Quare Christus fideles suos infirmitate laborantes Unctionis cramento munit, tamquam firmissimo quodam praesidio[3].

Quae celebratio sacramenti in eo praesertim consistit, ut, anuum impositione ab Ecclesiae presbyteris praehabita, dei oratio proferatur et oleo, Dei benedictione sanctificato, niantur infirmi: quo ritu significatur atque confertur gratia cramenti.

6. Hoc sacramentum praestat infirmo gratiam Spiritus ncti, qua totus homo ad salutem adiuvatur, Dei fiducia blevatur et adversus tentationes maligni anxietatemque ortis roboratur, adeo ut mala non solum fortiter tolerare d etiam impugnare possit, et sanitatem, si saluti eius spiriali expedierit, consequatur; praebet etiam, si necesse est, eniam peccatorum et consummationem Praenitentiae chrianae[4].

7. In sacra Unctione, quae cum oratione fidei conectitur f. *Iac.* 5, 15), fides exprimitur, quae imprimis est excitanda, um in eo qui administrat tum praesertim in eo qui suscipit acramentum; infirmum enim salvabit fides eius et Ecclesiae, uae Christi mortem et resurrectionem respicit unde suam fficacitatem sacramentum haurit (cf. *Iac.* 5, 15)[5], et fuurum prospicit regnum, cuius pignus in sacramentis praebetur.

a) *De iis quibus Unctio infirmorum conferenda sit*

8. In epistola Iacobi declaratur Unctionem esse adhibenlam infirmis, ut eos allevet et salvet[6]. Omni ergo studio ac liligentia haec sacra Unctio conferenda est fidelibus qui ropter infirmitatem vel senium periculose aegrotant[7].

Ad gravitatem vero aegrotationis diiudicandam quod atinet, satis est ut prudens seu probabile de ea iudicium habeatur[8], quibusvis remotis anxietatibus et collatis consiliis, i casus ferat, cum medico.

9. Hoc sacramentum iterari potest si infirmus post susceptam Unctionem convaluerit, vel si, eadem infirmitate perdurante, discrimen gravius reddatur.

10. Ante sectionem chirurgicam (vulgo «operazione») sacra Unctio infirmo tribui potest quoties morbus periculosus causa est ipsius sectionis.

11. Senibus quorum vires multum debilitantur, etiam non perspecto morbo periculoso, sacra Unctio conferri potest.

12. Pueris etiam sacra Unctio eo iam tempore ministrari potest, cum talem habent usum rationis, ut hoc sacramento confortari possint.

13. In catechesi tum communi tum familiari tradenda fideles ita instituantur ut ipsi Unctionem expetant et statim ac tempus opportunum illam recipiendi datum fuerit, plena fide animique devotione suscipiant, neve pravo usui sacramenti procrastinandi indulgeant. Omnes vero qui infirmis assistunt de huius sacramenti natura edoceantur.

14. Infirmis, qui licet sensus vel usum rationis amiserint, sacram Unctionem, dum suae mentis compotes essent, ut credentes verisimiliter petiissent, sacramentum praeberi potest[9].

15. Sacerdos vocatus ad infirmum qui iam mortuus est, Deum pro illo deprecetur, ut a peccatis absolvat et in regnum suum clementer admittat; Unctionem vero sacerdos ne administret. Si vero dubitat num infirmus vere mortuus sit, potest hoc sacramentum ei sub condicione praebere (n. 135)[10].

b) *De ministro Unctionis infirmorum*

16. Minister proprius Unctionis infirmorum est solus sacerdos[11].

Episcopi, parochi et eorum cooperatores, sacerdotes quibus mandata est cura infirmorum vel senium in valetudinariis, et superiores communitatum religiosarum clericalium, huius ministerii munus ordinarie exercent[12].

17. Horum est tum infirmos et circumstantes ad sacramentum apta praeparatione disponere, auxiliantibus religiosis et laicis, tum etiam infirmis sacramentum conferre.

Ad Ordinarium loci pertinet moderatio illarum celebrationum in quibus forte infirmi diversarum paroeciarum vel valetudinariorum ad accipiendam sacram Unctionem adunantur.

18. Ceteri sacerdotes, assentiente ministro de quo supra, n. 16, Unctionem conferunt. In casu autem necessitatis, sufficit ut, assensu praesumpto, parochum vel cappellanum valetudinarii de Unctione facta certiorem reddant.

19. Quando duo vel plures presbyteri adsunt prope unum infirmum, nihil impedit quominus unus ex illis orationes dicat et Unctionem peragat cum sua formula, ceteri vero singulas alias partes ritus, veluti ritus initiales, lectionem verbi Dei, invocationes aut monitiones, inter se distribuant. Singuli insuper possunt manus imponere.

c) *De iis quae ad Unctionem celebrandam requiruntur*

20. Materia apta sacramenti est oleum olivarum aut, pro opportunitate, aliud oleum e plantis expressum[13].

21. Oleum in Unctione infirmorum adhibendum debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero, qui vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis Sedis Apostolicae hac facultate gaudet.

Praeter Episcopum ipso iure Oleum adhibendum in Unctione infirmorum benedicere potest: *a)* qui iure Episcopo dioecesano aequiparatur; *b)* in casu verae necessitatis, quilibet presbyter[14].

Benedictio Olei infirmorum de more fit ab Episcopo feria V Hebdomadae sanctae[15].

22. Cum sacerdos, iuxta n. 21*b*, intra ritum Oleum benedicturus est, Oleum benedicendum potest aut ab ipso presbytero deferri aut a familiaribus infirmi in vasculo convenienti parari. Quod vero post celebrationem supererit Olei benedicti, addito bombacio igne comburatur.

Cum vero sacerdos Oleo iam ante ab Episcopo vel etiam sacerdote benedicto utitur, in vasculo, in quo illud servatur, id secum affert. Hoc autem vasculum, ex materia ad Oleum servandum apta, mundum sit et satis Olei, pro commoditate in bombacio diffuso, contineat. In hoc casu sacerdos, Unctione peracta, vasculum, ubi honorifice servatur, reportat. Curetur autem ut Oleum huiusmodi usui hominum aptum maneat et porro tempore opportuno renovetur, sive singulis annis post benedictionem Olei ab Episcopo feria V Hebdomadae sanctae factam, sive, pro necessitate, frequentius.

23. Unctio confertur infirmum liniendo in fronte et in manibus; formulam ita dividere convenit, ut prior pars dicatur dum fit unctio in fronte, altera vero dum fit unctio in manibus.

In casu tamen necessitatis sufficit ut peragatur unica unctio in fronte vel, propter peculiarem infirmi condicionem, in alia parte corporis aptiore, integra formula prolata.

[1] Cf. etiam *Col.* 1, 24; 2 *Tim.* 2, 11-12; 1 *Petr.* 4, 13. [2] Cf. Conc. Trid. Sessio XIV, *De extrema unctione*, cap. 1: Denz.-Schön. 1695; Conc. Vat. II Const. *Lumen gentium*, n. 11: AAS 57 (1965) 15 [LE 3232]. [3] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, *De extrema unctione*, cap. 1: Denz.-Schön. 1694. [4] Cf. *Ibid.*, *prooem.* et cap. 2: Denz.-Schön. 1694 et 1696. [5] Cf. S. Thomas, *In IV Sententiarum*, d. 1, q. 1, a. 4, qc. 3. [6] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, *De extrema unctione*, cap. 2: Denz.-Schön. 1698. [7] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 73: AAS 56 (1964) 118-119. [8] Cf. Pius XI, Epist. *Explorata* res, 2 febr. 1923. [9] Cf. C.I.C., can. 943. [10] Cf. C.I.C., can. 941. [11] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, *De extrema unctione*, cap. 3 et can. 4: Denz.-Schön. 1697 et 1719; C.I.C., can. 938. [12] Cf. C.I.C., can. 938. [13] Cf. *Ordo benedicendi Oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi Chrisma*, Praenotanda, n. 3. Typis Polyglottis Vaticanis 1970 [LE 3923]. [14] Cf. *Ibid.*, Praenotanda, n. 8. [15] Cf. *Ibid.*, Praenotanda, n. ...

24. Nihil tamen impedit quominus, ingenio et traditionibus populorum attentis, numerus unctionum augeatur aut earum locus mutetur, quod praevidendum erit in Ritualibus particularibus conficiendis.

25. Formula qua secundum ritum Latinum Unctio infirmis confertur est haec: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericórdiam, ádiuvet te Dóminus grátia Spíritus Sancti, ut a peccátis liberátum te salvet atque propítius állevet.*

B. De Viatico

26. In transitu ex hac vita, fidelis, viatico Corporis et Sanguinis Christi roboratus, pignore resurrectionis munitur, iuxta verba Domini: «Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die» (Io 6, 54).

Viaticum, si fieri potest, intra Missam recipiatur, ita ut infirmus sub utraque specie communicare possit, propterea etiam quod communio ad modum viatici suscepta peculiare signum habenda est participationis mysterii, quod in sacrificio Missae celebratur, mortis scilicet Domini eiusque transitus ad Patrem[16].

27. Obligatione Viaticum recipiendi tenentur omnes baptizati qui sacram communionem recipere possunt. Omnes enim fideles, in periculo mortis, quavis ex causa illud oritur, sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur; pastores vero advigilare debent ne huius sacramenti ministratio differatur, sed eo fideles adhuc plene sui compotes reficiantur[17].

28. Expedit insuper ut fidelis in celebratione Viatici renovet fidem Baptismi, quo recepit adoptionem filiorum Dei et factus est coheres promissionis vitae aeternae.

29. Ministri ordinarii Viatici sunt parochus eiusque cooperatores, sacerdos cui mandatur cura infirmorum in valetudinariis, et superior communitatis religiosae clericalis. In casu necessitatis, quivis sacerdos, de licentia saltem praesumpta ministri competentis, Viaticum ministret.

Deficiente tamen sacerdote, Viaticum ad infirmum deferre potest diaconus vel alius fidelis, vir aut mulier, qui, auctoritate Sedis Apostolicae, ab Episcopo rite sit deputatus ad Eucharistiam fidelibus distribuendam. Hoc in casu, diaconus eodem ritu utatur qui in Rituali describitur, alii vero ritum sequantur quem in distribuenda sacra communione pro more adhibent, adhibita tamen formula propria quae ad Viaticum ministrandum in Rituali (n. 112) proponitur.

C. De ritu continuo

30. Quo facilius etiam casibus peculiaribus prospiciatur, quibus aut ex morbo repentino allisve de causis fidelis in proximo mortis periculo quasi ex improviso constituatur, est in promptu ritus continuus, quo infirmus sacramentis Paenitentiae, Unctionis et Eucharistiae ad modum Viatici muniatur.

Si vero, instante mortis periculo, tempus non suppetat omnia sacramenta modo superius descripto ministrandi, primum detur infirmo opportunitas confessionis sacramentalis, etiam pro necessitate generice peragendae, deinde ei praebeatur Viaticum, ad quod recipiendum quivis fidelis in periculo mortis tenetur. Postea, si tempus adhuc superest, sacra Unctio conferatur.

Si vero ob infirmitatem, sacram Communionem recipere nequit, sacra Unctio illi ministranda est.

31. Si infirmus sacramento Confirmationis muniendus sit, ea prae oculis habeantur quae infra indicantur nn. 117, 124, 136-137.

In mortis periculo, dummodo Episcopus commode haberi non possit vel legitime impediatur, facultate confirmandi ipso iure gaudent hi qui sequuntur: parochi et vicarii paroeciales, in quorum absentia, eorum vicarii cooperatores; presbyteri, qui peculiares paroecias rite constitutas regant; vicarii oeconomi; vicarii substituti et vicarii adiutores. In absentia autem omnium praedictorum, quivis sacerdos nulla censura aut canonica poena irretitus[18].

III. De officiis et ministeriis circa infirmos

32. In Corpore Christi, quod est Ecclesia, si patitur unum membrum, compatiuntur et omnia membra (1 Cor 12, 26)[19]. Quapropter misericordia erga infirmos atque sic dicta opera caritativa et mutui auxilii ad sublevandas omnimodas necessitates humanas, praecipuo in honore habentur[20], et omnia technicae artis molimina ad biologicam longaevitatem prorogandam[21] omnisque ex corde diligentia erga infirmos a quovis homine sint peracta, praeparatio evangelica aestimari possunt et aliquo modo participant ministerium allevationis[22] Christi.

33. Unde omnes baptizatos hoc ministerium mutuae caritatis in Corpore Christi participare maxime convenit, tam in lucta contra morbum et dilectione erga infirmos, quam in celebratione sacramentorum pro infirmis. Haec enim sacramenta, sicut et cetera, indolem communitariam prae se ferunt, quae in celebratione, quantum fieri potest, manifestetur oportet.

34. Peculiarem partem in hoc ministerio levationis habent familiares infirmorum vel horum quavis ratione curam habentes. Illorum in primis est infirmos verbis fidei et communi oratione roborare, eos Domino patienti et glorificato commendare, immo eos hortari ut sese Christi passioni et morti libere sociantes, ad bonum populi Dei conferant[23]. Ingravescente autem morbo, ipsorum est parochum praemonere, atque ipsum infirmum humanis verbis prudenter disponere ad sacramenta tempore opportuno recipienda.

35. Meminerint sacerdotes, maxime parochi ceterique de quibus in n. 16, suum esse officium aegrotos sedula cura per se ipsos invisere et effusa caritate adiuvare[24]. Praesertim vero in sacramentis ministrandis illorum est astantium spem erigere fidemque fovere in Christum passum atque glorificatum, ita ut, pium affectum matris Ecclesiae et fidei consolationem afferendo, credentes quidem allevent, ceteros vero ad superna erigant.

36. Quo autem melius ea quae de Unctionis et Viatici sacramentis dicta sunt, peripi possint, fidesque amplius nutriri, roborari et exprimi valeat, maximi est momenti ut apta catechesi tum fideles in genere tum potissimum infirmi manuducantur ad celebrationem praeparandam vel ad ipsam actu participandam, praesertim si in communi fiat. Oratio enim fidei quae sacramenti celebrationem comitatur, ipsius fidei professione fovetur.

37. In praeparanda et ordinanda sacramentorum celebratione, sacerdos de statu infirmi inquirat, ita ut huius rationem habeat in disponendo ritu, in lectione Sacrae Scripturae et orationibus eligendis, in Missa celebranda vel non, pro ministrando Viatico, etc. Quae omnia, quantum fieri potest, cum ipso infirmo vel eius familia antea disponat, explicans significationem sacramentorum.

IV. De aptationibus quae Conferentiis Episcopalibus competunt

38. Conferentiis Episcopalibus competit, vi Constitutionis de sacra Liturgia (art. 63 b), in Ritualibus particularibus parare titulum qui huic Ritualis Romani titulo congruat, accommodatum singularum regionum necessitatibus, ut actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.

Qua in re, Conferentiarum Episcopalium erit: *a)* Aptationes definire, de quibus in art. 39 Constitutionis de sacra Liturgia. *b)* Sedulo et prudenter considerare quid ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune admitti possit; ideoque alias aptationes, quae utiles vel necessariae existimantur, Apostolicae Sedi proponere, de ipsius consensu inducendas. *c)* Quaedam propria Ritualium particularium circa infirmos iam exstantium elementa, si quae habentur, retinere, dummodo cum Constitutione de sacra Liturgia et necessitatibus hodiernis componi queant, vel ea aptare. *d)* Versiones textuum parare, ita ut indoli variorum sermonum atque ingenii culturarum vere accommodentur, additis, quoties opportunum fuerit, melodiis cantui aptis. *e)* Praenotanda, quae in Rituali Romano habentur, si casus fert, aptare et complere ad participationem fidelium consciam et actuosam reddendam. *f)* In editionibus librorum liturgicorum cura Conferentiarum Episcopalium parandis, materiam ordinare modo qui ad usum pastoralem aptissimus videatur.

39. Quando Rituale Romanum plures exhibet formulas ad libitum, Ritualia particularia possunt alias formulas eiusedm generis adicere.

V. De accommodationibus quae ministro competunt

40. Minister, prae oculis habens adiuncta aliasque necessitates necnon vota infirmorum aliorumque fidelium, variis facultatibus in ritu propositis libenter utatur.

a) Imprimis attendat defatigationi infirmorum et variationibus in statu illorum physico intra diem vel etiam horam. Propter hoc poterit, si casus ferat, celebrationem abbreviare.

b) Quando nullus adest coetus fidelium, sacerdos memor sit in se ipso et in infirmo iam esse Ecclesiam. Studeat igitur huic infirmo, tum ante celebrationem sacramenti tum post eam, communitatis dilectionem et adiumentum praebere, vel per se vel, si infirmus id admittit, per alium christianum communitatis localis.

c) Si post Unctionem infirmus convaluerit, opportune illi suadeatur ut debite gratias agat pro beneficio accepto, v. gr. participando Missam pro gratiis Deo reddendis, vel alio modo apto.

41. In celebratione proinde structuram ritus servet, accommodatam tamen adiunctis loci et personarum. Actus paenitentialis, pro opportunitate, initio ritus vel post lectionem Sacrae Scripturae fiat. Loco gratiarum actionis super oleum, monitione, si casus fert, utatur. Quod prae oculis habeatur

[16] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, nn. 36, 39, 41: AAS 59 (1967) 561, 562, 563 [LE 3562]; Paulus VI, Litt. Apost. *Pastorale munus*, 30 nov. 1963, n. 7: AAS 56 (1964) 7 [LE 3139]; C.I.C., can. 822, 4. [17] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 39: AAS 59 (1967) 562 [LE 3562]. [18] Cf. *Ordo Confirmationis*, Praenotanda, n. 7c. Typis Polyglottis Vaticanis 1971 [LE 3996]. [19] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 7: AAS 57 (1965) 9-10 [LE 3232]. [20] Cf. Conc. Vat. II Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 8: AAS 58 (1966) 845 [LE 3346]. [21] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Gaudium et spes*, n. 18: AAS 58 (1966) 1038 [LE 3569]. [22] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 28: AAS 57 (1965) 34 [LE 3232]. [23] Cf. *Ibid.*, n. 21. [24] Cf. C.I.C., can. 468, 1.

http://www.obrascatolicas.com

necipue cum infirmus in valetudinario decumbit, et alii firmi qui in eodem loco forte decumbunt nullam partem bent celebrationis.

Caput I. De visitatione et Communione infirmorum

I. De visitatione infirmorum

42. Christifideles omnes, sollicitudinem et caritatem Chri- et Ecclesiae de infirmis participantes, aegrotantium, pro a condicione, sollicitam curam gerant, eos visitando et in mino confortando, eisque in necessitatibus fraterne subve- endo.

43. Praesertim vero parochi aliique infirmorum curam rentes verba fidei illis proferant, quibus edoceantur de signi- atione infirmitatis humanae in mysterio salutis; eos insuper rtentur, ut, fide illuminati, Christo patienti se coniungere iant, ac demum infirmitatem suam oratione sanctificare leant et ex ipsa oratione animi fortitudinem ad dolores rferendos haurire discant.

Cura autem ipsis erit, ut infirmi gradatim adducantur ad cramenta Paenitentiae et Eucharistiae rite et frequenter o cuiusque condicione participanda, et praesertim ad sacram nctionem et Viaticum tempore opportuno recipienda.

44. Expedit ut infirmi ad orationem, tum soli tum suis m familiaribus vel iis qui sibi ministrant consociati, ad- ucantur, eam potissimum hauriendo e Scriptura Sacra, sive meditando quae humanae infirmitatis mysterium in Christo usque opere illustrant, sive precationis formulas atque af- ctus de psalmis aliisque textibus depromendo. Ad hanc vero recationem debite faciendam opportunis subsidiis iuventur; mo sacerdotes aliquoties eandem precationem cum illis benter peragant.

45. In visitatione infirmorum sacerdos poterit ex elem entis otis communem precationem ad modum brevis celebrationis erbi Dei instruere, fraterno colloquio praeparandam. Lectioni item verbi Dei opportune iungatur oratio, e psalmis vel aliis rationibus vel litaniis haurienda; et in fine infirmo benedictio mpertiatur, si casus ferat, cum manuum impositione.

II. De communione infirmorum

46. Animarum pastores curent ut infirmis et aetate pro- ectis, licet graviter non aegrotent neque mortis periculum s immineat, frequenter, immo prout fieri potest cotidie, praesertim tempore paschali, praebeatur copia Eucharistiam mendi: quod fieri potest qualibet diei hora.

Infirmis, qui sub specie panis Eucharistiam recipere ne- ieunt, licet sub specie vini tantum eam ministrare, servatis quae infra, n. 95, dicuntur.

Ii autem qui infirmo assistunt, possunt sacram Communio- em cum illo recipere, servatis de iure servandis.

47. In deferenda sacra Eucharistia pro communione extra clesiam ministranda, sacrae species theca vel alio vasculo ausae afferantur, habitu et modo iuxta locorum adiuncta nvenientibus.

48. Il qui cum infirmo degunt aut eius curam habent prae- oneantur ut cubiculum infirmi debite paretur cum mensa nteo cooperta, super quam Sacramentum deponatur. Praevi- eantur etiam si est consuetudo, vas cum aqua benedicta et spersorium vel parvus ramus aspersioni aptus, necnon cerei per mensam.

1. *Ritus ordinarius Communionis infirmorum*

49. Accedens ad infirmum, sacerdos, veste huic sacro mi- isterio convenienti indutus, ipsum ceterosque astantes hu- aniter salutat, adhibens, si casus fert, salutationem: [*Sequitur ritus liturgicus*].

2. *Ritus brevior Communionis infirmorum*

59. Ritus hic brevior adhibetur quando sacra Communio anda est pluribus infirmis in variis cubiculis eiusdem do- us, ex. gr. eiusdem valetudinarii, degentibus, additis, si asus fert, aliquibus elementis e ritu ordinario desumptis. [*Sequitur ritus liturgicus*].

Caput II. Ordo unctionis infirmi

RITUS ORDINARIUS

De praeparatione celebrationis

64. Sacerdos, sacram Unctionem alicui infirmo ministra- turus, de eius statu inquirat, ita ut huius rationem habeat in disponenda celebratione et in lectione Sacrae Scripturae et orationibus eligendis. Quae omnia, quantum fieri potest, cum ipso infirmo vel eius familia disponat, explicans significatio- nem sacramenti.

65. Ad infirmi confessionem sacramentalem audiendam, quoties id necessarium fuerit, sacerdos accedat, si potest, iam ante celebrationem Unctionis. Si vero confessio sacramentalis infirmi tempore Unctionis facienda est, haec fiat initio ritus. Quando autem intra ritum ipsum non fit, actus paenitentialis opportune habeatur.

66. Infirmus, qui non decumbit, Sacramentum recipere potest in ecclesia vel alio loco convenienti, in quo adsit sedes apta pro ipso infirmo, et quo congregari possint saltem propinqui et amici, qui partem habebunt celebrationis.

In valetudinariis autem sacerdos rationem habeat aliorum infirmorum in eodem loco forte decumbentium, attendens nempe utrum aliquam partem in celebratione habere valeant, an vero forte defatigentur vel, si catholicam fidem non profitentur, quadam molestia affici videantur.

67. Ritus qui infra describitur servatur etiam cum Unctio pluribus infirmis simul confertur, factis super singulos impositione manuum atque unctione cum sua formula, ceteris vero semel tantum numero plurali recitatis.

Ritus initiales

68. Accedens ad infirmum, sacerdos, veste huic sacro mi: nisterio convenienti indutus, infirmum ipsum ceterosque praesentes humaniter salutat, adhibens, si casus fert, salutationem- [*Sequitur ritus liturgicus*].

Ordo Unctionis intra Missam

80. Quando status infirmi hoc permittit, et praesertim quando hic sacram Communionem est recepturus, sacra Unctio intra Missam conferri potest, sive in ecclesia sive etiam, de consensu Ordinarii, in domo infirmi vel in valetudinario, loco apto.

81. Quoties sacra Unctio intra Missam confertur, dicitur, sacerdote sacris vestibus coloris albi induto, Missa pro infirmis. Occurrente tamen dominica Adventus, Quadragesimae et Paschae, aliqua sollemnitate aut feria IV Cinerum vel feria Hebdomadae sanctae, dicitur Missa de die, servata, pro opportunitate, formula benedictionis finalis (nn. 79 et 237).

Lectiones sumuntur ex iis quae in *Lectionario Missae* (III, pp. 740-748) vel in *Ordine Unctionis* (nn. 133 ss.) proponuntur, nisi utilitas infirmi et astantium alias lectiones seligere suadeat.

Quando tamen Missa pro infirmis prohibetur, una e lectionibus sumi potest e textibus de quibus supra, nisi occurrat Triduum sacrum, sollemnitas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Ssmi Corporis et Sanguinis Christi vel alia sollemnitas de praecepto servanda.

82. Sacra Unctio confertur post Evangelium et homiliam, hoc ordine:

a) Post lectionem Evangelii, sacerdos in homilia de textu sacro ostendat significationem infirmitatis humanae in historia salutis, et gratiam sacramenti Unctionis, attendens tamen ad statum infirmi et cetera personarum adiuncta.

b) Celebratio Unctionis incipit a litania (n. 73) vel, si ipsa litania aut oratio universalis habenda est post Unctionem, ab impositione manuum (n. 74). Sequitur deinde benedictio Olei, si iuxta n. 21 facienda est, aut oratio gratiarum actionis super ipsum Oleum (n. 75), et Unctio (n. 76).

c) Deinde, nisi litania praecesserit Unctionem, fit oratio universalis, quae concluditur oratione post Unctionem dicenda (nn. 77, 243-246). Missa autem continuatur de more cum praeparatione donorum. Infirmus atque astantes sub utraque specie communicare possunt.

De celebratione Unctionis in magno coetu fidelium

83. Ritus, qui infra describitur, adhiberi potest in adunationibus fidelium, cuiusmodi sunt peregrinationes vel alii coetus alicuius diocesis, civitatis vel paroeciae vel piae infirmorum consociationis.

Idem ritus aliquando sumi potest, pro opportunitate, etiam in valetudinariis.

Si autem, de iudicio Ordinarii loci, multi infirmi insimul sacram Unctionem accepturi sunt, Ordinarius vel eius delegatus invigilet ut accurate serventur normae omnes de disciplina sacrae Unctionis (nn. 8-9), de praeparatione pastorali et celebratione liturgica (nn. 17, 84, 85) editae.

Illius insuper est designare, si casus ferat, sacerdotes qui partem ministrationis sacramenti habeant.

84. Celebratio communis Unctionis in Ecclesia peragitur, vel in alio loco apto, quo infirmi aliique fideles facilius convenire possint.

85. Oportet tamen ut apta praeparatio pastoralis antea fiat tum infirmorum qui sacram Unctionem sunt recep turi, tum aliorum infirmorum forte praesentium, tum fidelium bene valentium.

Cura etiam adhibeatur plenae astantium participationi fovendae, cantus praesertim opportunos praevidendo, quibus fidelium unanimitas excitetur, oratio communis foveatur et paschalis laetitia manifestetur, qua ritum resonare convenit.

Celebratio extra Missam

86. Expedit ut infirmi Unctionem recepturi, qui peccata sua confiteri velint, ad sacramentum Paenitentiae accedant ante Unctionis celebrationem.

87. Ritus incipit ab infirmorum receptione, in qua humaniter manifestatur sollicitudo Christi de infirmitatibus hominis et pars infirmorum in populo Dei.

88. Deinde fit, pro opportunitate, actus paenitentialis (n. 71).

89. Sequitur celebratio verbi Dei, quae constare potest lectione unius vel plurium Sacrae Scripturae locorum, cantibus interiectis. Lectiones e lectionario pro infirmis (nn. 153 ss.) seligi possunt, nisi utilitas infirmorum vel astantium alias lectiones seligere suadeat. Post homiliam, breve tempus silentii servari potest.

90. Sacramenti autem celebratio incipit a litania (n. 73) vel ab impositione manuum (n. 74). Dum infirmorum unctio peragitur, formula ab astantibus saltem semel audita, edi possunt cantus apti. Oratio universalis, si fit post Unctionem, completur oratione post Unctionem dicenda (nn. 77), vel oratione dominica, pro opportunitate ab omnibus cantata.

Si plures adsunt sacerdotes, singuli super aliquos infirmos manus imponunt et Unctionem cum sua formula peragunt, orationibus a celebrante principali recitatis.

91. Ante ritum dimissionis datur benedictio (nn. 79, 237), et celebratio cantu apto laudabiliter perficitur.

Celebratio intra Missam

92. Receptio infirmorum fit initio Missae in monitione initiali.

Quoad rationem ordinandi liturgiam verbi et ipsius Unctionis celebrationem, ea serventur quae supra, nn. 89-91, indicantur.

Caput III. De Viatico

93. Parochi est aliorumque sacerdotum, quibus cura spiritalis committitur infirmorum, providere ut aegroti in proximo mortis periculo versantes sacro Viatico Corporis et Sanguinis Christi muniantur. Opportune proinde praeparatio pastoralis fiat, iuxta rerum et personarum adiuncta, tum infirmi tum eius familiae eorumque qui illius curam habent.

94. Viaticum infirmo ministrare licet sive intra Missam, si, de iudicio Ordinarii, eucharistica celebratio apud illum habeatur (n. 26), sive extra Missam, iuxta ritum et normas quae infra praebentur.

95. Licet Eucharistiam sub specie tantum vini iis ministrare, qui eam sub specie panis recipere nequeunt.

Si Missa apud infirmum non celebratur, Sanguis Domini in calice, debite cooperto et in tabernaculo reposito, post Missam servetur; ad infirmum vero ne deferatur nisi in vasculo ita clauso, ut periculum effusionis omnino vitetur. In administrando autem Sacramento, singulis in casibus, aptior modus eligatur ex iis qui in distribuenda communione sub utraque specie proponuntur. Si, communione delata, aliquid pretiosissimi Sanguinis remanserit, a ministro sumatur, qui etiam debitas ablutiones perficiendas curet.

96. Omnes, qui celebrationem participant, possunt et ipsi sacram Communionem sub utraque specie recipere.

De Viatico intra Missam ministrando

97. Quoties Viaticum intra Missam ministratur, dici potest, cum sacris vestibus coloris albi, aut Missa ad ministrandum Viaticum aut Missa de Ssma Eucharistia. Occurrente tamen dominica Adventus, Quadragesimae et Paschae, aliqua sollemnitate, aut feria IV Cinerum vel feria Hebdomadae sanctae, dicitur Missa de die, adhibita, pro opportunitate, formula propria benedictionis finalis (nn. 79, 237), vel formula, quae in fine Missae adhibetur.

Lectiones sumuntur ex iis quae in Lectionario Missae (III, pp. 820-840) vel infra (nn. 247 ss. vel 153 ss.) proponuntur, nisi utilitas infirmi et astantium alias lectiones seligere suadeat.

Quando tamen Missa votiva prohibetur, una e lectionibus sumi potest e textibus de quibus supra, nisi occurrat Triduum sacrum, sollemnitas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Ssmi Corporis et Sanguinis Christi vel alia sollemnitas de praecepto servanda.

98. Si necesse sit, sacerdos sacramentalem infirmi confessionem excipiat ante Missae celebrationem.

99. Missa celebratur modo consueto; sacerdos tamen ad ea quae sequuntur attendat: *a)* Post lectionem Evangelii, brevem homiliam de textu sacro, pro opportunitate, habere potest, in qua, statu infirmi et ceteris personarum adiunctis prae oculis habitis, momentum et significationem Viatici (cf. nn. 26-28) exponat; *b)* Sub finem autem homiliae inducat, quoties facienda est, fidei professionem ab infirmo renovandam (n. 108). Haec autem fidei professio locum obtinet symboli in Missa; *c)* Oratio universalis huic celebrationi aptetur, textu sumpto etiam ex iis qui infra (n. 109) exhibentur; omitti vero potest si renovatio professionis fidei ab infirmo facta praecesserit, et si praevideatur fore ut infirmus nimis defatigetur; *d)* Loco in Ordine Missae statuto, sacerdos aliique astantes signum pacis infirmo dare possunt; *e)* Tum infirmus tum ceteri astantes sub utraque specie communicare possunt. In communione autem infirmi praebenda, sacerdos [illegible] pro Viatico ministrando proposita (n. 112); *f)* In fine Missae, sacerdos formulam peculiarem ad benedictionem impertiendam adhibere potest (nn. 79, 237) eique formulam indulgentiae plenariae in articulo mortis addere, quae incipit a verbis: Per sacrosáncta (n. 106).

De Viatico extra Missam ministrando

100. Si infirmus confiteri velit (ad quod sacerdos valde attentus esse debet), sacerdos confessionem eius audiat, si potest, iam ante Viatici ministrationem. Si vero confessio sacramentalis in ipsa celebratione facienda sit, fiat initio ritus. Quando autem intra ritum ipsum non fit, aut alii adsunt communicandi, actus paenitentialis opportune habeatur. [*Sequitur ritus liturgicus*].

Caput IV. Ordo praebendi Sacramenta infirmo qui est in proximo mortis periculo

Ritus continuus Paenitentiae, Unctionis et Viatici

115. Si infirmus confiteri velit (ad quod sacerdos valde attentus esse debet), sacerdos confessionem eius audiat, si potest, iam ante celebrationem Unctionis et Viatici. Si vero confessio sacramentalis in ipsa celebratione facienda sit, fiat initio ritus, ante Unctionem. Quando autem confessio sacramentalis infirmi intra ritum ipsum non fit, actus paenitentialis opportune habeatur.

116. Urgente periculo, infirmus cito ungatur unica Unctione, ac deinde Viaticum ei praebeatur. Instante mortis periculo, ad normam n. 30, statim ei Viaticum praebeatur, ita ut in suo transitu ex hac vita, Corpore Christi roboratus, pignore resurrectionis muniatur. Etenim fideles, in periculo mortis, sacrae Communionis recipiendae praecepto tenentur.

117. Confirmatio in periculo mortis et Unctio infirmorum, si fieri potest, ritu continuo non sunt conferendae, ne, cum in utraque Unctio habeatur, sacramenta diversa confundantur. Si tamen necessarium sit, Confirmatio immediate ante benedictionem Olei infirmorum conferatur, omissa illa impositione manuum quae pertinet ad ritum Unctionis.

Ritus initiales

118. Accedens ad infirmum sacerdos, veste huic sacro ministerio convenienti indutus, ipsum ceterosque astantes humanis verbis salutat, adhibens, si casus ferat, salutationem: [*Sequitur ritus liturgicus*].

De Unctione sine Viatico conferenda

134. Si, propter rerum adiuncta, Unctio tantum conferenda sit infirmo in proximo mortis periculo constituto absque ministratione Viatici, ritus servetur, qui supra nn. 119-129 indicatur, his exceptis: [*Sequitur ritus liturgicus*].

Caput V. De Confirmatione in periculo mortis

136. Quoties adiuncta id permittant, integer ritus servetur, prout in Ordine Confirmationis describitur. Urgente necessitate ritus ita disponitur: [*Sequitur ritus liturgicus*].

137. In casu extremae necessitatis, sufficit ut sacerdos peragat chrismationem cum formula sacramentali: *N., accipe signáculum Doni Spíritus Sancti.*

Caput VI. Ordo Commendationis morientium

138. Caritas erga proximum urget christianos ut exprimant communionem cum fratre vel sorore moriente, cum eo et pro eo misericordiam Dei et fiduciam in Christo implorantes.

139. Orationes, litaniae, formulae iaculatoriae, psalmi, lectiones verbi divini, in hoc capite pro commendatione animae propositae, eo praesertim contendunt, ut ipse moribundus, si adhuc sui ipsius conscius sit, anxietatem mortis homini innatam, imitando Christum patientem et morientem, acceptans in spe vitae caelestis et resurrectionis in virtute eius superet, qui mortem nostram moriendo destruxit.

Assistentes vero, etiamsi moribundus non iam sui conscius sit, ex his precibus consolationem haurient, discentes sensum paschalem mortis christianae. Quem sensum etiam signo visibili exprimere saepe expedit, signando moribundum signo crucis in fronte, in qua primum signatus est in baptismate.

140. Preces et lectiones ex iis quae sequuntur libere seligendae, additis, si casus fert, aliis, semper accommodentur statui spiritali et corporali moribundi et aliis circumstantiis loci et personarum. Recitentur lente, voce potius submissa et temporibus silentii interiectis. Saepius conveniet unam vel aliam ex orationibus iaculatoriis infra inveniendis eum moribundo recitare, si casus fert, bis vel ter eandem leniter repetendo.

141. Statim post exspirationem omnes opportune genuflectunt et unus ex assistentibus seu presbyter vel diaconus,

http://www.obrascatolicas.com

praesens sit, recitat orationem quae infra sub n. 151 in- nitur.

142. Sacerdotes et diaconi studeant, quantum fieri potest, oribundis ipsi cum propinquis assistere et preces commen- tionis et exspirationis recitare; sua enim praesentia clarius tendunt christianum mori in communione Ecclesiae. Cum men propter alia gravia officia pastoralia adesse nequeunt, omittant monere laicos, ut assistentes moribundis cum iis eces in hoc titulo collectas vel alias recitent; inde curetur laici textus eiusmodi precum et lectionum prae manibus beant. [*Sequitur ritus liturgicus*].

Adn. F. BOURASSA in **Science et esprit** 24 (1972) 335-392; T. M. GY Notit. 9 (1973) 108-118; A. G. MARTIMORT in **Notit.** 9 (1973) 66-89 in **Doc. Cath.** 55 (1973) 103-104; C. ORTEMAN, **Le sacrament des lades**, ed. du Chalet 1971; G. OURY in **L'ami du clergé** 83 (1973) 3-149.

4099

972 DEC 8.-PAULUS VI, NUNTIUS. AAS 64 (1972) 753-759

untius ad universos homines, praesertim Christifideles, lendis ianuariis diem fovendae paci per totum terrarum orbem celebraturos:

AX INTER NATIONES SEU TRANQUILLITAS ORDINIS INTER ONSORTIONEM HUMANAM, ETSI A PERICULIS NUMQUAM UTA, POTEST DE FACTO, IDEOQUE DEBET, FIRMA INSTITUI AC DURATURA

A voi, uomini responsabili degli interessi supremi del- umanità, governanti, diplomatici, rappresentanti delle azioni, politici, filosofi e scienziati, pubblicisti, industriali, ndicalisti, militari, artisti, operatori tutti nelle sorti elle relazioni fra i popoli, fra gli stati, fra le tribù, fra le assi, fra le famiglie umane.

A voi, uomini cittadini del mondo, a voi, giovani della enerazione che sale, studenti, maestri, lavoratori, donne; voi, gente che pensa, che spera e dispera, che soffre; a voi, overi e orfani e vittime dell'odio, dell'egoismo e dell'in- iustizia che ancora prevale.

Osiamo rivolgere ancora una volta la nostra voce, umile forte, profeta come siamo d'una Parola che ci sovrasta c'invade, avvocato vostro, e non d'alcun nostro interesse, atello d'ogni persona di buona volontà, samaritano ap- iedato accanto a chiunque piange e attende soccorso, ervo, come ci dichiariamo, dei servi di Dio, della verità, ella libertà, della giustizia, dello sviluppo e della speran- a, per parlarvi, anche in questo nuovo anno 1973, della ace. Sì, della Pace! non ricusate di ascoltarci, anche se i questo tema voi tutto conoscete, o credete conoscere.

Il nostro annunzio è semplice come un assioma: la pace possibile.

Un coro di voci ci assale: lo sappiamo; anzi ci incalza e i soffoca: non solo è possibile, è reale. La pace è già tabilita, ci si risponde. / Portiamo ancora il lutto per le nnumerevoli vittime delle guerre, che hanno insangui- ato, ancor più che i secoli passati, questo secolo apice el progresso; ancora sono solcate sul volto della nostra enerazione adulta le cicatrici orribili degli ultimi conflitti ellici e civili; e ancora le ultime piaghe rimaste aperte innovano nelle membra del popolo nuovo il brivido di pavento all'affacciarsi della sola ipotesi d'una guerra. a saggezza ha finalmente trionfato: le armi tacciono e si arrugginiscono nei depositi, come ormai inutili strumenti della demenza superata; istituzioni solenni e universali garantiscono a tutti l'incolumità e la indipendenza, la vita internazionale è organizzata con documenti ormai indiscussi e con strumenti subito operanti per risolvere con le tavole del diritto e della giustizia ogni possibile controversia; il dialogo fra i popoli è quotidiano e leale; e per di più un tessuto formidabile di comuni interessi rende solidali i popoli fra di loro. La pace è ormai acquisita alla civiltà. Non turbate la pace, ci si risponde, mettendola in discussione. Abbiamo altre questioni nuove ed originali da trattare; la pace è reale, la pace è sicura; ormai è fuori discussione!

Davvero? Così fosse!

Ma poi la voce di questi assertori della pace vittoriosa sopra ogni sua contraria realtà si fa più timida e incerta, e ammette che veramente, e purtroppo, vi sono qua e là situazioni dolorose, dove la guerra ancora divampa feroce. Ahimè! non si tratta di conflitti sepolti negli annali della storia, ma attuali; non sono episodi effimeri, perché si tratta di conflitti che durano da anni; non superficiali, perché incidono profondamente nelle file di eserciti armatissimi, e nelle folle inermi delle popolazioni civili; non di facile composizione, perché tutte le arti delle trattative e delle mediazioni vi si sono esaurite impotenti; non innocui all'equilibrio generale del mondo, perché covano un crescente potenziale di prestigio ferito, di vendetta implacabile, di disordine endemico e organizzato; non trascurabili, quasi che il tempo fosse loro naturale rimedio, perché il loro tossico penetra negli animi, corrode le ideologie umanitarie, diventa contagioso e si trasmette alle più giovani generazioni, con fatale impegno ereditario di riscossa. La violenza ritorna di moda, e si riveste perfino della corazza della giustizia. Si propaga come un costume, favorito da tutti gli ingredienti della delinquenza proditoria e da tutte le astuzie della viltà, del ricatto, della complicità, e si profila como un spettro apocalittico armato di inauditi strumenti di micidiali distruzioni. / 755

Rinascono gli egoismi collettivi, familiari, sociali, tribali, nazionali, razziali. Il delitto non fa più orrore. La crudeltà diventa fatale, come la chirurgia d'un odio dichiarato legittimo. Il genocidio si prospetta come il mostro possibile del rimedio radicale. È dietro questi orribili fantasmi si pianifica gigantesca, con impassibili e infallibili calcoli, l'economia degli armamenti e dei mercati affamatori. La politica allora riprende i suoi programmi irrinunciabili di potenza.

E la Pace?

Oh! sì, la pace. Essa, si sussume, può egualmente sopravvivere e convivere in qualche misura anche nelle più sfavorevoli condizioni del mondo. Anche nelle trincee della guerra, o nelle pause della guerriglia, o nelle rovine d'ogni ordine normale vi sono angoli e momenti di tranquillità; la pace subito vi si adatta, e, a suo modo, vi fiorisce. Ma è questo residuo di vitalità, che possiamo dire vera pace, ideale dell'umanità? È questa modesta e prodigiosa capacità di ricupero e di reazione, è questo disperato ottimismo che può placare la suprema aspirazione dell'uomo all'ordine e alla pienezza della giustizia? Chiameremo pace le sue contraffazioni? *Ubi solitudinem faciunt pacem appellant!* (C. Tacito). Ovvero daremo ad una tregua il nome di pace? Ad un semplice armistizio? ad una prepotenza passata in giudicato? ad un ordine esteriore fondato sulla violenza e sulla paura? oppure ad un equilibrio transitorio di forze contrastanti? ad un braccio di ferro nella tensione immobile di opposte potenze? Un'ipocrisia necessaria, di cui la storia è piena. Certo, tante cose possono pacificamente prosperare anche in precarie ed ingiuste situazioni. Bisogna essere realisti, dicono gli opportunisti: soltanto questa è la pace possibile; una transazione, un accomodamento fragile e parziale. Gli uomini non sarebbero capaci di pace migliore.

Dunque, alla fine del secolo ventesimo, l'umanità dovrebbe accontentarsi d'una pace risultante da un equilibrismo diplomatico e da una certa regolazione d'interessi antagonisti, e nulla più?

Noi ammettiamo che una perfetta e stabile *tranquillitas ordinis*, cioè una pace assoluta e definitiva fra gli uomini, anche se progrediti ad un alto e universale livello di civiltà, non può essere che un sogno, non falso, ma incompiuto; un ideale non irreale, ma da realizzarsi; perché tutto è mobile nel corso della storia, e perché la perfezione dell'uomo non è né univoca, né fissa. Le passioni umane non si spengono. L'egoismo è una mala radice, che non si riesce mai a svellere del tutto dalla psicologia dell'uomo. In quella dei popoli essa assume comu/nemente la forma 756
e la forza della ragion d'essere; funge da filosofia ideale. E perciò ecco per noi la minaccia d'un dubbio, che può essere fatale: è mai possibile la pace? e il dubbio si trasforma in taluni assai facilmente in disastrosa certezza: la pace è impossibile!

Una nuova, anzi una vecchia antropologia risorge: l'uomo è fatto per combattere l'uomo: *homo homini lupus*. La guerra è inevitabile. La corsa agli armamenti, come evitarla? è un'esigenza primaria della politica. E poi è una legge dell'economia internazionale.

È una questione di prestigio.

Prima la spada, poi l'aratro. Sembra che questa convinzione prevalga su ogni altra, anche per alcuni popoli, in via di sviluppo, che si inseriscono faticosamente nella civiltà moderna, e che s'impongono sacrifici enormi sul bilancio indispensabile alla vita elementare, lesinando in essi il nutrimento, la medicina, l'istruzione, la viabilità, l'abitazione, e perfino la vera indipendenza economica e politica, pur d'essere armati e di incutere timore ed im-

porre servitù ai propri vicini, spesso non più pensando ad offrire amicizia, non collaborazione, non comune benessere, ma un truce aspetto di superiorità nell'arte dell'offesa e della guerra. La pace, da molti si pensa e si afferma, sia come ideale, che come realtà, è impossibile.

Ecco invece il nostro messaggio; il vostro, o uomini di buona volontà, il messaggio dell'umanità universale: la pace è possibile! deve essere possibile!

Sì, perché questo è il messaggio che sale dai campi delle due guerre mondiali e dagli altri recenti conflitti armati da cui è stata insanguinata la terra; è la voce misteriosa e formidabile dei caduti e delle vittime dei conflitti passati, è il gemito pietoso delle tombe innumerevoli dei cimiteri militari e dei monumenti sacri ai Militi Ignoti: la pace, la pace, non la guerra. La pace è la condizione e la sintesi dell'umana convivenza.

Sì, perché la pace ha vinto le ideologie, che le sono contrarie. La pace è innanzi tutto una condizione di spirito. Finalmente essa è penetrata come una necessità logica ed umana nelle coscienze di tante persone e, in modo speciale, delle giovani generazioni: deve essere possibile, esse dicono, vivere senza odiare e senza uccidere. Una pedagogia nuova ed universale s'impone, la pedagogia della pace.

Sì, perché la maturità della saggezza civile ha espresso questo ovvio proposito: invece di affidare la soluzione delle
757 contese umane all'irra/zionale e barbaro duello della forza cieca ed omicida delle armi, fonderemo istituzioni nuove, dove la parola, la giustizia, il diritto si esprimano e facciano legge severa e pacifica fra i rapporti internazionali.

Queste istituzioni, prima fra esse l'Organizzazione delle Nazioni Unite, sono state fondate; un umanesimo nuovo le sostiene e le onora; un impegno solenne rende solidali i membri che vi aderiscono; una speranza positiva e universale le riconosce come strumenti di ordine internazionale, di solidarietà e di fratellanza fra i popoli. La pace vi trova la propria sede e la propria officina.

